8
2
9
D

Digitized by Google

Mihi Ant. Hilarini Rincalo
dono traditus ab authore

23. B.

Digitized by Google

R. A. P. F.
DIDACI DE CEA
AGVDENSIS
HISPANI
COMMISSARII GENERALIS
CVRIAE ROM. ORD. MIN.
ARCHIELOGIA SACRA
PRINCIPVM APOSTOLORVM
PETRI, ET PAVLI.

AN. MDCXXXVI.

Digitized by Google


SERAPHICVS P. FRANCISCVS
S. ANTONIVS DE PADVA
ARCHIELOGIA SACRA
PRINCIPVM APOSTOLORVM
PETRI ET PAVLI
In libros duos redacta.
Cum Indice, et copia ad Conciones per totum annum.
EMINENTISSIMO PRINCIPI
FRANCISCO BARBERINO
CARD. AMPLISS.mo S.R.E. VICECANCELLARIO
Totius Seraphici Ordinis Minorũ Protectori,
Correctori, Gubernatori Vigilantiss.mo dicata.
Authore
R. ADM. P.F. DIDACO DE CEA AGV:
densi Hispano. Lectore Iubilato, almæ Angelorũ
Prouinciæ et Ordinis Patre, ac in Romana
Curia pro vniuersa Vltramontana fa-
milia de Obseruãtia S.P.N. Francisci
Commissario Generali.
Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth 16
Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum. Act. 9
S. BONAVENTVRA
S. DIDACVS
S. BERNARDIN. SENENS.
IHS
Ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ. Eccles. 39.
Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli uniuersa hæc. Paralip. 29.
In nomine IESV omne genu flectatur. Philip. 2.
ROMAE, Typis Ludouici Grignani

5.12.D.3

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO
BARBERINO

CARDINALI AMPLISSIMO,
S. R. E. VICECANCELLARIO,

TOTIVS ORDINIS MINORVM
Protectori, Correctori, Gubernatori
vigilantiſsimo.

FRATER DIDACVS DE CEA
Aeternam fœlicitatem.

PARVM docto inornatæ dictionis penicillo, EMINENTISSIME PRINCEPS, parua Operis huius tabella Giganteam amoris mei, & gratitudinis imaginem tibi oſtentat expreſſam. Nec ludit in his affectibus officioſa voluntas; ſed quaſi captiua debitum magnitudini tuæ tributum, ſtudij mei partum, nobilem amoris victimam rependit. Non vt ad pedes tuos cadat iugulata, ſed manus ibi munificentiam experta, coronam, & vmbræ attactu recreata, contra Zoilorum Theoninos referat patrocinium. Voueram, fateor, S. D. N. VRBANI VIII. Magno Nomini hoc Opus inſcribere, propter argumentum ipſi iure

Digitized by Google

debitum: Vbi ſummi Pontificis ſuprema dignitas, Eccleſiaſtici Principatus Monarchia, ſacri Maieſtas Imperij ſtabilitur, & ab improbiſsimis hæreticorum calumnijs vendicatur, Principis Apoſtolorum, cuius verè ſucceſſor Beatiſsimus exiſtit, Diuina poteſtas, virtutes, prærogatiuæ, dotes, miracula panduntur: D. Pauli doctrina, prædicatio, ſapientia exornatur. In vtroque Apoſtolorum Principe tota Operis moles euoluitur. Vtriuſque poteſtatis, & ſcientiæ claues Sanctiſſimus obtinet, & perrara aſſociatione virtutibus adornatum noſtra videt ætas, poſtera inuidebit. Cuius gentilitium pariter, & ſacrum ſtemma (fælici dicam, an fatali complexione) Apes Eccleſiæ, & gratiæ ſimul cum naturæ apibus condecorant; Vt primum ſecundi Libri Archielogium demonſtrat: idcirco tot titulis Sanctiſsimi pedibus ſubſternendum: Sed retraxit manum timor verecundus. Quis enim ſupra omnes ventos, nubes omnes, ipſos Atlantis vertices, & quidquid pluitur, & ningitur, magnitudinis illius plantas tacturus aſcendet? Nedum quod ſublimis ſit licèt Operis materies, non quia meum ita placet, vt Chriſti Vicarij pedibus, Dei in terris humani, quem Orbis Chriſtianus paſtorem, Diuinæ poteſtatis ſimulacrum, & Argum agnoſcit vigilantiſsimum, calami huius non morituras palmas auſim ſubſternere. Quin etiam non toties cenſoria manu reuerſo, quin totidem mille coercere lituris, & penitus delere ſit animus, cui ſæpius Ouidianum illud oberrat.

Ouid. de Pont.

Cur relego ſcripſiſſe pudet, quia plurima cerno,
Me quoque qui feci iudice digna lini.
Nam quoties video, toties mihi diſplicet illud,
Durior & iudex, me ſibi nullus adeſt.

Quod ſi tam magnam Operi fortunam vouerem, & ſacris dignum pedibus arbitrarer: facilem mihi eadem fortuna viam aperuit: Te ipſum, EMINENTISSIME PRINCEPS, oppo-

oppoſuit, quo Patrono, mollis ad votum eſſet aditus. Nec ego temeritatis damnandus, qui Solem humili venerabundus obſequio, non rectà, ſed in amantiſsimo Nepote, clariſsimo tanti Pontificis ſanguine, ipſiusque magnitudinis ſpeculo radiantem contemplor: Quem etiam totius Seraphicæ Religionis colo Protectorem, & beneuolentiſsimum veneror Parentem. Nec verò, EMINENTISSIME PRINCEPS, tua me territat magnitudo: Ita enim benignitatem maieſtate miſces, vt cum hanc erga nos vltra Patris affectum extendas; maieſtatem ſupra Principem non extollis, hanc illa temperans, vt maieſtas venerationem, & benignitas amorem prouocet. Vnde præcelſa, nec ſuperba tuæ magnitudinis limina fidenter attingo, voluntatis meæ obſidem portaturus. Quæ enim Orbis Principes vix tangunt formidoloſi, Minoribus paſsim intraturis reſerantur. Duos habet Franciſcos Seraphica Religio, Parentem alterum colit in cælo, Protectorem alterum veneratur in terra (non ludo in nomine, ſed pulchrum nominis omen amo) Nec minus FRANCISCO PRINCIPE EMINENTISSIMO PROTECTORE fortunatam iudico, quam Parente: genuit hic, tu foues, protegis, moderaris. Et cùm toti te debeas Orbi, Fratrum Minorum expediendis negotijs, tertiam anni partem ſuffuraris libenter. Et quod de ſuo Imperatore dixit Suetonius: *Non modo Principis, ſed & parentis affectum vnicum præſtas, nunc ſolando, nunc opitulando, quatenus ſuppetit facultas:* Vnde non ſuſpirent Parentem, qui talem habent Protectorem. Suet. in Tit.

Quo maior nullus, quo non præſtantior alter:

Cui nec priſca parem ſæcla tulere virum.

Nec Vatis tantùm, ſed Minorum omnium, quos tua hamauit beneuolentia, viſcauit gratia, vox iſta eſt. Et quid mirum? Pulcherrima namque virtutum Parentis in Protectore ludit imago. Vnde ſolus habes, quorum diſtributa copia

multos potuit locupletare: habes, quæ ſingula multis ad gloriam ſæculis, & ætatibus profecerunt. Fauit fortuna mihi, & votorum ſumma frui conceſsit. Dum enim edendo in lucem Operi Patronum te voueo; Beatiſsimi tui Patrui, quo licèt affectu pedes exoſculor, & tuis munuſculum hoc beneuolentiæ monumentum reuerenter pono: certus quod inde magnitudinem, & æſtimationem hauriet. Quo aſpectu omnes ferè Euangeliſtæ, vt Igniacenſis Abbas teſtatur ſerm. 3. de S. Ioan. *Initia librorum præconijs Baptiſtæ dedicauerunt; vt videlicet authoritas tanti nominis prima fronte prælati, totum deinceps commendabiliùs redderet Euangelium.* Non aliter Opus, credo, iſtud, EMINENTISSIME PRINCEPS, tui nominis prærogatiua, in quo fatum geris, & fortunam, prorſus obtinebit, vt omnium manibus curioſiùs poſſit euolui, & ambitioſiùs pertractari. Benignus ergo aſpicias, & foueas peramanter: è tuis enim oculis, amoreque Principibus Apoſtolorum gloriam, Authori ſuo famam, & æternitatem mutuabitur.

Igniac. Abbas.

FACVL-

FACVLTAS ORDINIS.

F*Rater Didacus de Cea Ordinis Minorum, Lector Iubilatus, Almæ Angelorum Prouinciæ, & Ordinis Pater; necnon Collegij S. Iſidori in Vrbe Superior, ac in Romana Curia pro vniuerſa Vltramontana familia Commiſſarius Generalis. Cùm librum cui inſcriptio eſt* Archielogia ſacra Principum Apoſtolotum Petri, & Pauli *à nobis compoſitum, Viris grauitate, & ſcientia præſtantiſsimis examinandum, & approbandum remiſerimus; facultatem, vt excudi poſsit, elargimur: dummodo per Reuerendiſsimum Sacri Palatij Magiſtrum priùs fiat excudendi poteſtas. Dat. Romæ apud S. Mariam de Aracæli. Die 28. Aprilis. Anno 1636.*

Fr. Didacus de Cea Commiſſ. Gen. Cur. Rom.

De mandato ſuæ Reuerendæ admodum Paternitatis

Fr. Franciſcus de Aguilar Curiæ Secretarius.

CENSV

CENSVRA OPERIS

R. A. P. F. Sanctori Melphienſis Ord. Min. S. Franciſci, Romanæ Reformationis Diſcreti, ſacræ Theologiæ Lectoris Generalis, & ſacræ Pœnitentiariæ Lateranenſis Præſidis.

EX commiſſione Reu. Adm. P. Fr. Didaci de Cea Agudenſis Ordinis S. P. N. Franciſci, Almæ Angelorum Prouinciæ Lectoris Iubilati, Ordinis Patris, & in Romana Curia Commiſſarij Generalis, vidi hunc Librum. *Archielogia ſacra Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli*, inſcriptum, & à ſua Reuerenda admodum Paternitate compoſitum; & nihil in illo, quod rectæ fidei, Chriſtianiſque moribus aduerſetur, offendi. Quinimò ex S. Scripturæ ſententijs, SS. Patrum authoritatibus, bonarumque literarum monumentis, quæ ad eorumdem Apoſtolorum Principum, Romanæque Eccleſiæ gloriam, & obſequium, ac Concionatorum vtilitatem larga manu collegit; iure optimo Archielogiorum titulum ſuo Libro commeruit. Vt enim Hieronem adhuc vagientem, in Syracuſani Imperij, Romanique Populi obſeruantiæ præſagium, Apes congeſto in os eius melle lactarunt; ita videntur ijdem glorioſi Apoſtolorum Principes (qui in vno Archielogiorum *Apes gratiæ* nuncupantur) ex omni ferè literatura mel pietatis, & eruditionis in os Scriptoris congeſſiſſe, eò ingenio, vt eius ſcripta Archielogia dicerentur, ipſeque Romanæ Eccleſiæ ſibi filialem, ſpecialemque amicitiam compararet. In hoc enim nouo ſcribendi genere, cum atramento reddit calamus, (vt ille dicebat) *Sermonis mella politi*, vel vt alius cecinit.

------------- Liquidoque fluentia curſu
Verba non incuſo, ſed aperto pingere flore
Inclyta Neſtorei cedit cui gratia mellis.

Quamobrem ne condita videantur.

Corticibus cauis, vitioſæque ilicis aluo.

Sed Eccleſiaſtico *Theſauro*, vnde *noua proferantur, & vetera*, typis mandari ad communem omnium vtilitatem, poſſe, & debere, cenſeo. Ex Collegio Pœnitentiariorum S.D.PP. apud Sacreſantam Lateranenſem Baſilicam. Die 27. Aprilis. Anno 1636.

Fr. Sanctorus Melphienſis Ordinis Minorum S. Franciſci S. Pœnitentiariæ Præſes.

Impri-

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Torniellus Viceſg.

CENSVRA OPERIS.

R. A. P. F. Ioannis Gonzalez de Leon Ordinis Prædicatorum Magiſtri, & in Collegio S. Thomæ Aquinatis Almæ Vrbis ſuper Mineruam Regentis.

DE commiſſione Reuerendiſsimi Patris Magiſtri ſacri Palatij attenta conſideratione perlegi, ſumma cum delectatione conſideraui. Archielogia ſacra Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli, *à Reuerendo admodum Patre Fratre Didaco de Cea Agudenſi Lectore Iubilato, Almæ Angelorum Prouinciæ, & Ordinis Seraphici Patre, ac in Romana Curia pro Vltramontana familia de Obſeruantia Commiſſario Generali. In omnibus fælix ingenium oſtentat, in Apologeticis acrimoniam, in Scholaſticis ſubtilitatem, in Dogmatibus grauitatem, in Hiſtorijs fidelitatem, in exponendis ſacris Scripturis profundam, ac ſanctorum Patrum germanam intelligentiam: in humanis literis varietatem; in cunctis nihil fidei inſonum: omnia veritati conſona. Apibus Barberinis fauum mellis libat, velut Apis argumentoſa, quæ per Spiritus ſancti prata volitans, & Scripturarum diuinarum flores decerpens, Archielogiorum conſtruit cellas, easque doctrinæ melle, ac nectare diſtendens, vtilitatem ad omnes Eccleſiæ Chriſti fideles tranſmittit. Igitur vt prodeant in lucem digna iudico. Romæ in Collegio S. Thomæ Aquinatis ſuper Mineruam. Die 29. Aprilis. Anno 1636.*

Fr. Ioannes Gonzalez de Leon Magiſter, & Regens.

Impri-

Imprimatur

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apoſt. Mag.

IN-

INDEX ARCHIELOGIORVM

Capitum, & §§. quæ in hoc opere continentur.

ARCHIELOGIVM I.
libri primi.

PRincipis Apoſtolorum ſanctitas, & innocentia à calumniatoribus defenditur, pulcherrimiſque ſanctorum Patrum elogijs decoratur.

CAPVT I.

Diui Petri ſimulatio in obſeruandis Iudæorum cæremonijs defenditur.

§. 1. *Diui Hieronymi de ſimulatione Petri ſententia proponitur.*

§. 2. *Facilior ad ſuſtentandam in ſimulatione Petri indemnitatē ratio proponitur.*

§. 3. *Diui Auguſtini ſententia circa Principis Apoſtolorū ſimulationem roboratur.*

§. 4. *Diui Pauli reprehenſionem minimè ſimulatam fuiſſe, ſed veram comprobatur.*

§. 5. *Propoſita ſimulationis exempla declarantur, aliæque in eadem materia difficultates expediuntur.*

CAPVT II.

Petrus Ananiam, Saphiramque occidens, crudelitatis, & impietatis ab hæreticis accuſatus defenditur.

§. 1. *Improuiſus Ananiæ, Saphiræque interitus deſcribitur, & necis cauſa examinatur.*

§. 2. *Mortis ſupplicio Ananiæ, Saphiræque ab Apoſtolorum Principe inflicto; iuſtitiæ rigor, & miſericordiæ lenitas ſplendet.*

§. 3. *Ananiæ, Saphiræque interitus, non tam ſæuientis Petri Iuſtitiam, quam indulgentis miſericordiam proclamat.*

CAPVT III.

Petri miſericordia in morte Ananiæ, & Saphiræ, ex alijs ipſius actis, in quibus benignitas illuxit, & clementia, ſuadetur.

§. 1. *Claudus à natiuitate ſanatur, & Petri clementia extollitur.*

§. 2. *Petrus Aeneam ſanat, & benignitatem poteſtate coniunctam oſtendit.*

§. 3. *Tabitham viduam continet ſuſcitatam, & Petri in ea ſuſcitanda virtutes commendat.*

ARCHIELOGIVM II.

Petro miraculoſo pedum remigio mare ſulcanti vnda ſubternitur,

nitur, & turbatur: vnde ob modicam fidem accuſatus, defenditur, ac in duabus Chriſti reprehenſionibus excuſatur.

CAPVT I.

Hæreticorum calumniæ aduerſus immobilem Petri fidem producuntur.

CAPVT II.

Ad propugnandam in Diuo Petro fidei integritatem munitiſſima Eccleſiæ Doctorum acies ordinatur.

CAPVT III.

Timiditatis næuus ab hæreticis Apoſtolorum Principi inuſtus abſtergitur:

CAPVT IV.

Petrus defenditur, dum Chriſtum à morte pro hominibus ſuſtinenda conatur auertere.

§. 1. *Diui Hieronymi ſententia de Petri conſilio pro diſſuadenda Chriſto nece memoratur.*

§. 2. *Diui Hilarij ſententia diſcutitur, & illuſtratur.*

§. 3. *Altera Diui Hilarij ſententiæ pars expenditur, & dilatatur.*

§. 4. *Communis Patrum ſententia in interpretanda Chriſti reprehenſione declaratur.*

CAPVT V.

Triplex verborum Chriſti, vade poſt me, ſenſus apponitur, & Petri obedientia manifeſtatur.

CAPVT VI.

Diui Petri ſententiæ, abſit à te Domine, interpretatio proponitur, & elucidatur.

CAPVT VII.

Elegans Diui Auguſtini, & ſingularis ſententia proponitur, & dilatatur.

CAPVT VIII.

Iuxta Origenis interpretationem difficultati reſpondetur, & Nouatorum calumniæ refutantur.

ARCHIELOGIVM III.

De ignorantia Diui Petri in monte Thabor oſtenſa.

CAPVT I.

Principia ſcholaſtica, moralia, & poſitiua iaciuntur, quibus Petri ignorantia à peccato immunis demonſtratur.

§. 1. *Ex ſcholaſticis, moralibusque principijs primum ſubſternitur fundamentum, quo Diui Petri à peccato immunitas ſuſtentatur.*

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. *Aliqua in contrarium, tam ex ſacra Scriptura, quam ex Theologiæ principijs deſumpta, proponuntur Argumenta.*

§. 3. *Argumenta hactenus propoſita diſſoluuntur.*

§. 4. *Pro defenſione Principis Apoſtolorum proponitur poſitiuum principium, ſanctorum Patrum doctrina ſtabilitum.*

CAPVT II.

Petrus apud Thabor ſapiētiſsimus, & perfectiſſimus oſtenditur.

§. 1. *Euangeliſtarum cenſuram, Diuus Bernardus ironicè prolatam interpretatur.*

§. 2 *Qui terrena deſipit, in cæleſtibus nimiū ſapere comprobatur.*

§. 3. *Qui terrenam ſapit fælicitatem valde neſcius in æterna deprehenditur.*

§. 4. *Petrus apud Thabor, vt Spiritus ſancti filius prædicatur.*

CAPVT III.

Sancti Ephræm ſententia proponitur, aſſerentis in eo Petri ignorantiam extitiſſe, quod labore ſuo gloriæ illius magnitudinem augeri poſſe arbitraretur.

§. 1. *Vna beatitudinis ſtilla omnes Tartari flammas in Paradiſi rorem immutare poteſt.*

§. 2. *Minima gloriæ particula omnem humanæ mentis meditationem exuperat*

§. 3. *Ingens gloriæ voluptas, quam ineffabilis ſit, inſtruatur.*

§. 4. *Ineffabilis adeo eſt æternæ felicitatis dulcedo, vt ſola ipſius memoria vitæ huius calamitates omnes, tormentaq. exuperet.*

§. 5. *Eadem gloriæ meditata præſtātia ad ſopiendum in paſſionibus doloris ſenſum, ſanctorum exēplis confirmatur.*

§. 6. *Aeternæ gloriæ magnitudo ignorantem reddidit Petrum; eadēque ab ignorantia excuſat, & protegit.*

§. 7. *Sub alijs coloribus æternæ fælicitatis prærogatiuæ depingūtur.*

CAPVT IV.

Petrus in futuri Iudicij proluſione, qualem D. Hieronymus transfigurationis ſpectaculum exiſtimauit, ideo ignorans inuenitur: quia neſciens, an ibi tanquam reus aſſiſtere, & futuras Tartari pœnas exhorreſcere debuiſſet; Iudex ipſe, & arbiter eſſe voluit.

§. 1. *Chriſto Moyſem inter, & Eliam transfigurato, non ſolùm Thabor, ſed etiam Caluariæ mons inter duos latrones moriēti, theatrum dedit: vbi extremi Iudicij proluſionem habuit, futuræque illius diei ſeueritatis imaginem reliquit; & quam acerba reproborum ſors futura ſit præmonſtrauit.*

CAPVT V.

In eo Petrum ignoraſſe Timottheus An-

Antiochenus exiſtimauit, quod è piſcatore fieri voluit architectus, vocationis ſuæ rationem immutans, in qua vnum quemque noſtrum ſe tenere, Dei ſanctio eſt.

§. 1. *Vocationis ſuæ rationem vnuſquiſque attendat, in eaque perſeueret; vbi Petrus aliud quoad ſpeciem agens, defenditur.*

CAPVT VI.

In eo errat Petrus, iuxta Remigij ſententiam, quod cum ex ipſa transfiguratione de rerum breuitate edoceretur, ipſe ibi ſine morte manere diu volebat, cum ocyſſimè, & mundi gloria, & Pontificum vita finiatur.

§. 1. *Breuiſsima fuit apud Thabor gloriæ prælibatio: vnde vanus, damnabiliterque ignarus cenſetur, qui mundi huius gloriam ſtabilem fore arbitratur.*

§. 2. *Non fuit Petri de euitanda morte conſilium; nec apud Thabor voluit immorari, ſed turbas illuc adducturus deſcendere intendebat; vt inter Moyſem, & Eliam Chriſtum aſpicerent transfiguratum; in eoque fors ignorans deprehenditur; quia pauciſſimi ſalute, & cælo digni reperientur.*

CAPVT VII.

Origenes, Chryſoſtomus, & Cyrillus, in eo Petri ignorantiam cõſtituunt, quod Chriſti mortem; prætenta apud Thabor manſione, nixus fuerit impedire.

§. 1. *De paſſionis Dominicæ fructibus, quos Petrus ignoranter impedire nitebatur.*

§. 2. *Chriſti paſſio, aſpera, & iniucunda, nobis dulcia, & guſtui gratiſſima reddidit.*

§. 3. *Mirum non fuit Petrum apud Thabor Dominicæ paſſionis ignorantia premi, cum idem Chriſtus paſſionem ſuam, præ nimia illius acerbitate, & crudelitate viſus ſit ignoraſſe.*

§. 4. *Mortem crucis, & ignominiam nuditatis, quã ibi pertulit Chriſtus, à ſe quoque dicere potuit ignoratam.*

CAPVT VIII.

Petrus tria poſtulans tabernacula, Moyſem, & Eliam à Chriſto diuidit; in quo concordiæ politicæ, & prudentiæ legum transgreſſor, ac ex Diui Ambroſij, Paſchaſijque iudicio, nenſcius conuincitur.

§. 1. *Petrus tria popoſcit tabernacula, non vt Moyſem, & Eliam à Chriſto ſepararet, ſed deliberatè, ac prudenter vtriuſque virtutes montis ſtatione voluit honorare.*

§. 2. *Moyſes, & Elias, ieiunio, & corporea puritate alati, in Thabor conuolarunt; vbi Petrus earum virtutum amator, pro ſe, & virginibus ſocijs taberna-*

culo-

culorum obſequio honorare promittit.

CAPVT IX.

Ignorantem reputat Hieronymus Diuum Petrum, eo quod in Thabor contra ſuam Monarchiam loquutus fuerit, tria expoſcens tabernacula, vbi Petri principatus ſtatuitur, & illuſtratur.

§. 1. *Mirificè reſpondet amor, & affectus, quem Petrus habuit, cùm in Thabor tria tabernacula poſtulauit, affectui, & amori, quo meruit Eccleſiæ principatū, cùm Chriſtus eum ter interrogauit, an ſe diligeret.*

§. 2. *Quod Petrus triſtitia, quam habuit, cum Pontifex creabatur, rectè oſtendit, optimè mereri vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem inſtitui.*

§. 3. *Petri in euertendo Principatu ſuo ignorantia, D. Leone, Bernardoque Iudicibus, alia premitur ignorantia, qua beatitudinis commune bonum ad priuatos, qui in Thabor aderant, reſtringere nitebatur.*

CAPVT X.

Petri *Monarchia vigintiquinque prærogatiuis illuſtrata celebratur, quæ totidem annis reſpondēt, quibus à traſlato Romā* Pō*tificatu Eccleſiā adminiſtrauit.*

§. 1. Prima Petri *prærogatiua aſſignatur.*

§. 2 *Secunda* Petri *prærogatiua inculcatur.*

CAPVT XI.

De tertia Petri *prærogatiua.*

§. 1. Petri *ſucceſſores vt particulares perſonas, eodem fidei inconcuſſæ priuilegio fruituros oſtenditur; & plurimorum* Pontificum *fides ab Hæreticis oppugnata defenditur.*

§. 2. Petrum *in negationibus fidem non amiſiſſe ſtatuitur.*

§. 3. Papæ *Victoris fides defenditur.*

§. 4. *Zaphyrini* Pontificis *fides aſſeritur.*

§. 5. *Marcellinus ab infidelitatis labe abſtergitur.*

§. 6. *Defenditur* Papæ *Liberij fides.*

§. 7. *Celeſtinus, & Gelaſius, ab hæreſis calumnia vindicantur.*

§. 8. *Vigilius, & Bonifacius ab Hæreticis ob hæreſim oppugnati defenduntur.*

§. 9 *Honorij fides ab Hæreticis oppugnata defenditur.*

§. 10. *Martini, & Nicolai accuſatiónes hæreſis refutantur.*

§. 11. *Stephanus Sextus, Sergius Tertius, & Ioannes Decimus tertius defenduntur.*

§. 12. *Gregorij Septimi accuſationibus ſatisfacit.*

§. 13. *Sylueſter, & Ioannes Vigeſimus ſecūdus ab infidelitate liberātur.*

§. 13. *Ioannis Vigeſimitertij, Eugenij Quarti, & Innocentij Octaui defenſionem continet.*

§. 15. *Eccleſiam Romanam vt particula-*

ticularis Eccleſia eſt, à fidei integritate nuſquam defecturam ſtatuitur.

CAPVT XII.

Quarta Petri prærogatiua, & quinta proponitur, ex quibus etiam Apoſtoli Monarchia demonſtratur.

CAPVT XIII.

Sextam, & ſeptimam prærogatiuam complectitur.

CAPVT XIV.

De octaua prærogatiua diſſeritur.

CAPVT XV.

Nonam prærogatiuam, & decimam illuſtrat.

CAPVT XVI.

Vndecimam, & reliquas vſque ad vigeſimam incluſiuè complectitur.

CAPVT XVII.

Vigeſima prærogatiua, vſque ad vigeſimam quintam recenſetur.

CAPVT XVIII.

Diuum Petrum Romæ Epiſcopũ ad mortem vſque extitiſſe; Romanumque Pontificem in Eccleſiaſtico principatu verum eſſe Petri ſucceſſorem ſtatuitur.

§. 1. Petrum Romæ fuiſſe multis probatur.

§. 2. Petrus vſque ad mortem Romanum tenuit Epiſcopatum.

§. 3. Proponuntur argumenta contra propoſitam aſſertionem, & diſſoluuntur.

§. 4 Romanus Pontifex diuino iure in Eccleſiaſtica Petri Monarchia ſucceſſor demonſtratur.

§. 5. Virtutum claritas, quibus Eccleſiæ Romanæ filij enituerunt, pro Romani Pontificis in eadem poteſtate decertat.

§. 6. Miraculorum claritas, ac in omnes ætates propagata eorum manifeſtatio, Romanum Pontificem verum Petri ſucceſſorem eſſe conteſtatur.

§. 7. Prophetiæ donum, quo Eccleſia Chriſti ſponſa decoratur; ſimul cum alijs manifeſtationibus eãdem oſtentat veritatem.

§. 8. Imperatorum, & Chriſtianorũ Principum, & Regum, erga Romanum Pontificem obſequẽtia, ipſum Eccleſiæ catholicæ caput exiſtere demonſtrat.

ARCHIELOGIVM IV.

Petrum auriculã Malcho abſcindentem, & Præceptorem ſuum trinis negationibus abiurantem complectitur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT I.

Petrus auriculam Malcho amputans non deliquit; immo potius in eo facto laudem, & prædicationem promeruit.

§. 1. *Petrus aurem Malcho amputans, tantum ſibi gloriæ, & celebritatis comparauit, vt propterea Marcus in Euangelio Petri nomen ſupprimendum iudicauerit.*

§. 2. *Abdita panduntur myſteria, quæ in auriculæ amputatione, & miraculoſa* Chriſti *ſanatione deliteſcunt; necnon Iudæorũ ſurditas, & obſtinatio damnatur.*

§. 3. *Iudæorum obſtinationem, & ſurditatem in Malchi vulneratione adumbratam, permulti retroacti, & ſubſequentis ſæculi peccatores æmulantur.*

§. 4. *Petrus auriculam Malcho præcidens, animoſus* Paſtor, *& intrepidus oſtenditur: quique talis ſit, miſericordia, & iuſtitia clarum fieri neceſſe eſt.*

CAPVT II.

De tribus Petri negationibus.

§. 1. *Pro D. Petri negationibus ſanctorum Patrũ excuſationes piè, ſubtiliterque inuentæ referũtur.*

§. 2 *Plurimi fines, & multiplices cauſæ à Deo intentæ, in permittenda* Petri *negatione referuntur.*

§. 3 *Proponuntur aliæ cauſæ, propter quas Petri negationes à Deo permiſſæ reputantur.*

§. 4. *Petrus negationis crimen pœnitentia, & lachrymis delet.*

ARCHIELOGIVM I.
Libri ſecundi.

De ſacris apibus gratiæ, ſeu de aliquibus Petri, & Pauli virtutibus.

CAPVT I.

P*ropter mellitam virtutum dulcedinem, & melleam cæleſtis ſapientiæ ſuauitatem Petrus, & Paulus apes Eccleſiæ meritiſſimò appellantur.*

CAPVT II.

Admiranda fuit Petri, & Pauli in prædicando ſedulitas, quam vtriuſque geſta, & multiplex rerum eruditio propalat.

§. 1. *Aemulam apum ſedulitatem in* Petro *ſpeciatim extitiſſe demonſtratur.*

§. 2. *Alterius Eccleſiæ apis Pauli nimirum ſedulitas, ipſius vitæ exemplo, & prædicationis ſtudio exornatur.*

CAPVT III.

Laudanda Petri, & Pauli in ſumma rerum potentia, & ſublimitate frugalitas, & parſimonia inculcatur: magnatibuſque imitanda proponitur.

†† 2 §. 1. *De-*

§. 1. *De Chriſti parſimonia erudimur, cuius in Petro, & Paulo Eccleſiæ apibus ſimilitudo enituit.*
§. 2. *Chriſti parſimonia in veſtibus, & calceamẽtis proponitur, ante conſpectum in Petro, & Paulo eiuſdem virtutis ſimulacrum.*
§. 3. *Petrus, & Paulus omnigena rerum parſimonia Chriſti ſimilitudinem expreſſerunt.*
§. 4. *Chriſtus nuditatis ſuæ imaginẽ, tam in veſtitu, quàm in calceamentis in vtroque Apoſtolorum Principe delineauit.*

CAPVT IV.

Pulcherrimo apum breuitatis argumento, Petri, & Pauli in ſumma dignitate humilitas prædicatur.
§. 1. *Petrus Eccleſiæ apis, in ſummo apice paruus, & humilis demonſtratur.*
§. 2. *Eandem Petrus humilitatem moriens prætulit, quam viuens tenuerat.*
§. 3. *Breuitas ſtaturæ in D. Paulo, ac in ea virtutem latuiſſe admirabilem ſtatuitur.*
§. 4. *Nominis mutatio Sauli in Paulum, eandem apis paruitatem oſtendit.*
§. 5. *D. Pauli humilitas, ſeu animi paruitas, corporis, & nominis paruitatem exornauit.*

CAPVT V.

Apoſtolicæ prædicationis ſonitus humana paruitate maior, ac diuinæ immenſitatis æmulus, Orbem repleuit vniuerſum.
§. 1. *Petrus Eccleſiæ apis edito prædicationis bombo, ſeu tonitruo infideles terruit, ac expugnauit.*
§. 2. *Alterius Eccleſiæ apis, D. Pauli nimirùm, vocis magnitudo, ideſt prædicationis potentia declaratur.*

CAPVT VI.

Incredibilis Petri, & Pauli ſuauitas doctrinæ, & mellifluentia exprimitur.
§. 1. *Mellea Petri, & Pauli doctrina, non omni palato dulceſcit; ſiquidem improbis impensè ſapor eſt, probis verò dulce pabulum, & miram præſtat voluptatem.*

CAPVT VII.

Reliquæ apum dotes promiſcuè recenſentur, & breuiter illuſtrãtur.
§. 1. *Petri Eccleſiæ apis caſtitas, ſtatuitur; alijſque apum dotibus exornatur.*
§. 2. *Paulum Eccleſiæ apem virginitate clarum extitiſſe definitur.*

CAPVT VIII.

Petrus, & Paulus in ſumma rerũ amplitudine, nec ſingulares eſſe, nec alijs præferri ſtuduerunt.

CA-

CAPVT IX.

Quid quid in reliquis apum dotibus erat præſtantius, in Petro, & Paulo Eccleſiæ apibus illuxit.

ARCHIELOGIVM II.

De præcipuis Patribus, & Doctoribus Eccleſiæ, ſeu de doctrina, & prædicatione Petri, & Pauli, vbi traditur norma concionandi artis Euangelicæ.

CAPVT I.

Magna fuit in D. Paulo doctrinæ præſtantia, ingensque vbertas

CAPVT II.

Artis prædicatoriæ difficultas expeditur, & præcipuæ dotes exornando concionatori proferũtur.

§. 1. *Naturæ dotes prædicatoribus ſuo muneri exercendo neceſſaria recenſentur.*

§. 2. *Prædicatorem Euangelicum plurimæ dotes induſtria comparatæ nobilitant, & exornant.*

§. 3. *Prima Euangelici prædicatoris virtus humilitas, qua de ſe abiectè ſentiat, numeratur.*

§. 4. *Animi generoſitas, & celſitudo ſacros Euangelij præcones mirificè exornat.*

§. 5. *Superflua culturæ ſtudioſitas in prædicatoribus damnatur.*

§. 6. *In prædicatore prudentia requiritur, vt pro materiæ, & auditorum exigentia appoſitè dicat.*

§. 7. *Diuinis qualitatibus concionatoris officium perficitur, & coronatur.*

§. 8. *Factis, & verbis clarere debet Chriſtianus Orator, vt doctrinam vitæ ſanctitatis exornet.*

§. 9. *Propter eximiam prædicationem Paulus Eccleſiæ Gallus antonomaſticè dicitur: & plus vni Paulo futuro, quam vniuerſo hominum generi Deus cõtulit.*

§. 10. *Delineatam virtutum imaginẽ in D. Paulo nouis coloribus illuſtramus.*

§. 11. *Plurimis induſtriæ ornamentis Diuus Paulus ſuum magiſterium laureauit.*

§. 12. *Dei liberalitas, & Pauli induſtria ſapientiſſimum illum prædicatorem reddiderunt.*

§. 13. *Paulus in ſapientiæ ſublimitate, animi ſubmiſſionem retinuit, qua inſtrui, & admoneri libenter ſuſtinebat.*

§. 14. *Non ſolus Paulus in capienda ab alijs doctrina præiuit, ſed etiam Petrus eodem præluxit exemplo.*

§. 15. *Pauli doctrina humilitate perdiſcendi inſignis, mira claruit fœcunditate.*

§. 16. *Quidquid ad prædicandum natura Paulo non indulſit, gratia cæleſtis abundãter ſuppleuit.*

§. 17. *Pro doctrina ſua Paulus decertat Corinthiorum obiectionibus ſatisfaciens, & interim pluriũ auditorũ fatuitas redarguitur.*

CAPVT III.

Admiranda Petri, & Pauli doctrina, & prædicatio inter ſe conferuntur, præclariſſimiſque ſanctorum Patrũ elogijs illuſtrãtur.

CAPVT IV.

Fidem ſuam D. Petro primo in ea legis Euangelicæ prædicatori Roma debet.

ARCHIELOGIVM III.

Primi Eccleſiæ, præcipuique Paſtores pro lege, & pro grege, ſanguine ſuo poſt vincula purpurati referuntur.

CAPVT I.

Petrus, & Paulus pro Chriſto patiendi deſiderio efferuntur, & catenarum vtriuſque pretium, ac dignitas æſtimatur.

CAPVT II.

Roma Petro, & Paulo triumphalẽ pro Chriſto mortẽ ſubituris ampliſſimum exhibuit theatrum.

CAPVT III.

De Authore, tempore, & loco martirij Principum Apoſtolorum.

CAPVT IV.

In ipſa carceris obſcuritate, Petri, & Pauli doctrinæ ſplendor illuxit, & plurimos fidei lumine reſperſit.

CAPVT V.

Nonnullæ ex plurimis cauſis referuntur, ob quas Petrus, & Paulus Neroniano gladio percuſſi ciciderunt.

CAPVT VI.

Vna Neronis inuidia Petrum, & Paulum ſuſtulit, qua etiam tanquã veneno multi ex prædicatoribus abſumuntur.

§. 1. *Alienam timens fælicitatem prophetat inuidia, eoque magis promouet, quo amplius nititur impedire.*

§. 2. *Naturam hominis immutat inuidia, Deique imaginem in eo extinguit, ac in ſui ipſius pœnã conuertitur, dum inuidus alia inuidia caſtigatur.*

§. 3. *Inuidia comes auaritiæ pectus inuidentis areſacit, & libidine citius in ſenectutem præcipitat.*

LE-

LECTORI MEO
CANDIDISSIMO.

PLVRIMVM ſanè voluptatis rerum viciſsitudine temperata varietas affert. Gratior eſt floſculis ſtellatus ager, cum multiplici colorum diuerſitate, figura, odore, forma certatim oculis, naribusque blanditur. Monitum tamen te, Lector, volo, me in tanta Operis varietate, nequaquam iudicantium pruriginem, legentium voluptatem, & cenſorum lenocinium quæſiiſſe. Noſtræ ſcriptionis ſcopus fuit Petri Apoſtolorum Principis defenſio, in quem hæretici accuſationum ſagittas collimarunt. Certaminis Scholaſtici conſuetudinem non obſeruo, vbi ſyllogiſmorum formæ, argumentationum rationes, & calumniarum oppoſitiones ad vnguem referuntur, vt certiùs refutentur. Atque adeo mixtam elogiis apologiam conſtruxi, vnde Archielogiorum titulus toti Operi promanauit. Hæreticorum ineptias, aptiùs inſanientium deliria nuncupauerim, non adamuſsim refero: quoniam arenæ concertationum, & cathedræ quæſtionibus non morigeror; qui ſuggeſto, prædicationique, Principis Apoſtolorum defenſionem, & plurima deſtinaueram ornamenta. Nonnunquam, fateor, citra offenſam eius, quam hìc grauitatem profiteor, cùm hæreticis luſi, eorum deliramenta non ſemel irridens. Quod etiam à D. Hieronymo, cum Heluidio antagoniſta ſuo factitatum reperio. In libro enim de perpetua Deiparæ virginitate hæretico dicebat: Rhetoricati ſumus, & in morem de- D. Hier.

clama-

clamatorum paululum luſimus, tu nos Heluidi coegiſti. *Noui pluribus ſilentium gratiùs fore, quàm luſum: Attamen Petri amor Chriſti Vicarij decus, Eccleſiæ capitis reuerentia ſilentem impulit, & læſa calumnijs patientia linguam exacuit, calamumque in ſacrilegos obarmauit. Etenim, quod Ripario dicebat S. Hieronymus contra Vigilantium locutus epiſt.* 53. *aduerſariorum procax dementia ſty-*
D.Hier. *lum in hos luſus erudijt.* Tacita, *aiebat*, me forſan cogitatione reprehendes: Cur in abſentem inuehar, fatebor tibi dolorem meum, ſacrilegium tantùm patienter audire non poſſum. *At tu candidiſsime Lector, dum calami luſus audis, peregrinitatem dictionis, affectatamque huius æui culturam minimè cogita: neſcit fæminam noſter calamus, nec alio quàm virili odore recreatur. Ille alius ſub pictura ſua tectus monitores auſcultabat: ſtylo mens no-*
Seneca. *ſtra facieſque publicatur. Verè enim ſcripſit Stoicus epiſt.* 115. Oratio vultus animi eſt, ſi circuntonſa, ſi fucata, & manufacta, oſtendit quoque illum non eſſe ſyncerum, & habere aliquid fracti: Non eſt ornamentum virile concinnitas.

Spongiam itaque potiſsimum arripui, vt accuſantium hæreticorum maculas ab Apoſtolorum Principis nomine abſtergerem, maximè apud Thabor, vbi Apoſtolus ignorantiæ incuſatur, ſicut in tertio libri primi Archielogio reperies. Dum tamen ignorantiam protelo, cauillationes alias refellere neceſſum iudicaui, vt inter has vmbras Apoſtolicæ virtutis lumina clariùs emicarent. Idcirco defenſionem priori libro contexui, virtutum elogia in poſteriorem reieci, in quibus nefas duxi, grandeque piaculum Petri Coapoſtolum Paulum præterire, ne quos Dei electio in eodem vitæ inſtituto, & Neronis crudelitas in morte coniunxerat, hæc, quæ ideo Archielogia Petri, & Pauli diximus, ſepararent. In his pro argumenti neceſſitate ſcholaſtica, dogmata, poſitiua, hiſtoriam, literas etiam amœniores inſerui, cuncta non planè perfecta, ſed ingenuè dicam, rudia, & naſcentibus ſimilia: Omnibus tamen abſque ſiniſteritate legentibus profutura.

LI-

LIBER PRIMVS

APOLOGETICVS.

Archielogicas Diui Petri defenſiones complectens.

SYNOPSIS TOTIVS LIBRI.

Permixtam Archielogijs expoſtulationem Apologeticam hic primus Liber in quatuor partitus Archielogia complectitur.

PRimum de Petri reprehenſione agit, quam à Diuo Paulo inflictam patienter, humiliterque ſubſtinuit; de quo in Epiſtola ad Galat. cap. 2. meminit Apoſtolus. Deindè Ananiæ, & Saphiræ mortem pertractat, in qua non damnanda crudelitas, ſed commendabilis Diui Petri benignitas eluxit.

Secũdum nouos Petri in æquore greſſus contemplatur; & qua ratione Chriſtus ipſum reprehenderit, eo quod Saluatorem à ſuſtinenda crucis paſſione tentarit auertere.

Tertium ignorantiam diſcutit, quam apud Thabor Petrus oſtendit: affectũ ipſius commendat, cauillãtiumq. Hæreticorum næuos extergit. Ac Petri Monarchiam fide ſtabilitam demonſtrat.

Quartum Petri animoſitatem in abſcindenda Malcho auricula; trinamq. antè gallicinium ipſius Apoſtoli negationem, ſalua fidei, Scripturæq. veritate, à Nouatorum criminationibus propugnat.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARCHIELOGIVM PRIMVM.

Principis Apoſtolorum ſanctitas, & innocentia à calumniatoribus defenditur, pulcherrimisq. ſanctorum Patrum elogijs decoratur.

IN ipſo ſtatim Operis veſtibulo forsā impinges; atquè in primo limine hæſitabundus conſiſtes, & iure optimo demiraberis. Cur Archielogia pollicemur? Vbi vernans dictio, florida, & peruenuſta oratio, Muſarumq. amœnitas reperitur. Vbi interludentibus ſententiarum gemmis, exultans calamus non infœliciter ludit, ſed operoſis nitidiſsimi ſtyli, picturatęq compoſitionis varietatibus delectat: In Apologiam ſtatim demigramus. Et qui virtutibus addere ornamētum, coronáq. texere decreueramus: ad defenſionem diſtricto calamo obarmamur; nec iam in Archielogijs ludimus, ſed in Apologia decertamus. In qua nuſquam roſas, lilia, violas perolebis; ſed vêpres, ſpinas, ſentes exhorreſces. Nec ſolùm inamœnum eſt, aſperum, & ſenticoſum Apologiæ genus, ſed ſterile, & ſalebroſum: nunquam mulcet; nec amica infigit baſia, ſed ferro, & ſecuribus deſæuit: non vtiquè flores ſpargit, ſed molaribus grandinat: non ludit officijs, ſed cæſtibus præliatur. Attamen calamum in hæc noſtro pugnantia ingenio flectere cōpellimur. Quia, vt ſcitè dixit olim in Apologet. Tertullianus: *Infirma laudatio eſt, quæ alterius deſtructione fulſitur.* Tertul. l.
Vndè non rectè dices magnum, quem vt extolleres alium deiecisti: ſic etiam minimè plenum erit, nec princeps illius virtutis elogium, cui blaterones allatrant, maledici, conuiciatoresq. detrectant: niſi priùs calumniarum næuos orationis ſpongia diligenter abſtergas, cauillos auferas, oppugnatamq. virtutem tuearis.

Cùm igitur nonnulli de eorum grege extiterint, de quibus ſacer dixit Parœmiaſtes cap. 30. nu. 14. *Generatio, quæ pro dētibus gladios habet, vt comedat inopem de terra, & pauperem ex hominibus.* Prouerb. cap. 30. num. 14.
Qui improbiſſimas in Apoſtolorū Principem calumnias diſſiparunt; eorumq. imitati ingenium, de quibus teſtatur Pſalmographus. *Poſuerūt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terram*; Chriſti Vicarium, humanum veluti in terris Deum, ipſius teſtimonio comprobatum, ampliſsimoq. beatitudinis titulo exornatum, per ſum- Pſal 72. verſ. 9.

A 2 mam

mam impietatem probroſis auſi ſunt detractionibus lacerare: neceſſe eſt effrænè eorum audaciam comprimere, procacitatem retundere, & impudẽtiam coercere. Vt aſſerta in omnibus Diui Petri ſanctitate & innocẽtia, os ſuum oppilet omnis iniquitas, ſolaq. Dei Eccleſia Paſtoris ſui dignitatẽ ampliſſimis Archielogijs concelebret.

Pſal. 106 verſ. 2.

CAPVT I.

Diui Petri ſimulatio in obſeruandis Iudæorum cæremonijs defenditur.

GRatior nonnunquam eſt, quæ inter obluctantes lapillos leni murmure peſtrepens vnda, criſpantiq. elata fluxu properanter decurrit, quam, dum veluti cęptas immemor vias ire, placido flumine molliter elabitur. Non ſolùm arridet mare, cum dulci blandoq. contactu littoribus alludit; ſed etiam cum frementibus vndequaquè ventis ſpumantes attollit fluctuum aggeres, ſydera contingit, rupes verberat, & quæ imo fundo ſubſiderant in littus eructat, iterùmq. reſorbet. Infantibus ſemper melimella placent, & dulces mariſcæ: viros autem piperati nonnunquàm, ſubacidiq. ſapores delectant. Alternat natura vices, cuius æmula ars, ſales inter Atticos, & mella, orationis aculeatę permiſcet acorem; maximè cum pro rei conditione alia, atquè alia vti neceſſe eſt dictione, vt nobis accidit, qui pro tuenda Petri innocentia, cum impijs, & Nouatoribus decertamus. Verùm, vt inter ſpinas roſæ multoties enaſcuntur, & gratius ſpirant; ſic etiam inter Hæreticorum ſtimulos, & vepretes, non deerit, quod erudiendo lectorem mirificè delectet.

Igitur Apoſtolorum Principem ab omni culpa immunem extitiſſe, dum Iudæorum cæremonias obſeruare ſimulauit, Authores grauiſsimi docuerunt. Et iam olim inter Scholaſticos Doctores ſuper hac ſimulatione celeberrima fuit concertatio; præſertim Diuum Auguſtinum, & Hieronymũ, quorum ſentẽtias ſtatim producemus. Interim rem ipſam vt euenit, & Diuus Paulus in Epiſtola ad Galat. cap. 2. refert, breuiter expono. Diui Petri exemplũ ſequuti quamplurimi ex Iudæis, qui Antiochiæ agebant, menſas gentilium euitabant, nè gentis ſuæ hoſpites offenderent, qui nuper ab Hieroſolymis à Iacobo eius Vrbis primo Antiſtite miſſi, Antiochiam aduenerant. Omnes hi ductore Petro & præceptore, Iudæorum menſis aſſidebant, in quibus nihil in lege prohibitum veſcebantur. E contrà gentilium, qui Baptiſmum ſuſceperant, menſas repudiabant, vbi omnia in diſcriminatim edebantur: ex quo magnum inter fideles redundauit ſcandalum, cui, vt Diuus Paulus obuiaret, Petrum redarguit;

vt

vt ex illis verbis ad Galat. 2. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiã, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat*: D. Auguſtinus tom. 2. Epiſtola 8. 9. & 19. ad Hieronym. D. Cyprianus Epiſtola ad Quintum, Gregor. Homil. 18. in Ezechielem, Diuus Thomas, Ambroſius, & alij ad prædictum locum, apertiſsimè deducunt.

Auguſt. *Cyprian.* *Gregor.* *D. Thom.* *S. Ambr.*

Producta Diui Pauli verba ſiniſtrè interpretati ſunt Hæretici, improbamq. nacti occaſionem, mille protulerunt ineptias, totidemq. in Apoſtolorum Principem probroſa mendacia diſsiparunt. Lutherus eadem verba impudenter vſurpans, pro fundamẽto iecit cõcionis, quam habuit pro iure canonico flammis abſumendo: opus vt Hæreticus ille procaciter iactabat, merito ac virtute plenum, Pontifici Dei Vicario abſens reluctabatur, idem ſi ſibi liceret præſens impudenter facturus.

Nilus in lib. de Primatu Romani Pontificis, Diuum Petrum in hoc euẽtu fidem amiſiſſe, prauoq. exemplo gentiles ad Iudaiſmum amplectẽdum coegiſſe, temerario auſu propalauit. Rem mitiùs interpretati ſunt Magdeburgenſes, nec fidem à Petro amiſſam, ſed crimẽ grauiſsimum, & ſugillatione dignum admiſiſſe atteſtantur. Verum in eo crimine enarrando, maiorum ſuorum Marcionis, Iulianiq. Apoſtatæ ingenium ſequuntur. Quippequi Apoſtolum fœdiſsimi reum criminis, & conſequenter à Diuo Paulo notatum, & meritò reprehẽſum aſtruebant. Horum calũnias impudenter cõfictas, iam olim Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionẽ, Cyrillus lib. 9. in Iulianum pleniſsimè refutarũt.

Tertull. *Cyrill.*

Poſthabitis igitur Nebulonibus, eorumq. blaſphemijs, & calumnijs temerè, & procaciter effuſis, Diuum Hieronymum inſpiciamus, pro indẽnitate Petri acerrimè dimicantem in Commentarijs Epiſtolæ ad Galat. ad tom. 6. & Epiſtola 89. quæ inter Auguſtini Epiſtolas vndecima numeratur. Eandem tuetur Chryſoſt. ad Galat. 2. quẽ Theophylactus, & Græci Patres, vt plurimum ſequntur. Accedit Scholaſticorum non parua, nec parui facienda manus. Suarez lib. 9. de Legib. capit. 20. num. 29. Vaſquez 1. 2. diſp. 182. cap. 7. Didacus Granado pari ſapientia, & pietate eximius controuerſ. de Legib. tract. 4. diſp. 6. Et multorũ inſtar, quos prudẽs, ſciensq. omitto, Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus, controuerſ. 3. lib. 1. de Romano Pontifice c. 28. Omnes hi Diuum Petrum in memorato euentu, ab omni culpa, etiam veniali abſoluendum ſtatuunt, Diui Pauli reprehẽſione non obſtante, ad quam ipſe diuerſis admodùm, juſtis, atquè honeſtis rationibus cogi potuiſſet.

Hieron. *Chryſoſt.* *Theophyl* *Suarez.* *Vaſquez.* *Granado* *Bellarm.*

Non defuère tamen ex Latinis Patribus, qui Petrum ob hanc ſimulationem criminis aliqualiter damnarent. Tertull. lib. 4. in Mar-

Tertull. Cyprian. Ambroſ. Auguſt. cionem, Cyprianus in Epiſtola ad Quintum, Ambroſ. in c. 2. Epiſt. ad Galat. Auguſt. in Epiſtola ad Hieron. 8. & 9. ac 19. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 12. Quibus adhærent Scotus. D Bonau. D. Thom. ex Scholaſticis Scotus in 4. diſt. 3. q. 4. Diuus Bonauent. ibid. art. 5. q. 2. Diuus Thomas 1. 2. q. 103. art. 4 ad ſecundum, quem recentiores Thomiſtæ, & plures alij ſequuntur. Quid igitur inter tot, tantorumq. virorū contrarias omninò ſententias, ergà D. Petrum amor, pietasq. ſequeſtra agendum meditabitur? Suſpenſa manu opiniones retuliſſe contenta, quæſtionem relinquet indeciſam? An aliquem producet Authorem, qui æquus veluti Palæmon litem dirimat, & componat?

Baron to. 1. ad annū 51. fol. 426. num. 35. Doctiſsimus Cardinalis Cæſar Baronius, qua in ſacris Annalibus conſcribendis diligentia valuit: nonnullos & optimæ notæ inuenit Authores, qui Cephā illum, quem Diuus Paulus in Epiſtola ad Galat. à ſe reprehenſum ſcribit, non Apoſtolorum Principem, ſed aliū eiuſdem nominis Cepham ex numero 72. diſcipulorum extitiſſe aſſeuerant. Iſ ſunt Clemens Alexandrinus Clemen. apud Euſebium lib. 1. Hiſtor. c. 123. & alij tàm ex Græcis, quàm Latinis complures, quibus Naſcard. Doroth. fauet Dorotheus in Synopſi, vbi hunc Cepham in Caria factum Epiſcopum tradit. Quin etiam Epiſtolæ, quæ Martialis nomine circumferuntur, ipſum Cephæ cognomen præſeferunt. *Seruus Dei, & Apoſtolus Ieſu Chriſti Martialis Cephas omnibus fratribus, &c.* Nec leue pro confirmanda huiuſmodi ſentētia ſeſe offert indicium, videlicèt, quod Diuus Paulus in eadem Epiſtola ad Galat. de Petro agens, eum non Syriacè Cepham, ſed Petrum nominauit. Cæterum ſtandum eſt communi ſententiæ, & Hieronymo in Epiſtola ad Galatas, qui nullum Cepham præter Petrum agnoſcit. *Alterius*, inquit, Hieron. *neſcio cuius Cephæ neſcire nos nomē, niſi eius, qui & in Euangelio, & in aliјs Pauli Epiſtolis, & in hac quoquè ipſa, mòdo Cephas, modo Petrus inſcribitur.* Et inferiùs: *ſi propter Porphyrij blaſphemiam alius nobis fingendus eſt Cephas, nè Petrus putetur erraſſe; infinita erunt de ſcripturis emendāda diuinis, quæ ille qui non intelligit, criminatur.* Vndè controuerſia non eliditur; laudandus tamen eſt Clementis, & aliorū in Petrum affectus.

Nec minùs laudda mihi videtur aliorum Authorum pietas, eximiusq. in Petrum amor, quo duce, licet ipſum à culpa penitus non eximant, ac proptereà à Diuo Paulo reprehenſum fuiſſe fateantur: plures tamen rationes excogitarunt, quibus culpam extenuant; atquè ex ea laudandæ humilitatis, aliarumq. virtutum argumenta mutuantur. Diuus Cyprianus Cyprian. in Epiſtola ad Quintum; ex eo Diui Petri humilitatem mirificè extollendam arbitratur; quod

quod cum à Paulo ſe reprehendi intueretur, nequaquam obiecit: *Se primatum tenere, & ſibi potiùs obtemperari à Nouellis, & poſteris oportere*. Diuus Auguſt. Epiſt. 19.
Auguſt. ad Hieronym. eandem humilitatem deprædicat. *Rarius*, inquit, *& ſanctius exemplum Petrus poſteris præbuit, quo non dedignaretur à poſterioribus corrigi, quã Paulus; quo confidenter auderent mi-*
Gregor. *nores maioribus, pro defendenda veritate, ſalua charitate reſiſtere*. Sic ille. Magni Gregorij magnum eiuſdem humilitatis encomium ſuperaddo. *Se etiam*, ait, *minori ad conſenſum dedit: atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, vt in hoc etiam præiret; quatenus, qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet etiam primus in humilitate*. Hæc Magnus Pater, homil. 18. in Ezech. & ſtatim ſubdit: *Ecce à minore ſuo reprehenditur; & reprehendi non dedignatur*. Quid ni? patiens, ſilensq; ſubditum audiret ſuggillantem, qui Magiſtri & Saluatoris ſui, inter accuſantium Iudæorũ calumnias, vſque ad Præſidis admirationem, triumphale ſilentium inſpexerat. Vt, quod de eo prędictũ fuerat, impleret. *Silui, patiens fui;*
Iſaias 42 n. 14. *ſicut vir non habens in ore ſuo re-*
Pſal. 37. *dargutiones*.
verſ. 15.

Non hic circà D. Petri immunitatem à culpa, dicendi finis: plura mihi, eaq. admiratione digna ſuperſunt, quibus, vt ſpero, victrix Apoſtoli innocẽtia triumphabit: Authores non contemnendi, euidentia facti, vt exiſtimant, compulſi, aliqualem in Petro culpam interueniſſe fatentur. Debita nihilominus Apoſtolorum Principi reuerentia, peccatum ipſius veniale ad ſummum, vel materiale dun- Scotus.
taxat fuiſſe autumant. Scotus loco ſuperius allegato, varios modos ſubtiliter excogitauit, quibus illud peccatum admitti potuiſſet, nulla tamen ratione læthale fuiſſe credit, ſed veniale, illudq. leuiſſimum.

Cæterum ſecurior ſub Hieronymi telo expugnata ab hæreticis Petri innocentia ſtetit: quippequi nec culpæ leuiſſimæ vmbrã in Apoſtolo admittere conſentit, vt vidimus: plures enim, & honeſtos fines agnouit, quos in illa ſimulatione reſpexiſſet Apoſtolus, propterquos, vt etiam Patres alij tenuerunt, ab omni culpa immunis euaderet: quinimò innocentiã tueri non cõtentus, adiecit & laudem, factus encomiaſtes, qui acerrimus defenſor extiterat. Vndè ſimulationis opus, tanquam egregium veroq. Paſtore digniſsimum prædicat, mirificèque extollit. Etenim Petrus ad Magiſtri ſui, & Redemptoris noſtri exemplũ, qui æterno Patri dicebat apud Ioan. Ian. 18.
18. n. 9. *Quos tradidiſti mihi, non* nu. 9.
perdidi ex eis quemquam. Velut egregius Paſtor, & fideliſſimus Cuſtos commiſſum ſibi gregem illæſum cuſtodire, & integrum ſeruare ſtatuerat. Vndè ne minimam

perderet ouiculam, omnibus amicabili cõſuetudine ſe immiſcebat, ijsque familiariter vtebatur. Do Hieronymum. *Timebat autem Iudæos, quorum erat Apoſtolus, ne per occaſionem gentilium à Chriſti fide recederent, & imitator Paſtoris boni perderet gregem ſibi creditum.*

Hieron.

Sed neſcio quis aurem vellit, & prudenter admonet, ne dum ex altera lance detrahitur pondus, alteri adijciatur; atque adeò, quò maiori ſtudio Petri ſimulatio vendicatur à culpa, eo magis improuido iudicio Paulus mẽdacij damnatur: quoniam deficiente obiurgationis fundamento, ſtatim mendacium Paulo impingendum ſuboritur, dum enim arguit immerentem, calliditatis & aſtutiæ conuincitur. Nec iam verba menti conſentiebant. Et tamẽ D. Auguſtinus lib. de Mendac. ad Conſent. capit. 3. neceſſarium iudicauit, vt quiſpiam mendacij reus nõ arguatur, magnum mentis, verborumq. retinere conſenſum. Nec parum vrget, quod etiam Paulus nõ nullos ritus, cæremoniasque Iudaicas obſeruauerit, vt Diuus Hieronymus Epiſtola 89. palàm fatetur. *Didicimus, quod propter metum Iudæorum, & Petrus, & Paulus æqualiter finxerint, ſe legis præcepta ſeruare.* Fauet illud ex cap. 16. Actorum, vbi Paulus dicitur Timotheũ ex Patre Gentili ritu Iudaico circũcidiſſe. Quin etiã cap. 18. eiuſdem lib. Nazareorum more caput in Cenchris attondit. Prætereà Hieroſolymam reuerſus, vt Iudæos ſibi conciliaret, antequam templum ingrederetur, legali ſe purificatione luſtrauit. Nec dubium, quod eodem, quo Petrus fine memoratas menſarum cæremonias obſeruauerat. *Qua igitur fronte*, concludit Hieronymus, *Qua audacia Paulus in altero reprehendit, quod ipſe commiſit?* Ne igitur, in altero culpam, redarguẽdique in altero libertatem prudentia non menſuratam extitiſſe arbitreris.

Auguſt. *Hieron.* *Act. 16* *Act. 18* *Hieron.*

Legionenſis in cap. 2. ad Galat. locum illum diligenter examinãs: Nullam aſſerit interpretationem magis aptam, pietatiquè conformem adhiberi poſſe, quàm, quæ Petrum à culpa, & Paulum liberet à mendacio, vt de Apoſtolorum Principibus, Orbisque Magiſtris par eſt exiſtimare. *Quod ſi, ait, quis poſſet huius orationis ſententiã ſic interpretari, vt & Petrum liberet à peccato, & Paulum à procacitate, & mendacio: Is certè optimè interpretatus eam eſſet.* Hæc ille, vbi inſinuauit proprium Doctorum munus eſſe, quantum litteralis textus interpretatio patiatur, ſanctos viros à culpa, parumque honeſtis actionibus vendicare: præſertim cum eius dignitatis, & conditionis ſint, quales Petrus, & Paulus firmiſſimæ Eccleſiæ columnæ extiterunt. Quod ſi quiſpiam aliter (quod minimè reor) exiſtimet, D. Hieronymum audiat

Legion.

Digitized by Google

audiat, ità de Vigilantio conquerentem. *Hæc dolentis magis effudi animo, quam videntis, dum me cohibere non poſſum, & iniuriam Apoſtolorum, ac Martyrum ſurda nequeo aure tranſire.* Iuſtus animi in tali cauſa indignãtis affectus, quem veneror, & amplector, Hieronymumq. imitatus, regia quæ mihi aperitur via incedam: vbi duplex ſe oſtentat ratio, qua Petrum à peccato, Paulũq. à mendacio liberum fuiſſe comprobetur.

Hieron.

§. PRIMVM.

Diui Hieronymi de ſimulatione Petri ſententia proponitur.

PRimum in hac via lapidem erexit Diuus Hieronymus Epiſt. 89. in qua ſuper eadem quęſtione ab Auguſtino rogatus, reſpõdit: Diuum Paulum nullatenùs Petrum, vt criminis reum ſuggillaſſe, atqueadeò apparẽtem fuiſſe Apoſtoli reprehenſionem, ex diſpenſationeq. & honeſto fine ſimulatam. *Ego*, inquit, *imò & alij antè me expoſuerunt cauſam, quam putauerant, non officioſum mendacium defendentes, ſed oſtendentes honeſtam diſpenſationem: vt & Apoſtolorum prudentiam demonſtrarent, & blaſphemantis Porphyrij impudentiam coercerent; qui Petrum, & Paulum puerili dicit inter ſe pugnaſſe certamine: imò exarſiſſe Paulum in inuidia virtutum Petri, & ea ſcripſiſſe iactanter, quæ vel non fecerit, vel ſi fecerit, procaciter fecerit, id in alio reprehendens, quod ipſe commiſerit.* Hæc Hieronymus Apoſtolicæ innocentię propugnator acerrimus.

Hieron.

Verùm non ſolùm in hoc euentu, ſed etiã in alijs, qui poſt Chriſti mortem, & Reſurrectionem, ac in cælos Aſcenſionem occurrerũt, Apoſtoli Moſaicæ legis cæremonias nuſquàm verè, & ex corde, ſed tantùm quoad ſpeciem obſeruarunt; nè gentis ſuæ hominibus antiquorum rituum tenaciſſimis diſplicerent, eosq. deſpicere viderentur. Quod vt probet Diuus Hieronymus plurima inſigniũ virorum adducit exempla, qui vt ſacra refert Hiſtoria ſimulatione ſunt vſi; nec proindè talis ſimulatio in ſacris litteris damnata reperitur. Atqueadeò nec nobis fas erit eandem in Apoſtolorum Principibus, & Orbis præceptoribus reprobare.

Notum planè eſt: quo pacto Iehu 4. Reg. 10. Vt Sacerdotes Baal intra eadem tecta concluderet; ibiq. ſimul occluſos occideret, & reuera occidit, vna cum eis ſacrificium Idolo peragere ſimulauit; eaq. ſimulatione deceptos militum gladio iugulandos obiecit. Quid? etiam Dauid 1. Reg. 21. coram Achis Philiſtinorum Rege dementatum ſe finxit, etenim vt ibi refert ſacer textus. *Immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat inter oſtia portæ, diffluebãtq. ſaliua* eius

4. Reg. 10 u. 19

1. Reg. 21 num. 13.

eius in barbam. Quod ideò feciſſe credendus eſt, vt dum inſanus à Rege, & aulicis exiſtimaretur, eorum inſidias, necemq. omninò inferendam euitaret. Quis verò ſanè mentis, ſimulatam hanc Dauidis inſaniam, fictamq. in alterum mutationem damnabit? Ego minimè probroſam, nec reprobãdam fuiſſe reor: quoniam ipſemet Pſalmographus titulũ Pſalm. 33. quaſi de rei euentu gloriabũdus, eidem conſecrauit. *Pſalmus Dauid cum immutauit vultum ſuum coram Achimelec, & dimiſit eum, & abijt.* Vbi monuit Diuus Auguſtinus Achis nomen in Achimelec fuiſſe immutatum, vt ſimulationis myſterium panderetur. *Mutatum eſt nomen, vt intelligamus magnũ eſſe Sacramentum:* pariterq. datur intelligi, ſimulationem illam Dauidi potiùs gloriæ, quàm culpæ tribuendam. Quo Salomonem reſpexiſſe arbitror, dum in Eccleſiaſte capit. 10. pulcherrimum in rem præſentem edidit oraculum. *Pretioſa eſt ſapientia, & gloria parua, & ad tempus ſtultitia.* Ex quo mutuatum videtur illud Catonianum.

Pſal 33.

Auguſt.

Eccleſiaſtes c. 10

Cato.

Stultitiam ſimulare loco prudentia ſumma eſt.

Orat.

Cui Lyricus 4. Carmin. Od. 12. conſentit.

Miſce ſtultitiam conſilijs breuẽ:
Dulce eſt deſipere in loco.

Aliud, & antiquiùs ſimulationis exemplum affero. Præſtantiſſimus Hebræorum ductor Ioſue dum obſeſſam vrbem Hay expugnaturus inuaderet, exercitum ità diſpoſuit, vt fugam potiùs arripere, quàm pugnam inire videretur, qua ſimulatione oppidanos in aciẽ educeret, ac dum ſimulatè fugientes inſequerentur vrbis munitionem desererent: interimq. Ioſue cactis copijs in hoſtem remigraret, ipſumq. deleret. Non abſimili vſa eſt conſilio plebs Iſraelitica, Iudic. 20. dum aduerſus Beniamitas prælium adminiſtraret. Ex quo deducit optimè Diuus Auguſtinus quæſt. 10. in Ioſue, S. Thomas 2.2. queſt. 40. art. 2. fas eſſe in bello iuſto ſtratagematis & ſolertia vti, cunniculis cum hoſte agere, ipsũq. inſidioſè circumuenire. *In bello iuſto nihil refert, an ex inſidijs, an aperto Marte pugnetur.* Ità D. Auguſtinus. Vndè apud Maronem ille alius conſulebat egregiè.

D. Aug.
D. Thom.

Virgil.

Mutemus clypeos, Danaumq. inſignia nobis
Aptemus; dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

Et quando hoſtẽ aperto Marte non licet inuadere, fas erit cum eo vulpinari. Vbi enim, vt Leontius dicebat Imperator: *Leonina pellis non pertingit, vulpina eſt aſſuenda.* Nec minus laudanda victoria, quæ inſidijs, doloq. paratur, quam quæ tota animorum, corporumq. contentione pugnando acquiritur.

Leont.

Eſt autem admiratione dignum, Hieronymiq. ſententiæ magnum adijcit authoritatis pondus: quod

veritatis author, & amator Chriſtus, in ipſo Reſurrectionis ſuæ die in Caſtellum Emauntinũ iter agentibus ſocium ſe immiſcuit: cumq. apud eos manere vellet, & deſtinaret, *Finxit ſe longius ire*, vt refert Lucas c.24. Quod quantum Petri,& Pauli ſimulationibus faueat, quis non videt? Et quod indè ſequitur, vtrumque Apoſtolum à peccato,& mendacio abſoluendum non intelligat? Vterque vſus eſt (ſinè culpa tamen) ſimulatæ: ambo ſimulatione pares, culpęq. immunitate nõ impares extiterunt. Quia ſicut Petrus non ex animo,ſed ſimulatè, & ex compoſito ſe à gentibus ſeparabat, ità etiam D.Paulus ſimulato cum Petro diſſidio contendebat, diſcipulorũ vtilitati ea contentione proſpiciens, vt diſſidentes Gentiles, & Iudæos, qui fidem ſuſceperant, ea ratione in ſocietatem, & concordiam reuocaret.

Quod autem Petrus per ſimulationem tantummodo Iudaicas obſeruarit cæremonias, ex verbis D. Pauli ad Galat. 2. manifeſtè colligitur: etenim eo in loco factum illud Petri ſimulationem appellat, dum ait: *Et ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi.* Quod verò Pauli obiurgatio fuerit etiã ſimulata, fatetur Diuus Chryſoſtomus, Chryſoſt. & ex ipſis Pauli verbis manifeſtè deducit. *Infaciem*, inquit Paulus, *Ei reſtiti, quia reprehenſibilis.* Vbi in Gręcis codicibus reperitur. *Secundum faciem*, hoc eſt apparenter tantum, quoad ſpeciem, & ſimulatè; non tamen ex animo ſuggilandique intẽtione; quod ex eo confirmat Diuus Hieronymus, quoniam Gręca exemplaria non habent, *Quia reprehenſibilis*, ſed, *reprehenſus*. Conſentiunt ex Gręcis plurimi eandem opinionem amplectẽtes, & meritò, cum enim Petrus ineo facto culpa vacauerit: conſentaneum erat, vt apparenter tãrum, & quo ad ſpeciem ſimulatæ reprehẽſionis gladio feriretur. Ex antiquioribus ità cenſuit Origines, Didymus, Euſebius, & alij, quos refert Hieronymus Epiſt. 89. quæ vndecima ad Auguſtinum numeratur. Pro eadem adducitur à nonnullis Theodoret. in cap. 2. ad Galat. Caſsian. collat. 17. cap. 20. Adrian. in 4. quęſt. 1. de Baptiſmo: Qui omnes, vt Petrum à culpa liberant; ita à Paulo ſimularè ſolum, & apparenter reprehenſum atteſtantur. Origen. Didym. Euſeb. Theodor. Caſsian. Adrian.

§. SECVNDVM.

Facilior ad ſuſtentandam in ſimulatione Petri indemnitatem ratio proponitur.

Plauſibilior, ni fallor, Apoſtolorumq. defenſioni planior eſt, & accõmodatior via, qua alij tanquam in controuerſia victores incedunt, & quos Scholaſtici Doctores ſub D. Auguſtini patrocinio ſequuntur, cum vtraq. ſchola, & anteſignanis Diuo Thoma

ma 1.2.quæſt.103.art.4. ad ſecũdum, Scoto in 4.diſt.3.quæſt.4.§. *Quantum ergo*. Qui omnes Diui Pauli reprehenſionem minimè ſimulatione compoſitam fuiſſe, ſed veram; ſuggillandiq. animo prolatam conſtãter aſſeuerant: Et cõſequenter Apoſtolorum Principes cæterosq. Apoſtolos, non ex ſimulatione ritus, cæremoniasque Iudaicas, ſed verè, & ex animo coluiſſe. Non quia in ipſis fiderent, aut ibi ſpem collocandam exiſtimarent: ſed eorum mores imitati, qui amicorum, & parentum cadaueribus poſtremos honores iuſtaquè perſoluunt, vt quos dolent morte ereptos, quia ad vitam reuocare non poſſunt, honorificè curant tumulandos. Quod non ſimulata, ſed religioſa, & vera pietas exhibẽdum perſuadet. Auguſtini verba ſunt: *Sicut defunctorum corpora neceſſariorum officijs deducenda quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulatè, ſed religioſè: non autem deſerenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morſibus projicienda*. Non abſimili ratione Apoſtoli, quò Synagogam iam emortuã honoratè ſepelirent, antequam Euangelij promulgatione tumulo conderetur; quaſi venerabili Genitrici debito pietatis affectu iuſta, & exequias ſoluere ſtuduiſſent, nonnullas legis ipſius cæremonias, ritusq. interim obſeruarunt. *Aug. ſ.*

Quòd autem præfatus honor Synagogæ per aliquod tẽpus præſtari debuiſſet, antequam Lex Euangelica latius funderetur, & firmius eſſet ſtabilita, decreuerunt Apoſtoli Actor.15.n.20.ſtatuẽtes, vt qui relicto Iudaiſmo fidẽ ſuſciperent; per id tempus à ſuffocato, & ſanguine abſtinerent. Quin etiã Diuus Paulus Timotheum circuncidit, nè aliqui intelligerent Circunciſionem, & reliqua legis veteris ſacramenta velut idolatriam deteſtari. Licet enim eorum obſeruatio tanquam vana, inutilis, fructuquè vacua gentibus inculcari non debuiſſet, non tamen vt mortifera tunc damnanda eſſent, & penitus fugienda, dummodò ſpem ſuam in ipſis nequaquã poſuiſſent. *Sed quamuis*, ait Auguſtinus, *Gentibus imponenda non eſſent; non tamen ſic debuiſſe auferri à conſuetudine Iudæorum, tanquam deteſtanda, atquè damnanda*. Non me latet D. Hieronymum incontraria fuiſſe ſententia, ita vt, à tempore mortis Chriſti legis antiquæ cæremonias credẽtibus fuiſſe mortiferas, verbis expreſſerit deſertiſſimis. *Ego*, inquit, *econtrario loquar, & reclamante mundo libera voce pronuncio cæremonias Iudæorum, & pernicioſas eſſe & mortiferas Chriſtianis, & quicũque eas obſeruauerit, ſiuè ex gẽtibus, ſiuè ex Iudæis eum in Barathrũ Diaboli deuolutũ. Finis enim legis Chriſtus omni credenti, Iudæo ſcilicèt & Gentili, neque enim omni credenti erit finis ad iuſtitiam, ſi Iu-* *Auguſt.* *Hieron.*

Iudæus excipitur. In Euangelio legimus: Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam. Hæc ille ſic apertè ac dillucidè, vt nullam pati poſſe interpretationem videantur.

Nihilominus Vaſq. 1.2. diſput. 183. hæc Hieronymi verba in Auguſtini ſenſum flectere, in ipſiuſque opinionis fauorem interpretari contendit: quaſi non aliud velit D. Hieronymus quam prædictas cæremonias mortiferas eſſe, ac prorſus abominandas, quando ſalutis aſpectu ſeruarentur, vel ad eandem reputatæ forēt neceſſariæ; atquè vt tales ab Eccleſiæ Magiſtris obſeruari præciperentur. Verùm alia ratione, antequam plantatum eſſet, & radicatum Chriſti Euangelium, per aliquod tempus ſuſtineri poterant, & obſeruari. In quo D. Hieronymi, & Auguſtini ſententiæ inter ſe cohærere videntur, vt Vaſquez opinatur. In eo tamen diſſident, quod Hieronymus tempore inter Chriſti mortem, Euangelijq. publicationem decurrente, fas eſſe credidit, ritus cæremoniasq. Iudęorum fictè tamen & ſimulatè cuſtodire citra omnem fidem, quod ſaluti conducerent, vt apparenti, fictaq. obſeruatione Iudæorum animos Apoſtoli allicerent, atquè ad amplectendā Chriſti fidem facilius pertraherent. Idemq. Hieronymus ſuæ interpres mentis ab Auguſtini ſententia parum differre, in eadem Epiſtola cōteſtatur, *Nec multum, inquit, intereſt inter meam, & tuam ſententiam; quia ego dico, & Petrum, & Paulum timore fidelium Iudæorum legis exercuiſſe, imò ſimulaſſe mandata. Tu autem aſſeris, eos feciſſe clementer, non mentientis aſtu, ſed compaſſionis affectu: dummodò illud conſtet, vel metu, vel miſericordia eos ſimulaſſe ſe eſſe quod non erant.* Hęc ille. D. Hier.

Verumtamen inani, vt arbitror, labore, irritoq. conatu Hieronymi, Auguſtinique ſententias in concordiam redigere quiſquam niteretur: quoniam ſic extremè opponuntur, vt nullo modo cohærere poſſint. Etenim Auguſtinus, vt in ipſius Epiſtola videre eſt, prædictas cæremonias illa tempeſtate à Chriſtianis exerceri poſſe conſtātiſſimè tenet: *Non ſimulatione fallaciæ*, vt ait, nec ea ratione, vt Iudæos ad exiſtimandum pertraherent, quod minimè in pectore retinebant; hoc enim eſſet rebus ipſis mentiri, quod non minus criminoſum eſt, & damnabile, quam ſi verbis mentirentur: permittenda tamen erat rituum obſeruatio; *Compaſsione miſericordiæ*, vt Iudæos erudirent, eos non fuiſſe malos, nec vt tales perlegē Euangelicam abrogari, ſed quia iam inutiles euaſerint. Illud autē hìc ſumopere aduertendum: Auguſtini ſententiæ ſcopum nō fuiſſe, vt Hieronymus inſinuat, quod tales cæremoniæ præ timore, vel miſericordia exercerētur; hoc enī ad

ad rem præſentem parui intereſſe videtur; ſed omnis D. Auguſtini conatus eo tendebat, vt illas cæremonias, non fictè, & ſimulatè, ſed verè, & ex corde exerceri potuiſſe, ſenſu iam explicato, demõſtraret. Atq. in hunc modum verba illa 1. ad Corinth. cap. 9. interpretatur. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucriſacerem*. Et paulò inferius in eadẽ Epiſtola, oſtendens quo pacto idẽ Apoſtolus legis veteris ritus, & antiqua ſacramenta ſuſceperit, ità fatur. D. Aug. *Ideòq. ſuſceperat ea celebrãda, cum iam Chriſti eſſet Apoſtolus, vt doceret non eſſe pernicioſa ijs, qui ea vellent, ſicut à parentibus per legem acceperant, cuſtodire, etiam cũ Chriſto credidiſſent: nõ tamen in eis iam conſtituerũt ſpem ſalutis*. Hæc ad ſuam ſententiam appoſitè D Auguſtinus, quam ſequenti §. validiſſimis rationibus ſtabilio.

§. TERTIVM.

D. Auguſtini ſententia circà Principis Apoſtolorum ſimulationem roboratur.

PRæcipuum, & inexpugnabile huius ſententiæ fundamentum iaciendum eſt ex Theologorum placito communiter receptiſſimo; quod ità habet: Quemadmodum officioſum mendacium verbis proferre nefas eſt, & piaculum: ſic etiam rebus ipſis mendacium componere officioſum minimè licebit. Cuiuſmodi eſſet ex D. Thomæ ſententia 2. 2. q. 110. art. 2. D. Thom. Quod propter propriam, aliorum vè vtilitatem fingeretur. Atqui, nec aliena, nec propria vtilitas, quantumuis maxima prædictum mendacium à peccato excuſare poteſt, vt locis citatis probat latiſsimè idem Auguſtinus, D. Aug. idemq. in lib. de Mendacio ad Cõſentium, & tom. 4. lib. contrà Mendacium conſtantet ſuſtinet. Igitur fieri nequit, vt quiſquam nec verbis, nec rebus mendacium officioſum, etiam propriæ, nedùm alienæ vtilitatis aſpectu confingat. Auguſtini ſentẽtiam vnanimi conſenſu defendendam Theologi ſuſceperunt, Caſsiani reprobata, qui collat. 17. cap. 20. aſſerit; ob aliquam vtilitatem licitum eſſe mendacium: meritò tamen illum damnauit Innocentius III. in cap. ſuper eo, de Vſur. Innocẽt. vbi docet Dei præcepto vetitum, nè quis pro tuenda alterius vita mentiatur.

Optima verò & planè euidenti ratione cõmune illud Theologorũ placitum ſtabilitur. Quandocũq. opus aliquod ſuaptè natura malũ eſt, quantumuis circunſtantiæ extrinſecus aduenientes concurrant, neutiquam propter illas, quam alioquin malitiam ſortiretur, amittet. Si verò contingat, vt ex aduenientis circunſtantiæ concurſu, materia, vel obiecti (vt aiunt) formalis ratio; ex qua malitia in actũ redũdat, mutationem nanciſcatur:

cum

ctum, nimirùm, quiſpiam annuente Deo, facultatemq. ſibi tribuente rem accipit alienam: tunc enim illa acceptio à ratione obiecti ad furtum neceſſarij prorsùs deficit: quoniam res aliena furti obiectum conſtituitur, cum à Domino ſecundùm rationem inuito vſurpatur. Accedente verò Dei facultate, iam aliena res à Domino rationabiliter inuito non aufertur, vt rem ipſam conſideranti planum fiet. At verò mendacij malignitas in eo ſita eſt, vt aliud verba diuerſum, vel res ipſæ habeant, ab eo quod latet in mente, illudq. exteriùs repręſentent. Quæ ratio integra ſemper conſiſtit, vt liquet, eſto propter vtilitatem propriam, vel alienam, ſiuè parua, ſiuè maxima ſit, mendacium componatur. Igitur nullus aderit finis, ob quem licitum ſit mendacium; nec minùs facta rebus ipſis ſimulatio. Siquidem hæc verè eſt, & propriè mendacium, ac eandē malitiam, quam illud verbis concinnatum ſibi vendicat; cum, ſcilicèt, quiſpiam rebus, factis, aut geſtis aliquid aliud edat, quàm reuera exiſtimet eſſe, ab alijsq. intendit iudicari. Quilibet igitur finis concurrat: vitandi ratio ſcandali accedat: conuerſionis, aut ſpritualis fructus non dubia ſpes exoriatur: nunquàm vti ſimulatione fas erit: quia nunquàm ſimulatio intrinſeca malignitate exuetur.

Hæc ex Scholaſticorum fontibus hauſta propinare ſit ſatis. Iam ex ſacris Scripturarū hortulis flores delibo, quibus tota hæc diſputatio coronetur. Reg. 4. cap. 5. Sacra refert Hiſtoria: quod Nahaman Syrus, cum primum Eliſæi beneficio, & diuino miraculo priſtinam recuperauit ſanitatem, Hebræorumq. Deum, & non alium ex Gentilibus, cui adoratio, verusq. latriæ cultus deberetur, agnouit, vt ibi coram Eliſæo confitetur: *Verè*, inquit, *ſcio, quia non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantū in Iſrael*. Inter hæc in mentē ſubijt, quod ſuus Rex Remonis templū adoraturus ingrediens, Nahamā, vt moris erat, manu innitebatur. Interimq. dum Rex genuflexus adoraret, ipſum quoquè ingenua prouolui neceſſe erat, alioquin Regis gratiam amitteret. Quid? Eliſæū præuenit vt ſi fortè rei occaſione compulſus, in eam (vt credebat) culpā incideret, Prophetæ precibus veniam à Deo conſequeretur. *Hoc autem ſolùm eſt, de quo depreceris Dominum pro ſeruo tuo, quando, ingredietur Dominus meus templū Remon, vt adoret; & illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remon, adorante eo in eodem loco: vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo ſuo pro hac re*. Hæc Vrbanus ille vir animo verè Chriſtianus. Sed quid trepidat? Cur ſibi crimini tribuēdum veretur, quod non animo colendi idolum, ſed muneris obeundi cauſa faciebat? Indignum planè exiſtimabat, veriq. Numinis

Reli-

Religioni valdè contrarium, quod antè idolum (quamuis illud non coleret, nec à Rege ad colendum cogi poſſet) ex ſimulatione ingenua prouolueretur. Quid amplius iſte faceret? Si Auguſtinum audiret hanc, de qua agimus, ſimulationem ſeuerißimè damnantem. Et certè Chriſtianæ veritati vſquè adeò ſimulatio aduerſatur; vt ille, qui vix relicta barbarie fidei veritatem, vrbanitatemq. induerat, ſatis aduerterit, nequaquàm ſibi fas eſſe, vt aliud quàm animo geſtaret factis exteriùs exhiberet: Ideòq. religione tactus, & imbecillitatis conſcius, Eliſæi preces præueniēs, vt obtineret veniam poſtulabat.

Non minus laudāda fuit Eleazari ſynceritas, & animi candor, ab omni ſimulationis aſtu alienus. Poterat ille, vt nō pauci ſuadebāt, vitam tueri; ſi corā Tyranno porcinam carnem edere mentiretur. *Tollentes cum ſecreto rogabant afferri carnes, quibus veſci ei licebat, vt ſimularetur manducaſſe*. Machab. 2. cap. 6. Quibus ille viriliter reſtitit, vt qui fidei ſuæ contraria omninò ſuaderent. Et nè quemquam falleret ſimulando, lubens mortem oppetijt, cum ipſo ſpiritu verba effundens æternitati victura: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere.* ibidem num. 24.

Machab. 2.6.n.21

Machab. 2.6.n.24

Quid? ſumma veritas Dei Filius Phariſæos, dū inter homines ageret, allocutus Regem Herodem appellauit vulpem: *Ite*, ait, *dicite vulpi illi*. Luc. 13. Nec dubito quod eo nomine vulpinum Herodis ingeniū denotabat, ipſius aſtū, thecnas, fallaciam ſuggillabat: præſertim quam in conuiuio oſtēdit, dum pro Baptiſtæ nece mœſtitudinem ſimulauit, & cum ipſum iuberet occidi, vulpino aſtu dolorem pro morituro fingebat exteriùs, quem mortuum iam interius cupiebat. Ità D. Hieronymus in Matth. 14. Beda. lib. 2. in Marc. Euſebius lib. 1. Hiſtor. cap. 13. Ioſephus lib. 18. Antiquit. cap. 7. tradiderunt. Quin etiā Chriſtus Dominus, ne ad hanc verſutiam, & ſimulationem conniueret, Regem dixit vulpem; ipſius aſtum animūque vulpinę ſimulationi aſſuetum, quod impensè abominatur, hac ratione ſuggillans.

Luc. 13

Hieron. Beda. Euſebius. Ioſephus.

Vndè in Euangelio damnatur hypochrita, qui externis actionibus pręfert, quod nullatenus ſeruat in pectore: legis cuſtodiam ſimulat, quam animo auerſatur. Quapropter Dei filius huiuſmodi calliditatem, moresq. ad omnem aſtum, & ſimulationem compoſitos deteſtatus; Phariſæos in eodem capitulo ſepties hypochritas appellauit, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypochritæ.* Sed cur ſepties damnat hypochriſis, quos ſemel damnari ſat eſſet? Planè, vt, quod D. Ephræm tractatu de Pœnitent. inſinuauit, ipſis verbis edoceret, ex ſimulationis, hypochriſisq. delicto reliqua ſeptem peccata mortifera pullulare. Alij, inquit, *Gloriam mediante pœnitentia*

Matth. 23.

tia

tia ſibi comparant, & pro venia aliud debitum trahunt. Heu mihi, quoniam, quod ait Chriſtus in talibus complebitur; atq. firmabitur: quia ſeptem alios ſpiritus nequiores aſſumit, qui in eum ingreſſi habitant ibi. Hæc ille.

§. QVARTVM.

D. Pauli reprehenſionem minimè ſimulatam fuiſſe, ſed veram comprobatur.

EX ijs quæ hactenus diſſeruimus in promptu erat conijcere, D. Paulum non fictè, & ſimulatè, vt credidit D. Hieronymus, ſed verè, & ex animo, vt meliùs decreuit Auguſtinus, ad Petri obiurgationem ob Iudaicorum rituum obſeruantiam prodijſſe. Verùm hoc idem, prout instituti noſtri ratio, & Pauli dignitas exigit, breuiter oſtendamus, & cum Auguſtino Epiſt. 9. & 19. firmiter comprobemus. Igitur, ait ibi Pater ille ſanctiſſimus: Niſi illa reprehenſio vera fuit, ſed ſimulata; fateamur neceſſe eſt D. Paulum in duplex mendacium incidiſſe: alterum in rebus, quod propriè ſimulationis dicendum erit mendaciũ: alterum in verbis, cum ſcilicet, ad Galatas ſcribens capit. 2. dixerit, ſe Petrum reprehendiſſe, quia reprehenſibilis erat: quodſi reprehenſio ficta fuit, ſacri Scriptoris munere functus falſa enarraſſet. Quod quis audeat effutire? Item inferiùs. *Cùm vidiſſem, quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Iudæus ſis gentiliter viuis, & non Iudaicè; quomodò cogis Gentes iudaizare?* Ad Galat. 2. n. 14. Si ergò iuxtà D. Hieronymi placitum fas erat Petro illis vti cæremonijs, & ritus cuſtodire, quin culpæ redderetur obnoxius, & Pauli obiurgationi ſubiaceret: ſiquidem attenta gregis vtilitate rituum obſeruantiam ſimulare poterat, vt Hieronymus fatetur; indè palàm deducitur mendaciter à Paulo dictum Petrum fuiſſe reprehenſibilem, nec ad Euangelij veritatem rectè ambulaſſe. Quod Doctoris Gentium authoritatem, & ſanctimoniam quantùm dedeceat, cæcus, & amens ſit, qui non videat: præſertim cùm Paulus fuerit Hiſtoricus; nec parum ſacræ Hiſtoriæ veritatem, & integritatem tàm ſiniſtra exiſtimatio detereret.

Quapropter D. Auguſtinus Epiſtol. 19. col. 2. minùs abſonum arbitratur in Petro culpam admittere, quam mendacij notam inurere D. Paulo. Verba ipſius interrogantis more prolata, hic appingo. *Satius eſt credere, Apoſtolum Paulum aliquid nõ verè ſcripſiſſe, quàm Apoſtolum Petrum non rectè aliquid egiſſe?* Quis hoc credet? Nemo ſanè. Verum quidem eſt Auguſtinum ſaxum inter ſacrumq. poſitum, vel Petrum aliqualem culpam admiſiſſe, ob quã August.

dignus fuerit ſuggillari, vel Paulum mendacij næuo maculatum exiſtimaſſe, dum reprehenſibilem dixit Petrum, nec ad veritatem Euangelij rectè ambulantem, cæterum, quæ vis in hanc Scyllam ſanctiſſimum eliſit doctorem? Faciliùs, credo, ex his fluctibus enataret ſi Petrum à culpa, Paulumq. à mendacio liberaret.

Vaſquez. Granado. Bellarm. Quod autem hoc præſtare potuiſſet, egregiè probat Vaſquez, Granado, Bellarminus, & alij, quos ſuprà memorauimus. Licèt enim Pauli reprehenſio vera fuerit, & nulla ratione ſimulata: non proindè cogimur Petrum in ea obſeruatione fateri criminoſum. Nequè enim ideò fuit reprehenſus, quia *Auguſt.* culpam admiſit, vt citata Epiſtola concludit Auguſtinus. *Quapropter non ideò Petrum emendauit, quod paternas traditiones obſeruaret: quod ſi facere vellet, non mendaciter, nec incongruè faceret: quã-uis enim iam ſuperflua, tamen ſolita non nocerent*. Hæc ille. Vbi nam igitur ſita eſt Petri culpa, ob quam verè debuiſſet reprehendi? Fortaſsè quia parum opportuno, minimèq. idoneo tempore tales exercuerit cæremonias? Non credo, nec vllum magis oportunum *Vaſquez.* occurriſſe ſtatim demõſtro. Quod etiam præſtitit Vaſquez 1.2. diſp. 182. cap. 7.

Antiochiam Petrus acceſsit, Iudæisq. & Gentilibus in concordiam redactis, citrà omne ſcandalum, & offenſionem, poſthabitis Iudæorum cæremonijs cum Gentilibus ad fidem conuerſis veſcebatur. Poſtquàm vero nonnulli ex Iudæis, qui fidem ſuſceperant Hieroſolymis, Antiochiam penetrauerant: Petrus eorum offenſam reueritus, à Gentilium menſis ſe ſubſtraxit, atquè ad Iudæorũ menſas obſonaturus diuertebat. Quod attendentes Iudæi, qui per id temporis Antiochiæ morabantur, in eandem Petri actionem conſenſerunt, vt etiam fecit Barnabas; quia pro re & loco ità credidit expedire. Nec leui coniectura ducor, vt Petrum eaſdem iterùm menſas repetijſſe exiſtimem; quia timuit, nè Iudæi animo turbarẽtur, ſi iam Iudaicos mores ipſum deſeruiſſe animaduerterent. Quia tamen ex hoc facto, etſi nulla in eo Petri culpa ex aduertentia, vel parum honeſto fine interuenerit, in Gentiles redundauit ſcandalum, ità vt etiam ritus eoſdem exercerent; quod in ſua reprehenſione Paulus obiecit. *Quomodò cogis gentes iudaizare?* *Paulus.* Nec dubitat Auguſtinus Epiſtola citata, occaſionem *Auguſt.* hinc Paulum arripuiſſe, vt Petrum obiurgaret. *Sed quoniam*, inquit, *gẽtes cogebat iudaizare, quod nullo modo poſſet, niſi ea ſic ageret; tãquam adhùc etiam poſt Domini aduentum neceſſaria ſaluti forent: quod vehementer per Apoſtolatum Pauli veritas diſſuaſit*. Hæc ille.

21 Potuit igitur Petrus, tum ob aliquam inaduertentiam, eo quod in eo euentu non ità circumſpectè

ſe

ſe geſſerit: tum etiam ob damnum, quod indè abſquè ipſius culpa redundauit, ſuggillatione dignus reputari: quoniam vt rectè Vaſquez citatus admonuit, in qualibet humana actione duo potiſsimum conſideranda ſunt. Primum intentio, ſeu quod perindè eſt: conſciētia, & fides, qua eiuſmodi actio perficitur. Secundum, euentus indè ſecutus, ſiuè omiſſio alicuius circūſtantiæ, vel quia defuit conſideratio, propter cuius defectum talis actio minùs cauta, prudensq. ab alijs iudicatur. Vndè multoties contingit, aliquem inter operandum deficiente naturaliter aduertentia fieri immunem à culpa; cum tamen exteriùs reprehenſione, & admonitione dignus videatur: quinimò bona etiā fide in operantis actione relucente, nonnunquam iuſtè poterit reprehendi, vt cautius deinceps, præmiſſa diligenti conſideratione, ad operandum procedat. Atque hac ratione, vt arbitror, D. Paulus, cui bona Petri fides, & intentio nota erat ipſū redarguit. Quod autē Petrus non ità cautè in eo euētu ſe geſſerit, D. Chryſoſt. in cap. 2. ad Galat. ipſius charitatem extollens aſſeuerat. *Quamquā autem hæc non erant circumſpectæ mentis, erant tamen feruidæ charitatis*: Alioquin Petrus crederetur graue peccatum admiſiſſe, videlicet ſcandalum, quod ad gentiles fide Chriſtiana recenter imbutos promanauerat. Et tamen nouerat D. Paulus, Petrum non poſſe grauiter delinquere; poſtquā Diuini ſpiritus aduentu gratiam accepit, in eademq. firmitudinem obtinuit: vt tamen maiori poſt admonitionem cautione procedat, attētiusq. talibus vtatur cæremonijs, ipſum arguit & ſuggillat.

D. Chryſ.

Scandalum itaq. in nouellis fidei plantis ex Petri actione non peccaminoſa ſuccreſcens, Pauli manſuetudinem exacuit, vt ipſum redargueret. Aliam doctiſsimus noſter Soſa reprehenſionis huiuſmodi cauſam affert, nimirum, reuelatione ſibi à Deo facta Paulum accepiſſe, tempus iam adeſſe in quo lex antiqua penitus eſſet abolenda, ipſiusq. cæremoniæ, & ritus extinguendi; itaut propter nullū finem deinceps licitè obſeruari debuiſſēt. Quam Dei volūtatem, ex præſenti actione nactus occaſionem, Petro manifeſtauit; vt omnibus tàm Iudæis, quàm Gētibus diuina circà legem abolēda innoteſceret declaratio. Nè deinceps quiſquam ex quolibet fine, vel alienæ vtilitatis aſpectu, prædictis vti cæremonijs aggrederetur. Si verò obijciatur: qua ratione Deus illud voluntatis ſuæ decretū Petro non aperuit? Ità enim Eccleſiæ capiti propter ipſius regimē, optimamq. rerum adminiſtrationē deberi videbatur. Bellarminum oppono 3. Controuerſ. lib. 1. de Romano Pontif. cap. 28. in fine, vbi, ni fallor, obiectionem egregiè refellit. *Credibile autem*, inquit,

Soſa tractat. contra duos tractat. ſine autore.

Bellarm.

eſt diuinam prouidentiam id egiſſe, vt in eo negotio magis illuſtraretur Pauli, quàm Petri mens: vt exemplū vtiliſsimum haberemus, tàm libertatis in Paulo, quàm patientiæ, & humilitatis in Petro.

§. QVINTVM.

Propoſita ſimulationis exempla declarantur, aliæquè in eadem materia difficultates expediuntur.

EN D. Petrum in obſeruandis Iudęorum ritibus immunē à culpa, & Paulum in eo redarguēdo liberum à mendacio demonſtrauimus. Sed quid Magni Hieronymi authoritati, quod faciat ſatis, reſpondebimus? Quo pacto rationes ipſius, tot ſacrarum litterarū exēplis roboratas eneruabimus? Multà ſanè, eaquè digniſſima occurrunt; non tamen Scholaſtico more ſyllogiſticis argumentorum legibus aſtricta proponemus: memores, quod in archielogijs verſamur, in quibus regia incedentes via laudare ſtudemus, non præliari; innocentiam à calumnijs tueri, calumniantes minimè vulnerare, ſed clypeo noſtræ reſponſionis obiecto tela repercutere: quin etiam ſi opus eſſet vitæ, honoriſq. oppoſitu innocentiam, dignitatemq. Apoſtolorum Principis ſuſtentare non ambigimus.

Primò igitur adnotandum eſt; in omnibus, quæ in ſacra Pagina ſimulationibus referūtur: an quod in eis peractum deſcribitur, ex alijs finibus, præterquàm animo decipiendi proximum fieri potuerint: ſin minùs, cum ij fines abfuerint, à fraudulentia, & mendacio nullatenùs excuſantur. Si verò contingat, vt alius ab operante finis intendatur, quamuis proximum fore decipiendum aduertat, licita adhuc erit ſimulatio; nec tunc temporis reputāda eſt deceptionis cauſa: quoniam materialiter tantum operantis intentionē comitatur, qui animo caret decipiendi, eſto ipſius actione alter eluſus in deceptionē prolabatur. Deindè, ſimulationes formaliter ſpectatæ ſuam capiunt excuſationem, cum bona operantis fides, vel inuincibilis adfuit ignorantia, propterquam, etſi fallere ſtudeat, deceptionem in eo euentu ſibi licitam eſſe arbitratur. Hac ſpongià nonnulli in Rege Iehu ſimulationis næuum conantur abſtergere: dicunt enim, illū inuincibili ignorantia laboraſſe, pariterq. credidiſſe oblata occaſione fas ſibi eſſe ſacrificandi ſtudium ſimulare; vt hac ratione Idolorum Sacerdotes interciperet. Cæterum D. Thomas 2.2. quæſt. 111. artic. 1. ad 2. *D. Thom.* cenſet, non multum in Rege à ſimulationis culpa eximendo laborandum, & meritò, quoniam inter aulica documenta, ferè primas tenet ſimulatio: Et quidem nimius candor, pectuſq. retectum, ac frons animo reſpondens, non ſapiunt

ſapiunt aulam, quam locum ad decipiendum, Cynicus definijt. Vndè Polypi in ea, bifrontes, vafri, & ſtelliones, vt plurimum demorantur. Meliùs D. Auguſt. lib. vnico contra mendacium cap. 10. Iehu ſimulationem, vt culpę obnoxiam damnare non veretur.

Diogen.

Auguſt.

Difficilior eſt Dauidis ſimulatio, nec ita capit excuſari. Licèt enim aulicus ille foret, & Politicus, ſatisq. in Regia verſatus; non tamē Tyrannicas pariter & profanas aulæ, & politiæ leges, documentaq. didicerat. Imò cum ſecundum Dei cor eſſet efformatus: Qua ratione è cordis candore à Diuina ſimilitudine hauſto prodiret ſimulatio? Multimodè igitur illum, intercluſo etiam ad allegorias effugio, neceſſe eſt excuſare. Primò, bona ipſi fides adfuit, comite ignorantia; propterquas ad arcēdum vitæ periculum, quod ei in aula imminebat, credere potuit licitum ſibi eſſe inſaniam ſimulare, vt ſic quoad ſpeciem dementatus, Regis mentem eluderet, mortiſq. periculum declinaret. Nec mirum Dauidem, quem tam miris fauoribus Deus proſequebatur, in hanc ignorantiā prolapſum; ſiquidē ipſemet paulò ante 1. Reg. 21. Tabernaculi Sacerdotem allocutus, non ita verè affirmauit, ſe ex Regis Imperio illuc acceſſiſſe. *Rex præcepit mihi ſermonem, & dixit*. Quo in loco Lyranus, & Abulenſ. q. 4. vniuerſam narrationis illius ſeriem diligenter examinant: Nec tamen Dauid à mendacio eximunt. Verùm etiam ibi venia dignus inuenitur. Pręuidit nāque, & præcauere voluit periculum, & ſic non imprudenter præſumpſit à Sacerdote non eſſe excipiendum, ſi veritatem detegeret: quinimò de ipſius aduētu Regem faceret certiorem: Vndè in apertam veniſſet capitis dimicationē. Qui verò officioſo mendacio ſtuduit vitam redimere: cur pro eadem tutanda, non ſimularet inſaniam? Maximè cū in eas redactus anguſtias, facilè, nec damnabiliter vtrumq. licitum opinari potuiſſet.

1. Reg. 21

Lyranus.

Abulenſ.

Alij inter quos Iſidorus comēt. in 1. Regum cap. 16. Beda in quęſt. ſuper 1. Reg. cap. 14. Eucher. in 1. Reg. cap. 24. eodem cōſenſu, hanc Dauidis ſimulationem oppanſo allegoriæ velo magis obtegere, quā iuxta rigoroſas Theologiæ leges, à culpa vendicare contendunt; idcircò iiſdem pene verbis illos Dauidis geſtus ex ſimulata inſania prouenientes, Chriſto ſecundum allegoriā eleganter adaptāt. Abulenſ. 1. Reg. 21. quæſt. 26. tantū tribuit mortis periculo, vt non dubitet propter illud prædictam ſimulationem fieri potuiſſe. Verū quo pacto id acciderit, minimè capit. Nam vt ipſe fatetur Abulenſis, officioſum mendacium verbis prolatū iuſtificari non poteſt. D. Thom. vbi ſup. ad 2. Gloſſ. euaſionem in titulo Pſalm. 33. probat, & ſequitur: vndè fictionem illam

Iſidorus.

Beda.

Eucher.

Abulenſ.

D. Thom.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ...

dixit figuratiuam eoq. Dauidis facto aliud præludi, quod ſatis eſt, vt Dauid ab omni culpa immunis iudicetur.

Auguſt. Eadem fuit etiam D. Auguſtini ſententia lib. cõtra Mend. cap. 10. Pagninus quem ſequi videtur Pagninus capit. 24. Iſag. pro qua notãdum eſt, quod præuidens Dauid tanquàm inſanum à Rege reputandum, dum inter clientum manus collaberetur, ad ciuitatis oſtia nutabundus impingeret, aliosq. ederet inſaniæ geſtus, & fortè cupidus, quod eiuſmodi actionibus Rex deciperetur, quamuis id directè non intenderit, & clientes ea ratione egreſſum facilè permiſſuros. Verũ, vt propriam perſonam occultaret Chriſtum præludere deſtinauit; ipſiusq perſonam induit, qui cum Dei Patris eſſet ſapientia, reputatus eſt inſanus; ideòq. geſtus ad ſpeciem indecoros Chriſto præludens edidit, ipſiſq. præſignificauit, Chriſtum pro ipſius amore in cruce moriturum, ea cogitatione ſtudens animum reficere, atquè in ſe ipſo habitu, ore, ſpecie ſic immurata, Dei ſui oſtentationẽ prælibare; quo pacto innocens, laſſus, gentibus deſpectus, ſuis incognitus, tanquàm inſanus ab ijs exceptus eſſet, de quorum ſalute ſumma ſapientia cogitabat: & quos paſsione ſua, tormentis, cruce, opprobijs emere feſtinabat. Et cùm in hac cogitatione verſaretur Dauid planequè agnoſceret aulicos (quod habebat in votis) decipiẽdos: licèt ab ijs non ſentiretur: eam tamen corporis, orisq. mutationem, ac geſtus parum decoros, atquè inſaniam referentes, ad Regem decipiendum non ordinauit. Vndè ab omni ſimulatione, & mẽdacio Dauid in hoc facto Chriſti præuius meritiſsimò liberatur. Quod celebri Iacob artificio confirmo, & illuſtro.

Geneſis 27. ſcribitur, qua ratione adoleſcens præripiendæ benedictionis auidiſsimus hædinas pelles à matre edoctus manibus circumligarit, vt fratris natu maioris manuum viloſitatem mentiretur, & Pater ea ſimilitudine deceptus, Iuniori, quem reputaret maiorem, benedictionem largiretur. Nec his contentus, etiam rogatus, ſe ipſum eſſe Eſau conſtanter affirmauit. *Ego ſum Primogenitus tuus Eſau*. Nihilominùs D. Auguſt. q. 74. in Geneſ. tom 4. D. Thomas 2. 2. Iacob à mẽdacio, fraudeq. excuſant. Quippequi ea fictione vti poterat, vt quod tenebat animo præſignaret; nempè ſe eſſe Maioratum à Deo electum, domusq. paternæ ſucceſſorem; quamuis id longè aliter à patre foret intelligendum. Quoniam ex Pauli doctrina ad Romanos, veri Abrahæ ſucceſſores, non carnali propagatione, ſed Dei electione, & propagatione prouenerunt. Idcircò propter ſolam repreſentationem, & gratiæ primatum, Iacob potuit iure dicere: *Ego ſum Primogenitus tuus Eſau*. Atquè in hunc

Geneſ. Auguſt. Geneſ 27 num. 18. D. Thom.

hunc modum Dauidicæ ſimulationis exemplo factum ſatis opinor: ideò rem totam claudo & obſigno pulcherrima Euchariſtiæ gemma, cuius figuram Dauid in eo facto repreſentauit, vt D. Auguſtinus Pſal. 33. tom. 8. luculenter ſcripſit. Nec immeritò, quoniã vbi in noſtra legit vulgatus Interpres. *Collabebatur inter manus eorum*, ex Hebræo tranſtulit D. Auguſtinus. *Ferebatur manibus ſuis*, & Chriſto ſe ipſum in ea menſa manibus ſuis porrigenti eleganter adaptat. Et quidem ignotum ſibi fatetur Doctor ille ſanctiſsimus, qua ratione dici potuit Dauid manibus ſuis ferri, quando, vt dixit Hebræus, *timpanizabat*, ſeù vt ipſe legit, *affectabat*, vel *affectu plenus erat ad oſtia ciuitatis*: niſi diuina ſapientia præmõſtrare vellet Chriſtum Dominum inſtante morte in ipſo paſsionis ſuæ oſtio, ſeù ingreſſu affectantem, vel affectu, & amore plenum: quin etiam, vt dixit Hilarius, amore ebrium ſuam omnibus nuditatem exhibuiſſe; quocircà, perindè eſt affectans; atquè præ affectu tales actiones edens, quæ amorem, vltrà quam dici poſſet, eximium oſtentarent. Item. *Manibus ſuis ferebatur*. Cũ ſe Apoſtolis ſub vtraque panis, & vini ſpecie in ſupremo illo conuiuio, in ſui amoris ſignificationem, æternæ beatitudinis pignus, è mortali vita deceſſuris viaticum proprijs manibus edendum porrigebat.

D. Hilar.

Planior in ſimulatione Ioſue ſeſe aperit via, atquè ad euadendum facilior: ſi enim, vt in cap. 8. illius Hiſtoriæ ſcribitur, animo decipiẽdi aduerſarium timiditatem, fugamq. ſimulauit, vt ita deceptum profligaret, ſola eum bona fides, vel inſuperabilis ignorantia liberabit à culpa; maximè præſumptione accedẽte, qua ad profligãdos Dei Hoſtes eo ſimulationis artificio vti poſſe exiſtimauit. Prætereà, tot in re militari honeſtæ ſimulationis imagines inueniuntur: tàm multis quotidiè ſtratagematis cum hoſte agitur: tot ſunt militum Imperatorumq. aſtus, & thecnæ; tàm varia, & occulta Mauortis cõſilia, vt intento, qui nos latet fine, potuerit Ioſue fugam ſimulando meditari, niſi fortè, ea vſus cautela ſecuriorem, & pugnæ magi aptam ſtationem occupare niteretur. *Ioſue 8.*

Supereſt diuinæ ſapiẽtiæ exemplum, in quo referente Luc. cap. vlt. Chriſtus *finxit ſe longiùs ire*. Et quidem (vt monuit D. Thomas 2. 2. quæſt. 111. art. 1. ad ſecundũ Auguſtini ſecutus doctrinam lib. de Quæſt. Euangel. cap. 51. tàm longè abeſt à ſumma veritate quęuis ſimulatio, vt impium ſit Chriſtum credere, & affirmare ſimulantem. Quapropter dicendum eſt aliquid myſticum in ea actione ſignificare voluiſſe, vt reuera ſignificauit: nimirùm à diſcipulis per aſcenſionem longè receſſurũ, nec niſi velut hoſpitẽ in terra ampliùs

Luc. 24. *D. Thom.* *D. Aug.*

Digitized by Google

D. Greg. detineri: ſeù vt placuit Diuo Greg. Hom. 23. in Euangel. diſcipulis inſinuare ſtuduit, longè ſe eſſe a cordibus eorum. Verùm citra myſticũ eiuſmodi ſignificatũ; quo ſinè mẽdacio, ſimulationeq. vti poterat, omnis fictionis ſpecies diluitur: Vaſquez. quoniam, vt diſertè monuit Vaſq. 1.2. diſp. 182. cap. 8. Chriſtus Dominus, etſi apud illos manendi ſtudio efferretur, rogari tamen volebat, quod non latuit D. Auguſtinũ Auguſt. *Non enim*, inquit, *finxit ſe longiùs ire, quia hoc volebat, ſed quia volebat audire; Mane nobiſcum Domine*. Atquè adeò propter inſtantes eorum preces remaneret, quæ tamen ſi deeſſent, caſtellum prætergredi, & vlteriùs pergere deſtinauerat. Vndè cùm incedens longiùs ſe monſtrabat iturum, quod Euangeliſta illis verbis expreſſit: *Finxit* Luc. 24. *ſe longiùs ire*, animum oſtendit non manendi apud eos, niſi preces adfuiſſent, ideò priùs receſsũ fuit minitatus, quam diſcipuli ad manendum precibus ſolicitarent: aliter non manſurus, niſi precũ inſtantia cogeretur. In quo nec fraudis, nec ſimulationis apparet veſtigium: quinimò ſumma veritas, & conſtãtia inter Chriſti animũ, externasq. ipſius actiones ſplendeſcit.

CAPVT II.

Petrus Ananiam, Saphiramq. occidẽs, crudelitatis, & impietatis ab Hæreticis accuſatus defenditur.

Rerum ordinem non ſequor, nec temporum viciſsitudines, ſeriemq. obſeruo. Defenſionis amor ordinis neſcius, hęc calamo ſcribenti, alio, atquè alio, quam acciderunt tempore ſubminiſtrat. Qui Scripturarum concordias texuerunt, iis præcipuus labor fuit noſſe tempora, rerũq. geſtarũ ordines digerere. Non hiſce legibus indiget ſtylus noſter, qui Apologiã ſequitur nõ Hiſtoriam: defenſioni ſtudet, nõ ordini: calũnias Principi Apoſtolorum ab Hæreticis impactas abſtergere nititur, temporum Chronologias non obſeruat. Maximè quia ab Apoſtolo geſta, nõ eo quo ſucceſſerunt ordine, ab Hæreticis arguuntur; ſed alia prius, alia poſteriùs, prout Diabolicus furor è Tartaro erumpens impiorũ animos perſuaſit. Quinimò vbi ordinẽ accuſator nõ obſeruat: ordinis legibus nõ aſtringitur, qui defẽdit. Quanquàm verò pro tuenda Petri dignitate, vmbratili pugna nõ certo; nec ipſius innocentiæ clypeum multis aliarũ virtutũ ſtẽmatis inſignitum noſtris Archielogiis, calũniatoribus leuiter opponere, & ſpecioſè tantũ oſtentare decerno: ſed omni conatu, labore, ſtudio, ab ingenij tenuitate, imbellicitateq. vires extũdens furorẽ Hæreticorũ retũdere, improbiſsimasq. in Principẽ Apoſtolorũ calũnias ab ipſis temerè diſſipatas, refellere obnitor. Nihilominùs in Ananiæ, Saphiræq. euẽtu facilis eſt, & prõpta defenſio; quoniam nõ ità vehemẽter hic allatrant hæretici, fortaſſe reueriti (quod Tertull. lib. 2. de Tertull.

pu-

D. Aug. pudicitia c.2.& Auguſt.lib.de Mirabilibus ſacræ Scripturę c.vltimo exiſtimarunt)nè ipſis latrantibus, Petri in Eccleſia primatus, ſupremaq. poteſtas obijceretur, qua in præſenti vſus, capitali ſupplicio delinquẽtes affecit,verba adhibẽs, quibus excommunicatio,ſeu illius imago,& figura notabatur,qua veluti gladio, non pueris tantum (vt ſtultè,&impiè luſit Eraſmus)timẽdo,ſed Angelicis etiã poteſtatibus formidãdo,Petrus,ipſiusq.ſucceſſores,& Chriſti Vicarij verbis tantũ(vt monuit Greg.lib.2.Epiſt.24. ad Ioan.Conſtantinopol.)rebelles non ad mortẽ,ſed ad correctionẽ, medicinãq.percutere aſſueuerunt. D. Greg.

§. PRIMVM.

Improuiſus Ananiæ,Saphiræq;interitus deſcribitur, & necis cauſa examinatur.

QVoniam Ananias, & Saphira Petri verbis percuſsi ex improuiſò ceciderũt:operepretiũ mihi videor facturus, ſi totam hic hiſtoriam contexuero, verbaq. à Petro dicta in medium protulero: atque ità campo decurrẽs aperto, facilius cum hoſte,oppugnatoreq. congrediar. Igitur Actor. 5. narrat Euangeliſta. *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum,mentiri te Spiritui ſancto,& fraudare de pretio agri? Nonnè manens tibi manebat, & venundatũ in tua erat poteſtate? Quarè poſuiſti in corde tuo hanc rẽ? Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Hæc Petrus,nec vltra quidquam addidit: ipſo tamen audito Ananias in terram prolapſus animã efflauit. *Audiens autẽ Ananias hæc verba, cecidit,& expirauit*. Tribus deindè horis trãſactis, Saphira fati coniugis ignara(*quia nõ eſt auſus*,inquir, Chryſoſt.*quiſpiã annuntiare,quid acciderat;adeò Petrũ obſeruabant, & reuerebantur,eiq.obediebãt*)Petrũ conuenit: à quo iiſdẽ penè auditis, quæ viro dixerat: exanimata proſternitur.*Factum eſt autẽ quaſi horarum trium ſpatium, & vxor ipſius,neſciẽs quod factũ fuerat,introiuit. Dixit autem ei Petrus. Dic mihi mulier,ſi tanti agrum vendidiſtis? At illa dixit:etiam tanti:Petrus autẽ ad eam: Quid vtique cõuenit vobis tẽtare ſpiritũ Domini? Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium,& efferent te*, Mirum dictu,vix hęc Petrus abſoluit, cũ ſtatim Saphira ad ipſius pedes corruit exanimis. Ibidem n. 10. *Confeſtim cecidit antè pedes eius,& expirauit. Intrãtes autem iuuenes inuenerunt illam mortuã: & extulerunt,& ſepelierũt ad virum ſuum*.En integra facti enarratio: in qua licèt Porphyrius, acutiùs quàm par eſt cernẽs,impietatem vidit & ſæuitiam,teſte D.Hieronymo Epiſt.8. Ego tamen nihil video,quod defẽſione egeat:quinimò per multa ſe offerunt laudatu digniſsima,in quibus eximia Petri virtus, ardens zelus, admirabilis ſanctimonia,ingẽsq.poteſtas ſplẽduit: vt necis cauſas, & deliquentium

Actor. 5. n 3 & 4. | Actor. 5. num. 5. | Chryſoſt. | D.Hier.

Digitized by Google

tium culpam diſcutientibus planè fiet. Primo igitur aduerto; magnam fuiſſe culpæ grauitatem: nequè enim illud duorum coniugum mendacium ſimplex fuit, aut ambitio, vel auaritia, ſeù (vt Petrus Martyr lib. de Votis exiſtimauit) hypochriſis, ſed immane ſacrilegium, votiq. Deo emiſſi execrãda reciſsio. Atquè ità planè conuincunt verba illa ad Ananiam. *Non es mentitus hominibus, ſed*
Actor. 5. num. 5. *Deo*. Ex quibus Lorinus in Acta Apoſtol.cap.5.§.4. Bellarm.lib.2. de Monach. cap.20. & alij culpæ grauitatem indubitanter colligũt, ea mortis acerbitate puniendam in poſteritatis timorem, & exemplum: Nazianzenus Carmin. de Virgin. prece decantauit. Lorinus. Bellarm.

Nazian. *Quis porro pœnam Ananiæ Saphiræq. tremendam*
Cum legit, occultos nummos, qui morte luere
Non etiam leuiter metuit perfringere vota?

D. Auguſtinus Sermon. 27. de verbis Apoſtoli apertè docuit: Ananiæ crimen ſacrilegium extitiſſe. *Dum,inquit,ex eo quod promiſerat, partem ſubtraxit, ſacrilegij damnatur, & fraudis: ſacrilegij, quod Deum in pollicitatione feſellerit: fraudis,quod integris muneribus portionem quandam putauerit ſubtrahendam*. Et ità ſenſiſſe videtur D. Petrus, vt verba illa, quibus peccantem redarguerat, ſatis demonſtrant. *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſanctô, & fraudare de pretio agri?* Et quidem niſi voto ſe obſtringeret, daturumq. promitteret; officioſi mendacij tantummodo reus euaderet,vt cẽſuit Cornelius à Lapide, pręſertim in re propria. Vndè culpa foret ſolum venialis, non aliter, quam ſi quiſpiã ſcuta centum amico largiretur, dicens; plura dediſſem, ſi haberẽ, verum mihi non ſuppetunt, venialem officioſi mendacij culpam tantummodo admitteret. Nec fallere, & multò minus Spiritui ſancto mentiri diceretur; vt reuera contigit Ananiæ, quem Petrus inſtãter redarguit: *Quare poſuiſti in corde tuo rem hanc?* Adde ità execrabilem, & ſacrilegij plenam; vt propterea exemplari ſupplicio affici debuiſſet.

D. Aug. Actor. 5. num. 4. Cornel. à Lapid.

Nec longè diuerſi abeunt multi Patres, Eccleſiæq. Doctores. D.Chryſoſtom.hoc loco Hom. 12. *Quare*, inquit, *hoc feciſti? Voluiſti habere, oportebat initio habere,& non promittere: nunc autem poſtquam conſecraſti, maius ſacrilegium commiſiſti*. Nec minus explicatè D. Hieronymus Epiſt. 8. ad Demetriadem *Ananias*, inquit, *& Saphira diſpenſatores timidi: imò corde duplici, & ideò condemnati; quia poſt votũ abſtulerunt quaſi ſua, & non eius, cui ſemel ea vouerant,partemq.ſibi iã alienæ conſeruantes*. In eandem ſentẽtiam trahi poteſt illud Baſilij Serm. 1. de inſtitut.Monach.vbi cauſam aſſignat,ob quam Ananiãs om-

D.Chryſ. D.Hier. D.Baſil.

Digitized by Google

omnia Deo offerre ex voto decreuerat. *Humanæ, ait, gloriæ cupiditate Ananias, quidquid bonorũ habebat, Deo palàm cõſecrauerat, vt hominum de ſe opinionem excitaret*. Eò etiam tendit monitum illud D. Gregorij ad Venantium lib. 1. Epiſt. 33. *Ananias Deo pecunias vouerat, quas poſteà victus perſuaſione Diaboli ſubtraxit: ſed qua morte mulctatus eſt, ſcis*. Hæc ille, quibus laciniæ inſtar Aratoris carmina, ex 1. in Acta Apoſtolorũ capite deprompta ſuperaddo,

Sed quod mutata voluntas
Falſi crimen habet? cumq. eſt iam cautio voti,
Stare decet: nec velle prius violare ſequenti.

S. Fulg. Fulgentius Epiſtola de debito coniugali capit. 8. Ananiæ crimen exaggerat, atquè ſacrilegij inſtar euitandum exhortatur. *Quam ſit malum*, inquit, *quanquè ſollicitè fugiendum, ſi quis de hoc, quod Deo vouerit, retinere aut tapere aliquid mortifera præuaricatione præſentet: exemplo ſunt Ananias, & Saphira*. In eadem ſententia S. Athan. fuit Athanaſius Serm. de Paſſione, D. Cypr. & Cruce. Cyprianus lib. 3. cap. 30. Caſſian. Caſſian. Collat. 18. Beda. Beda, Hugo, Hugo. Lyranus, & alij. Quinimò Beda Lyran. hunc locum expendens ſcribit ad Ananiæ exemplũ, nonnullos Monaſtiæ Sectatores fuiſſe, quos dicebant Sarabaytas: ij ſacrilego planè auſu, & abuſu, ſub Monachali habitu, & ſtatu bona priuatim retinebãt; nefãdæq. proprietatis crimine innodabantur. Oecumenius Oecum. in Commẽtatijs huius loci peccatum Ananiæ ſæpè ſæpiùs appellat ſacrilegium. Vndè non videtur negãdum, crimen illud fuiſſe promiſsionis, & voti Deo facti tranſgreſsionem, & conſequenter grauiſsimum delictum, & immane ſacrilegium, cuius etiam rea fuit Saphira coniux, iuxtà illud: *Fraudauit de pretio agri, cõſcia vxore ſua.* Actor. 5. num. 2. Quam idcircò affecit eodem mortis ſupplicio, nec iniuria, quoniam ex placito D. Pauli ad Roman. 1. *Et qui faciunt, & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte*. Ad Rom. 1. nu. 32. Seorſim verò, ex iuris decreto c. Notum, 3. quæſt. 1. c. facient, diſt. 86. cap. 1. de Offic. Agentes, & conſentientes pari ſupplicio afficiuntur, quod ità tritum perulgatumq. eſt, vt iam in triuialem abierit paremiam.

Sed quod nam fuit hoc Ananiæ, & coniugis votum? Quiduè per illud obſeruare tenerentur? In Actis Apoſtolorum cap. 4. exprimitur, vbi fideles dicuntur bona ſua vendidiſſe, proiectoq. antè pedes Apoſtolorum pretio rerum dominium abdicaſſe, vt Religioſorum moreviuẽtibus, pro cuiuſq. indigentia diſtribuerentur. *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebãt. Et ponebant antè pedes Apoſtolorũ. Diuidebãtur autem ſingulis, prout cuiquè opus erat*. Actor 4. num 34. & 35. Hanc igitur vitam amplecti, in hos mores inſtitutaq.

tutaq. abire decreuerat Ananias, & Saphira, votoq. ad illius obſeruationem ſe obſtrinxerat. Sed ad quid illa proijciendi pretij ad pedes Apoſtolorũ cæremonia? Credo, vt magnum erga paupertatem quo monebantur affectum ſignificarent; & prætereà generoſum diuitiarum contemptum tali demonſtrarent actione, atquè ad rerum temporalium deſpicentiam ſimul impellerent, & planum facerent, quanto cum iure ſperni & conculcari debuiſsẽt, vt D. Hieronymus, & Beda monuerunt, Aratorq. his carminibus eleganter occinuit. Hieron. Beda. Arator.

Nunc aſpice partes
Lector docte pias, & tecum mente ſagaci
Volue quid eſſe putes, rutili, quia pompa metalli
Ponitur antè pedes, ſacris non tradita dextris.
Deſtitui debere probant, quod tangere vitant;
Calcandumq. docent, quod ſubdunt pedibus aurum,
De quo terrenæ veniũt ad pectora curæ;
Conſimili iactatur humo, quo ſiſtat auare
Mens tua diſce loco, quod tu cuſtodis anhelus,
Quod ſtatione premis, quod cernere ſæpiùs ardes,
Cuius in amplexus per ſomnia cuncta recurris,
Horreſcunt tractare pij, nec tunc quoque geſtant,
Cum bona facta parant, quantum ſpeculantur in illo
Stare nefas, & dona gerens contẽnitur aurum.

Longè tamen alios, quam his carminibus fideles pinxit Arator, ſe ſe Ananias, & ſaphira præſtiterint: poſt venditam namque hæditatem, voti & promiſſionis obliti partem ſibi pretij reſeruarunt; nec totum, vt vouentium moris erat, ad pedes Apoſtolorum proiecerunt. *Et fraudauit de pretio agri, conſcia vxore ſua. Et afferẽs partem quandã ad pedes Apoſtolorum poſuit.* Act. 5. num. 1. Et verò partem, quam obtulit, non fuiſſe præcipuã exiſtimat Hugo: Lyranus dimidiam: Caſſian. collat. 6. cap. 11. minorem partem, reſeruata ſibi contra paupertatis promiſſæ leges potiori, obtuliſſe teſtatur. Innuit etiam D. Hieronymus tom. 9. in cap. 19. Math. ad illa verba *Si vis perfectus eſſe*: eos plures habuiſſe hæreditates, quàm vendiderant; ideòq. non vno tantum modo fraudolentos, & impoſtores extitiſſe. *In poteſtate*, inquit, *noſtra eſt vtrum velimus eſſe perfecti: tamen quicumque perfectus eſſe voluerit, debet vendere quæ habet, & non ex parte vendere, ſicut Ananias fecit & Saphira; ſed totum vendere, & cum vendiderit dare omne pauperibus.* Hæc Hieronymus, cuius etiàm eſt Cenſura illa ad Hebidiam Epiſt. 150. q. 1. vbi Ananiã, & Saphiram capitali ſupplicio affectos affirmat, eòquod frau- Hugo. Lyran. Hieron. Hieron.

fraudulentijs, deceptionibusquè vtentes Spiritui ſancto ſunt mentiti: Religioſæ vitæ ſectatores haberi geſtiebant, paupertatisq. Euãgelicæ dignitatem, & gloriam aucupari nitebantur. *Ideò*, inquit, *Ananias, & Saphira puniti ſunt, quia mẽtiri voluerunt Spiritui ſãcto; & reſeruantes neceſſaria victui ſuo, quaſi perfectè ſæculo renunciantes vanam gloriam ſectabantur*. Hæc ille. Nec certè mirandum eſt, quod ea vſi fraudulẽtia, diuinam contra ſe iracundiam concitauerint; cuius miniſter Petrus tàm ſeuerè in eos animaduertit, vt ſolis verbis occideret: ſi Baſilio credimus Sermon. 5. de Inſtit. Monaſt. in proœmio Tractat. de Iudicio Dei, vbi ità habet: *Eiuſmodi aduerſum ſe indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus miniſter fuit.* Et quidem ſupplicium illud manu Dei fuit libratũ, & pęna ad menſuràm temperata, atquè in futuram poſteris cautionem inſtituta: vt quicunque tunc cernerent, poſteàq. audirent Ananiam, & Saphiram ob vnicam voti, promiſſionisq. tranſgreſſionem repẽtè occiſos, eodem ſe exiſtimarent ſupplicio feriendos, quoties diuinæ legis, ſuorumq. votorum, & promiſſionum tranſgreſſio occurreret. Audiant hæc Religioſi, & paueant quicunq improuida facilitate leges diuinas, emiſſaq. Numini vota tranſgrediuntur. Notat verò D. Chryſoſtomus, neminem auſum eſſe delinquentium vicem dolere, miſerumq. amborum interitum lamentari: eòquod ſupplicium illud à Deo inflictum credebatur. *Nullus*, inquit, *ibi ingemuit, nullus eiulauit, cum diuinum iudicium venerarentur, & diſcerent Deum non eſſe contemnendum*.

Baſilius.

D. Chryſ. hom. 12. in Acta.

Nec quemquam moueat admiratio, quod Dei ſæuiente vindicta, nemo defleret, quos repente occiſos intueretur, etenim vt cecinit Pſalmographus: *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam impiorum, & manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris*. Pulcherrimo, nec in frequenti metaphoræ colore lætitiam depingit, qua iuſti afficiuntur, cum ſceleratos Dei vlciſcentis gladio feriri, ipſiusq. ſagittas delinquẽtium ſanguine inebriari conſpiciunt. Lętatur itaquè iuſtus, & hilareſcit, Deum in hoſtes ſuos inflicta pœna ſæuientem contemplatus. Impius verò, & ſtultus Porphyrius dolet, ingemit, indignatur. Quid rectitudinis diuinæ ſplendore, & iuſtitię claritate offẽſus veſpertilio iſte, tenebrioq. effutit? Quid blaterat ſectarius? Quid temerè blaſphemus obiẽctat? Immodici rigoris, extremęq. ſeueritatis damnat Apoſtolum: fortaſsè quia trinæ negationis immemor, & veniæ, quam à Deo impetrauerat oblitus: ob vnicum peccatum diſtrictus nimiùm, & rigoroſus exactor, ità in delinquentes excandeſceret, vt non niſi repentina morte luẽdum arbitraretur?

Pſal. 57. v. 11.

tur? Abſit. Quis ità fatui erit iudicij, vt immodicam exiſtimet ſeueritatẽ, Dei mandata, ordinemq. præſcriptum ad vnguem exequi? Quis damnet immania ſcelera grauibus ſupplicijs coercere, præſertim, Dei accendente iudicio, & imperio? Nouatorum hoc ſola audebit impudẽtia. Nonnè Apoſtolicæ ſeueritatis damnatio, Dei ſuggillatio eſt? Et dũ Petrus crudelitatis arguitur, Deus ipſe damnatur, cuius nutui, imperioq. Petrus obtemperans, mortem tanto dignam ſacrilegio inflixit? Quinimò, vt cẽſuit optimè Baron. to. 1. Annal. ad an. 34. *Inquirit quidem de crimine Petrus; detegit fraudẽ, ſed Deus pœnam inflixit*. Quis ergo ità amens, vt Deo puniente veniam indulgeat? Fatua hæc erit, impudensq. miſericordia; nec niſi morte expianda. Regno eijcitur, vitaq. priuatur Saul, eoquod Agag. Regi pepercerit, quem Deus vna cum exercitu ad internectionem delendum imperauerat.

Baron.

1. Reg. cap. 15. num. 26.

Cæterum culpæ illius grauitas digna erat, quæ tãti ſupplicij acerbitate coerceretur: maximè, quia, vt mônuit Caſſian. collat. 8. cap. 7. Ananias, & Saphira noui & inauditi criminis authores extiterunt, prauoq. exemplo alijs ad ſimilia committenda ſcelera præluxerunt. *Beatus*, inquit, *Apoſtolus prædictos noui facinoris principes, non pœnitentia, non vlla paſſus eſt ſatisfactione curare; ſed pernicioſiſſimum germen celeri morte ſuccidit*. Vbi mirum in modum Dei prouidentia diſponente, ipſummet ſupplicii culpæ genus demonſtrabat, repentinoq. delinquentium, interitu cernebatur: quantum oportebat peccatũ illud ocyſſimè amputari; priuſquam malum, quod tunc in eo genere primum erat, ſerperet, & latius funderetur, abſciſſis interim radicibus, delictiq. autoribus: Ne ſi vita ſupereſſet, culpa germinaret, maioraq. indiès caperet incremẽta. Solet autẽ Deus in inferẽdis ſupplicijs eum ſeruare tenorem, vt ipſa pœna, qua delictum caſtigatur, ipſius qualitatem, grauitatemq. demonſtret. Vidit hoc egregiè, expenditq. Theod. q. 9. in Exod. vbi inquirit: Quã de cauſa primum corã Pharaone miraculũ à Moyſe editum, virga in ſerpentem immutata numeraretur? Percõmodèq. ità factum reſpondet, cũ enim Deus ad inferendas Regi, alijsq. Ægyptijs plagas, virgam illam velut inſtrumentum adhibere deſtinaſſet: ipſomet, quo impios verberabat flagello, eorum crimen indicabat. Quippe qui Dei populum, nulla interueniente cauſa affligebant, ſicut olim ſerpens ſinè cauſa in paradiſo primos parẽtes deceperat: Quod lęthale Tartarei ſerpentis venenum vbiq. crudelitatemq. ſpirat. Theodoreti verba ſunt. *Ad conuincendam illius feritatem, & maleuolentiam aperiendam, iuxta illud: Inimicitias ponam inter te, &c. Ideò præcepit Deus virgam, qua illum flagel-*

Caſſian.

Theodor.

flagellauerat, in ſerpẽtem mutari.

Nec ſatis habuit Deus, vt virga Moyſis, diuinæq. vltionis inſtrumentum, pœniti criminis, vltroneæ, ſcilicèt, inteſtinæq. inimicitiæ eſſet index; niſi etiam culpæ genus in ſupplicio cerneretur. Vndè Nili aquas in ſanguinem abire coegit, è flumineq. ità ſanguineo ranas ebullire coaxantes, & feruere præcepit: quod etiam duplici de cauſa factum monet ibi Theodoretus: *Theodor.* Prima, vt ipſe fluuius infantes ad Regis imperium in eo ſubmerſos, immatureque occiſos queri & lamentari quodammodò videretur. *Fluuius enim ille*, inquit, *mutatus in ſanguinem conqueritur de cæde puerorum.* Secunda, quoniã fluminis vnda præcipiti curſu ſtrepens mutationis ſuæ cauſas aperire non poterat, ranarum coaxatio edito veluti clamore euulgaret: & quidem ranæ nudos referunt infantulos, cum adhùc nimiũ tenelli ſunt, quia in pedes erigi nequeunt, manibus, pedibusq. reptant. Iterùm *Theodor.* Theodoretus: *Hac ratione aquæ eorum ebullierunt ranas pro pueris in illas demerſis: nam pueri inceſſu ranas quodammodò imitantur, & quia nondum ſolis pedibus niti poſſunt, manibus ſupplent pedum imbecillitatem.*

In eiuſdem prouidentiæ argumentum, ſuſpenſus è quercu ſeſe mihi oſtentat Abſalon: ac dum cæſaries ramis impexa, elapſoq. mulo pendentẽ contemplor: Illicò menti occurrit huiuſmodi ſupplicium delicto fuiſſe menſuratum, quoniã vt prudenter adnotauit D. Chryſoſt. hom. in Pſalm. 3. *Chryſoſ.* Adoleſcens ille paternæ dilectionis oblitus, dominandiq. libidine illectus Regnum nixus eſt vſurpare, patrem occidere, Regiam inuadere, vt obtineret coronam: ſed proh Deus immortalis! mutus ille pendebat; nec dum haſtis à Ioabo tranſfigitur, verbum emiſit, vt infortunati exitus cauſas pateſaceret: illas tamen multiformę pœnæ genus, voce omni tuba clariore, ſyluis & nemoribus, vbi miſer pendebat ſtatim moriturus, & eo iam mortuo, reſonabat. Vicit hoc loco ſe ipſum Chryſoſtomus: aureum eius flumen huc deriuo. *D. Chryſ.* *Abſalon*, ait, *Dauid aggreſſus à Ioab occiſus eſt, & in alto ligno ſuſpenſus eſt, qui aduerſus patrem erigebatur: & ab arbore detinebatur, qui cum radice pugnabat; & vinctus erat à ramo ramus, qui erat à paterna affectione abruptus; & capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat; & tanquàm fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat excindere; & in corde iaculo confoſſus eſt, illic occiſus, vbi cædem parabat. Et tũc videri poterat ſpectaculum admirabile; mulo enim equitans, ex pilorum coma, à coma arboris tenebatur, & coma tenebat coma tyrannum; illic eum contunderis, vbi diadema paternum geſtare contendebat.* *2. Reg. 16.* Hactenùs ille. At tu vide Abſalonis mortẽ non ſolùm

fuiſ-

ſuiſſe impietatis pœnam, ſed criminis in parẽtem cõmiſsi clariſsimum præconium. Libra pendentem: coma arboris implicatum contemplare: tergemino transfoſſum telo intuere: patefactum vulneribus pectus rimate: vbiquè inuenies pœnam crimini menſuratã. Parentis thronum affectauit, ſuſpenſus emoritur: diademate coronari ſtuduit, capite impexus detinetur: in corde Regnum meditabatur, pro ſceptro telis confoditur; Regale ſatellitium, & comitatum ambiuit, pro quo ab eodem lapidibus obrutus ſepelitur, illudq. ſupplicium verſum eſt in ſepulchrum, & criminis Epithaphiũ. Qua, ni fallor, diſpoſitione voluit Deus peccãtes deterrere, vt quos Tartari ſupplicium à patrãdis criminibus non arceret, quia oculis non cernitur, pœna temporalis reuocaret: memores quod nunquàm tectum maneret, occultũq. delictum, ſed inflicto ſupplicio tãquàm edito clamore, & præconio ad poſteros tranſmittendum.

Alio, nec minùs apto diuinæ vltionis exemplo rem confirmo. Notus in ſacris litteris ob Ioſeph ab Iſmaelitis emptionem reperitur Putiphar apud Heliopolim Sacerdos Geneſ. 37. Hic, vt cap. 39. ſcribitur Sacerdos cùm eſſet, ſimulq. eunuchus filiam habebat, quam apud Ioſeph matrimonio collocauit. Vbi iam non parũ negotij faceſsit; qua ratione Sacerdos, & quod magis mirere, eunuchus filiam ſuſcipere potuerit? Et quidem indubitatum exiſtimat D. Hieronymus Sacerdotem illum fuiſſe, & eunuchum; atquè adeò nec vxorem ducere, nec filiam gignere potuiſſe. *Nequè enim*, ait, *fas abſquè eunuchis Idoli illius eſſe antiſtites.* Quod ſi ità verùm habet: qui fieri poteſt, vt maritus, & filiæ pater, Sacerdos, & eunuchus exiſteret? Reſpondent Hebræi, quos in quæſt. Hebraicis refert, & ſequitur D. Hieronymus: illum Putiphar, quo tempore emit Ioſeph non eſſe eunuchum, atquè adeò ex vxore filiam ſuſcepiſſe: verum quia Ioſeph pulchritudine allectus ipſum emerat; vt ad neſandam præpoſteramq. libidinem captiuo vteretur; in libidinis pœnam factum repente eunuchum; vt licitis coniugij voluptatibus frui poſtmodum non valeret, qui inſana correptus libidine, abominãdos captiui adoleſcẽtis cõgreſſus expetiuerat. *Tradunt*, inquit, *Hebræi emptum ad hoc Ioſeph; ob nimiam pulchritudinem; in turpe miniſteriũ, & à Domino virilibus eius areſactis poſteà electum eſſe in Pontificatum Heliopoleos.* Eſt itàq. in diuino ſupplicio profectus quidam, & eruditio: punitur enim Putiphar, & ſupplicij genere eruditur, ob incontinentiæ turpitudinem ea pœna affici, vt culpam agnoſcens reſipiſceret, & veniam conſequeretur.

Nec ſolùm in eos, qui ratione pollent, reſipiſcentiæq. capaces exi-

Marginalia: Geneſ. 37. — Geneſ. 39. — D. Hier. — D. Hier.

exiſtunt; hoc pœnarum genere Dominus animaduertere conſueuit; ſed bruta etiam animantia eo ferit ſupplicio, quod criminis index appareat: vt indè rationis particeps homo cautior euadat, ſibiq. ob patrata crimina eunenturum pertimeſcat, quod vlciſcente Deo bruta perpeti contemplatur. Detexit hoc D. Auguſtini acumen lib. 10. de Geneſ. ad literam, vbi ſcribit nonnullos inueniri ſerpentes, quorum ſibi figuram Diabolus induit, vt Euam deciperet; qui quidem verbis incantantium arte compoſitis excantantur, & ſopito veneno illigantur, ità vt impunè tractari, atquè in ſinu liceat recondi: quod alijs animantibus non ità vſu venit: quia ſerpens antiquus verbis, & colloquijs hominem referētibus, primos parentes decepit, atquè ad præcepti diuini tranſgreſsionem adduxit: vndè quam patitur pœnam criminis ſit index clariſsimus: vt qui cōtrà naturæ leges ad decipiendum, excantandumq. hominem voces efformauit humanas, iiſdem vocibus excantatus ligaretur. *Diuino conſilio fit, vt hoc magis habeat vſus, ſerpentes moueri carminibus potiùs quàm aliud vllum genus animalium: Etenim hoc non parua teſtificatio eſt, naturam humanā primitus ſerpentis ſeductam eſſe colloquio.* Hęc D. Auguſt. ex quibus diſcat homo, & Deum vlciſcentem pertimeſcat. Qui enim nec brutis parcit, ſed pęna criminis indice caſtigat: quomodò ijs indulgebit qui rationis compotes cùm ſint, nefandis criminibus inquinari nō erubeſcunt?

Auguſt.

§. SECVNDVM.

Mortis ſupplicio Ananiæ, Saphiræq. ab Apoſtolorum Principe inflicto; iuſtitiæ rigor, & miſericordiæ lenitas ſplendet.

DVlcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via; Regius Vates decantauit, diuinæ iuſtitiæ rigorē miſericordiæ lenitudine temperatum extollens. Ità enim in delinquentium punitione ſe gerit, dulciaq. amaris permiſcet, vt qui timent iuſtum, diligant miſericordem: & quos iuſtitiæ deterret ſeueritas, miſericordiæ lenitas dulcedoq. alliciat. Hanc Domini, & Saluatoris noſtri conditionē imitatus Apoſtolorū Princeps, ipſius in terra Vicarius, ità in puniendis delinquentibus rigidum ſe exhibuit, vt in ipſo rigore manſuetudinis tenorem ſeruaret: In vindicanda ſacrilegij culpa iuſtitiæ leges impleuit, & lenitatis officium cuſtodiuit: dulcis & rectus delinquentibus. Quod autem vindictæ huius ſeueritas manſuetudinis dulcedinem admixtam habuerit, planum eſt: dum enim delinquentibus vita præciditur, ipſis ex indulgentia conſultum eſt: nedùm illam traherēt longiorem, grauiores

Pſalm. 24. 8.

Digitized by Google

res culpas ſupplicijs acerbioribus eluẽdas admitteret. Quod abſquè dubio tunc Petrus agnouit, vt po- D.chryſ. ſteà D. Chryſoſtomus ad eum locum prudenter aduertit. *Nam nunc quidem vtilitatem accipiũt, nè vltra pergant in malitia luituri videlicèt grauiores in inferno pœnas, qui ſi viuerent, plura commiſſuri peccata præuidebantur*. Ità Cæſar. ille, cui Cæſarius Nazianzeni frater 4. Dialog. ſubſcripſiſſe videtur, quatenùs D. Petrum in ea fuiſſe exiſtimatione aſtruit, vt delinquẽtes fore ad correctionem inflexibiles reputauerit: quod etiam in Simone Mago præuidit, certòq. damnandum iri, Deo reuelante Actor. 8. cognouit, vt ex illo Actor. 8. numer. 23. *In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis vi-* Lorinus. *deo te eſſe*, colligit apertè Lorinus.

Ordinationis itàq. diuinæ ſeuerus exequutor Petrus oſtendit, qua pœna afficiendi eſſent, quotquot ex duobus hiſce ſacrilegi criminis fontibus malitiam haurirẽt. quod ſi ex diuina diſpoſitione pęna inpoſterùm ſuſpẽſa differtetur: nihilominùs adueniente Dei iudicio, cunctiſq. ad examen criminibus euocatis grauiores ad delictorum menſuram pœnas ſubſtinebunt, vt collat. 6. cap. 11. cenſuit Caſsian. Caſsianus. *Rigidiores*, inquit, *illæ priores pœnæ, quas nouæ tranſgreſsionis præſumptores ſubierunt; vt quiſquis eadem affectare tentet, noſcat ſibi ſecundùm eam formam; qua illi damnati ſunt, etiam ſi in præſenti ſupplicium differatur, in futuri iudicij examinatione reddẽdum*. Hæc ille, vbi vides, quam adamuſſim Apoſtolorum Princeps hanc pęnarum vicem impijs inpoſterùm reddendam præuidens, iuſtitiæ leges obſeruarit, ſeueritatiq. dulcedinem immiſcuerit: dum, vt Dei miniſtrum, Eccleſiæ caput, Chriſtiq. decebat Vicarium, incredibili zelo aduerſus peccatores noui ſceleris authores obarmatus illos diuinæ vltionis gladio iugularet; nec tamen innocentiam amitteret: quinimò dulcis, rectuſq. exiſtens omnimodam à culpa immunitatem, frementibus licèt hæreticis, & Catholicis applaudentibus retineret.

Præiuit cæleſtis magiſter diſcipulum ad inferendam delinquentibus pœnam exemplum, & documentum relinquens: dum maledictionis ſententia ſterilem ficulneã arefecit, vt adnotauit Baronius to. 1. Annal. ad annum Chriſti 34. Mirùm certè dictu videtur, quod æternę ariditatis pœna ficũ dãnaret, eo quod ficus in ea non inueniret: cũ tamen, vt aduertit Euang. c. 11. n. 13. tempus nõ eſſet ficorũ. Alia igitur cauſa tã ſeueri ſupplicij credenda eſt extitiſſe: optimam reddit Baronius, nimirum, quia Baronius primi parentes poſt peccatum folia fici conſuerunt ad corporis tegumentum: ideò congruum erat, vt foliorum ornamenta amitteret, quæ peccatoribus velamen indulſerat, & ariditatis, nuditatiſq. ſupplicio

Digitized by Google

plicio delicti genus demonſtraret. Pro hac ſententia adducit Baron. Iſidorum Peluſiotā lib. 1. Epiſt. 51. ad Theopompum Tribunum, vbi ità, *Exaruit igitur arbor, vt hominibus terrorem inijciat: quinimò in hac quoque re arcanus quidam ſermo adnexus eſt, à ſenibus ſapiētibus ad nos graſſatus: Nempè hāc tranſgreſsionis arborem eſſe, cuius etiam folijs ad corpus tegendum, hi qui mandatū violarunt, vſi ſunt.*

Iſidor. Peluſiot.

Conſueuit autem Deus ſimiliū pœnarū exempla multoties edere, vt quicumque ipſum propter omnipotentiam, fide aſtruente, non reuerentur, ſaltem præteritæ vltionis exemplo, ſpectaculoque attoniti concutiantur, & reſipiſcant. Hinc eſt, teſtante Diodor. Tarſenſi D. Chryſoſtomi præceptore (quem in Catena ad c. 14. Exodi refert Lippomanus) Paulo Oroſio lib. 1. Hiſtoriarum cap. 10. Quod vſque inpræſens in Maris rubri littoribus; quinimò in ipſo æquoris fundo clariſsima apparēt ſupplicij monumenta, quo Pharaonem, vniuerſumq. ipſius exercitum fluctibus inuoluit Omnipotens, & terra ſubter aquarum vortices dehiſcēte ſepeliuit: vt, ni fallor, verba illa Exod. 15. num. 12. adſignificant: *Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.* Dum enim conglomeratis vndique fluctibus profunda cerneretur abyſſus: immanes ſcindebantur in terra voragines, quibus equites pariter, & equi diſtractis curribus implicati, & feminiui deuorabantur. In cuius acerbiſſimæ cladis monumentum, axes diſrupti, feruentiumq; rotarum fragmenta eo in loco perſeuerant: vt vſque in præſens tempus diuinæ indignationis, vindictæq. memoriā in æuum permanſuram conteſtentur. Eodem refero, quod Beda in lib. de locis ſanctis cap. 4. velut indubitatum ſcripſit, nimirum, ficulneam, in qua Iudas ſuſpenſus obierat, ſuo æuo integram, & illæſam permanere. Nec mirū id videbitur Cornelium Tacitum legenti lib. 13. Annal. vbi refert prodigium fuiſſe illo æuo reputatum: quod imperante Nerone, ficus ſub quà Romulus, & Remus educati credebantur, ſubito caſu corruerit, cum annos quadraginta ſuper octingētos illæſa permanſerit. Quod magis admirere: apud Sodomam, vt refert Ioſephus lib. 1. Antiquitatum c. 11. D. Irenæus lib. 4. c. 51. & Tertull. Integra ſalis ſtatua, in quam Loth vxor Vrbe egrediens fuerat immutata, per id temporis durabat. Quin etiam ſingulis mēſibus menſtrui ſanguinis profluuio inundans tributum il lud planè ſordidum, iam mortua, & pene lapidea ſexui rependebat. Nec verendum erat, vt tot annorum ſpatio Diuinæ vltionis monumentum illud aboleretur. Quoniam ſi fortè viator brachium, tibiam ve abſcinderet, illico annuente cælo, altera certatim ſuccreſcebat, vt integrū ſupplicij exemplū cerneretur.

Diodor. Lippomā. Oroſius.

Exod. 15

Beda.

Tacitus.

Ioſephus Irenæus. Tertull.

Verùm, vt quod dicebamus innoteſcat, nimirùm, Ananiæ, coniugiſq. ſupplicium, miſericordia, & lenitate fuiſſe temperatum: atque adeò Porphyrij corruat ignorantia, impudenſq. ipſius calumnia diſſoluatur; ponderandum eſt: quam plurimos in ſacris litteris memorari, qui ob leuiora crimina quàm Ananiæ, Saphiræq. peccatum fuit, præcipiente Deo, occiſi deſcribuntur. Nonnè leuiùs fuit illius peccatum, & fortè faciliùs remittendum? qui vt ſcribitur Numeror. 15. num. 35. ligna in ſabbato colligebat, & tamen conſultus ea de re Omnipotens, Moyſi præcepit, vt lapidibus impetitus criminis ſui pęnas rependeret. *Dixitq. Dominus ad Moyſen, morte* Numeror. 15. *moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extrà caſtra Cumque eduxiſſet eum foras obruerunt lapidibus, & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus.* Nadab etiam, & Abiud Aaronis filij leuiùs deliquerunt, cum auſi ſunt coram Deo ignem alienũ non iuſſi offerre: & tamẽ ipſo exuſti igne, in criminis vindictam propè altare obierunt. *Egreſſuſque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui* Leuit. 10. *ſunt coram Domino*. Leuit c. 10.

Iam verò Ozæ culpam quis nõ exiſtimet, leuẽ, nec eius qualitatis quæ repẽtina morte puniri debuiſſet? Quid iſte ſceleris admiſit? Lapſum Dei arca minitabatur, dũ bobus calcitrãtibus plauſtri ſuccuſſu ruitura videbatur: accurrit Oza, manuq. admota collabantẽ ſuſtentauit. *Calcitrabant boues* (ait ibi ſacer text.) *Et declinauerunt eam.* 2. Reg. 6. Sed quis tam lyncæos 2. Reg. 6. habet oculos, vt hic crimen agnoſcat? Religionis potiùs quàm ſacrilegij opus iſtud apparet: Sic exiſtimaret humana prudentia, cuius fatua ſunt plerumq. iudicia. Longè aliter ſe habuit Dei iudiciũ, cui Ozæ temeritas, irreligioſitaſq. diſplicuit, ac propter eam repentinæ mortis ſupplicio in reum animaduertit. *Iratuſq. eſt indignatione Dominus contrà Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxtà arcam Dei.* Reg. 2. cap. 6. Sed in quonam Ozæ 2. Reg 6. temeritas, & irreligioſitas ſtetit? In eo reſpondet egregiè Theodo- Theodor. retus quæſt. 20. quod lapſuræ interim arcæ humeros opponere cũ debuiſſet, ſicut Deus præceperat, ipſe manum, vt labantẽ ſuſtentaret, admouit. *Delicti luit pœnas; nam cum Deus iuſſiſſet, vt Sacerdotes ferrent arcam ſuis humeris, præter legem eam tulit in plauſtro.* Ità ille, & quidem culpæ genus hoc humani iudicij trutina libratum, non videtur ità graue, vt capitali ſupplicio fuerit puniendum: ſiquidem ſuſtinendæ arcæ iuſſionẽ impleuit, quamuis aliud, quàm à legiſlatore ordinatum eſſet, medium non ità prudenter elegit. Nec ipſe primus Dei conſilium, & præceptũ in exequutione immutauit. Iam anteà Moyſen, & Aaronem huiuſmodi culpę reos de-

deprehendo; & tamen non ſunt morte mulctati, licèt promiſsionis terram in criminis vindictam ingredi prohiberentur. At inquires vbi nã hæc Moyſis, Aaroniſq. tranſgreſsio reperitur? Abulenſem conſule quæſt. 5. in c. 20 Numer. vbi ſcitè rem diſcutit. Vt populo ſitienti aquam ſuppeditaret fratribus, & populi Rectoribus præcepit Deus; vt rupem alloquerentur, certi; quod ad vtriuſque verba nõ ſinè maxima plebis confuſione, aquarum ſcaturigines ebullirent. *Loquimini ad petram coram eis, & ipſa dabit aquas.* Hæc Dominus. Quid ſerui? Oblitus Moyſes Dei præceptum, & populi proteruiam indignatus, ordinem præuertit, petraq. relicta, populum alloquitur, & pro verbis, quibus aquam educere iubetur virga vtitur, ſcilicemq. identidem verberat: vndè, & miraculi magnitudo imminuitur, & Dei conſilium eluditur. Dum enim ſolo miniſtri ſui verbo aquam è rupe iuſſerat ſcaturire; populi illius duritiem pluſquam lapideã confundebat: quippequi poſt tot Dei fauores; poſt tot edita miracula, adhuc adamãtinus ſtabat; nec mollior factus, nec obſequentior, & Religioſior, cùm tamen verbum vnicum ſat eſſet; vt dura ſilex repente emollita in aquarum exitus liquaretur. En Moyſis, Aaroniſq. delictum, cui mortis pœna non infligitur, ſicuti Ozam mortuũ deprehẽdimus: cum ipſius delictum generis eſſet

Abulenſ.

Numer.

eiuſdem: quoniam ſicut illi, ità etiam iſte Dei medium, & conſilium ad finem, quem intendebat conſequendum, temerè immutauit.

Quid de peruicacia, quam Dathan, & Abiron in Moyſem exercuerunt, par erit exiſtimare? Non nè propterea quod Moyſi procaciter detraxerant, terra dehiſcente inter nebulas, fumoſq. inuoluti viuẽtes adhùc abſorpti, & in inferno ſepulti deſcribuntur? *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cũ tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntq. viui in infernum operti humo.* Numer. 16. verſ. 31. Proh metuendam ſupplicij acerbitatem! terra dehiſcit, criminoſi viuentes abſorbentur: nec primùm licuit mori, vt paululum ſaltem mortui quieſcerent, quàm flammis nunquàm extinguendis æternùm comburẽdi traderentur. Et quamuis ob criminis atrocitatem ſuſurrones illi vita indignos ſe reddiderant; Dominus tamen eos lucis vſura priuare noluit, nè breui mortis intercapedine tormentorum inducias obtinerent, interruptaquè moriendi viciſsitudine pœna non eſſet, vt disertè adnotauit Optatus Meliuitanus lib. 1. contrà Parmenium. *Et nè beneficiũ*, inquit, *de mortis compendio conſequi viderentur, dum non eſſent digni viuere: ijs nec mori conceſſum eſt, Tartareo carcere ſubitò clauſi, antè*

Optatus Meliuit.

Digitized by Google

ſunt ſepulti, quàm mortui. Hæc ille. Miraris Dei in impios ſæuientis vindictam: illud ego velim, vt magis admirere, quod delinquentium filios vna cum parentibus Tartari flamma non ambuſſerit, idemq. terræ hiatus viuentes pariter non ſepelierit. Agnouerunt illi miraculum,& Deo gratati ſunt beneficium: vndè in gratitudinis ſignificationem Pſal.45.cui titulus eſt, *Filÿs Core pro arcanis*: Chaldæus Paraphraſtes ſcripſiſſe teſtatur. Et verò magna miſerentis Dei reputanda fuit indulgentia, perenniq. gratiarum actione celebranda: quod parentum delicta filios non implicarent, eademq. (vt *Numer. 26.* ad c.26.Numer.q.7.notauit Abu- *Abulenſ.* lenſis) pœna comprehenderet, quemadmodùm ducentos quinquaginta Thuriferarios eodem temporis momento ignis è Tabernaculo erumpens exuſſit. Dignum Dei ſupplicium (dixit olim in Apo- *Nazian.* logetico D.Gregorius Nazianzenus pag.135. de alio euentu loquens) vt externi, profaniq. ignis incendio perirent, qui in altaris miniſterium ſe ingerere, alienumq. officium vſurpare intentarunt.

Simillimum quidem Dathan,& Abiron peccatum, Ananiæ,Saphiræq.delicto fuiſſe quis non videat? Vtrumque in ſuo genere primum? Ananias ſacrilegium nuſqàm anteà viſum, vt iam notauimus, admiſit. Core, Dathan, & Abiron ſchiſma ſunt machinati: in quibus primùm deſignabantur hæretici, ſchiſmæq. authores, qui aduerſus ſacram Apoſtolorũ Principis poteſtatem, Romanosq. Pontifices legitimos Diui Petri ſucceſſores impio auſu ſeditiones excitarunt. Quod iam olim D.Irenæus lib.4. *Irenæus.* cap.43.Cyprianus lib.1.Epiſtol.6. *Cyprian.* ad Magnum, Iſidor. Cõmentar. in *Iſidor.* Numer.cap.13. Alexander III. in *Alexand.* c. Licet de Electione, Optatus *Optatus.* Meliuitanus lib.1. contrà Parmenium luculenter ſcripſerunt: ideò mirandum non eſt, vt Deus Core, aliorumq.ſeditionem ſchiſmaticã, & Ananiæ,coniugisq. ſacrilegium nuſquam anteà commiſſa repentino interitu caſtigaret: quamuis mitiùs cum ſacrilegis actũ fuerit: quippequi non viuentes incendio rapiuntur,ſed mortẽ priùs obeũt, vt rupta interim pœna tantiſper ferientur, quod ſchiſmaticis non accidit, vt iam ex Meliuitano adnotauimus.

Plura adhùc referre poſſem Dei in impios ſæuientis exempla; in quibus ipſius iuſtitia mirificè ſplẽdet. Et qui Ananiam,& Saphiram delicti ſocios habuerunt, eoſdem experti ſunt in ſupplicio, & pœna conſortes. Non equidem tellus ima dehiſcens coniugem vtrumquè, ſicut Dathan, & Abiron viuentes abſorbuit. Plures tamen ex Patribus impœnitentes illos, æternæq. damnationis reos deceſſiſſe crediderũt, in quibus D. Au- *Auguſt.* guſtinus Serm.25.de Verbis Apoſtoli, & apud eundem tom.4. libri Author de Salutaribus docu-

mentis

mentis cap. 56. vbi ità. *Ananiæ locum Deus non dedit ad ignoſcendū.* In eadem fuit ſententia Diuus Baſilius citato loco. *Eiuſmodi*, inquit, *aduerſum ſe indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus miniſter fuit, vt nè ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit.* Eodem

D.chryſ. (ni fallor) D. Chryſoſtomus, &

Caſsian. Caſſianus, quorum iam retuli ſententias, reſpexerunt. Licèt autem damnationis ſupplicium ſit extremum; & omni videatur miſericordia deſtitutum: adhuc tamen (vt anteà dicebamus) magnā Dei miſerantis benignitatem, in hoc Ananiæ, Saphiræq. ſupplicio D. Chryſoſtomus agnouit: ideò enim repentina morte exciduntur, nè crimina criminibus addentes, ſi viuerent acerbioribus poſteà in Tartaro ſupplicijs torquerētur. Iterùm

Chryſoſt. Chryſoſtomus. *Nam nūc quidem vtilitatem accipiunt, nè vltrà pergant in malitia; luituri, videlicèt, grauiores in inferno pœnas, qui ſi viuerent plura commiſſuri peccata præuidebantur.*

Illud verò formidandum eſt, & ſuprà omnem captum admiratione plenum; Quod Bonifacius

ifac Germanorum Apoſtolus, iureiurando ſibi fuit imprecatus, dū à Gregorio huius nominis Pōtifice Secundo inſtitueretur Epiſcopus. *Quod ſi (quod abſit) contrà huius promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere, quolibet modo, ſeù ingenio, vel occaſione tentauero, reus inueniar æterno iudicio, vltionem Ananiæ, & Saphiræ incurram, qui vobis (ideſt Petro) etiam de rebus proprijs fraudem facere præſūpſerunt.* Hæc Bonifacius, quem fortè ſecuti Epiſcopi, eadem forma in ſuis Ordinationibus vti conſueuerunt. Ab eodem etiā mutuatus videtur Ioannes Papa VIII. quod aduerſus decreti ſui tranſgreſſores fulminauit. Ananiæ quippè, & Saphiræ anathematè feriendos cenſuit, quicumquè decreto ſuo non obtemperaſſent. Calamum tantiſper hic ſiſto; ac dum alia in hanc rem meditor ſcribenda, monitum illud Magni Gregorij lib. 5. Epi- D.Greg.

ſtol. 33. Apoſtatis à Religione, & proprietarijs ſubijcio.

Religionē, habitumq. Venantius deſeruerat, ad propriumquè vsū nonnulla furtim, & clanculum ſibi vſurpauerat: quem Ananię, Saphiræq. exemplo Magnus Pontifex furem, habitusque deſertorem exterret. *Si ille*, inquit, *mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat Deo, nūmos abſtulit: conſidera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nūmos, ſed temet ipſum Deo omnipotenti, cui te ſub Monachali habitu deuoueras, ſubtraxiſti. Conſidera iudicium Dei, quid mereatur? Qui ſemet ipſum Deo vouit, cōtinuòque mundi deſiderio irretitus, mentitus eſt quod vouit.* Hactenus ille. Audiant hæc quotquot mundialiū rerum prurigo, vitæq. religioſæ auſteritas auertit, & poſt ſpretas ſemel mundi vanitates & delicias

animum quem depoſuerat, & cultum iterùm reſumunt: & quaſi Chriſti paupertatis ipſos pudeat, cultu inſignes pecunia prædiuites ambiunt apparere. Quod iam in Epiſtola ad Heliodorum D. Hieronymus deplorabat. *Nũmum addat nũmo, & in marſupium ſuffocantes, matronarum opes venentur obſequijs, ſint ditiores Monachi, quàm fuerant ſæculares: poſſideãt opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete Diabolo nõ habuerãt, & ſuſciperet eos Eccleſia diuites, quos tenuit mundus antè mẽdicos.* Proh damnandum Religionis abuſum! Nec minùs graui quam Ananiæ, Saphiræq. ſacrilegium pœna feriendum: timeant quicumq. illũ in Religionem introducunt: Et quoniam in delicto ſacrilegos ſequuntur duces, in ſupplicio commilitones habere vereantur.

D. Hier.

En pulcherrimũ in Ananię, Saphiræq. interitu iuſtitiæ, & miſericordiæ ſimulacrũ inſpeximus, & quã adamuſſim Petrus Chriſti Vicarius adimpleuit, quod de Saluatore cecinit Pſalmographus. *Miſericordia, & veritas præcedent faciẽ eius.* Tam mirabili namquè ſapiẽtia miſericordiam, & iuſtitiam copulauit, ſic manſuetudinem cum ſeueritate coniunxit, vt nec lenitas contemptibilem, nec ſeueritas redderet odioſum. Impiè igitur carpit crudelitatẽ in Apoſtolorum Principe Porphyrius, qui ſi animum haberet Chriſtianum, Petri prudentiam laudare potiùs debuiſſet, qua delictum non ſuſtinuit impunitum, & pœnæ miſericordiã addidit, verùs Chriſti Vicarius, Dei imitator prudentiſſimus, qui in peccatores ità deſæuit, vt ſupplicium miſericordia, ſeueritasq. manſuetudine temperetur.

Pſal. 88. verſ. 16.

§. TERTIVM.

Ananiæ, Saphiræq. interitus non tam ſæuientis Petri iuſtitiam, quam indulgentis miſericordiã proclamat.

NEmo, vt arbitror, tam iniquus erit rerum æſtimator, qui Dei miſericordiã, potiùs quam iuſtitiam, & ſeueritatem non reputet, dum temporarijs afficit pœnis; atquè vt animæ vitam criminum indulgentia largiatur, corpoream aufert, vt ipſemet apud Zachariam cap. 1. num. 15. teſtatur. *Ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas; quia ego iratus ſum parum.* Agit hoc loco Dominus de iracundia, quam in Machabæos exercuit: dum furenti Antiocho truncandos permiſit; quia verò animabus pepercit, & in corpora tantum deſæuijt; idcircò atteſtante Ruperto de Victoria Verbi Dei lib. 9. modica iracũdia appellatur. *Hæc, inquam, omnia pertinent ad iram paruam, iuxtà quod ait ipſe, quia ego iratus ſum parum. Parua namque hæc fuerunt, quia circà corpus omnia verſata ſunt.* Itaquè indi-

Zach. 1.

Rupert.

Digitized by Google

indignationis, & iracundiæ nomẽ vix meretur, cum ſic leuiter Dominus commouetur, & clementer punit, vt ſupplicium in ſolis corporibus ſiſtat: atquè adeò non tàm ſeuera iuſtitia, quàm vera miſericordia reputari debeat: præſertim, quia dum temporaria lucis vſura delinquentes priuantur; æternam animarum ſalutem adipiſcuntur, vt Ananiæ, & Saphiræ contigit, qui repētino interitu culpæ labem exterſerunt, & pœnitudine immaculati ad Dei conſpectum in ęterna beatitudine cooptari meruerunt. Nec ſine Authore hoc ſtatuimus; prȩit Magnus

Origen. Origenes, qui, ni fallor, tractatu 8. Matth. rem totam paucis verbis expreſsè decidit. *Nec putare debemus Petrum interfeciſſe Ananiã; ſpirauit verbis Petri Cathechizãtibus animam illius*. Hæc ille, vbi expendendum eſt verbum illud, *Cathechizantibus*: tantumdem namque valet, acſi dixiſſet: Petrus verbis ſuis quaſi manu oppanſum Ananiæ oculis velum eripuit, culpæq. grauitatem, & fœditatem obiecit, quo ſic animo fuit conſternatus, vt præ ſceleris dolore, & pœnitudine, pudoreq. exanimis ceciderit; quod etiam vxori

Origen. contigiſſe idem Origenes teſtatur. *Digni*, inquit, *erant in hoc ſæculo recipere peccatum, vt mundiores exeant ab hac vita, mundati caſtigatione ſibi illata per mortẽ communem, quoniam credentes erant in Chriſtum*. Itaquè Ananiam, & vxorem extremus dolor affecit, atquè extinxit, amborumq. mors ſceleris fuit pretium, quo ſuam redimentes iniuſtitiam, è peccatoribus inopinata mutatione in iuſtos ſubitò tranſierunt. Et quidẽ illato repētini interitus ſupplicio, hoc Dominus intendebat, vt ſalutem mortui conſequerētur, qui viuentes (niſi criminis pœniteret) damnari meruerant. In corpora deſæuijt occidens, & animabus pepercit veniam indulgens: idcircò mors illa, non tàm Dei indignantis ſupplicium, quàm benignè indulgentis miſericordia reputanda eſt.

Nec nouum reputari debet, nec inſolitum: quod labores, tormenta, vitæ incommoda, & afflictiones, quibus aliquando genus humanum diuerberat omnipotẽs, vt peccata, peccatiq. occaſiones amputet, & præcidat, requies, deliciæ, cõmoda ab æquis rerum æſtimatoribus appellentur. Diuinũ auſculta oraculũ in c. 5. Geneſeos. *Vixit Lamech annos centum octoginta, & genuit filium, & vocauit nomen eius Noe, dicens: hic nos quieſcere faciet*. Proh Deus immortalis! Qua ratione Noemũ quietem Orbi allaturum prædicit, cum is aquarum inundatione ſubmergendum annunciauit, ſaluusq. ipſe, & incolumis in arca enatans extinctum inſpexit? Propriùs certè loqueretur; ſi illum generis humani flagellum; Mundi ruinam, vltimumq. exitiũ appellaret. Triũphat *Geneſ. 5*

phat hoc loco D. Chryſoſtomi flumen aureum. *Quarè*, ait, *non dixit hic occidet nos, hic faciet diluuium fieri; ſed dicit, hic faciet nos quieſcere? Creatura omnis reſoluitur: abyſſi deſubtus erũpunt, in luto quaſi communi ſepulchro promiſcua hominum, & equorum corpora occultabantur; & tantam calamitatem quietem vocas? Profectò dicit: nam homines in magna malitia viuebãt. Diluuiumq. malitiam reſecuit, ideò liberati à malitia quieſcere dicuntur.* Hactenùs ille: nec immeritò quietis nomine, & refugij cenſuit efferendum laborem, diluuijq. fatigationem, cum qua tum temporis genus luctabatur humanum, quia ad præcidenda crimina peccataquè prorsùs extinguenda fuit ordinatum: Non incongruè igitur Ananiæ, coniugisq. ſupplicium Dei miſericordiam appellabimus; quoniam tali pœna profecerunt ad iuſtitiam, ablutoq. per mortem ſacrilegio, veniam adepti ſunt, & in Beatorum albo conſcribi meruerunt.

Simile quid, vt ſacra narrat Hi-
3.Reg.13 ſtoria 3. Regum capite 13. Prophetæ cuidam accidit, quem Dei virum ſacer dixit textus, & Io-
Ioſephus. ſepho teſte Iadam ipſe dicebatur. Is igitur Dei iuſſu Ieroboami Regiam prædicaturus adierat, ea lege, nè cibum eo in loco ſummeret. Accidit autem, vt à Pſeudopropheta deceptus comederet. Verùm domum repetens in criminis, & inobedientię pœnam à leone occiditur. Sed quem leo viuẽtem occiderat vt peccatorem, mortuum reuerenter cuſtodiuit vt
iuſtum. *Inuenit eum leo in via,* 3.Reg.13
& occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: & leo ſtabat iuxtà cadauer. Hæc ibi textus;
quem D. Gregorius ſolerter ex- D.Greg.
pendens ſic ediſſerit. *Qui occidẽdi auſum habuit, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia, erat iam iuſtus ex morte. Leo ergò, qui priùs peccatoris vitam necauerat, cuſtodiuit poſtmodùm cadauer iuſti.* Hæc ille. Cæterum non vacat myſterio, quod Lyranus diſertè admonuit, nimirùm, Prophetam virum Dei appellari, cum iam à leone interficiendus prędiceretur. *Vir ſcilicèt Dei, quia diuinam ſententiam ſupra ſe auditam acceptauit, & voluntati diuinæ ſe cõmittens, peccatum inobedientiæ morte corporali expiauit.* Vides ergò qua ratione leo pepercit mortuo tanquàm iuſto, & pro tuẽdo ipſius cadauere egit excubias, poſtquàm in eum viuum tanquàm peccatorẽ ſæuierat, & vita priuarat. Vndè nam hæc feræ à cadaueribus abſtinentia? Cur non dillaniat, euiſcerat, diſcerpit? Sed reuerenter excubat, & cuſtodit: quinimò ab aliarum ferarum aſſultu conſeruat illæſum. In promptu cauſa eſt: perpeſſa morte inobedientiæ maculam eluerat Propheta: idcircò

licèt

licèt auſus fuerit illum occidere tanquàm peccatorem; poſtquàm criminis veniam adeptus eſt, pœnamq. exoluit, iam contingere non audet, ſed tanquàm iuſtum ſeruat, & reueretur. Quis igitur

Origen. neget, quod olim dicebat Origenes, quendam eſſe in pęnis profectum, & verberatos à Deo reddi meliores? Profecit mortis ſupplicio Propheta: ex præcepti tranſgreſſore tranſiuit in iuſtũ: quinimò, quia inobedientiæ crimen celeri pęna fuerat caſtigatum: Iuſti, & viri Dei titulũ in ipſo reſeruat ſupplicio. Profecit item morte Ananias, ſacrilegij labem moriens expiauit, & in iuſtorum conſortium pertranſiuit: idcircò mors illa, non ex ſola indignatione Dei, & vindicta proceſſit, ſed ex miſericordia promanauit. Nec Petrus propterea quod Dei præceptũ exequutus occidit perſecutor, & ſæuus, ſed beneficus, diuinæq. manſuetudinis dicendus eſt æmulator. Nec enim (ſi rectè ſentis) perſequitur, qui vt reformet in meliùs, pœnas iniungit. Ille verè dicẽdus eſt perſecutor, qui fauet, indulgetq delictis, vt latiùs ſerpat contagium, & vberiùs diffundatur.

Geneſ. 16 Geneſis 16. ſcribitur, Saram. Abrahæ coniugem, Agar ancillam ſuam tàm miris afflixiſſe modis, vt afflictionis impatiens fugam arripuerit. *Affligente eam Sara fugam iniJt.* Hæc inter matres refert textus: Videamus quid inter filios eueniſſe commemoret. *Cum vidiſſet Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo.* Mater Iſaac, & Domina perſequitur, & affligit ancillam: filius Dominæ ſeruo colludit. Cæterum D. Paulus in Epiſtola ad Galatas cap. 4. *Ad Gal. Lit. 4* hũc puerorum luſum commemorans, perſecutionem dixit non luſum. *Quomodò tunc*, inquit, *is, qui ſecũdum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum; ità, & nunc*. At verò de perſecutione matris nihil meminit, quaſi eò nomine indignam cenſuerit. Cur ità? Reſpondet egregiè D. Auguſtinus tract. 1. in cap. 4. Ioan. *Ecce libera afflixit ancillam, & non illam vocat perſecutionem Paulus; ludit ſeruus cũ Domino, & perſecutionem vocat. Afflictio illa non vocatur perſecutio. Adhoc ergò affligitur, vt reuertatur*. Iſmaelis colluſio hæreticorum perſecutionem ex rabie furoreq. manantem portendebat: idcircò perſecutionem ab Apoſtolo iure optimo nuncupatam inuenies. At verò Saræ afflictio Dei ſupplicium ſignificabat, quo non peccantium interitus, ſed correctio procuratur; & ideò non pœna exiſtimanda eſt, ſed miſericordia, quam, vt Venerabilis Beda prudenter aduertit in Luc. c. 55. Dominus iuſtitiæ ſeueritati ſic immiſcet, & clementiam in puniẽdo cum rigore coniungit; vt ambigas an ſupplicium dicere poſſis, vel beneficium: quinimò propè ſis miſericordiã potiùs appellare,

quàm

quàm pœnam. Fauet mihi D. Ambroſius lib. 2. de Paradiſo, ex quo hos floſculos prælibo. *Vbi impius interficitur, Chriſtus infunditur: vbi abominatio aboletur, ſanctificatio conſecratur*. Et verè, quoniam delinquentis ſupplicio monita plebs iuſtitiam, Deumq. non temnere perdiſcit, & temporaria pęna reo cedit in meliùs, quàm ſi impœnitens, & impunitus, ſceleris debitum æterna damnatione perſolueret, & miſericorditer potiùs quàm ſeuerè cenſendus eſt caſtigari.

Quamuis igitur iuxtà Augustini, & Tertulliani placitum locis ad capitis huius initium citatis, aſſeramus Petrum in ferendo Ananiæ, Saphiræq. mortis ſupplicio, ptimatus ſui poteſtate vſum, ac veluti ſupremū Eccleſiæ Paſtorem, & & Orbis Chriſtiani Pontificem reos eo aſpectu caſtigaſſe; vt quãuis acerba nimis, & rigoroſa mortis pęna illa videretur: punitorum nihilominùs ſaluti, aliorũq. exemplo credebatur profutura; exindèq. ſub ipſum ſuæ adminiſtrationis initium, diligerent vt paſtorē; atquè vt delictorum vindicem pertimeſcerent; Deiq. & ipſius Vicarij leges frangere non auderēt; cum earum tranſgreſsionem tàm ſeuerè vlciſci animaduerterent. Verſum itàq. fuit illùd ſupplicium in eruditionem & poſterorum documentum: Vndè non iam crudelitatis, & ſæuitię nota deturpãdum (vt contendunt Hæretici) ſed optimi regiminis, piæq. caſtigationis, & miſericordiæ præconio extollendum, vt placuit D. Hieronymo Epiſtola 8. ad Demetriadē. *Non crudelitate*, inquit, *ſententiæ, ſed correptionis exemplo*. Nec ſola Hieronymi authoritate noſtra hæc ſtabilitur ſententia, Iſidorum Peluſiotam adijcio in Epiſtola ad Orionem Monachum. *Non crudelitatis, atquè amentiæ fuit, vir ſtudioſiſſime, quod ſapientiſsimus Petrus, eos qui peccauerant morte affecit, verum præſcientis doctrina multa hominum peccata perſanãtis. Nam cum tunc Euangelij ſementem facere incepiſſent, ac ſtatim enata zizania conſpexiſſent, ſapienti conſilio, ea confeſtim euulſerunt, nè vna cum tritico aucta futuro igni ad exuſtionem ſeruarentur*. Hactenùs ille.

Quis eximiam D. Pauli erga omnes charitatem non agnouit? Quem vnquàm latuit ingēs ipſius amoris incendium? Et tamen aduerſus inceſtuoſum in vindictam ſurrexit, Satanæq. mãcipauit cruciandum. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, tam iudicaui vt præſens, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Hęc Apoſtolus 1. ad Corinth cap. 5. ſed quam vnanimi conſenſu Eccleſiæ Principes Petrus, & Paulus ſupplicium in reos exercent, quam vno codemq. ardore in criminoſos inuehuntur Paulus.

hun tur

huntur. Petrus in Ananiam, & Saphiram: Paulus in inceſtuoſum: alter occidit, Satanæ tradidit alter ad cruciatum: vterquè ex amore, pęnæ ſtimulos infigit, & punit: non vindictæ ſtudet, ſed ſaluti; nec reorum mortem ambit, ſed profectũ, & correctionem meditatur. Non
D. Aug. effugit hoc D. Auguſtini acumen; quem 3. contrà Parmen. cap. 5. ità fantem libenter audio, fideliterq. tranſcribo. *Quid ergò agebat Apoſtolus? Niſi vt per interitum carnis, ſaluti ſpirituali conſuleret, vt ſiuè aliqua pœna, vel morte corporali, ſicut Ananias, & vxor eius antè pedes Apoſtoli Petri ceciderunt, ſiuè per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam.*

Percommodè etiã cadit in rem præſentem; traditamq. doctrinam mirificè illuſtrat euentus magi Eli-
Act. 13. maz, de quo Act. 13. v. 10. & 12. memoratur. Nam D. Paulo, & Barnabæ Chriſti fidem prędicantibus, ſe oppoſuit, vt hac ratione Procõſulem Sergium Paulum à fide retraheret: quocircà Apoſtolus diuino plenus Spiritu oculis in ipsũ intẽtis repẽtina cęcitate percuſſit, hæc fatus. *O plene omni dolo & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas: & nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus non videns Solem, vſquè ad tempus*. Hæc ibi Apoſtolus. In quibus clauſula, *vſquè ad tempus*, expendenda eſt; ſignificat enim cęcitatem temporariam fuiſſe, non perpetuam: corpoream, non ſpiritualem: quidquid ad eum locum Gloſſa Interlinealis oppoſuerit, dicens. *Vſquè ad tempus ſi reſipiſceret, aut vſquè ad mortem, quia non reſipuit*. Prateolus verò in Prateol. Elencho aſſeuerat Elimaz, vbi primum ſanitati fuit reſtitutus, Barnabæ apud Cyprum pertinaciter ſe oppoſuiſſe. Verùm quoquomodo ſe res habeat, illud certè inficiandum non eſt; incredibilem in hoc caſu Pauli clementiam, pietatemq. illuxiſſe: quippeqni inflicta mago cæcitatis pœna, nullo modo ipſius interitum, & perniciem, ſed reſipiſcentiam, correctioneq. attendit. Non aliter ſe geſsit Petrus, dum Ananiam, & Saphiram ſacrilegij reos repentino caſtigauit interitu.

Nec vno tantùm miſericordiæ exemplo contenta Dei prouidentia, in omni ætate plurima, atquè admiratione digna extulit. Cuiuſmodi cenſetur illud, quod S. Vincentio Ferrer prædicante fertur accidiſſe. Æternas damnatorum pœnas, infandamq. ſcelerum fęditatẽ egregius concionator ille quã poterat eloquij maieſtate exaggerabat: cùm ex auditoribus vnus, qui aderat, tàm incredibili fuit pauore correptus, tamquè ingenti dolore transfixus, vt in carbonem ſubitò immutatus apparuerit. Tãtum Chriſtiani oratoris in dicẽdo potentia ſuũ valuit immutare auditoribus

dito-

ditorem. Verùm hæc longè clarior effulſit in Apoſtolorum Principe: licèt enim Ananiam, & Saphiram, (ſicut Vicẽtius auditorem ſuum) in carbones non transformarit: non minus mirandum fuit, quod ad Petri verba tàm ingens admiſſi flagitij dolor in corde naſceretur, vt repente vitam abſumeret. Deus bone! quam mortis, vitæq. Dominum ſe Petrus oſtendit; ſacrilegos arguens dedit neci, benefactores oratione reuocat ad vitam: ideò fortaſsè D. Gregorius lib. 2. Dialogorum cap. 30. Ananiæ, coniugisq. interitum, cum Thabitæ à mortuis ſuſcitatione copulauit. *Increpando*, ait, *vtriquè coniugi vitam abſtulit, qui reddidit Thabitæ orando.* Luſit egregiè mortis, vitæq. viciſ- D.Greg. ſitudine Gregorius; quaſi dixerit: dum Petrus delinquentes verbis ſugillat, eos de medio tollit: ſed quibus vitam abſtulit gratiam cõtulit. Idem oratione Thabitam mortuam ſuſcitauit, vt pijs largitionibus, alijsq. miſericordiæ operibus intenta vitam ágeret ſpiritualem, maioraq. indiès gratiæ incrementa ſuſciperet: vbiquè Petri elucet clementia: non minus in delinquentium morte, quàm in benefica ſuſcitatione miſericordia ſplendet. Vtrinque magnam ſibi laudem Apoſtolorũ Princeps cõparauit. Non certè negabit hoc rerum æquus æſtimator, quidquid aliter blaterent, ſentiãtq. ſinè ſenſu Nouatores: ego tàm hic, quàm alijs ſtatim memorãdis Petri actionibus præclariſsima pietatis, miſericordiæq. ipſius monumenta religiosè ſuſpicio, reuerenterq. exoſculor.

CAPVT III.

Petri miſericordia in morte Ananiæ, & Saphiræ, ex alijs ipſius actis, in quibus benignitas illuxit, & clementia, ſuadetur.

NOn minùs ſolem hunc, quã Petri beneficentiam licuit intueri. Tàm longè enim lateque ſplẽdidiſſimos miſericordię radios effudit, vt ferè nemo fuerit, qui ſe à calore eius abſcõdere potuerit. Teſtes infirmi ad ſanitatẽ reſtituti: Teſtes mortui in vitam reuocati: Teſtes etiam penè innumeri, qui vel deficiẽtis naturæ lapſu, vel fortunæ nouercantis impulſu, in miſeriam deciderant; quos omnes Petrus ingenita ſibi miſeratione, & benignitate ſuſtulit, fouit, recreauit. Cum igitur in omnes eſſet vniuerſim benignus: cur mihi perſuadeam, coniuges illos ob ſacrilegij delictum inclementer occidiſſe? Non credo: miſericordiæ potiùs fuit, quod occiderit, in corpora deſæuiens, vt parceret animabus. Hoc omnia ipſius opera, & miracula oſtentant. Primum oculis ſubijcio, in quò Principis Apoſtolorum miſericordia charitate cõiuncta mirabiliter irradiat.

§. PRI-

§. PRIMVM.

Claudus à natiuitate curatur, & Petri clementia extollitur.

ACtorum 3.num.7. narratur virum ex vtero matris claudum ad templi fores ſtabulare, vt ab ingreſſuris ſtipem corrogaret. Acceſſerant tunc temporis Petrus, & Ioannes; cumquè oculorum aciē in vtrumq. defixiſſet eleemoſynam poſtulauit. *Is cum vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus, cum Ioanne dixit: reſpice in nos. At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis: Petrus autem* Actor. 3. *dixit: argentum, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Hæc ibi ſacer textus. Proh! boni ſuperi, quàm benignitatis, miſericordięq. dulcedine manantia: quot verba, tot clariſsimæ tubæ, quæ Principis Apoſtolorum beneficū amorem reſonant. Claudus primò illos inſpicit, in ipſoq. aſpectu cordis vtriuſq. pietatem legens precatur ſtipem. Perbellè in hoc loco D. Chryſoſtomus hom. 8. *Vt vidit* Chryſoſt. *autem illos ingredientes, & miracula facientes talia; rogabat, inquit, vt eleemoſynam acciperet, quemadmodum illos viros pios quoſdam ex ipſo habitu ſtatim conſiderabat*

Nec ſuus claudum fallebat cogitatus: quoniam latens in pectore benignitas vtriuſq. in ipſo habitu & forma radiabat. Et valdè profuit inopi, quod in Apoſtolorum clemētia tàm acutùm cerneret. Ideò enim pluris eum fecit Petrus, quā plures diuites, qui intus morabantur, ipſius fortè miſeriam neceſſitatemq. reſpiciens: Iterùm D. Chryſoſtomus. *Erat enim vir in ingreſſu: non ibi, ſed intus erat* Chryſoſt. *multitudo, ſed nihil horum quæſiuit Petrus; neque ingreſſus prædicauit, ſed ſolo ſuo habitu claudum attraxit ad petendum.* Et ſanè, vt faciliùs optatis frueretur, nimirū, vt claudus petens oſtentādę benignitatis, & clementię occaſionē ipſi præberet, vt ſe ipſum reſpiceret, exhortatur. *Petrus cum Ioāne dixit: reſpice in nos.* Vt quid hæc ad videndum exhortatio? Cum ibi narret Euangeliſta: Claudum fixo in eos obtutu eleemoſynam poſtulaſſe. *Cum vidiſſet Petrum, & Ioannem rogabat, vt eleemoſynam* Actor. 3. *acciperet.* Cernis vt claudus vtrūquè inſpiciat: quare igitur ſuadēt, vt ampliùs videat? Volebant, ni fallor, vt externo non contentus aſpectu, cordis intima peruaderet, atquè adeò ſpem ſuam non tàm in externa ſpecie, quàm in latente ſub pectore beneficentia collocaret. Et fortè claudus, cū ſe videri ſentiret, tenuè quid ab aſpectu vilibus donandum augurabatur, vt D. Auguſt. Serm. 26. de V... aduertit. *Cum in*

eum

eum conuertiſſent intuitum, nihil ille claudus vltrà notum ſolamen opperiens, credidit affuturam vilem de Apoſtolorum manibus largitatem.

Et verò dum Petrus claudum admonet ad ſui aſpectum: ſatis apertè innuit, quod illum reſpiciebat, & ipſius vicem toto cordis affectu miſerabatur. Oculos enim miſerationis oſtia non ineptè dixeris: Vndè eſt illud Pſalm. 83.
Pſal.83. num.10. *Protector noſter aſpice*
Pſal.79. *Deus*. Item Pſalm 79. verſic.15. *Reſpice de cælo, & vide, & viſita*
Pſal.21. *vineam iſtam*. Et iterùm Pſalm.21. verſ.1. *Deus Deus meus reſpice in me*. Sic in Abelem Deus reſpexiſſe dicitur in Geneſ.cap.4. nu.4.
Geneſ.4. Chriſtus apud Matth.4. Petrum,
Matth 4. & 9. & Andream, ipſumq. Matthæum in Telonio, apud eundem capit.9. n.9 Zachęū in Sycomoro, Luc.19.
Luc.19. & 22. num.5. Petrum item negantem Luc.22. nu.61. vbi Dei aſpectus miſericordiæ index apparuit: ſicq. præpropera viſum ſequitur miſeratio, vt idem planè & reſpicere, & compati videatur, vt hic cernere eſt: quoniam ſic Petrum claudicantis miſeria permouit, vt qui nō dabat pecuniam, totum quod poterat largiretur. *Argentum, & au-*
Actor.3. *rum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: ſurge, & ambula.*
D.Aug. In quam rem eſt illud D. Auguſtini Serm. 26. de Verbis Apoſtoli. *Ille enim*, ait, *claudus erat ex vtero matris ſuæ. Debilitas itàq. quam inuexerat natiuitas, vi pauperis iubentis excluſa eſt; quod profectò non fieret, niſi pauper Apoſtolus plenus eſſet illo Deo, qui eſt Author naturæ*. Sed quid tu Deo plenum interpretaris? Niſi charitatis, & amoris plenitudine diſtentum; qualem hic cernis Apoſtolū: cuius exemplo D. Hieronymus in Pſal. 3. D.Hier.
verſ.5. ad pietatem, & eleemoſynarum, quo ad fieri poteſt, largitionem exhortatur. *Eleemoſynas non facere crimen habentis eſt: cæterum, qui non habet vndè faciat eleemoſynam, liber eſt: quantumcumquè dare voluerit, tantùm dedit, quia vota dedit. Tamen habent & Sancti vndè faciant eleemoſynas: dicit enim Petrus: Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi do.* Hæc ille.

Notat verò D. Chryſoſtomus D.Chryſ.
loquendi formulam: *Non dixit non habeo hic, qualia nos dicimus, ſed prorsùs non habeo*. Quod quid aliud quàm extremam inopiam deſignat? Ex qua ſi Diuo Cypria- D.Cypr.
no credimus, magnus ille pietatis, amoris, benificentiæq. affectus naſcebatur. *Hinc diſcimus à nobis remouere cupiditatem habendi: propterea enim abundaſſe Petrum bonis ſpiritualibus, ac tanta miraculorum poteſtate*. Sic ille lib. de Habitu Virgin. capit. 5. & eadem habet lib. 3. ad Quirin. capit.61. Quod etiam D. Hilarius D.Hilar.
in Pſalmo 118. verſ.57. Ambroſ. D.Ambr.
Epiſtola 82. & Serm. 3. de Petro, & Paulo, Auguſtin. Sermone 26. D.Aug.
de Verbis Apoſtoli. D. Chryſoſt. D.Chryſ.

Ho-

Homil.8. in Acta Apoſtolorum obſeruauerunt. Quin etiam dum Petrus claudo dixit: *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do*: perindè ſe habuit, ac ſi diceret: ſalutem exoptas, & pecuniam: non totum quod expetis, ſed tantùm quod poſſum,& habeo libēter concedo. Maior enim amoris noſtri vis eſt, quàm poteſtatis magnitudo, & quò poteſtas non pertingit, amor peruium habet, & penetrabile. In quo, vt etiam D. Chryſoſtomus aduertit, Petri humilitas illuxit, quæ in eodem pectore ſemper tāquàm germana cum charitate demoratur. *Vides*, inquit, *quomodò à faſtu alienus ſit Petrus, & non oſtentator etiam ergà illum cui benefaciebat*. Quidni? Solius charitatis totum hoc opus dixerim: cum Petrum in eo totum occupatum intueor: oculis, ore, manibus, & etiam pedibus, ipſoq. in primis affectu, quo miſeri calamitatem eleuabat. Singula expende. *Intuens in eum Petrus*: en oculi. *Et apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum*: Ecce manus. Oris beneficium deſideras? Audi. *Dixit ſurge, & ambula*. Nec tandem pedum defuit miniſterium, claudo pedibus appropinquat, & pedes reſtituit: *Et protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ*. In his omnibus aurigabatur affectus; idcircò non in ſolo corpore ſtetit ſanitas, ſed etiā peruaſit in pectus: corporis pedes, & animi affectus ſanitatem recipiūt: nec ſolus claudus, ſed plures alij ſanitatis munere perfruuntur. Quod vidit & magni fecit D. Bernardus Serm. 15. in Cantic. *Quomodò lux illa nominis effuſi, vt oleum inſplenduit, ac præſtrinxit cunctorum intuentiū oculos, quando de ore Petri tāquàm fulgur egrediēs, claudi vnius corporales plantas ſolidauit, & multos ſpiritualiter cæcos illuminauit. Num quid non ignem ſparſit? Cum ait: In nomine Ieſu Nazareni ſurge, & ambula*. Ita ille.

Act. 3. | D. Chryſ. Hom. 8. in Act. | Actor. 3. | D. Bern.

D. Greg. Nyſſenus Oratione de S. Stephano, exiſtimat ad corpoream claudi ſanitatē, alios quoquè mente claudicantes ſanitatem recepiſſe. *Is qui à natiuitate claudus fuerat, ſpecioſam portam templi rurſus ijs qui ſalui fierent aperuit: cui aſſidens ſuæ ſanationis miraculo animas claudicantes ad fidem adduxerat*. Conuenienter autem factum fuiſſe admonet Diuus Ambroſius; vt is qui Eccleſiæ fundamentum erat firmiſſimum, & claudū ad corporeā pedum firmitatem, & infideles ad fidei firmitudinem transferret. *Petrus petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia: ideòq. ſicut in Eccleſia fidei fundamenta confirmat: & vt Chriſtianus iam non trepidus, & imbecillis poſſit ſuper petram Eccleſiæ, ſed robuſtus, & fortis incedere*. Ità ille Sermone 68. D. Auguſtinum addo verba illa textus expendentē. *Conſolidatæ ſunt ba-*

D. Gregor. Nyſſen. | D. Ambr. | Matth. 16.

D. Aug. *ſes eius, & plantæ*. Vbi ità fatur. *Parum erat quod dicebatur in vſum claudus rediiſſe, virtus cum ſanitate reſtituitur: non enim dicit reſtitutæ ſunt, ſed conſolidatæ ſunt baſes. Tàm abundantem recipiunt ſanitatem, vt ferant laborem*. Non enim parca ſunt, & modica, quæ à liberali manu proueniunt. Nedùm quod fides pedibus ſignificata, firma debet eſſe non claudicans, qualem habent hæretici, qui alia credunt, alia verò impudenter negant: cum tamen ad æternam ſalutem ſint neceſſaria: Vndè in cæcitatem & claudicationem incidũt. O miſeros, dicam, an fatuos, quos à Regno Dei exulantes cerno, iuxtà

2. Reg. 5. illud 2. Reg. 5. verſ. 8. *Cæcus, & claudus non intrabunt in templũ*: materiale ſcilicèt, pro his qui corpore ſunt claudi, cæleſte pro claudicatione perfidiæ laborantibus. Idcircò nec claudus iſte dicitur templũ ingreſſus, quouſquè reciperet ſanitatem, hoc eſt, fidei firmitudinem: dum præcipienti Apoſtolo ſedulus obtemperat.

Auguſt. Optimè D. Auguſtin. Sermon 26. de Verbis Apoſtoli. *Obedientiæ ſubditur, quod ex neceſſitate veniebat*.

Vbi ſecundùm allegoriam, vt credit in eo loco Lorinus, Propheticum Sophoniæ oraculum videmus impletum. *Et ſaluabo claudicantẽ & eam, quæ eiecta fuerat congregabo*, cap. 3. num. 19. Illud etiam Micheæ capit. 4. numer. 9. *In die illa ſaluabo claudicantem, & eam, quam eieceram colligam, & ponam claudicantem in reliquias*. Hinc etiã D. Paulus ad Hebræos cap. 12. nu. 13. ab ipſis auferendi cupidus, quam habebant in fide claudicationem, partim Moyſi, partim Chriſto fidem adhibentibus. *Propter quod*, ait, *remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur*. Proptereà primum à D. Petro miraculum in ſcriptura editum narratur, quod claudo corporis pedes reſtituerit, & fidei reddiderit: vt qui Petra, & Eccleſiæ firmiſſimum erat fundamentum, miſericordiæ, & pietatis ſigna primò exhiberet: cum humani corporis fũdamentum ad ſuam reſtitueret ſoliditatem, eamdemq. infidelitate ſublata animæ largiretur. Et quidem nè quiſquam admirandum hoc Petri opus aliò vertere poſſet, momẽtaneam contulit ſanitatem: *Et protinus*. Dixiſſe itàq. *Surge, & ambula*, fuit ſanitatem contuliſſe: Nec vacua, appinxit ibi Interlinealis, credenda eſt feſtinatio, *Nulla intercedit cunctatio, nè putetur aliundè ſanatio*. Niſi fortè, vt loco iam citato monuit D. Aug. ità factum, vt incredibilem, qua in communi Orbis reſurrectione mortui eleuãdi eſſent, celeritatem adumbraret. *Quanta*, ait, *celeritate res agatur, attendite. Vix aures debilis ſermo intrauerat iubentis, &*

Lorinus. Sophon. 3

Mich.

Ad Hebr. 12.

Gloſſ. Inter.

Auguſt.

& continuò vis ſanitatis irrupit, & excluſa infirmitate vſui membra reducuntur. Teſtimonium reſurrectionis eſt velocitas ex debilitate ſurgentis, in momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba. Hæc ille.

Cæterum, nè quid ad tanti operis amplificandam magnitudinem deeſſet, ſacra referente Hiſtoria, claudus ſanitati redditus, vnà cum Apoſtolis exultans gratulabũdus, & tripudiãs templum ingreditur. *Actor. 3.* *Et exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Ibi verſ. 8. in quem locum D. Chryſoſtomus Homil. 8. *Exilijt*, inquit, *ſiuè tentans an eſſet ſanus, ſiuè nondùm rectè ſciẽs ambulare, ſiuè lætitia exultans.* Omnia vero propia videntur: *Auguſt.* plus tamen illud ab Auguſtino ſupra citato dictum, ſcilicet, ad oſtẽtandam miraculi magnitudinem ſaltus edidiſſe: vt ſic oſtenderet quàm mira celeritate pedes reſtituiſſe non contentus, eximiam contulerit ſodalitatem. *Saltus frequenter etiam ſanis grauis eſt: non ſenſerunt illi pedes pigra remedia; nec velut vnguenti modo pigra veſtigia reuocantur: ad momentum vis medicinæ irrumpentis oſtenditur, ſignaturq. fuga infirmitatis excluſæ. Sic exilit, qui ſanatur à paupere.* Hæc ille, quæ Manichæi Dæmonem carnis authorem affirmantes, qua fronte audient? Cùm videant hìc Dei vocem agnouiſſe; ad ipſiusq. imperium mira promptitudine immutatam, quæquè in claudo diſtorta erat, & deficiens, integram ſubitò incolumenq. reponi. Arguit igitur D. Auguſtinus: *Auguſt.* *Conuincantur itàq. ſignis omnibus Manichæi: cuncta ſalutis genera, quæ carni deferuntur, teſtimonium bonæ naturæ ſunt. Digna enim diuino opere comprobantur, quæ non creduntur indigna beneficijs. Nomen authoris ſui membra cognoſcunt, cum eis dicitur: In nomine Ieſu ſurge, & ambula. Si eſſet caro à Diabolo nomen Chriſti formidare potuiſſet? Obſequium Sanctorum teſtimonium conditoris eſt.* Et ſtatim inferiùs addit, ex magna Dei miſericordia prouenisse, quod claudus ſanitati redderetur. *Non eſſet materia loquẽdi, niſi teſtimoniũ miſericordiæ caro curata feciſſet.* *Auguſt.* Et quidem, ſeù Apoſtolum conſideres, ſeù Deum per illum operantem contempleris, opus illud miſericordia plenũ reperies. Hæc enim Petrum commouit, vt Dei virtutem ad claudi ſanitatem conuerteret: & (ni fallor) claudus ad fores templi ſtabulans Apoſtolos detinuit intraturos, vt priuſquàm ſibi Dei miſericordiam in oratione adipiſcerentur, ergà infirmum miſerationem exhiberent, humanaq. miſericordia diuinam promereret, & in miraculo, ſic vtrinque reluceret miſericordia, vt ambigeres; cuius virtute, Dei nè potentia, an

Apoſtoli miſericordia, claudus ille ſanitatem obtinuerit. Do Chryſoſtomum fortiter more ſuo, & diſertè loquentem. *Aſcendūt*, inquit, *Apoſtoli Dominum deprecaturi, ſed preces claudi nō poterunt aſpernari. Præueniuntur precibus preces; rogantem claudum rogaturi antè audiunt, quàm precentur: nec permittit claudus orare illos, quos petit; niſi priùs acciperet ipſe, quod optauit, vt antè ab eis quod vult impetraret, quàm ipſi à Domino, quod volebant expeterent.* Sed vide quam grata hîc claudus & Apoſtoli certant viciſſitudine: quid Petrus, & Ioannes in templo oraturi à Deo conſequi ſperarent? Nonnè gratiam, & miſericordiam? Hanc igitur, vt D. Baſilius Homil. 15. de Fide adnotauit, claudus à Petro obtinuit, & quaſi certus impetrandi à petitione abſtinuit, ſpe & gaudio plenus, quæ à ſolo Deo in hominum pectora illabuntur. *Cum ex multis*, inquit, *aurum acciperet, nihilominùs rogabat ex Petro gratiam, cum ſuſcepiſſet rogare amplius deſtitit, veluti ceruus proſiliens, & Deum laudans*: Sanitatem corporis, & animæ recepiſſe contentus, nihil vlterius requirebat. Nequè hic tantùm ſiſtit miſericordiæ præconium: ipſa hora, in qua intrantes deſcribuntur miſericordiam ſonat. *Petrus autem, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.* Vt quid hora ſignatur? Niſi vt omnibus modis innoteſceret, quàm certa claudo inerat ſpes miſericordiam obtinendi: quoniam non ſolius orationis vis, & efficacitas, ſed ipſummet tempus orationi deſtinatum apertè demonſtrat, quanti apud Deum momenti orationis meritum habeatur. Et quidem teſte Baſilio Seleucino Oratione 21. tota claudi fęlicitas ad obtinendam pedum ſoliditatem, ex hora prouenit. *Orationis*, inquit, *appendix erat claudi curatio, & captus ad orationem curſus tacenti claudo inopinatum curſum attulit.* Acutè ſatis dictum, probèq. diuinorum beneficiorum fores orationis claue reſerari, ab hominibusq. exhibitam, Dei miſericordiam promereri demonſtrat, vt ex ſuperioribus miraculis ſic patenter oſtenditur: vt ſola peccatorum cœcitas hoc non videat, vtpotè quibus accidit illud à Dauide vaticinatū: *Supercecidit ignis, & non viderūt Solem.* Sed oculos iterùm in Petrum Solem noſtrū reflectamus.

Chryſoſt. Serm. 2. de Mart. tom. 5. — D. Baſil. — Actor. 3 — Baſil.

§. SECVNDVM.

Petrus Aeneam ſanat, & benignitatem poteſtati coniunctam oſtendit.

Aliud addo miraculum, in quo Dei potētia Petri pietas, & miſericordia pariter irradiant. Actor. 9. verſ. 33. ſcribitur Petrum Lydā acceſſiſſe, vbi Æneas quidam paralyſi correptus, penè immobilis, & aretibus membris

emor-

emortuus lecto affigebatur. *Inuenit autem ibi hominem quemdam nomine Aeneam ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus*: alteri ſimilis, quem octo ſuprà triginta annorum ſpatio, aquæ motum expectantem piſcina excepit. Æneam igitur Vrbi propinquus, vt vidit, ſanitati reddidit; Eleganter Arator.

------ *Vbi mœnibus adſtans*
Reſpicit Aeneam, defunctis viuere membris.

Quid ni? miſeri homuntionis calamitas ex Petri pectore miſericordiam extunderet: atquè adeò ſugeret mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo; inerat enim Petro firmitas lapidis ad operandū, olei, mellisq. dulcedo ad miſerendum. Proculdubio petræ illius naturam imitabatur, de qua ſanctus Iob. *Lapis calore ſolutus in æs vertitur.* Pulchra ſanè metamorphoſis, flāmis proficit, & mutatur in meliùs lapis iſte, dum tranſit in æris naturam, quia & molliùs petra, & robuſtius euaſit: vndè dixit egregiè in eum locum Diuus Gregorius. *Mollitur ad amorem, roboratur ad operationem.* Non aliter Petrus charitatis igne ſuccenſus, quaſi nō petra eſſet, ſed æs, vel potiùs aurum ad miſerendum molle, & eliquatum, idemq. fortiſsimum ad operandum ſe præbuit. Auſculta. *Et ait illi Petrus; Aenea, ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus: ſurge, & ſterne tibi: & cōtinuò ſurrexit.* Hoc Petri miraculum non immeritò imaginem alteriùs dixeris, quod in piſcina Chriſtus edidit: ibi enim cum alio loquens paralytico apud Matth. 9. v. 5. Marcū 2. verſ. 9. Ioan. 5. verſ. 8. dixit: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Quæ penè vſurpans Diſcipulus ſic alloquitur. *Surge, & ſterne tibi*, ſeù, vt Syriacum, *ſterne lectum tuum.* Vbi aduertendum eſt, quod de Chriſto D. Ambroſ. 3. de Fide capit. 3. ſcitè adnotauit. Verbum illud, *Surge*, etſi imperiū ſtendat, minimè arrogantiam, inanemq. poteſtatis fiduciam præſe ferre. *Surge*, inquit, *verbum eſt imperantis, ſed fiducia de meritis eſt, non præſumptio de poteſtate; & de nominis operatione, non de ſua virtute præceptionis authoritas.* Subſcribit Cyrillus Alexādrinus lib. 6. de Trinit. eximiam Petri humilitatem contemplatus: quippequi tàm in hoc, quàm ſuprà memorato claudi miraculo ſummum ſtudium collocauit, vt actionis clariſsimæ illius gloria in Deum referretur: atquè adeò non Petri, ſed Chriſti propria crederetur. Idcircò dixit hoc loco: *Sanat te Dominus Ieſus Chriſtus*, & alibi: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Nouerat fortaſsè Petrus, & alij Apoſtoli (quod hic admonet Cyrillus) illud ex Pſal. 88. verſ. 18. vbi Dauid omnem miraculorum gloriā, quæ Apoſtoli ediderant, ad Chriſtum retulit gratulabundus. *Reuera*, inquit, *Pſaltes ad Chriſtum*

Marginalia: Iob. 28. — D. Greg. — Actor. 9. — Matth. 9. Marc. 2. Ioan. 5. — D. Amb. — Cyr. Alex. — Cyrillus.

Pſal.68. *conuerſus, ac de miraculis intelligens, quæ patrabantur ab Apoſtolis, alijſuè Sanctis, dixit: gloria virtutis eorũ tu es.* Concinit D. Chry-
D. Chryſ. ſoſtomus Homil. 21. in Acta Apoſtolorum ad illa verba: *Aenea, ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus: Non hoc*, ait, *oſtentantis, ſed fidentis verbum eſt, quod futurum eſſet.* Vndè Petri charitas, inſignisq. benignitas, vnà cũ virtute ab omni arrogantia, faſtuq. aliena clariſſimè enituit: quoniam quaſi furtum veritus gloriam excuſſit, ad Deumq. operis Authorem humiliter retulit.

Nec ſibi diſſimilis eundem ſeruauit tenorem, dum ſanitatem claudo reſtituit, vbi tãtùm abſuit, quod ſibi Dei gloriam vſurparet, vt etiam miraculi illius patrator, ſinè Ioannis conſortio, fieri recuſaret; idcircò, vt communem redderet gloriam, nec ſolus ipſe, ſed Ioannes etiã miraculi author crederetur, dixit claudo: *Reſpice in nos*. Cur ò Petre claudum adhortaris, vt te ipſum, Ioannemq. inſpiciat? Cur non ſolus aſpici iubes, qui ſolus affaris, & quæris, claudoq. inceſſum reſtituis? *Surge*, dicis, *& ambula*. Tuum eſt Petre miraculum, nihil hic habet Ioannes: ſolũ te ſanandus aſpiciat. Non inquis, mea id patitur humilitas; libenter gloriæ conſortẽ aſciſco, in quo ſimilem virtutem agnoſco: & quoniam communis eſt virtus, vt communis ſit gloria non dedignor. Vidit hanc Petri modeſtiam Baſilius Seleuc. Orat. 20. & breui
D. Baſil. illuſtrauit elogio. *Rectè communis, ſiquidem cum vtroque miraculi effectio, ex vtroque curatio nis profecta eſt gratia.* Et licet in edẽdo miraculo Ioãnis gratia virtusq. non adfuiſſet, adhùc mihi ingens Petri humilitas ſuadet, quod ſibi gloriam non adſcriberet, ſed libenter cum ſocio partiretur: nè qui aderant minorem in eo charitatem, miſericordiamq. agnoſcerent: puriſsimum itàq. ſuæ charitatis aurum, pulchettima humilitatis margarita Petrus decorauit.

Nullibi tamẽ clariùs hæc benignitas radiauit, quàm hic dum paralyticus ſanatur. Gentilis erat Æneas, hoc nomen ipſum præfert apud illos commune, & ideò Petrus proprio nomine compellat. *Aenea, ſanet te Dominus.* Non ità Act. c. 9. claudum nominauit, quia Hebræus erat. Sed vndè nàm hæc prouenit diſparitas? Voluit, ni fallor, Petrus, vt ſua clareſceret benignitas, & charitas ampliùs innoteſceret: quippecùm Iudæorum eſſet Apoſtolus, quemadmodum Paulus Gẽtilium erat deſtinatus: attamẽ ampliſſimo charitatis ſinu, etiam hos complectebatur. Et quidem mihi plurimi eſt Diuus Chryſoſtomus
D. Chriſ. Homil. 21. in cap. 9. Actorum expendit: nec fidem à paralytico poſtulauit, nec an ſanitatem vellet recipere, ab eo exquiſiuit. *Non expectauit fidem viri, nequè interrogauit: vis ſanus fieri.* Cùm etiam hoc à Magiſtro diſcere potuiſſet,

qui

Digitized by Google

qui paralyticum ſanaturus interrogauit. *Vis ſanus fieri.* Ioan. 5. quin etiam à conferendo Cananææ filiæ ſanitatis beneficio abſtinuit, quouſquè ingēs mulieris fides ſe proderet, & laudari mereretur.
Mat. 15. *O mulier magna eſt fides tua.* Ter poſtulantem cum acore reiecit, priuſquàm petitionibus annueret, ſanitatemq. largiretur. Non ſic Petrus; non has tribuendæ ſanitati conditiones præmiſit, eodem verbo (ſi Chryſoſtomo credimus) & corpori ſanitas, & menti fides infunditur. *Mihi autem,* ait, *videtur, quod huic verbo credidit infirmus, & factus eſt ſanus.* Cernis quam larga Petri benignitas fuerit, quam benigna in conferenda ſanitate largitas extiterit: vltroneus ipſe ad beneficiendum proſiluit, nihil prius extorſit, poſteà donaturus: ideò ſanitatem infirmo reſtituit, ad fidem conuertit, & multorum ſibi affectus conciliauit. Iterùm do Chryſoſtomum. *Maximè igitur ad multorum conſolationem factum eſt hoc miraculum.* Parum namquè ſibi præ charitatis magnitudine videbatur, ſi vni tātùm proficeret, multorum ſolatio inuigilabat: plurima in plurimos; nec quæuis, ſed ſuperna, æternumq. duratura bona ſpargere ſtudebat. Hoc, ni fallor, annorum numerus, quibus durauit infirmitas, portendebat. *Ab annis octo iacentem in grabato.* Octonarius iſte numerus, vt Beda, & Gloſſ. ordinaria aptè philoſophantur mundum deceptionis morbo collabantem repreſentat. *Et in labentibus,* aiunt, *mundi gaudijs, in quo ſunt quatuor plagæ, & anni totidem tempeſtates.* Et ideò miraculum illud, non tàm erat Petri opus, quàm pignus, quo ſe quodammodò aſtringebat, vt tanquā ſupremus Paſtor, & medicus pientiſsimus vniuerſo Orbi, quem paralyticus repreſentabat, medelam adhiberet, & ſolatium largiretur.

D. Chryſ. — D. Chryſ. — Beda. Gloſ. Ord.

§. TERTIVM.

Tabitham viduam continet ſuſcitatam, & Petri in ea ſuſcitanda virtutes commendat.

Clatior adhùc, & tenerior in Petri pectore ſe extulit pietatis affectus, dum Tabitham viduam ex mortuis ſuſcitauit. Cum enim pauperes, & viduas in cœnaculo, vbi corpus iacebat ex anime, lacrymis vbertim manantibus lamentari intueretur, incredibili fuit affectu permotus, vehemēter dolens, quod abſente Tabitha pauperes, & viduæ ſolatio, & remedio priuabantur. Quod, vt palàm fieret, iacentis vitam, & mortem ſacer Hiſtoricus depinxit. *In Ioppe autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis quas faciebat. Factum eſt autem in diebus illis, vt infirma moreretur, quàm cum lauiſſent, poſuerūt* Actor. 9.

eam in cœnaculo. Actor.9.verſ.36. & 37. Aberat tum Petrus, additur ibidē (vt moriēte Lazaro Chriſtus abfuit) attamen Lyddæ vicina in vrbe morabatur, vbi paralytici miraculum hactenus relatum ediderat: quod diſcipuli cum agnouiſſent, ait ibi textus: *Miſerunt duos viros ad eum rogantes: Nè pigriteris venire vſquè ad nos.* Nuntijs auditis, ingenita ad cōmiſerationē propenſione, humilis ipſe, Pontificiæq. dignitatis oblitus inferiorum ſe ſubdit imperio, & ſinè mora euntes comitatur, nè pleno pietatis operi deeſſet. *Exurgens autem Petrus venit cum illis: & duxerunt illum in cœnaculum: & circumſteterunt illum omnes viduæ flētes, & oſtendētes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Ipſamet hoc loco benefica Petri pietas, & pia beneficētia oculis ſe obiectat; ità enim flagrans in pectore charitas apparet, ſicque in omnibus miraculi huius circumſtantijs elucet, vt totum illud pietatem, miſericordiamq. ſpirare videatur. Primò igitur, ait D.Chryſoſtom. hom.21. in Act. Apoſtolorum. *Vide, per alios mittunt, ac vocant (nempè Petrum) ille autē obtemperat, ac venit; nequè pro indignitate habet vocatum eſſe.* Quid ni? Libenter acciri pateretur, qui ſpontè ſua data benefaciēdi occaſione ſedulus inuolaret. *Impiger, & humilis nulla excuſatione eſt vſus:* Inſerit ibidē Gloſſa Interlinealis. Cæterùm, ait D.Cyprianus, benignitas Apoſtolica feſtinationem ſuadebat. *Impigrè pro Apoſtolica humanitate venit.* Et parum habuit currere, niſi etiā aduolaret; & celeres ad volandum amor addidit alas; nè ad ſuſcitandā Tabitham paululū cunctaretur.

D.Chryſ. | Gloſſa Interl. | D.Cypr.

Itaquè vbi primum ingreditur cęnaculum, vbi cadauer antequàm efferretur, per aliquot dies (vt moris erat) tenebatur, vt religioſo officio iuſta ſoluerentur. Quod nō ſolum dum humi condebantur fieri ſolebat, ſed (teſte D. Hieronymo in Epitaph. ſanctæ Paulæ, & Gregorio Turonenſi de Pelagia lib. de gloria Confeſſorum c.104. vbi ſcribit: Pelagiam morti vicinā filium rogaſſe: *Nè ſe antè diem quartam ſepeliret, vt videntes famuli, famulaque pro ipſa orarent,*) antequàm ſepulturæ mandarentur nænijs, alijsq. iuxtà cōſuetudinem funebribus cadauera colebantur. Quin etiam in more poſitum erat apud nonnullas Orbis Regiones, vt vita functorum corpora in ipſo oſtio pedibus extrà limen prominentibus collocarentur, vt hac ratione viuentes mortis commonefacerent, & pro vita functis præſtare ſuffragia hortarentur. Et quidem Græcis, & Romanis familiare fuit, mortuos inhumatos per aliquod tēpus domi cōtinere, vt ex Homer. Iliad.7. Virgilio Æneid.11. Suetonio in Auguſt. cap.100. Perſio, Seneca, & Platone, Lypſius & alij apertiſſimè deducunt: do Maronem.

D.Hier. | Gregor. | Homer. | Virgil. | Sueton. | Perſ. | Senec. | Lypſ.

Sic

Virgil. *Sic ait illacrymans, recipitq. ad limina greſſum,*
Corpus vbi exanimis poſitum Pallantis Acætes.
Seruabat ſenior.

Quod propriè, germanèq. collationem, ſeù commendationem appellabant; Gloſſa in l. ſi quis, ff. de Relig. Tabitha igitur iuxtà hãc conſuetudinem collocata in cęnaculo viſebatur: in quod vbi primũ Petrus fuit ingreſſus; pauperesq. ibi viduas lamentantes inſpexit, nõ opus habuit, vt precibus ad ſuſcitandam Tabithã incitaretur. Statim namquè, vt mærentes, & quas proprijs manibus veſtes Dorcas texuerat oſtentantes vidit, vltroneus ad ſuſcitandam proſiluit, vt D. Cypr. D. Cyprianus loco ſuprà citato aſſeuerat. *Circumſteterunt*, inquit, *eum viduæ flentes, ac rogantes, pallia, & tunicas, & omnia illa, quæ priùs ſumpſerant indumenta monſtrantes, nec pro defuncta ſuis vocibus, ſed ſuis operibus deprecãtes. Et quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia viuẽdi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari.* Et ſanè, vt iã dicebamus, Dorcas, ſiuè Tabitha, Caietano teſte, vtroquè nomine ſolita erat appellari, non ſolùm proprijs expenſis veſtes pauperibus texere curabat, ſed proprijs ipſa manibus ſtudiosè texebat, vt Arator commemorat. Arator.

----- Lugentia tecta petenti
Stant inopes, viduiquè greges, & brachia monſtrant.
Exuuijs onerata ſuis, quas Dorcadis ipſæ
Texuerant, dederantq. manus.

Idem etiam piæ humilitatis officium S. Eliſabeth Vngariæ Regina (vt in ipſius Vita ſcribit Surius) proſequebatur: eodem item Portugalliæ Regina Eliſabeth ſe exercebat, vt Perpinianus Panegyricis de eadem orationibus elegãter expreſſit. Quid ni? pulcherrimæ, & nobiliſsimæ Tertij Ordinis Sancti Franciſci plantæ, hos pietatis, & charitatis flores protruderent, quarum exemplum ſecutæ complures æui huius fęminæ nobilitate clariſsimæ, Chriſtum in pauperibus agnoſcentes, ſummæ fœlicitatis loco reponebant, cùm in conſuendis pauperum veſtibus deſtinebantur. Et quoniam Tabitha magna cùm voluptate munus illud charitatis viuens exercebat: idcircò Petri charitate impellente reuocatur ad vitam, vt ad priſtinum beneficæ pietatis exercitium rediret, & pauperum nuditas vndè tegeretur haberet. Surius. Perpin.

Cæterùm omnes tanti miraculi circũſtantias expẽdamus. Actor. 9. verſ. 4. Sacer ſcribit Hiſtoricus. *Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus dixit: Tabitha ſurge. At illa aperuit oculos ſuos, & viſo Petro reſedit.* Inquirit hoc loco D. Chryſoſtom. qua de cauſa Petrus adſtãtibus præcepit, vt è domo egrederentur. *Cur nàm ait, omnes eiecit?* Et ſtatim reſpon- Actor. 9. D. Chryſ.

ſpondet.*Planè ne lacrymis contur-*
betur,nec confundatur.Dum enim
viduas plorantes cerneret præ te-
neritudinis affectu , ſic animo fuit
emollitus , vt fletibus liquefieri
& lacrymis turbari vereretur.Proh
boni ſuperi ! quàm adamuſſim Pe-
trus Eccleſiæ lapis & Paſtor , Io-
ſeph, quem Iacob Iſraelis lapidẽ,
& Paſtorem dixit, ingenium imi-
tabatur. Dum enim regio curru
inter feſtiuas Populi acclamatio-
nes triumphabundũ apud Æpyptũ
contemplaretur,in hæc verba eru-
pit: *Indè egreſſus eſt lapis Paſtor*
Gen.49. *Iſrael*: Geneſis 49.Sed quem pa-
ter lapidem hic appellat , Præco
iuſſu Regis , repetitis identidem
clamoribus , patrem tenerum ap-
pellauit . *Et Præco clamabat corã*
eo Abrech. (Sic enim ex Hebræo
tranſtulit Lippomanus .) Geneſis
41. verbum autem illud , *Abrech*,
idem eſt atquè pater tener. Tàm
molle nãque ingenium ſibi com-
pſerat Ioſeph,ſic lenis erat, atquè
ad commiſerationem pronus , vt
conſpecto Beniamin à lacrymis
temperare non poſſet. *Feſtinauit*,
quia commota fuerũt viſcera eius,
& erumpebant lacrymæ,& intro-
Gen.43. *iens cubiculum fleuit*. Geneſ. 43.
En Petri ſimulacrum:lapis ille fuit
Eccleſiæ , & Chriſtiani gregis Pa-
ſtor vigilantiſſimus , & patris te-
neri elogio iure optimo decoran-
dus . Nonnè tenerrimus tibi pa-
ter videtur ? Qui ideò plorantes
viduas è cœnaculo præcepit exire,
nè ad earum conſpectum commo-
tus in lacrymas totus abiret , at-
què inter orandũ turbaretur. Vnus
idemq. Ioſephi, & Petri affectus:
ille fratrum cõſpectui ſe ſubduxit:
quia turbatione concuſſos , & ani-
mo conſternatos, ac mœrẽtes ſic-
cis oculis intueri non poterat. Pe-
trus plorantes viduas à ſuo remo-
uit aſpectu : quia etſi lapis eſſet ,
adeò tamen mollis, & tener, vt in
lacrymarum profluuium abire co-
geretur .

Mirùm tamen eſt, vt qui nuper-
rimè claudum, & paralyticum ver-
bo ſanitate donauit , & frequenter
plurimos vmbræ attactu ſanos red-
didit , anxius modò , & penè cõ-
motus ad orationem ſe conferat,
Tabitham ſuſcitaturus. Omnia ta-
men hæc & maiora adhuc obire
tener ipſius affectus ſuadebat. Ni-
ſi fortè velis cum D.Chryſoſt. quia
maiorem in hoc miraculo diffi-
cultatem Petrus agnouerat: aliun-
dequè propter viduarum reme-
dium , & communem animarum
profectum illud edere cupiebat .
Non omnia permittit Deus eadem
facilitate fieri ; hoc autem illis pro-
deſt , non enim ſolùm curabat ſa-
lutem aliorum, ſed etiam illorum .
Enimuerò,qui tot curabat vmbra,
nunc tanta facit ad excitandam
illam ; interdùm etiam fides acce-
dentiũ cooperatur. Hæc ex Chry- D.Chryſ.
ſoſtomo . Addit inſuper Lyranus :
Propterea Petrum alijs eiectis ſo-
lum remanſiſſe, Tabitham ſuſcita-
re dum nititur : *Vt Deum ſecre-*
tiùs,efficaciùsq. exoraret. Ad quid
tamen

Digitized by Google

tamen hâc adhibuit efficacitatem? Porrò vt affectus ſui ergà pauperes magnitudinem exprometet, veritus, nè ſi virtutem omnem non extunderet, quàm in oratione ſitam agnouerat, miraculum non ederet ad illā ſe contulit, vt Dorcadi vita, & viduis ſubſidium redderetur. Ità, niſi fallor, exiſtimauit Cyprianus lib. de Operib. & Eleemoſyn. c.2. *Senſit Petrus impetrari poſſe, quod ſic petebatur* (à viduis) *nec defuturum Chriſti auxilium viduis deprecantibus, quando eſſet in viduis ipſe veſtitus*. Ità ille. At verò Thabita vbi primum in vitam reuocatur, Petrum intuetur; ità quod primum vixiſſe ipſius, fuerit benefactorem ſuum inſpexiſſe. *Viſo Petro:* proh laudandam grati animi ſignificationem! Quid gratiùs in vitam rediens edere potuiſſet, quàm fixo in benefactorem obtutu beneficium prodere, & gratulari? Quid tunc Petrus? extēta manu apprehenſam extulit, & plorātibus reddidit. *Dans autem illi manum erexit eam. Et cum vocaſſet ſanctos, & viduas, aſſignauit eam viuam*. Perbellè autem, quæ fortis illius fęminæ æmulatrix extiterat. *Et manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extēdit ad pauperes*. Prouerb.31. per Apoſtoli manum vitæ beneficium, & Dei miſericordiam grata viciſſitudine obtinuit, pulchra in hanc rem Aratoris carmina huc transfero. Prou.31.

------ *Quam protinus ipſe*
Prandit, & erectam turbis gaudētibus offert.
Illa manus meruit Petri contigere dextram,
Pauperibus quæ larga fuit.

Vt vel etiam hac ratione mira Petri lenitas, & cordis teneritudo, pronumq. ad miſericordiam ingenium patefieret; qui Dorcadem ſuſcitauit, & viduis ſolamen attulit: Chryſoſtomi calculo rem conſigno. *Data autem illi manu excitauit illam, & vocatis ſanctis, ac viduis commendauit illam viuentem: alijs quidem ad conſolationem, quod accepiſſent ſororem, & quod vidiſſent miraculum; alijs autem vt præeſſet*. Hactenùs ille. D.Chryſ.

Sed quid ego in commemorandis Petri miraculis detineor? Vt ipſius admirandam lenitudinem miſericordiamq. exaggerem. Cur opera recenſeo, in quibus harum virtutum clariſsimus ſplendor irradiat? Cùm ſola Petri vmbra tàm incredibili pollebat virtute, vt omnem è corporibus infirmitatē fugaret. Hinc eſt, quòd Actor.5.c. verſ.15. trāſituro Petro, infirmos obijciebāt, vt vmbræ attactu ſanitatem reciperent. *Ità vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obūbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis*. Vndè monuit D.Chryſoſt.tom.5. homil.12. in cap.5. Actor. Apoſt. Chriſtum Dominum vmbra ſua miraculū non edidiſſe: atquè adeò Actor.5. D.Chryſ.

in

in Petro adimpletum, quod ipſe Dominus prædixerat, nempè, credentes in eum maiora patraturos miracula quàm ab eo facta videbantur. *Hoc*, ait, *in Chriſto non eſt factum; proindè videre licet re ipſa impletum eſſe, quod dixerat, qui credit in me, operaq. ego facio, & ille faciet, & maiora illis faciet.*

D.Chryſ.

Et quidem licèt ex multorum opinione S. Vincentius Ferrer, Serm. in Paraſceu. prædicauerit, Chriſti in Cruce pendentis vmbram latronẽ tetigiſſe, qui à dextris aderat, mentemq. ipſius immutaſſe: Vndè iam Magiſtri vmbra potentior apparebat: quippequæ animabus, & diſcipuli ſolis corporibus medebatur. Cæterum, cùm exEuangeliſtis nullus id ſcripſerit: & tamen ad amplificandam Chriſti magnitudinem, vmbræq. ipſius virtutem explicandam non parum conduceret: nõ abs re factum exiſtimo, quod id prætermiſerint, ſed vt daretur intelligi; Petrum, cuius vmbra D. Lucas plurima miracula frequenter edita teſtatur, & reliquos Apoſtolos in ipſo operationis modo illuſtriora quàm de Domino & Saluatore noſtro referuntur, opera, & miracula edidiſſe.

S. Vinc. Ferrer.

D.Chryſ.

Quod D. Chryſoſtom. Orat. contrà Gentiles, quæ eſt de S. Babyla Martyre, ad illa Ioannis verba 14. verſ. 22. *Et maiora horum faciet*, prudenter aduertit. Idem etiam affirmat Theodoret. in Hiſtor. Hilot. agens de Simeone Stelyte. Quinimò D. Auguſtin. Serm. 29. de Sanct. ex admirabili virtute, qua Petri vmbra radiabat, aptiſsimè conijcit, quam maxima in ipſo virtus extiterit, atquè in ipſius catenas redundauerit. *Si tunc*, ait, *opem ferre poterat vmbra corporis, quantòmagis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quantòmagis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tàm medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quantòmagis catena vincientis? Vt vmbra*, inquit, *venientis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis: quantò plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis?* Hactenùs ille, quaſi diceret: nihil in Petro reperiri, quod virtutem, & ſanitatem non ſpiraret, vmbra, corpus, vincula. Totum ſe alienis vſibus inſummebat, & totũ ſe pietatis, miſericordiæquè operibus ad miſerorum leuamen exercendis conſecrabat.

Theodor.

D.Aug.

Dignum tamen ſcitu videtur: cur ad hoc & ſimilia edenda, tanquàm inſtrumento Petrus vmbra ſua vteretur? Quoniam vmbra imperfectum quid eſt ex corporũ craſſitate, denſitatequè reſultans: idcircò Deus vtpotè ſimpliciſſimus, puriſsimusq. ſpiritus, & Angeli ſpiritnales ſubſtantiæ, vmbras mi-

minimè reddunt: qua ratione ſtolida multorum conuincitur exiſtimatio, qui ſolem veluti Deum venerantur; ſi enim, vt ipſi credunt, diuinitatem haberet, vmbram non efficeret, vt cernere eſt in alijs creaturis, ſcilicèt Angelis, quibus propter eximiã naturę perfectionẽ vmbra non reſultat, quę, vt imperfectum quid, ex corporum opacitate procedens Angelicam dedecet perfectionem. Et potiori iure Deus omni ex parte perfectiſſimus, ſplendore & claritate infinita vndique circunfuſus, omni prorſus vmbra caret; quæ maximæ imperfectionis index reputatur. Qua igitur ratione Petrus Chriſti Vicarius, ac veluti Deus in terris humanus, & Eccleſiæ Paſtor ſingularem præ cæteris habuit prærogatiuam, vt vmbra ſua tàm multa ederet penitùs admiranda, infirmis ſanitatem, egentibus ſubſidium, miſeris leuamen afferret, & charitatis ſuæ magnitudinem, incredibileq. beneficẽtiam in omnes exprimeret: idquè ad magnum ſanctimoniæ argumentũ, necnon Omnipotẽtis gloriam, qui tantam creaturæ ſuæ gratiam contulerat, vt diuinitatis particeps videretur. Et verò Deum Vicario ſuo tantam gratiam tribuiſſe, non dubito, vt palàm hominibus fieret, vel minimã virtutis partẽ, quà Petri ſanctitas fulgebat (nedùm quod in eo erat apprimè perfectum) ſed etiam defectuoſum, & minùs perfectum, maximis aliorum virtutibus anteferri (quò ſenſu D. Chryſoſtomus aſſerit alios virtute præſtantes, dum Ioanni Baptiſtæ conferrentur, imperfectos apparere, & peccatores reputari.) Et verò virtutùm magnitudinem, quàm alij editis miraculis oſtentabant, ſola vmbra Petrus oſtendit, miraculis antè omnes corruſcans, & inter cæteros virtutibus præſtantiſſimus. D. Chryſ.

Addo gratiam Apoſtoli vmbræ conceſſam, pronum ad omnem beneficentiam ipſius ingenium ſignificare: ſiquidem, vel ipſa vmbra ad benefaciendum vtebatur. Vndè non vacat myſterio, quòd memorata Ananiæ, & Saphirę morte Actorum 5. ſtatim dictante Spiritu ſancto ſcripſerit Euangeliſta Petrum vmbra edidiſſe miracula: *Et veniente Petro ſaltem vmbra illius. &c.* Vt qui audirent duos coniuges ad Petri pedes repentè exanimatos corruiſſe, nequaquã id ex ſeueritate factum cogitarẽt, ſed totum clementiæ, miſericordiæq. attribuerent, quæ, vt animarum ſaluti conſuleret, mortis ſupplicium in corpora detorſit. Non enim par erat, vt auſterus crederetur, & crudelis, quem ità beneficũ omnes experiebantur, vt etiã vmbræ contactu reciperent ſanitatem. Quod vel indè cõuincitur, quia, vt D. Hieronymus Epiſt. 8. ad Demetriadem de ſeruãda Virginitate teſtatur, Petrus in occiſione Ananiæ, & Saphiræ, non iudicis ſeuerè punientis, ſed Prophetæ futura Actor. 5. D. Hier.

tura

tura prædicentis partes impleuit; Vndè pœna duorum, non ſolùm ſupplicium dicendum eſt, ſed vaticinium. *Denique*, ait, *Apoſtolus Petrus, nequaquàm imprecatur eis mortem, vt ſtultus Porphirius calumniatur, ſed Dei iudiciū prophetico ſpiritu annunciat, vt pœna duorum hominum, ſit doctrina multorum*. Sed quid ex hac pœna diſcerēt? Apoſtoli certè clemētiam, & inſignem benignitatem, quæ non ſæuiendo in impios, ſed parcendo Dei ſententiam pronūciabat. Non enim ſæuire poterat, & excandeſcere, qui molle ſic habebat ingenium, vt conſpectis viduarum lacrymis, ſibi temperare non potuerit: idcircò earum vi penè commotus, & turbatus, ad Dorcadem ſuſcitandam proſiluit. Eandem teneri affectus violentiā ſenſit Paulus: cumquè adamantis inſtar laboribus, & periculis obſiſteret, atquè obfirmata pectoris conſtantia debacchantes perſecutionum fluctus elideret: ità comis ergà ſuos erat, & humanus, vt dum lacrymantes intueretur, non mediocrē ſentiret in pectore cōmotionem, & lacrymas lacrymis, ſuſpiriaq. ſuſpirijs proſequeretur:
Act. 21. Vndè Actorum 21. ſocios hunc in modùm dehortabatur. *Quid facitis flentes, & affligentes cor meū?* Quo in loco philoſophatur egre-
D. Chryſ. giè D. Chryſoſtom. homil. 4. in Epiſt. ad Coloſſ. *Cogita mihi quaſo, Paulus ille adamantinus, ignis contemptor, robuſtus, & immobilis, timore Dei confixus, inflexibilis. Quis enim, inquit, nos ſeparabit à charitate Chriſti? Afflictio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum? Qui ijs omnibus reſtitit, & adamantinas inferorum portas deriſit. Is, inquam, Paulus cùm videret quorundam lacrymas, ità perfrāgebatur adamas ille, vt animi affectionem non abſconderet, ſed mox diceret: quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* Hactenus ille. Nec minus aptè inſpecta Principis Apoſtolorum benignitate, & manſuetudine, hæc eadem ipſi accōmodabis, memor charitatis affectus, quo ſic in proximos æſtuabat, vt mærentes ſuſtinere nō poſſet: atquè adeò nihil magis ſibi cordi erat, quàm vt afflictis, calamitatibusq. oppreſſis, etiam propriæ vitæ diſpendio mederetur. Nec vlla potuit ratio ad ipſius miſericordiam, & benignitatem exorandam potior inueniri, quàm maior illorum calamitas, qui auxilium poſtulabant. Hoc miracula hactenus relata deprædicant: mira in omnibus Petri benignitas emicat, miſericordia elucet, manſuetudo irradiat, beneficentia fulgurat; & ſummo Paſtore digna charitas, per rara aſſociatione humilitati copulata fulgētiſſimos quoquouerſū radios Solis inſtar clariſſimi eiaculatur.

Digitized by Google

ARCHIELOGIVM SECVNDVM.

Petro miraculoſo pedum remigio Mare ſulcanti vnda ſubſternitur, & turbatur: vndè ob modicam fidem accuſatus, defenditur. Ac in duabus Chriſti reprehenſionibus excuſatur.

GRegorius ille cognomēto Thologus, vt in Epiſtola ad Maximum ſcribit, ſolus vergēte in occaſum Sole, in locum Mari vicinū ſe contulit. Ipſum enim, vt ſolet, cum ventis quieſcētibus molli, blandoque allapſu littoribus ſe inſinuat, gratiſſimum: rurſum ſibilante vento, & aſperatis fluctibus intumeſcens, horrendum obambulanti præbuit ſpectaculum. Ligna, teſtudines, oſtrea, & alia non tantùm leuia, ſed grauia etiā corpora huc illuc marinus furor, eò quò impellebat deducens, agitabat. Solam rupem, quæ medijs fluctibus eminebat, nec leuiter à loco poterat dimouere: glomerabantur idētidem vndarum cumuli, petramq. inuadentes verberabant: illa moueri neſcia fluctus irridebat, à quibus verberata clarior, & illuſtrior reddebatur. Multum vtilitatis, multumq. doctrinæ, ſe ab hoc ſpectaculo percepiſſe vir pari ſapientia, & ſanctitate eximius teſtatur: quia totum ad Chriſtianum in rupe ad vmbratū retulit meditabundus. Ego tamen in petra hac immobili, rupeq. inconcuſſa Petrum Eccleſiæ lapidem firmiſſimum agnoſco, quem nec debacchantis procellæ furor ſubmergere, nec ſæuientes calumniarum fluctus, quibus hæretici petram hanc ſubuertere tētarunt, illam concutere, atquè à fidei ſtabilitate dimouere potuerunt. Quò magis à furētibus impetitum cerno, eò clariorem, illuſtrioremq. conſpicio: vt propoſitis Nouatorum calumnijs, & ſanctorum Patrum defenſionibus innoteſcet.

CAPVT. I.

Hæreticorum calumniæ aduerſus immobilem Petri fidem producuntur.

TVmentibus æquoris fluctibus ſuſpenſus iter ferebat Chriſtus Dominus, non aliter quàm ſi teſſelato pauimento graderetur, vt D. Matth. c. 14. n. 26. Matth. 14.

com-

commemorat. Gradiẽtem vbi primum è cymba Petrus aſpexit, pariterquè agnouit(quem enim quis amat, facilè agnoſcit) amore perc itus calcatis vndarum cumulis inſequi precatur: vel quia in periculis ſocium ſe illi adiungere ſtudebat; vel citrà omnem periculi timorem, præ amoris impatientia ab eò diuelli non poterat: vndè per medios fluctus ei propinquùs fieri exoptabat: idcircò ait: *Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait: veni. Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum. Videns verò ventum validum, timuit: & cũ cœpiſſet mergi clamauit dicens: Domine ſaluum me fac. Et continuò Ieſus extẽdens manum apprehendit eum; & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Et cum aſcendiſſent in nauiculam ceſſauit ventus.* Deferbuit quidẽ æquoris tumor, procella quieuit, & venti poſuere minaces: ſed hæreticorum furor, rabieſquè deſæuijt, & ſæua calumniarum tempeſtas grandinauit. Cùm enim Petrum Chriſti beneficio,& miraculo à fluctibus ereptum impatienter ferrent;probroſis aggreſſi ſunt mendacijs obruere, improbtiſſimisq. ſubuertere calumnijs intentarunt. Dementes qui Petro de infida Maris natura triumphanti inuident; & canina mordacitate corrodunt, quem benigna Chriſti indulgentia ſubleuatum indignantur: atquè, vt noui itineris gloriam obnubilẽt, & lapidis huius pretium, dignitatem, pulchritudinem deuenuſtent, perſummam impietatem calumniantur: idem in Petri ſucceſſores venenum expuentes, in quos diabolicus hereticorum furor, & pluſquàm canina rabies debacchatur.

Multis igitur calumniarũ ſubſtructionibus,& falſitatum machinamentis Petri in fide integritatem expugnate, ipſiusq. firmitatem ſubuertere molinntur. Primò temeritatis, nimiùmq. proiectæ audaciæ Petrũ coargunt; eoquòd alios diſcipulos relinquens ſolus ipſe Chriſtum rogauerit,vt ſibi nouum iter per medios fluctus largiretur: in quò tumiditatis, arrogantiæ, inanisq. elationis, & iactãtiæ notam (vt aiunt) patenter incurrit. Secundò, tanquam in fide imminutum ac deficientem incuſant: tum quia, vt apparet, adubitans ex Chriſto ſciſcitatur: *Si tu es*: tum etiam quia,vbi primũ ſe in Mare proiecit, ſaluum ſe & incolumen ad Chriſtum non credidit peruenturum. Quam ob cauſam ab eodem reptehenſum autumant. *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Tertio timiditatis accuſant, cũ antea tumoris culpam obiectauerint,& qui iactantiæ,temeritatisq. accuſauerant, modò ob puſilanimitatem & timorem acerrimè inſectantur: quia pauens,timidusq. Maris fluctibus ſubmergendum ſe exiſtimabat, illius quam in Magiſtro par erat habuiſſe ſecuritatis,

obli-

oblitus. *Videns verò ventum validum timuit.*

Verùm deſæuiat hæreticorum tempeſtas, fremat rabies, furor excandeſcat, telaq. in Petrum venenata iaculentur: quia vel in petra frangentur, vel indè reſilientes ſagittarios vulnerabunt: vndè illud Dauidicum experientur. *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorũ.* Interimq. dum illi Eccleſiæ Caput impetunt: Doctores maximi aderunt viri potentes, & à ſæculo famoſi, deq. eorum genere, per quos in Eccleſiam ſalus prouenit, virtute Gigantes, ſapientia præſtantiſſimi, qui inſipientes huiuſmodi, nanos, & Pygmæos tenui abigent flabello, Petriq. in fide integritatem ſtrenuiſſimè ſuſtentabunt. Et verò qui Salomonis lectulum, id eſt, Chriſti Eccleſiæ ſexaginta fortes ambiunt, Doctores ſunt ſapiẽtiſsimi, doctrinæ gladium tenentes, & ad bella doctiſsimi: quod cæleſtis Sponſa, vt hoſtes à congreſſu deterreret, in Epithalamio prædicauit. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi.* Cantic. 3. numer. 7. *Fortes iſti*, ait hoc loco Caſſiodorus, *Doctores ſunt, qui nõ modò fortes, ſed ex fortiſſimis Iſrael ſint: ſed & armati ambiant Eccleſiam: armati, inquam, armis ijs, quibus maximè ſuam præ ſe ferãt fortitudinẽ, ſuumq. obeant munus cuſtodiendi lectulum gladio, atquè enſe: gladio verbi Dei, & enſe pudicitiæ, ac mortificationis.* Hæc ille.

Pſal. 63. verſ. 8.

Cantic. 3.

Caſſiod.

CAPVT II.

Ad propugnandam in D. Petro fidei integritatẽ munitiſſima Eccleſiæ Doctorũ acies ordinatur.

IN primo ſtabit agmine D. Maximus, qui ſapientiæ, & ſanctitatis magnitudine menſuram tanti nominis impleuit. Is igitur Homil. 4. de Paſſione, quæ eſt de B. Petro, non arrogãtiæ, vel temeritati, ſed amori tribuẽdum, quod Petrus in Mare ſe proiecerit, aſſeuerat. *Ambulauit*, inquit, *in Mari Petrus magis dilectione, quàm pedibus; non enim videbat vbi pedũ veſtigia poneret; videbat autẽ vbi figeret veſtigiũ charitatis: in naui enim poſitus conſiderat Dominum, & amore eius ductus deſcendit in Mare: non cogitat labentes aquas, non fluenta currẽtia, & dum Chriſtum reſpicit, nõ reſpicit elementũ.* Hæc ille verè, & eleganter: etenim charitas inflari neſcia Petrum impulit, nõ elata tumiditas: amor ille eximius, quo ardebat, & ferebatur in Chriſtũ, oculos ad pericula ſic obnubit, vt ſęuiẽs procellis Mare non cerneret. Nec mirùm, quod oculis quibus Chiſtum aſpicere cupiebat aliud videre non poſſet: Chriſti præſentiam toto quærebat affectu: idcircò deſcendit in aquas, quia tardum nauigij acceſſum reputabat.

D. Max.

Inſequitur D. Hieronymus non minùs ſtrenuè pro eodem Petri

amore, charitateq. decertans, cui apud Matth.c.14. tantùm tribuit, vt non dubitet in Petro Magiſtri ſui amorem edere potuiſſe, quod in Magiſtro Dei natura, & potētia
D.Hier. operabatur. *Eodem igitur*, ait, *fidei ardore, quo ſemper, nunc quoquè, cæteris tacentibus, credidit ſe poſſe facere per voluntatem Magiſtri, quod ille poterat per naturam.* Re-
D.Max. greditur D.Maximus, & Homil.2. de Natali Apoſtolorum, eandem Petri fidem, amoremq. extollit. *Quid enim*, inquit, *ſublimiùs fide? Qui gradiēte Domino ſuper aquas, humanæ conditionis oblitus, viam ſibi in fluctibus dari, & popoſcit, & meruit: tantaq. mentis eius confidentia fuit, vt crederet poſſe per fidem, quod ſciebat homini impoſſibile per naturam.* Prodeat in hoc prælio ductor, & doctor maximus
D.Aug. Auguſt.Serm.13.de Verbis Domini in Matth. Vbi hæc. *Et ſinè vlla dubitatione Petrus ad verbum iubentis, ad præſentiam ſuſtentantis, ad præſentiam regentis, ſinè vlla cunctatione deſilijt in aquas, & ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in ſe, ſed in Domino. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret.*

Quam benè Petri fides ab hæreticis oppugnata ſub his Eccleſię fortibus ſe tuetur! ijs ego magis credo, quam Nouatoribus. Et li-
D.Hilar. bentiùs audio Hilarium in c.14. Matth. qui non ſolū fidei integritatem in Petro defendit, ſed eiuſdem fidei ſuper alios exceſsū laudabiliter extollit. *Et hoc*, ait, *in Petro conſiderandum eſt Fide eum cæteros anteiſſe.* Quod etiam probat D.Chryſoſtom.Homil.51.in Matth. *Quid igitur Petrus, qui ſēper ferventiſſimus fuit, & vbiquè antè alios proſiliebat? Domine, inquit, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas: non dixit ora, & deprecare Deum, vt venire poſſim, ſed iube vt veniam. Vides quàm vehementer arderet! Vides quanta fides ipſius etiam tunc eſſet!* Ità ille. Et quidem non diffidentis animi fuit, quod Petrus Chriſto diceret: *Si tu es*: nec aliud Chriſti reprehenſio ſuadet: quoniā Petrus ob timorem, quem inſtante periculo oſtēderat, à Saluatore ſuggillatur, vt cum D.Hieronymo libenter fatemur. *Si Apoſtolo Petro de cuius fide, & ardore mentis ſuprà diximus, qui confidenter rogauerit Saluatorem dicens: Domine iube me venire ad te ſuper aquas, quia paulùm timuit dicitur: modicæ fidei quarè dubitaſti? Quid nobis dicendum erit, qui huius modicæ fidei, nec minimā quidem habemus particulam?* Hæc ille loco ſuperiùs citato. Timuit igitur Petrus: quid indè inferunt nebulones? Nonnè humanæ naturæ miſera conditio eſt, innataq. fragilitas, vt ad primum inſtantis periculi aſpectum conturbetur: maximè, cùm anteà nec illud prēuiderit, aut venturum ſperauerit? *Humana hæc conditio eſt, vt difficilioribus nonnunquàm ſuperatis, ſuccumbat in minoribus.*

Quod

D.Chryſ. D.Hier.

Digitized by Google

Quod etiam Elias ſub Iezabel paſſus eſt: Moyſes in Aegypto, Dauid in Bethſabe: & nunc Petrus terrore D. Chryſ. *tempeſtatis vexatus eſt.* Ità Chryſoſtom. Homil. 51. Nec diſſentit D. Aug. Auguſt. Serm. 13. de Verbis Domini, *Præſumpſit*, inquit, *Petrus de Domino, potuit de Domino: titubauit vt homo, rediuit ad Dominum.*

Benè quidem potuiſſet diuinus Magiſter labenti præ timore diſcipulo animos addere, timoremq. in ijs euentibus aſſuetum vno verbo repellere: noluit tamen, vt in Petro ſuperbiendi, & in reliquis inuidendi fauoris occaſionem am- Theoph. putaret. Ità cenſuit egregiè Theophylactus. *Subtraxit Dominus Petro Mare ſuam declarans virtutē. Attende autem, quod maiori periculo, nempè Maris ſuperato, ventum timuit, ità infirma eſt humana natura. Et ſtatim vt timuit cœpit mergi: hoc autem fuit nè illis ſuperbiret, & alios ſolaretur diſcipulos, nè inuiderent.* Idem etiam D. Max. placitum confirmat D. Maximus Homil. 2. de Petro, & Paulo. *Nam quia poſteà mergebatur, vt mihi videtur neceſſarium fuit, nè tanti ſublimitate miraculi, in perniciem fortè ſui æquata Chriſto carnis fragilitas ſuperbiret.* Similia ferè in eamdem rem ſcribit Homil. 1. de ijſdem Apoſtolis. *Sed quid illum tantoperè dicimus trepidaſſe? Cum pauca trepidatio ſua maiorem profecit ad fidem.* Attende qua ratione Petri timor in fidei augmētum profecerit; quod D. Hieronymus loco citato verbis expreſſit diſertiſſimis. D. Hier. *Ardebat*, inquit, *animi fides, ſed humana fragilitas in profundum trahebat, paululùm ergò relinquitur tentationi, vt augeatur fides, & intelligat ſe non facilitate poſtulationis, ſed potentia Domini conſeruatum.*

Cæterum, ni fallor Chriſtus Dominus fidei augmētum ex Petri medijs penè fluctibus obruti pauore, non ſolùm intendit, ſed etiam quid myſticum, vitæq. ſpirituali profectuum ſignificare ſtuduit. Et quidem Petrus veluti mercator induſtriùs, & animarum trapezita vitæ actiuæ rationem, fidemq. viatoris ſignificabat. Ioannes contemplantis vitæ, comprehenſoriſq. & ſcientiæ fuit ſimulacrum. Vndè aduertendum eſt, quod mira ſolertia adnotauit Origenes, ſcilicèt, D. Petrum marino furore agitatum inter decumanos fluctus de vita fuiſſe ſolicitum, morteq. inſtante turbatum. Ioannem verò inter pectoris Chriſti delicias ſecurè, & delectabiliter quieuiſſe. Petrus propter periculum clamat: Ioannes præ amoris teneritudine recumbit in ſinu, vbi ſunt amoris deliciæ, Verbiquè diuitiæ inæſtimabiles, ibiquè placidus, & tanquàm dormiens delectatur. Origenem hic Origen. more ſuo in myſticis præcellentem iuuat audire. *Petrus*, inquit, *in forma actionis; & fidei ponitur: Ioannes contemplationis, atquè*

E 2 *ſcien-*

ſcientiæ typum imitatur. Vnus ſiquidem recumbebat ſuprà pectus Domini, quod eſt contemplationis ſacramentum: alter ſæpè titubabat, quaſi trepidæ actionis ſymbolum. Ità ille. Atquè hæc ſunt agentis vitæ diſcrimina in Petro ſignificata, pauere, ſcilicèt, & turbari, per mediosq. ſæuientis Oceani fluctus ad Chriſtum per

D. Max. uenire, quod D. Maximus Homil.4. vigilanter aduertit. *Sanctius Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur ſic peruenit ad Dominum, oſtendens nobis, quòd non niſi per pericula properatur ad Chriſtum.* Hæc ille.

Sed calamum ab iiſdem fluctibus abreptum, multaq. pro tuenda Petri fide ſcribere parantem reuoco, & cum hæreticis Apoſtolum culpæ inſimulantibus ſic expoſtulo. Quænam iſthæc eſt inſania perfidi Nouatores? Crimini vertitis Chriſti Vicario, quòd Saluatorem rogarit, vt ab ipſo ſuper aquas incedere iuberetur. O nimiùm oculati! Vbi nam iſtud eſt crimen? Acutiores certè veſtris oculis ſunt oculi Saluatoris; & tamen nullum ipſe crimen vidit in Petro: quoniam ſi vidiſſet, eius poſtulatis nullatenùs annuiſſet. Non enim criminibus Deus patrocinatur; nec conſentaneum eſt, vt ipſius miracula faueant delin-

Bellarm. quentibus. Bellarminus in fidei certamine bellator acerrimus telum hoc in aduerſarios ſtrenuiſſimè contorſit, libro 1. de Romano Pontifice capit. 28. vbi ità arguit. *Nam ſi*, inquit, *peccaſſet Petrus petendo, vt euocaretur in Mare, non obtinuiſſet, quod petijt: non enim miracula Dei cooperantur peccatis noſtris.* Perbellè dictum, ac ni fallor, à Diuo Maximo mutuatum, cuius hæc ſunt: D. Maximi Hom. 7. de Petro, & Paulo. *Hic eſt Petrus, quem Chriſti eſſe confidentiſſimum ſubiecta veſtigijs eius Maria probauerunt. Nam à Domino ſuo nouos ſibi dari in fluctibus greſſus, vt fidelis popoſcit, & vt dilectus emeruit. Qui ob id ſolùm trepidaſſe viſus eſt, vt fragilitas humana cognoſceret, quanta eſſet inter Dominum, ſeruumquè diſtantia.* Et infrà. *Verè Beati Petri etiam dum trepidat mirabilis fides, quam nec perurgentis periculi potuit turbare formido: clamando enim dum mergitur: Domine libera me, de ſe diffiſus eſt, non de Domino dubitauit. Nè quis ergò timorem hunc glorioſum Petri ducat in vitium.* Hæc eleganter Maximus: licèt enim inhoneſta ſit trepidatio, nec parùm ex timore dedecoris in viros redundet: præſertim ſi de eorum ſint grege, de quibus Regius Vates occinuit: *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Pſal. 72. Attamen quis laudabilem aliquando timorem eſſe nō fateatur. Vndè Abraham Geneſ. 15. pauēs dicitur, & licèt nè timeat admoneatur: *Noli timere*, non tamen reprehēditur: idcircò arridet Gen. 15. Maximus, qui Petrū non ſolū excuſat, ſed

ſed etiam fidem ipſius, & amorem mirificè extollit; quam nebulonibus, qui inſigni impudentia Petri fidem inconcuſſam, amorem eximium, Chriſtoq. adhærendi ſtudium calcatis æquoris fluctibus præmiatum calumnijs proſcindūt falſitatibusq. obnubilare contendunt.

Nec dubito Petrum incredibili ſtudio Chriſti præſentiam, ipſiusq. ſocietatem conſequendi elatum fuiſſe: atquè vt citiùs ad illum perueniret, & vicinior fieret, in Mare ſe proiecit intrepidus, quia nec latum quidem vnguem à Chriſto diuelli patiebatur. Vndè Saluatoris audito reſponſo nauiculam ocyſſimè deſeruit, & fluctibus ſe commiſit. *Et deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquas, vt veniret ad Ieſum.* En quo ſtudio Petrus ſuper aquas incedere poſtulauit, *vt veniret ad Ieſum*. Nec aliud de ardentiſsimo ipſius amore ſperandum; etenim Theophylacto atteſtante. *Feruentiſsima erat Petri ergà Chriſtum charitas, deſiderabat ſtatim propè illū eſſe, & præ alijs.* Hæc ille, Chryſoſtomum ſecutus præceptorem, cuius eſt illud 14. Matth. *Vides quàm vehementer Petrus arderet; vides quanta fides ipſius etiam nūc eſſet: Nemò itàvt ipſe Ieſum amabat, non ſolum charitatem, ſed etiā fidem extēdit; quia enim credebat non tantummodò Chriſtum ſuper Mare ambulare, verùm etiam id alijs poſſe concedere, auſus eſt hoc petere, vt cum eo citiùs eſſe poſſet*, Hæc ille.

Theophyl.

D. Chryſ.

Hinc eſt, vt notauit Abul. quæſtione 170. quod non ſicut alibi fecerat. Ioannes 21. vt ad Chriſtum veniret, adnatando propè rauerit. *Petrus*, ait ille, *volebat venire ad Ieſum vt eſſet cum eo, & loqueretur ſibi, & tamen cùm Ieſus eſſet ſ[illegible] ns, & ambulans ſuper aquas, ſi Petrus natando veniret, non poſſet ſtare cum Ieſu, & comitari eum, ideò oportuit quod peteret ambulare ſuper aquas.*

Abulen.

Tripliciter verò conſiderari poteſt qua ratione hic Petri ſuper aquas inceſſus acciderit. Primò, ſi conſtipante ſe & condenſante aquarum natura partes concreſcerent, atquè in duritiem abirent: ità vt Petri calcatæ veſtigijs, nullatenùs ſubſiderent. Secundò, ſi modico illo temporis ſpatio agilitatis dos, qua Beati perfruuntur, Petro cōmunicaretur: quod Moyſi, & Eliæ dicitur contigiſſe, dum in Thaborino monte Chriſto ſe transfiguranti adſtiterūt. Vterquè incedendi modus inſinuatur ab Hieronymo ad illa verba. *Iube me venire ad te ſuper aquas*, quaſi dicat: *Tu præcipe, & illicò ſolidentur aquæ, vndè, & leue fiet corpus, quod per ſe graue eſt.* Tertio modo, quem magis probat Abulen. quæſt. 172. ſi Petrus corpore in ſua naturali grauitate permanēte, diuina quadam virtute eleuatus per medios fluctus iter ferret: nec item aquæ ſuaptè natura fluidæ pon-

Hieron. Matth. 14. n. 28

Digitized by Google

ponderoſa quæquè, & grauia ſuſtinere non valentes, à ſua qualitate deſiſcerent: quod apparet faciliùs, quàm ſi Petrus per aërem deferretur, vt contigit Abacuc, quem Angelus à Iudæa in Chaldæam capillis apprehenſum deportauit.

Verùm quoquomodo id acciderit: quatuor de cauſis ità factum par eſt exiſtimare. Prima, vt omnem prorſus ſuſpicionem è diſcipulorum mentibus euelleret: cum enim Magiſtrum ſuper aquas ambulantem intuerentur, illum phantaſma eſſe crediderunt: quia nemini mortalium ſimilem incedendi modum concedi potuiſſe arbitrabantur. Vndè Petrum medijs fluctibus gradientem inſpicientes, ſuſpicionem, in quam venerant, penitùs abijcerent. Secunda, quoniam vt iam congnouerant ipſum non eſſe phantaſma, magicæ virtuti, aut diabolicæ poteſtati attribuerent, quod ſuper aquas incederet: maximè, quia tota nocte ſolus in monte remanſerat, vbi cũ diabolo de ejuſmodi inceſſu pactum inijſſe ſuſpicarentur. Cum autem Petrum eius artis ignarum agnouiſſent, de eo ſuſpicari nõ poterant, quod magicis incantationibus graderetur. Tertia, vt omnem dubitationem è diſcipulorũ cordibus expelleret. Nonnulli enim hæreticorum ex hoc euentu anſam arripuerunt, ad aſſerendum Chriſti Corpus aëreum fuiſſe, non verùm: atquè adeò nec ex Virgine natum, nec verum hominem extitiſſe. In quem errorem Manichæi, & Marcioniſtæ inciderunt, quos D. Hieronymus hoc refellit argumento. *Qui putant Domini corpus ideò nõ eſſe verũ, quia ſuper molles aquas, quaſi molle, & aëreũ inceſſerit reſpondeãt quomodò perambulauit Petrus, quem vtiquè verùm eſſe hominem nõ negabunt.* D.Hier.

Quarta, proptereà Diuinus Saluator Petro conceſſit, vt ſuper aquas graderetur, quia eum cæteris volebat ſpecialiter præferre. Et certè ardẽtiſſima Petri charitas, fideſquè eximia, tanto digna præmio videbatur: quippè cæteris tacentibus, ſolus, vt ſancti Patres adnotarunt, Magiſtrum rogauit: *Iube me venire ad te ſuper aquas*, vt Chriſtum inaudito itinere, nec humanis greſsibus peruio ſequeretur. Matth. 14. n. 28. Quid ergò hæretici propter inanis gloriæ aucupium, vanęquè oſtentationis ſtudium, Petrum, (quod Diuinitatis proprium eſt,) nouum & admirandũ ſuper aquas inceſſum affectaſſe comminiſcuntur? Quid ipſum inter tumeſcentes fluctus timoris arguunt, diffidentiæquè inſimulant, propterea quod dixerit Euangeliſta. *Videns verò ventum validum timuit.* Matth. 14. n. 29. Alius fuit timor iſte, nimiùmq. laudabilis, quem cæci, & nebulones; vt iam monſtrabimus, aſpicere non potuerunt.

CA-

CAPVT III.

Timiditatis næuus ab hæreticis Apoſtolorum Principi inuſtus abſtergitur.

CHaritatis vires ignorat, qui timiditatis arguit amãtem: incredibilem amoris potentiam non agnoſcit quicunque ipſum in periculis pauentem ſuſpicatur. Nunquàm certè audiuit illud, *Perfecta charitas foràs mittit timorem*. Quinimò diligere non poteſt, qui ſatis timet, vt dixit olim verè Bernardus. Nec benè conueniunt, vnoq. in corde morantur Amor, & Timor. Cùm igitur Petrus in medijs fluctibus arderet amore: quoniam aquæ multæ charitatem ipſius nec extinguere, nec minuere potuerunt: qua ratione timeret periculum, aut de Magiſtri amore, potentiaq. diffideret? Nuſquam enim amor videt pericula, nec formidat. Illud credo verebatur, nè inſurgentes fluctuum aggeres ad Magiſtrum properantem retardarent: non timet aquis ſubmergi, ſed Magiſtri aſpectu fraudari veretur. Altior fluctibus Petrus altiori ferebatur ſtudio, minùsq. apud eum vitæ periculum, quàm videndi præceptoris deſiderium ponderabat. Timorem illum quem exteriùs oſtẽdit, *Videns ventum validum timuit*, nõ vitæ ſolicitudo, ſed amor extudit: vndè non timiditas dicenda eſt, ſed charitas, ex qua omnis illa pectoris anxietas, atquè ad Magiſtrum appropinquandi deſiderium naſcebatur.

Io.1.c.4. num.18.

Bernard.

Matth. 14.n.28.

Deiparam, credo, ſanctiſsimam in hac pectoris anxietate Petrus imitabatur, quam Alredus (vbi poſt triduum inuenit filium, quem dolens quæſierat, Luc. 2. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*) ſic alloquitur. *O Domina mea, quid dolebas? Credo non famem, non ſitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras, ſed tantùm ſubtractas tibi, vel ad modicum ineffabiles præſentiæ eius delicias quærebas*. Liceat in præſenti Petrum fluctibus colluctantem alloqui. Quid times, ò Petre fluctibus nè ſubmergi, vitamq. in æquore relinquere? Sed amantium pectora tales curæ non tangunt. Illud tibi cordi erat, vt Magiſtro ſuper aquas gradienti quantocyùs te ſociares; vndè voces illas, quas fudiſti non timor imbellis, ſed animoſus, & ardens amor extorſit. Et propterea extenta manu à Magiſtro ſubleuari meruiſti: *Et continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum*. Notandum verò eſt quod tunc reprehenditur (ſi tamen illa fuit reprehenſio) cum extenta manu apprehenditur & ſeruatur. *Modicæ fidei, quarè dubitaſti?* Quaſi diceret: ſiccinè de amoris noſtri magnitudine, veritateq. dubitandum fuerat, vt ad me non acceſſurum exiſtimares? In te ipſo ſic præ amore æſtuante, tanquàm in ſpeculo cernere licebat quod

Alredus.

Luc. 2. num. 48.

Matth. 14.n.29.

etſi fluctibus præpeditus mihi appropinquare non poſſes. Ego vt vtriuſque deſiderio facerem ſatis glomeratos fluctus cogerem in breuius ſpatium, vel ipſe properantiùs incederem, vt tu eſſes vicinior. Nec mirere Chriſtum Maris ſpatia latiſsima conſtricturum, breuiaq. facturum, quia vt dixit Pſalmographus. *Inclinauit cælos & deſcendit*. Et haud dubium dixit Ambroſius. *Vt tu eſſes vicinior.* Et quidem Chriſti verba potiùs mihi ſonant tenera amãtium officia, quàm ſeueræ propter culpam indignãtium reprehenſiones.

Pſal 17. verſ. 10. D. Amb.

Nullam in Petro culpam Saluatoris pietas agnouit: quinimò amplioribus illum muneribus decorat, gratijs auget, fauoribusq. proſequitur. Omnia D. Maximi calamo eleganter depicta ſuis coloribus reddam. *Petrus enim tentationibus ſuis proficit, fluctibus ſuis gaudet, & periculis ſuis creſcit. Sic namquè in Mare dum ſuper aquas viator ingreditur, nutat inceſſu, ſed conualeſcit affectu, periclitatur corpore, ſed deuotione non labitur: mergitur pedibus, ſed Chriſti dextera ſuſtentatur. Suſtentat fides, quem vnda mergebat; & quem fluctuum procella turbabat, Saluatoris dilectio confirmabat.* Hactenùs ille Homil. 4. de D. Petro.

D. Max.

Tandem vt ab his fluctibus emergam, & rem penitùs abſoluã pro vltima clauſula ſtatuo, Petrum nuſquàm de Chriſti amore dubitaſſe, ſed tanti beneficij ſe indignũ credidiſſe. Atqueadeò humilis potiùs quàm trepidus, & propriæ indignitatis conſcius tanto honori ſe imparem agnoſcebat. Nec ipſum credo latere potuit, quod poſteà nouit D. Auguſtinus cum Serm. 4. de Verbis Domini: Illud Ioannis 1. *Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuprà filium hominis,* expendens ità fatur: *Non diceret aſcendentes ad filium hominis, niſi ſursùm eſſet, non diceret deſcendẽtes ad filium hominis, niſi deorsùm eſſet, ipſe ſursùm in ſe, ipſe deorsùm in ſuis.* Hunc igitur Dei ergà ſuos tenorem Petrus optimè callebat, & Chriſtum ſursũ pariter & deorsùm ſuis adeſſe: Sursùm, vt ipſos ſubleuaret: deorsùm, vt infirmitatem in ipſis quandoq. pateretur: Vbiquè tamen ipſis auxilio futurum non dubitabat. Vndè amoris ſui conſcius, de Magiſtri amore dubitare non poterat. Quod in cæleſti ſponſa mirificè commendat Bernardus. Verba ipſius ad ſponſum ſolerter expendens. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quid dicis ò Sponſa? Quod Sponſum diligas amoris tui teſtem habes in corde: quapropter verè dixeris. *Et ego illi.* Sed vndè noſti quod ille te diligat, vt poſſis dicere: *Dilectus meus mihi?* Pulchrè Bernardus. *Ex eo quod diligit, & vehementer ſe ſentit diligere, diligi ipſa nihilominùs non ambigit.* Ità Petrus, qui Magiſtrum ſe diligere agnouerat de ipſius amore non du-

Ioan. 1. num. 51.

Cant. 2. num. 16.

D. Bern.

dubitabat: dubius tamen erat an ſuus erga Magiſtrum amor tot ampliſſimis muneribus alijs præferri mereretur.

Alibi Petrum memini non abſimili dubietatè pulſatum, & cautela repreſſum; dum priuſquam ſupremus crearetur Eccleſiæ Paſtor, ter à Chriſto rogatur: *Simon* Ioan.21. n.15. *Ioannis diligis me plus his?* Vt quẽ reliquis in amore præſtantiorem inueniret, eum amplioribus dignitatis cumulis ſublimaret, Eccleſiæq. præficeret: ſed quid Petrus Ibidem reſponderit videamus. *Domine tu ſcis quia amo te*: Reſpondit ſe diligere; & an plùs alijs, id ſilet omninò: dubius fortè, & humili cautione detentus, vt diſertè docuit D. Aug. Auguſtinus Sermon. 24. de Sãct. *Reuocabat ergo oculos ſuos ad cor ſuum Petrus, quando interrogabatur à Domino, & fidens reſpondebat, quod ſibi videbatur: non auſus eſt tamen dicere, quod Dominus interrogauerat: de alijs diſcipulis ille non potuit dicere, niſi amo te: Non auſus eſt dicere plus his: ſufficeret ei teſtimonium perhibere corde ſuo, non debuit eſſe iudex cordis alieni*. Hæc ille. Petrus verò ſi quid de alieno corde (Chriſti nempè) dum fluctibus luctabatur conijcere potuiſſet; illud credo foret, quod repetitis clamoribus, quaſi ingenua prouolutus Chriſti diuinitatem reuerenter fatebatur, eumq. Dei filium agnoſcebat, cuius peculiare inſigne eſt in medijs fluctibus ambulare; quẽ admodũ de Spiritu ſancto Geneſ. i. Geneſ. 1. num. 2. enarratur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Vndè ſi credendum eſt Auguſtino, dum Petrus fluctibus immergi properabat, hanc Chriſti potentiam fatebatur. Et quidem fluctibus obrutus periret, niſi fuiſſet à Chriſto ſubleuatus. Cæterum, quandiù quod Chriſti proprium erat, diuinitatem ſcilicèt, & adorationẽ ei tribuit: Chriſtus, quod Petro gratitudinis titulo debebatur, impertijt; ipſum enim extenta manu eleuauit ad vitam, quem Mare tumeſcens in interitum ſubmergebat: & quia penè ſubmerſus ea actione Chriſtum Dei filium recognoſcit, ab eodem mirabiliter liberatur. Vndè potuit illud Pſam. 117. Ouans, Pſ.117. lætabundusq. occinere. *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me*. Item; *Cum ceciderit non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam*. Pſal.36. Pſalm. 36. & ex Pſalm. 17. *Miſit* Pſal.17. *de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis*. Quæ forsã reſpiciens D. Chryſoſt. homil. 51. D.Chryſ. in Matth. ità fatur: *Sicut ſi pullus, cum antequam volare queat nido exiẽs in terrã decidat, mater velociter raptũ in nidũ reſtituit; ſic tum Chriſtus in Petro peregit*. Apagè Nouatorum impudentia, cur non vereris Petrum à Dei filio liberatũ canino dente corrodere, timiditatis, diffidentiæq. damnare? Vos ego deteſtor Chriſti Vicarij, ipſiuſquè ſucceſſorum hoſtes infenſiſſimos;

mos; Eccleſiæ Doctores, Patresq. ſanctiſſimos veneror, & libenter auſculto; dum Petri fidem, humilitatem, & amorem ampliſſimis laudum præconijs extollunt.

Quieſcat tandem rabies, & latratus omnia perſonans obmuteſcat: ceſſent impij turbatores, qui in Chriſti Eccleſia tumultus, ſeditionesque excitant: Quoniam aſcendente Petro in Nauiculam poſuit ventus, atquè ad priſtinam trãquillitatem Mare redijt. Quid porrò ventus iſte niſi hæreſim deſignat; quæ validiſsimi inſtar venti Petrum, Chriſtiq. Eccleſiam impotenter quatit, ſed quemadmodum ventus quieuit, ſic etiam hæreſis euaneſcet. Quid Ariani, Marcioniſtæ, Sabelliani, Manichæi? Quid eorum hæreſes niſi venti celerrimè euaneſcentes? Pariq. exitu quotquot poſteà excitatæ ſunt, excitabunturq. hæreſes euaneſcent, ſic enim apud Mattheũ 25. æterna Veritas teſtatur: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus eradicabitur.* Matth. 25. Firmis caret radicibus humana plantatio: idcircò leuiſſimo ventorum flatu radicitùs extirpatur. Vndè Actorum 5. dicebat prudenter Gamaliel: *Si ex hominibus conſilium hoc, diſſoluetur.* Actor. 5. Quid ergo non ſperemus fideles euellendam eſſe Lutheranorum, & Caluiniſtarum plantationem, inaniaquè Sectariorum conſilia prorſus diſſoluenda: & licèt impio conatu Chriſti Eccleſiam, ipſiusq. Vicarium oppugnare nitantur: omnis tamẽ eorum vis, & aſtùs, tanquàm nubes ventorum turbine diſſipatæ euaneſcent.

CAPVT IV.

Petrus defenditur, dum Chriſtum à morte pro hominibus ſuſtinenda conatur auertere.

APoſtolis in fide confirmatis Chriſtus Dominus, poſtquam ipſum naturalem Dei filium firmiter agnouerant, de morte pro humani generis ſalute obeunda, cœpit verba facere; quæ audiens Petrus præ amoris magnitudine ſuſtinere nõ potuit, vt dilectiſsimus ſibi Magiſter crucem ſubiret, opprobrijs, verberibus, cruciatibusq. exceptus mortem oppeteret, cùm anteà ipſum Dei filium confeſsione magnifica prædicauerit. Matth. 16. Vndè ſeorsùm familiariterq. illum aſſumens, incredibili charitatis affectu cœpit increpare. *Et aſſumens eũ Petrus, cœpit increpare illum dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Matth. 16. quem ità ſuadentem Chriſtus Dominus, vt ibidem refert Euangeliſta, ſeuera nimis reprehenſione caſtigauit, dicens: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Matth. 16. Magnificum hoc loco triumphum de Petro egiſſe Nouatores arbitrantur; illum hìc interceptum impudenter confingunt, ipſiusq. in fide integritatem mille calumnijs dilacerant. Caluiniſtæ cæcitatis, ſtultitiæq. Petrũ

inſi

Digitized by Google

inſimulant,eò quòd Chriſti mortẽ, à qua pendebat omnium ſalus,impedire niteretur. Magdeburgenſ. centur. 1. lib. 2. cap. 10. horrendi facinoris reum damnare non verentur. *Horrendus*, aiunt, *lapſus deſcribitur: quo quidem æternam meruiſſet damnationem,niſi ex ingenti miſericordia eſſet retractus: nec dubium eſt, quin ſeriò tantum peccatum fuerit deprecatus*. Parciùs iſta viro Nouatores, parciùs iſta Apoſtolorũ Principi, & Chriſti Vicario. Non ille vobis ſimilis, vt propterea procaciter connuellere, irreuerẽterq.excipere valeatis. Verùm dum exaſperata iſtorum rabies accenditur, & canum more Petro allatrare inſiſtunt, ipſos negletu prǽterire oportet: infidelium namque accuſationes, & calumniæ fide carent: atque adeò pro nihilo debent æſtimari, plus habent ponderis Eccleſię Doctorũ ſententię,quibus ab omni culpa nõ ſolùm Petrus abſoluitur;ſed etiam de ſumma fidei integritate, eximioq. amoris affectu cõmendatur, quàm blateronum calumniæ, quibus temerè, procaciterq. damnatur. Igitur, ſanctorum Patrum ſententias ſeorſim referam,ex quibus Petri fides, & amor illęſus coronabitur,impudentesq. hæreticorum accuſationes refellentur.

§. PRIMVM.

Diui Hieronymi ſententia de Petri conſilio pro dǝſuadenda Chriſto nece memoratur.

MEliori calamo, affectuq. magis ſynceroPetri animũ, ipſiusq. ſuaſionem pro euitanda morte, D. Hieronymus interpretatus eſt, & depinxit, quàm Caluinus. Quid ni? Eccleſiæ Doctor maximus pietate & Religione in Chriſti Vicarium,ipſius hoſtem, & perſecutorem ſuperaret. Igitur ad cap. 14. Matth. verba Petri expendens, ità fatur: *In omnibus locis ardentiſsimæ fidei inuenitur Petrus: Interrogatis diſcipulis quẽ homines dicerent Ieſum,Dei filium confitetur; volentem ad paſsionem pergere, prohibet, & licèt erret in ſenſu, non tamen errat in affectu*. Negandũ non eſt,ex Redemptoris paſsione, generis humani ſalutem depẽdere: quapropter impius eſſet, atquè inhumanus, qui prudẽs ſciensq.illam impedire niteretur. Sed non ea fuit Petri mens; aliò verba ipſius dirigebantur, Magiſtrum ſummoperè dilectum aſpiciebat, dumq. ipſum flagris, ſputis, verberibus, probris excipiendum audiret, præ amoris magnitudine tàm dira, tamquè immania ab ipſo tormenta ſuſtineri non patiebatur. Nec æquis auribus audire poterat, naturalem Dei Filium, ab impijs hominibus crucifigendum: idcircò in ea verba dolens, &

Matth. 14. Hieron.

Matth. 16. & penè turbatus erupit: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Abſtulit mentem doloris ſenſus; interimq. obrepens inaduertentia incautum cepit amãtem (ignoſcenda quidem, ſcirẽt ſi ignoſcere Nouatores) atqueadeò vt mitiùs dixit D.Hier. Hieronymus: *Licet erret in ſenſu, non tamen errat in affectu.* Perbellè quidem, plus enim ad commendationẽ valere debuiſſet apud impios probatiaffectus inregtitas, quàm error in ſenſu, quem ſæpiùs errans amor proginuerat, vt idem Hieronymus teſtatur. *Mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquàm incentiuum diaboli videbitur.* En primum tanti Doctoris calculum, qui hæreticorum damnationibus præponderat.

Iam diſcutiamus quod obijciũr, ſcilicèt, Chriſtum propter moriẽdi conſilium à Petro fuiſſe reprehenſum, vt textus ipſe apud Matth. 16. videtur indicare: *Cœpit increpare.* Euthim. Beda. Cæterum, vt ex Euthymij, Bedæquè Venerabilis ſententia Maldon. infert egregiè Maldonatus, Petri verba non præferunt reprehenſionem, ſed conſilium. *Non*, inquit, *reprehendentis, ſed amici conſulẽtis more*, puta, loquutus eſt Petrus: Vndè cognito à Magiſtro diſcipuli diligentis affectu, qua ratione credendum eſt, vt propter illum duriùs exciperet, & grauiter ſuggillaret? Minimè quidem; idcircò Saluatoris verba, quæ reprehenſionem pręferunt, ità diſpũgi poſſunt, & partiri. *Vade poſt me.* Quaſi Chriſtus ea tantùm Petro dixerit; deindè ad diabolum conuerſus, è cuius ſuggeſtione verba quoad exteriorem ſpeciem, illudq. conſilium videbatur, adiecit. *Satana ſcandalum es mihi:* Quod ſic interpretor: verba hæc diabolico aſtu ſuggeſta cognoſco: hæ ſolent eſſe Dæmonis thecnæ, his ille ad animarum ſubuerſionẽ vtitur machinamentis: Alia in loquendo Petri mens fuit, quam impius hoſtis, perfidusq. ſuggeſsit. Hilarij Canonem in cap. 16. Matth. rem hanc diffinientem hùc tranſcribo. D.Hilar. in Matth Cap. 16. *Sed ſciens, ait, Dominus diabolicæ artis inſtinctum, Petro ait: vade retrò poſt me, ideſt, vt exemplo ſe paſſionis ſequatur. In eum verò per quem opinio hæc ſuggerebatur, conuerſus, adiecit: Satana ſcandalum es mihi. Non enim conuenit æſtimare Petro Satanæ nomen, & offenſionem ſcandali deputari: poſt illa indultæ, & beatitudinis, & poteſtatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis Diaboli opus eſt: Petri reſponſione Dominus offenſus, cum opprobrio nominis, infidelitatis iſtius eſt deteſtatus authorem.* Hæc ille. Quia verò hæc ſententia ſingularis eſt, & integram Petri defenſionem complectitur, idcircò diſcutienda a nobis eſt, & illuſtranda.

§. SE-

§. SECVNDVM.

D. Hilarij ſententia diſcutitur, & illuſtratur.

PRęter Hilarium vidi neminē, qui pręfatam Chriſti ſententiam ità diſpungeret, Chryſologo excepto, qui illam videtur ab Hilario mutuatus; vndè Serm. 27. de ſcandalo tollendo Chriſti verba profundè rimatus hæc ediſſerit.

Chryſolog. *Nam cùm Dominus loqueretur paſſionis ſuæ gloriam, reſpondit per Petrū: (Diabolus nimirùm) Non erit tibi hoc Domine. Triumphum crucis vacuare contendit, cùm ſeruere ſe nimio amore mentitur: nā cùm Dominus loqueretur paſsionis ſuæ gloriam, reſpondit per Petrum: Non tibi hoc erit Domine. Venenum quàm dulce ſerpentis: ante facit militem Regis ſui negare victoriam, ſeruus ipſe Dominum quàm negaret, vndè Dominus ſeruum poſt ſe mittit, ſcādalum remittit authori, dicendo ad Petrum: vade poſt me, & diabolo Satanas ſcandalum mihi es. Et verè poſt Dominum vadit Petrus, quià, vt eum ſequeretur ad cælum, crucem reſupinus aſcendit.* Hactenus ille. Verùm vtraq. manu præfatam diſpunctionem verſare libet, & bipartita cùm ſit, dupliciter erit expendenda. Duo, ni fallor, Hilarius, & Chryſologus intendunt: Chryſol. Serm. 27. Primùm, quod dum Chriſtus Petro dixerit, *Vade poſt me*: perindè fuerit, acſi illum admoneret, vt ſpretis diaboli ſuggeſtionibus, ſe ipſum pro hominibus ſpontè moriturum alacriter, & intrepidè ſequeretur. Quin etiam hac ratione crucis mortem, quæ Petrum manebat fortè detexit; latenterq. admonuit tantùm abeſſe, vt à ſubeūda pro hominibus morte Magiſtrum importuna ſuaſione reuocaret, vt ipſemet Magiſtri ſemitā calcans, ipſiusq. amore ſtimulatus, ad crucem auidiſsimè feſtinaret. Dæmonis, ait, ò Petre conatum inſpice, & irride: non enim ad exitum perducet, quod ſuggeſtionibus machinatur: ac dū ex tui affectus teneritudine, plenoq. pietatis conſilio nactus occaſionem mortis meæ fructū impedire contendit, impio conatu ludificari ſe ſentiet: Magiſtrum namquè primò morientem aſpiciet, poſtmodùm eodem mortis genere, diſcipulum pro Magiſtro in cruce transfixum cernens, immaniter cruciabitur. Quamuis autem pauorem nunc oſtentas, & mortem reformidas, ipſamq. effugiens ter me negabis: Nihilominùs. *Vade poſt me*, iuſtum namq. cruci tempus adueniet; cū formidine prorſus abiecta Magiſtri æmulus, ipſiusq. auxilio roboratus in cruce fœliciter occumbes.

Hæc, vt credo, non vocibus, ſed internis affectibus cęleſtis Magiſter diſcipulo loquebatur, ſeù vt Hilarius prudenter coniecit tribus verbis, *Vade poſt me*, ſapienter inuoluit. Idem fortè ſubodoratus eſt Leo Magnus Serm. 9. de D. Leo.

Paſ-

Paſſion. Vbi Petrum ſic alloquitur. D. Leo ſer m. 9. de Paſſ. *Adſuit enim dextera Domini Ieſu Chriſti, quæ labentem te priuſquam deijcereris exciperet, & firmitatem ſtandi in ipſo cadendi periculo recipiſti. Vidit in te Dominus non fictam fidem, non dilectionem euerſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam, abundauit fletus, vbi non defuit affectus, & fons charitatis lauit verba formidinis, nec tardatum eſt remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis.* Statimq. ſermonem aliò diuertens adiungit: *Cito itaquè in ſoliditatem ſuam rediјt Petra, tantam recipiens fortitudinẽ, vt quod tunc in Chriſti expauerat paſſione, in ſuo poſt ſupplicio nõ timeret.* Hæc ille. Quibus conſequenter adijcio I. Petri cap. 2. Petri verba ex Epiſt. 1. c. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Vbi illud animaduerſione mihi dignum videtur, qua ratione cum dixerit: *Paſſus eſt pro nobis,* ſe ipſum in eo numero recenſet: At vero de exemplo locutus, quaſi ſe ipſum vellet excludere ſtatim addidit: *Vobis relinquens exemplum.* Apertè ſignificans imitandæ paſſionis exẽplum non modo ſibi vna cùm alijs à Chriſto moriente relictum, quia iam illud ab eo viuẽte multoties, præſertim in hac occaſione ſuſceperat; dum ei dicitur. *Vadè poſt me.* Et quidem ità clamare videtur: Verbum illud, *Relinquens*, teſtamẽtis familiare, quæ mortuis teſtatoribus ſuum obtinent effectum. Etenim Chriſtus in cruce moriens, patiendi exemplum nobis teſtamento reliquit, ipſoquè emortuo ligatum nobis obuenit; atquè exindè ad mortis ipſius imitationem obſtringimur. At verò Petrus viuente Magiſtro patiendi exemplum ab ipſius ore ſuſcepit, imò donatione quaſi inter viuos facta moriẽdi donatiuũ obtinuit, & neſcio an præceptum. Ità enim mihi ſonant verba illa, *Vade poſt me*, & alia Ioannis c. 13. *ſequeris* Ioan. 13. *autem poſteà*. Item Ioann. 20. *Tu* Ioan. 20. *me ſequere*, & ibidem. *Cum autem ſenueris extẽdens manus tuas & alius cinget te, & ducet quo non vis.* Quæ ipſo Euangeliſta interprete Petri mortem ſignificabant. *Hoc autem dixit ſignificans qua morte eſſet clarificaturus Deũ.*

Cur ergo iubentem, ſeù exẽplo ad ſequelam inuitantem non ſequeretur, qui fugientibus alijs Magiſtrum comitabatur. Et quo magis hanc Petri ſequelam æſtimes, attende quando ſequatur. *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Matth. 26. & de Petro ſtatim Matth. 26. adiungit. *Petrus autem ſequebatur à longè.* Quaſi dicat: licèt alij timore agitati ſe dederint in fugam, non ità Petrus, quem Magiſtri amor cõſpectis hoſtibus impellebat, vt moriturum ſequeretur. Attamen vitæ amans, Mortemq. pertimeſcens exhorruit, trepidauit, negauit. Dum verò Chriſti oculis aſpicitur, ſubitò reſipiſcit,

Digitized by Google

ſcit, factusquè ex ipſo Saluatoris aſpectu animoſior fortitudinem recepit, ad futuraquè certamina generoſus vitę contemptor euaſit. Propterea namquè in horto Chriſtus antè pugnam formidauit, vt Petrus fortior euaderet in certamine. Quod D. Leo Serm. 3. de Paſſione, niſi fallor, agnouit; vbi Chriſti nomine Petrum dira mortis ſupplicia pauitantem ſic alloquitur. *Quid habes Petre? Quid in tuam conſcientiam recedis? ad me conuertere, in me confide, me ſequere: meæ paſſionis hoc tempus eſt: non dum tui venit hora ſupplicij. Quid metuis? quod etiam ipſe ſuperabis: non te confundat infirmitas, quàm recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo eſto ſecurus.* Hæc ille. Cæterum quando potuit Chriſtus trepidare de Petro; vel qua ratione credendus eſt timuiſſe, perquem fidelium pectore roborantur? Ipſum ego qui eſt teſtis fidelis in oratione ad Patrem confidenter appello: *Triſtis eſt*, inquit, *anima mea vſquè ad mortem*. Luc. 22. & iterùm: *Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Vbi timor triſtitia permixtus apparet: quod alter Euangeliſta ſignificantiùs expreſsit, dicens: *Cœpit pauere, tædere, & mœſtus eſſe*. Sed quo tendit pauor iſtæ mœſtitudine ſociatus? Vidit egregiè D. Leo Serm. 3. de Paſsione, & eleganter expendit. *Quibus verbis quandam formidinem profitentibus, noſtræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum ſubeūdo pellebat. In nobis ergo Dominus noſtro pauore trepidabat; vt ſuſceptionem noſtræ infirmitatis indueret, & noſtram inconſtantiam ſuæ virtutis ſoliditate veſtiret.* Hęc Leo non rugitu metuendus, ſed ſanctimonia venerandus eloquitur: In quibus vides Chriſtum propter omnes timuiſſe, quia omnium in ſe tranſtulit imbecillitatem, vt infirmi communicata virtute fortiores redderentur.

D. Leo. | Luc. 22. | Marc. 14. n. 33. | D. Leo.

Et quidem licèt pauente Chriſto omnes fideles ſe obijcerent: primus ipſius oculis Petrus obuerſabatur, Petri infirmitas Chriſti animum prior occupabat, vt de ſuo timore, & exemplo remedium prouideret. Vndè qui inſpecta morte expauerat; ſubito firmitatem è capite recipiens, ad illam ſubeundam feſtinus inuolaret. Leonem iterùm audio diſertiſsimè loquentem. *Primus beatiſsimus Petrus Apoſtolus expertus eſt: qui cum illum inſtantis ſæuitiæ vehementior procella turbaſſet, ad reparationem vigoris celeri mutatione conuerſus eſt, ſumens de exemplo remedium, vt tremefactum repēte membrum rediret ad ſui capitis firmitatem*. Tàm ſubitā quis mutationem non admiretur? Modò timens: ſtatim intrepidus. Ità planè congruum fuit: *Non enim* (concludit optimè Leo) *Poſſet Domino ſeruus, & Magiſtro maior eſſe diſcipulus: qui huma-*

D. Leo Serm. 3. de Paſſ.

næ fragilitatis trepidationem non vinceret, niſi victor mortis ante timuiſſet.

Maximè verò conſentaneū fuit, vt Petrus timore fluctuaret: quo ipſius fortitudo è medijs quaſi fluctibus emergens, clariùs eniteret. Quod etiam D. Paulo non ſemel accidit, vt duorum Eccleſiæ Principum etiam in hoc genere ſimilitudo, paritasq. cerneretur. Sed vbi nàm Paulum videbimus inter pericula pauitantem, qui tormenta omnia, mortemq. ipſam in certamen euocabat? Ipſum, qui dubitas, audi Epiſtol. 1. ad Corinth. cap. 2. ſic loquentem. *Ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Quæ verba D. Chryſoſtom. expendens. Apoſtolū interrogat. *Quid dicis? Paulus quoquè timebat pericula?* Et quaſi alius ſibi interroganti reſpōderet; hæc eleganter adiecit. *Timebat, & valdè formidabat: nàm etſi erat Paulus, erat tamen etiam homo: hoc autem non erat crimen Pauli, ſed naturæ quidem infirmitas, inſtituti autem, & electionis encomium, quod cùm mortem timuiſſet, & plagas, propter eum metum nihil fecit indignum. Qui autem dicunt eum non timuiſſe plagas; non ſolum eum non extollunt, ſed etiam multum detrahunt eius laudibus. Nam ſi non timebat: quænam erat animi fortitudo? Aut quænam Philoſophia ferre pericula? Ego enim propterea eum admiror, quod timens, & non ſolùm timens, ſed etiam pericula exhorreſcens, perpetuò cucurrit coronatus.* Ità ille. Vnde colliges, quàm ſapienter D. Pauli timorem inter ingruentes periculorum fluctus ad ipſius laudem inflexit, & meritò, ſi enim Paulus nuſquam pericula formidaret: Nullatenus ea ſuſtinens lauderetur vt fortis; ſed potiùs tanquā inſenſibilis dānaretur.

1. Cor. 2.

D. Chryſ. hom. 6.

§. TERTIVM.

Altera D. Hilarij ſententiæ pars expenditur, & dilatatur.

HActenus Hilarij diſpūctionem ſecuti; ea quæ Petro fuerunt dicta perpendimus; iam quæ diabolo Chriſtus dixit expendamus. *Scandalum mihi es.* Hac ratione malignitatem ipſius, ignorantiamq. retundit, atquè à Petri ſuggeſtionibus ceſſare compellit; cùm nihil eis proficeret, nec à fine iàm deſtinato diſcipulum, & præceptorē auertere poſſet, ideòq, vt diuini ignarus conſilij redarguitur. *Quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Quaſi diceret: Ignota prorſus tibi ſunt Dei ſecreta, nec fines ab ipſo intentos aſſequeris. Thecnę, & ſuggeſtiones quibus vteris, Diuina conſilia non præuertent. Homines adi, quorum ſtudia calles, pectoraq. rimaris, vt ipſorum conatus per ſummā impietatē, aſtumq, eludas. At verò æterna Dei ſententia

Matth. 16.

Matth. 16.

tentia ſtatutum eſt, vt in cruce moriar, & Petrus me eodem mortis genere comitetur. Quid ergo tibi proderit, qua polles, aſtutia? Scientiæ tumorem abijce: ignarum te vel etiam inuitus agnoſce. *Quia non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Nec miror quòd diabolus hoc loco ignarus, & parum prudens deprehendatur, cùm etiam alibi non minùs craſſum atque hebetem ſe prætulerit, cùm in deſerto Chriſtum alloqueretur, dicens: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*. Matth. 4. vbi Chryſolog. ſermon. 13. Dæmonis ignorantiam coarguit & irridet. *O ſignũ*, inquit: *Mitte te deorſum! conuenientiùs dixerit, ſi Filius Dei es, aſcende ad cælum: cùm ſit hominum ad ima cadere; Dei ſit ad ſuperiora conſcendere*. Quaſi diceret: falleris impie, Dei ſemitas nõ agnoſcis: abſconditæ prorſus tibi ſunt Omnipotentis vię, ſolaq. hominum veſtigia deprehendis, quorum proprium eſt ad ima præcipitari.

Matth. 4. D. Chryſ. Ser. 13.

Nec minùs inſignem diabolus ignorantiam prætulit, cùm in tertia Chriſti tentatione ob adorationis, quam poſtulabat impudenter præmium, omnia Orbis Regna largienda pollicebatur. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Matth. 4. Infert autem ex hoc loco D. Irenæus illum turpiter labi, qui flexo poplite Dæmonem reueretur; vt ipſemet fateri non erubeſcit. *Ipſe*, inquit, *confitetur quoniam adorare eum, cadere eſt à gloria Dei: & quid aut ſuaue, aut boni participare poteſt, qui cecidit; aut quid aliud expectare poteſt, qui talis eſt, niſi mortem? etenim qui cecidit, proxima mors eſt*. Hæc ille. At tu vide quàm turpiter Dæmon erret ex ignorãtia: nam dum gloriam promittit, lapſus turpitudinem detegit. Non tamen miror; quia mentis, & conſilij inops ad familiaria, vt moris eſt, & magis nota recurrit. Nouerat ille ſemitas cadendi: pronas ad deſcenſum vias calcabat expertus: idcircò homines illac ducere contendebat, vt præcipites ageret in ruinam; Dei autem vias penitus ignorat: vnde; & Chriſtum in cruce, Petrumq. in eadem gloria fruiturum neſciebat. Quia verò Petrus, Dei tenebat viam, & ſurſum recta ferebatur; idcirco verſis in cælum plantis crucifigitur; quod Dæmonem latebat: vnde meritò redarguitur: *Non ſapis ea quæ Dei ſunt.*

Matth. 4.

Verùm, niſi communis omnium ferè Patrum ſententia obſtitiſſet, Ianſenium ſecutus, & Caietanum, omnia verba illa, *Vade poſt me Satana, ſcandalum mihi es*, non ſub Hilarij diſpunctione & Petro, & diabolo, ſed abſolutè ſoli Dæmoni dicta credidiſſem. Quaſi ijs vellet Chriſtus Dæmonis audaciã, & impudentiam reprimere: eo quod ipſius præſentiam minimè reueritus, contrarijs ſuggeſtionibus Petrum adduceret, vt Magiſtrum à ſuſtinendæ necis conſilio parùm cautè reuocaret. Et ideo

Matth. 16.

F Chri-

Chriſtus non tàm Petri verba cōſiderans, quàm diaboli ſuggerentis prauitatem, inuerecundiamq. attendens, ipſum coarguit, vt ex aliorum ſententia ad eum locum retulit D. Hieronymus. *Multi putant, quod non Petrus correptus ſit, ſed aduerſarius ſpiritus, qui hæc dicere Apoſtolum ſuggerebat.* Itàq. velut inuerecundus repellitur, ſed tamen vt retrò ſequatur & incedat ipſi precipitur. Cur autem eiuſmodi ſequela mandatur? Planè vt itinere confecto, ſuam diabolus ruinam inſpiciat: dum Chriſtum pro hominum genere videbit in cruce morientem. Etenim vt D. Leo Sermon. 10. de Paſſion. teſtatur: *Exaltatus Chriſtus Ieſus in ligno, retorſit mortem in mortis Authorem, & omnes principatus, aduerſasq. virtutes per obiectionē paſſibilis carnis eliſit.* Hæc ille, quæ iterùm deplico & euoluo. Quid aliud porrò eſt. *Retorſit mortem in mortis Authorē?* Niſi quod licèt tunc diabolus Chriſti mortem niteretur impedire, quemadmodùm primi parentis necem fuerat machinatus, vtriusq. delicti reus à tergo cōfoſſus, in cruce torqueretur: idcircò fortaſsè Chriſtus ei dixit: *Vade retrò Satana:* Vt vndè Dominus moriens in gloriam ingrediebatur: Satanas in æternum Tartari exilium cruciandus mitteretur. *Clauiq.* illi adiungit Leo, *qui manus Domini, pedesq. trāsfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum inimicorum fuit interfectio poteſtatum.*

D. Hier.

D. Leo.

D. Leo.

Reſpexit, ni fallor, D. Leo ad Pauli verba ex 2. ad Coloſſen. vbi de Chriſto Domino locutus ità ait: *Principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palàm triumphans eos in ſemetipſo;* ſeù vt legit Petrus Damian. Serm. 1. de Exaltat. Crucis. *Debellauit aereas poteſtates, & affixit eas cruci ſuæ.* Ex quibus verbis infert: Chriſto Domino crucem aſcendente, diabolum in eandem fuiſſe actum, vt ibi æternùm moreretur. Verba Damiani ſunt: *In hac nempè cruce, confoſſum eſt latus innoxium, & ad horam crucifixus eſt innocēs manibus, & mundo corde. Terribilis ille latro, cuius manus plenæ ſunt ſanguine, in hac itē confoſſus eſt, & confectus; ſed Chriſtus aliter, aliter ipſe; Chriſtus ad momentum, ille in æternum.* Quod iam in Rege Hai adumbratum teſtatur idem Damianus, Origenem ſecutus Ioſue 8. vbi dicitur, Ioſue Regem Hai in patibulo ſuſpendiſſe, in ſignum quod diabolus à Ieſu in eodem eſſet patibulo configendus. *Ex altera,* inquit, *parte crucifixus eſt Redemptor noſter, ex altera ſummus ille præuaricator. Rex Hai ſuſpenſus eſt in gemino patibulo, ità Rex mortis in gemino patibulo ſuſpenditur, quia dum Chriſtum interficit; in ipſa cruce crucifigitur.* Mirum ergò in modum Chriſtus ex eadem cruce gradus, & ſibi, & Petro conſtruxit ad glo-

ad Coloſſ. 2.

Petrus Damian.

Damian. Origen. Ioſue 8.

gloriam, & diabolum præcipitauit in interitum. Vndè ex ſuggeſtione, quam Petro immiſerat, conatu ſuo fraudatus, æternæ damnationis ſupplicium reportauit.

§. QVARTVM.

Communis Patrum ſententia in interpretãda Chriſti reprehenſione declaratur.

D.Hier. Matth. 16. COmmune Doctorum placitum, cum D.Hieronymo, & alijs, omnia illa Chriſti verba: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi*, Petro ſolummodò dicta conſtanter tenet. Vndè neceſſe eſt illius dignitatem etiam hac ratione ſuſtinere. Nec id erit admodùm difficile, quoniam plana ad defenſionem via aperitur, & omnis ad calumniam hæreticis frementibus aditus occluditur. Cùm ergò Chriſtus nomen Satanæ attribuit Petro, ipſius intentionem nullatenùs improbat, ſi quidem, vt iam ſuperiùs demonſtrauimus, recta illa fuit, ex pioq. in Magiſtrũ affectu, & amore prognata. Nec etiam exiſtimandum eſt, ideò Satanam appellatum, quia illud euitãdæ mortis conſilium ex Satanæ ſuaſu, ſuggeſtioneq. proceſſerat: quoniam mihi perſuadeo, Dæmonem, vt ſuo obuiaret dãno, Chriſti mortem cupijſſe: ad hoc enim Pontificum, & Phariſęorum concilium coegit, ipſiusq. præſes, & caput extitit. Vndè nihil in eo, quàm de Chriſti nece tractatum inuenitur. *Quid facimus; quia hic homo multa ſigna facit?* Ioan.11. Ioan.11. Eodem affectu ſeſe in cor Iudę inſinuauit, atquè ad Magiſtrum Phariſæis venditione tradendum impulit, vt Ioan. cap. 13. affirmat: Ioan.13. *Cùm iam Diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas*. Ignorabat tamẽ malignus, quid in ea ſuaſione intenderet, vt D. Leo Sermon. 9. de Paſſione adnotauit. D. Leo Serm.9. *Nec ipſe itàq. diabolus intellexit, quod ſæuiendo in Chriſtum, ſuum deſtrueret Principatum: qui antiquæ fraudis iura nõ perderet, ſi ſe à Domini Ieſu ſanguine contineret, ſed malitia nocẽdi auidus, dum irruit, ruit, dum capit, captus eſt: dum perſequitur mortalem, incidit in Saluatorem.* Hæc ille. Itàq. Petrus nõ ob prauam ipſius intentionem Satanas à Chriſto dicitur: nec etiam quia ex Diaboli ſuggeſtione talia verba protuliſſet.

Quam igitur ob cauſam tàm probroſo nomine Chriſti Vicarius afficitur? Et quod magis videtur admirandum, paulò antè, vt monuit D. Auguſtin. Serm. 13. de Verbis Domini ſecundùm Matthæũ. D. Aug. Beatum dixerat, quem modò Satanam appellat. *Qua ratione*, inquit, *quem paulò antè dixerat Beatum, modò Satanã appellat? Quid ſibi vult tàm modico interuallo tãta mutatio? Modò Beatus es Simon Bar-iona*, rurſùs, *vade poſt me Satana*. Hic ſtetit, nec vltrà progreſſus eſt Auguſtinus, vllam vè re-

Petrus Damian. pentinæ mutationis cauſã aſſignauit. Petrus Damian.lib.7. epiſt.11. propterea Petrum tum temporis Satanam à Chriſto nuncupatum ſcripſit, quia cùm paulò ante Eccleſiç regimen ei tradiderat, atque ad ſupremi Pontificatus dignitatẽ extulerat, ſeuera nimis reprehenſione voluit deprimere: tũ, vt forte pullulãs inanis gloriç germen amputaret: tum vt Petrum ſuo erudiret exemplo, quanta ſeueritate in eo gradu conſtitutus in eos animaduertere debuiſſet, quos aliquando in errorem licèt materialem prolabentes inſpexiſſet. Damianum profero. *Saluator noſter, qui tanquã mitis agnus apparuit, mox vt Petro cæli terræq. iura cõmiſit, protinus eum dura redargutione corripuit: Vade poſt me Satana.* Statimq. rationẽ reddit: *Quia in hac mortalitate rectè nõ viuitur, ſi blandis, ac mollibus aſperitas non miſcetur. Nam vbi penitus diſciplina poſtponitur, neceſſe eſt vt prona ſemper ad malũ fragilitatis humanæ conditio relaxetur.* Et poſt pauca: *Inordinata pietas Principis, quid aliud eſt, quàm confuſio plebis? Nam dum ille à moderanda Regiminis habena reprimitur, ſubiecti quoque velut effrænes equi per abrupta raptantur.* Hęc ille: vbi vides quàm proprium ſit Prælatorum, vt nunquàm à debita ſeueritate languefcant, ſed ſemper iuſtitiæ ſeueritatem, cùm res & occaſio poſtulat, exercẽdam retineant: vt manifeſtè docet diſcrimen illud, quod Apoſtoli in piſcandi exercitio tenuerunt: nam vt D.Ambroſ.adnotauit lib.4. in c.5. Luc. alij Apoſtoli retia laxare, Petrus hamum mittere iubetur. *Bene*, inquit, *Apoſtolica inſtrumẽta piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt, ſed reſeruant*: Petrus verò ſolus hamo vtitur, quo piſces punguntur, & cruẽtantur. *Quo genere*, ait, *ſolum Petrum piſcari Dominus iubet.* Cur ita? credo fortaſſe, vt Petrus futurus Eccleſię Princeps, Prælatorumq. exẽplar, ac in eo omnes ea ratione Principes erudirẽtur, nõ ſolùm peccatores lenitate quaſi reti illæſos concludere, ſed etiã ſupplicij hamo pungere, & cruentare. D.Ambr.

Paucis tamen contigit tam magna fęlicitas: multò plures inueniuntur, qui ab vtraque, vel altera boni regiminis regula deflectunt. Vnde meritò D. Hieron.in Marcum, *Multi*, inquit, *bene agũt, ſed nõ bene corrigunt, vt fuit Heli: & multi bene corrigunt, ſed non bene agunt, vt fuerunt Scribæ & Phariſæi, qui ſedebant ſuper Cathedram Moyſis. Vnde os turturis in lege Leuit. 1.n.15. ad aſcellas retorqueri iubetur, ne ſeparetur os ab opere, & opus noſtrum non dirimatur ab ore.* Hęc ille. Vt verò Petrus in vtroque excelleret, ipſum ad reprehẽſionẽ correctionẽq. erudiuit, cũ Eccleſiæ Paſtor pręficeretur, vt in ſe ipſo facta primũ experientia ediſceret alios data occaſione redarguere: quippe qui eodem pene momẽto beatus eſt dictus, & Paſtor D.Hier. Leuit. 1. num.15.

ele-

electus, atquè vt improbus & Satanas reprehenſus. Nouerat tamen Chriſtus redargutionem Petro fore vtilem, quia opportuno tempore monebatur. Hinc eſt, ait D. Baſilius Oratione 31. quod ab arguendo Iuda abſtinuit: immedicabilis enim erat, & fortè correctionis remedium, in venenatum Magiſtri odium verteretur. *Ità*, inquit, *Saluator vbi vlcus eſt immedicabile, ibi pharmacum inutile: vbi autem curationis ſpes ſectionē induco curationi*. Ponderandum verò eſt traditori dictum: *Amice ad quid veniſti:* Petro autem: *Vade poſt me Satana*. Quis diuerſam adeò nominum impoſitionem non admiretur? Sed plus mihi inuidendus apparet Petrus, dum Satanas à Chriſto, quàm Iudas dum amicus appellatur, nec fallor, quia pluris facienda eſt illius redargutionis aſperitas, quàm huius appellationis ſuauitas. Petrus reprehenſionis aſperitate reſtituitur; proditor blanda amici appellatione minimè ſanatur: Petrus vt apis aceto reuiuit: Iſcariotes vt muſca ſuauitate emoritur.

D.Baſil.

Eſt verò hac in re plurimi faciendum, quod audita reprehenſione Petrus, perceptoq. ſequendi conſilio taceat omninò, nec inſtet, aut reluctetur. Inter ſequendi conſilium vel præceptum, ipſamq. ſequelam nihil interiacet. *Vade poſt me*. Quid ille? Feſtinus obſequitur: in quo duplici titulo mihi decorandus apparet. Primò propter humilitatem, & patientiam, qua redargutionis acorem ſeueritatemq. ſuſtinuit: maximè quia Satanas dicebatur, qui paulò antè in præclariſsimæ confeſſionis remunerationem, Beatus audierat à Magiſtro. *Mercedem recepit vera confeſsio*, ait D. Hieronymus; quinimò Dominus Ieſus in proferendis Petri excellentijs quaſi gratulabundus immoratur, ipsūq. ampliſsimo dignitatis munere exornaturū pollicetur, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. Sed quid ego Petrū in Magiſtri correctione humilem, patiētemq. admirer? Cùm eiuſdem humilitatis, & patientiæ argumenta clariſsima ab inferiore correctus exhibuerit, & iam ex 2. ad Galat. adnotauimus. Et quidem in hac Pauli reprehenſione laudis materiam magis amplificat, quod dum ſinè culpa, vel ſaltē materiali, ex inaduertentiaq. exorta ſuggillatur, nullo modo excandeſcit; nec verbis aſperioribus vicem rependit, quod acutè vidit, & plurimi fecit D. Cyprianus ad Quintum de Hæreticis baptizandis. *Nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet; ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat conſenſit. Documentum nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus*. Hæc Cyprianus. Eandem Petri humilitatem veneratur D. Gregor. lib. 28. Mo-

D.Hier.

Matth. 16.

D. Cypr.

D.Greg.

Moralium capit. 6. atquè in hunc modum extollit. *Petrus poſtquàm libertate vocis authoritatem Principum repreſſit, per humilitatem cordis de nõ circuncidendis Gentibus Pauli conſilium audiuit. Sic enim ſemet ipſum contrà aduerſarios ex authoritate curabat erigere, vt tamen ſemetipſi non crederet, in his, quæ non rectè ſentiret: vt & libertate fortitudinis tumentes poteſtates excederet, & humilitate manſuetudinis obedientem in recto conſilio, etiam minoribus exhiberet.* Itâ Ille.

In hac verò Petri humilitate, illud eſt magis admirandum quod Paulum arguentem non ſolùm libenter audiuit, ſed etiam reprehẽſus mirificè dilexit, & quod magis eſt, ad eoſdem Galatas ſcribens ſummoperè commẽdauit. *Satagite*, inquit, *immaculati, & inuiolati inueniri in pace, & Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitramini: ſicut & chariſsimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiã ſcripſit vobis; ſicut &* 2.Petr.3 *in omnibus Epiſtolis.* Itâ ille Epiſt. 2. c. 3. vbi illud mihi æſtimatione dignum videtur; quod ſummè dilectum appellat, à quo fuerat reprehenſus, illiusq. doctrinam commendat, quem ignorantiæ ptopriẽ ſeueriſsimum expertus fuerat cen- D.Greg. ſorem. Itâ D. Gregor. Homil. 18. in Ezechielem diligenter adnotauit. *Ecce*, inquit, *Paulus in epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem, & ecce Petrus in epiſtolis ſuis aſſerit Paulum, in his quæ ſcripſit, admirandum.* Et paulò poſt: *Penſate ergò in quo mentis vertice ſtetit, qui illas epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptum ſe vituperabilẽm inuenit. Quæ illa manſuetudo tanta eſſe potuit? Quæ quies animi? Quæ ſoliditas, atquè imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat, quòd primus in Apoſtolatum vocatus eſt: non quòd claues Regni cæleſtis acceperit: non quòd peccata quæcumque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta & in cælo: non quòd in Mari pedibus ambulauerit: non quòd paralyticos in Ieſu nomine iubendo erexerat: non quòd ægros corporis ſui vmbra ſanaret: non quòd mentientes verbo occideret: non quòd mortuos oratione ſuſcitabat. Nè igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia bona quæ acceperat quaſi à memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret.* Hæc diſertè Gregorius, qui totus eſt in extollenda Petti humilitate, nec immeritò; licèt enim Pauli in increpando libertas digna ſit laude: pluris tamen ex opinione Augu- D.Aug. ſtini facienda eſt Petri humilitas, qua Paulum reprehendentem ſuſtinuit. *Cùm ſatiùs*, inquit, *multò ſit à tenendo itinere, in nullo, quàm in aliquo declinare, multò eſt tamen mirabilius, & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deuiantem.*

Illud

Illud tamen quæſo aduertas; Paulum in hoc euentu ſanctæ libertatis gloriam,& Petrum veræ humilitatis reportaſſe coronam. Atquè adeò in illis veluti duabus Eccleſiæ colũnis vera libertas, patiẽsq. humilitas ſuſtentarur: quod nî fallor,pulcherrima D. Auguſtini clauſula demonſtrat. *Eſt laus itàq. iuſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro*. D. Aug.

Laudanda quidem fuit Moyſis humilitas dum ſocerum non ægrè tulit increpantem, nec ſequi dedignatus eſt exhortantem. Audi quid ſocer ad ipſum, Exod 18. *Nõ bonam rem facis: ſtulto labore conſumeris*. Vide quid Moyſes poſt hæc reprehẽſus obiecit: ſacer textus ibi. *Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat*. In quæ verba D. Auguſtinus q. 68. ità inquirit. *Cur Deus famulum ſuum, cum quo ipſe tanta ac talia loquebatur, ab alienigena paſſus eſt admoneri?* Et quæſt. ſequenti reſpondet: *Inſinuatur hic etiam humilitatis exemplum: quod Moyſes cùm quo loquebatur Deus, non faſtiduit, neque contempſit alienigenæ conſilium*. Laudo Moyſis humilitatem, & ergà ſocerum obſequentiam. Longè tamen laudabilior mihi Petri humilitas videtur: qui ab inferiori dum corripetur, conticuit. Nec enim Paulus erat Petro ſuperior, vt fortè Moyſi Ietro, quem vt ſocerum agnoſcere & reuereri cogebatur: quinimò Petrus Eccleſiæ ſupremus Paſtor, Princepsq. erat; & tamen reprehenſus non excanduit, ſed humilitatis, patientiæq. tenorem retinens, nobili quodam fœnore non indignabundus, ſed gratus encomia ſuggillatori ſuo rependit, vt iam ex D. Gregorio adnotatum præmiſimus. Exod. 18. D. Aug.

Nec parum inauditæ pretium humilitatis accumulat, quod reprehenſus, non leui ſuffunderetur rubore, vt ſolent ingenui, benèq. morati: quoniam non ſub ſpecie conſilij, vt Ietro Moyſen, ſed palàm omnibus inſpectantibus impreſſum, & incuſſum quid infremens Paulus ipſum reprehendit. *Dixi Cephæ coram omnibus: ſi tu, cum Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaicè: quomodo gentes cogis iudaizare?* Ad Galat. 2. Deus bone quã profunda ſe hic aperit humilitatis abyſſus! Quantum patientiæ virtus irradiat! Verum quidem eſt, vt cenſuit Auguſt. in Epiſtol. ad Galat. Paulum Charitatis leges minimè violaſſe, dum pàlàm redarguit. Fortè enim Petri errorẽ, qui materialis tantùm fuit, increpationis cauterio adurit, vt alij quos iam eadem tabes infecerat, ſanitati reſtituerentur. *Quod autem*, ait, *hoc ei coram omnibus dixit, neceſſitas coegit, vt omnes illius obiurgatione ſanarentur*. Prætereà congruum erat damnum, quod patenter ſerpſerat, non ſecreto, ſed publico correctionis remedio amputari. *Non enim*, concludit Auguſtinus, *vtile erat* Galat. 2. Auguſt.

Digitized by Google

errorem, qui palàm noceret in ſecreto emendare. Videat igitur æquus rerum æſtimator, qua ratione Prælati, & Superiores, crimina, cùm in publicum prodeunt, & palàm ſerpunt non clanculum, & ſecretò corripere, ſed publicè, & patenter diſtricto reprehẽſionis mucrone ferire teneãtur. Cæterùm non ſola hic in perferenda Saluatoris noſtri reprehẽſione humilis Petri taciturnitas eluxit, ſed plurimæ virtutes aliæ claruerunt, quarum magnitudini, nec linguæ centum, totidemq. ora, ferrea vox, & calamus indefeſſus ſat eſt. Inter omnes palmam tulit obedientia, & cæca animi prõtitudo, quâ Petrus audito: *Vade poſt me*, nihil opponendo præcipientem ſecutus eſt Saluatorem, vt appoſita eius ſententiæ declaratione conſtabit.

CAPVT V.

Triplex verborum Chriſti, Vade poſt me, *ſenſus apponitur, & Petri obediẽtia manifeſtatur.*

PRimum D. Hieronymus ſenſum excogitauit, ità vt tantundem, valeat. *Vade poſt me*, ac ſi diceret: *Sequere ſentẽtiam meã:* Quod ſic verſare lubet: Ignoras ò Petre, quid magis expediat. Diſpoſitioni meæ obtemperantem te volo, nec de his quæ mẽtis humanæ captum excedunt, requiro ſuffragiũ. Non abludit Toſtat. q. 112. ibi. *Tu intromittis te de his, quæ ad te non pertinent, non cures de his, ſed vade poſt me, ideſt, non ſit tibi cura de alio, niſi quod vadas poſt me, & non cogites quid mihi expediat: quia de hoc tu nihil ſcire potes.* Abulenſ.

Secundò dici poteſt, vt iam cũ Hilario adnotauimus. *Vade poſt me*, ideſt ſequere me exemplo paſſionis. Quod loco citato probat Abulenſis, & Chriſti nomine Petrũ allocutus hęc adijcit: *Sequere me, per exemplum ſcilicèt. Tu reſiſtis mihi, vt non moriar: Ego dico tibi quod non facias hoc, ſed potiùs ſequere me concedendo, & ac quieſcendo dictis meis, & me exemplo operum ſequendo: quia ſicut ego morior, ità & te mori oportet.* Quod autem in Chriſti ſequela mors pro ipſius amore ſubeunda intelligeretur, probat ibidem Toſtatus; pariterq. expendit quantùm diſcriminis intercedat in verbis, quibus Petrum, & diabolum in deſerto tentantem Chriſtus alloquatur; Dęmoni ait: *Vade Satana*, nec vltrà progreditur: Petro aliter dicit: *Vade retro me Satana: Innuens quod in infernum diabolum miſerit, in quem locum detrudi meretur. Et Petro impoſuerit, vt per crucem, & mortem ſequeretur.* Hæc ille. Abulenſ. Abulenſ.

Tertiò Theophylactus verba illa ſic interpretatur. *Vade poſt me: Ne mihi obſiſtas, ſed voluntatem meam ſequere.* Vndè D. Auguſtinus verba illa Petri reuerſans: *Abſit à te Domine, nõ erit tibi hoc:* Theoph.

acu-

acutè Petrum circumueniens, ità cum ipſo expoſtulat. *Dicis abſit, & dicis Domine; vtiquè ſi Dominus eſt poteſtate facit.* Quaſi dicat; Cur Dominum appellas? Planè, vt demõſtres, quod voluntatis ſuæ placitum exequi valeat: Et tamen ſeruus cum ſis, ei reluctaris, atquè vt tibi morigeretur adniteris. Erras, ò Petre redarguentem auſculta præceptorem: Dum enim tibi dicit: *Vade poſt me*, ſignificanter admonet, ne tuam, ſed ipſius voluntatem exequaris. Sed cur ego Petrum quaſi cunctabundum ad Chriſti ſequelã coarguo? Deſipiã niſi prõtiſſimum fatear ad ſequendum. Hoc ipſius mors clamat, crux ipſa teſtatur, in qua fidem ſequẽdi exolues, non ſuam, ſed Magiſtri voluntatem, ſenſumq. explere teſtabatur. Quod etiam modo præſtitit ipſo ſilentio Magiſtrum conſtanter ſecutus: Quinimò poſt ſuſceptã ab eo correctionem; ſic deſiderio ſequendi æſtuabat, vt cum anteà non ſolùm ſequi trepidaret, ſed etiam Præceptorem ſuum à moriendi conſilio abſtrahere niteretur: modò ad crucem & paſſionẽ feſtinus euolat, atquè intrepidus; fallar, niſi ità ſenſerit D. Leo Homil. de Transfigurat. cuius hæc ſunt. *Dicente Domino quod oporteret eum ire Hieroſolymã, & multa pati à Senioribus, & Scribis, ac Principibus Sacerdotũ, & occidi & tertia die reſurgere. Cum Beatus Petrus, qui ſurperno illuſtratus lumine de ardentiſſima filij Dei confeſſione feruebat, contumelias, illuſionẽ, crudeliſſimæ mortis opprobrium, religioſo vt putabat, & libero faſtidio reſpuiſſet, benigna à Ieſu increpatione correptus, & ad cupiditatem participãdæ cum eo paſſionis animatus eſt.* Hæc ille. Vbi vides ex Chriſti reprehenſione Petrum ad ſuſtinendã mortem redditum promptiorem, & cum anteà Pręceptorem mori feſtinantẽ meticuloſus increparet, animoſior factus, non ſolùm Chriſto mortem non timet, ſed ſuam ambitioſiùs affectat: atquè in eadem cruce Præceptori ſuo commori feſtinat.

D. Leo.

Chriſtus verò, vt Petri obediẽtiam remuneraret, ipſum primo loco, vt transfigurationis eſſet ſpectator, elegit. *Et poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrũ, & Iacobum, & Ioannem, & transfiguratus eſt, ante eos.* Matth. 17. En Petrus ad illud ſpectaculum prior aſciſcitur, non tamen ſolus, adſunt & alij, qui Petrum de morte cùm Chriſto altercantem inſpexerant. Diſcipulus paſſionẽ Magiſtro probroſam arbitrabatur, atquè vt eam effugeret ſuadebat: idcircò nonnullos ex diſcipulis adeſſe voluit, Iacobum ſcilicèt & Ioannem pręcæteris dilectos; vt ſimul cum Petro viſionem illam ſpectarent, ac in eodem monte inter fulgurãtes immenſæ claritatis radios, probatam de Magiſtri ſui morte opinionem intuerentur; ne poſteà illorum animi eadem, qua Petrus cogita-

Matth. 17.

gita-

gitatione pulſati, inconſtantia fluctuarent, & Magiſtrum in cruce cum dedecore morientẽ non erubeſcerent. Quod D. Leo citato loco ponderauit. *Vt*, inquit, *de ſupplicio Chriſti non erubeſcerent: Nec pudendam ſibi eam patientiã crederent, quæ ſic ſubitura ſæuitiã paſsionis, vt non amitteret gloriam poteſtatis*. Et verò quemadmodùm Chriſtus in ea trãsfiguratione decreti ſui, ſententiæq. veritatem comprobauit: ità ibidem Petrus animo iam in meliùs immutato, pręceptoris arbitrio in omnes partes ſe flectere pollicetur. Vndè licèt beatitudinis illius voluptate caperetur, in eoq. ſtatu quieſcere vehementer ambiret, vt ſatis indicat illud: *Bonum eſt nos hic eſſe*. Quod prælibata primum Magiſtri voluntate poſtulauit: idcircò addidit, *Si vis*: Et quod anteà ſubticuerat abſolutè proferens: *Abſit à te Domine*, modò apponit, *Si vis*: Quia iam totus in Magiſtri affectum tranſierat, atquè adeò non ſuam, ſed Chriſti voluntatem, mortis quam anteà formidabat cupidus, ſequebatur.

D.Leo. Matth. 17.

Hinc eſt, ni fallor; quod cùm poſt Chriſti correptionem Petrus cordatior euaſerit, atquè ad Magiſtri arbitrium flexilem ſe præbuerit; Chriſtus illum ſibi exæquare non dubitauit; vt cernere eſt apud Matth. 17. cùm tributum de ſtatere in ore piſcis inuento Cæſarianis ſolui deberet: extracta namquè pecunia, ait Dominus: *Illum ſumens da eis, pro me, & te*. Non pro alijs addidit, quia ſolùm ſibi Petrum in hanc tributi ſolutionem adiungere, ac præ cæteris honorem illum ipſi voluit impertire, quem Eccleſiæ Caput, futurumq. Apoſtolorum Principem deſignabat. Tanti apud Deum valet prõpta ad obediẽdum voluntas, vt qui parẽdo ſe minorem profitebatur, tributum ſimul ſoluendo imperanti quodammodò exæquari videretur. Nedùm quod Petro tributum ſoluente, reliqui in eo veluti in capite contẽti ſoluiſſe creduntur, vt Author quæſt. ex nouo Teſtamento, ſeù Auguſt. quæſt. 75. teſtatur. *Saluator*, inquit, *cum pro ſe, & pro Petro dari iubet tributum, pro omnibus diſcipulis exoluiſſe videtur, quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ità & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit eſſe Caput eorum, vt Paſtor eſſet gregis Domini*. Ità ille. Quod quàm ſit honorificum ex eo liquet, quoniam ibi homo non ſolùm Deo comparatur, ſed etiam adæquatur; vt Theophylactus ad Matth. 18. & Chryſoſt. Homil. 59. expenderunt. *Honoratur Petrus dando ſtaterem pro Chriſto, & pro ſe. Da eis pro me & te; Vidiſti honoris excellentiam, vide nunc quãta Philoſophia vtitur Petrus. Hunc locum Marcus, qui Petri diſcipulus fuit: Ideò non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor Magiſtro (id eſt Petro) deferebatur*.

Matth. 17. Auguſt. Theoph. Chryſoſt.

Sed

Sed negatione quidem ille quoquè diligentiſsimè ſcripſit: Hæc verò, quæ ad Magiſtri laudem pertinent, ipſo forſitan deprecante, nè magnifica de eo dicerentur, omninò ſiluit. Nec latuit hoc cæteros diſcipulos, qui vt aduertit D. Hieronymus: *Ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.*

D. Hier.

Idem ferè ſcripſit Origenes. *Maximum*, inquit, *diſcipuli exiſtimãtes hunc honorem in Petrũ à Chriſto collatum, quaſi per hoc indicaſſet eum cæteris diſcipulis meliorem.* Sed vndè nam tantus honor Petro contigit, vt alijs præferretur; & par in ſoluendo tributo Saluatori redderetur? Planè credo, Authore Chryſoſtomo, propter obediẽtiæ meritum; quemadmodùm in Thabor, ità hic honore & dignitate reliquis anteferri, meruiſſe. *Qui ad rem ità natura incredibilem illicò paruit, cuius quidem fidei retributionem confeſtim habuit, Chriſto in ſolutione tributi coniunctus.* Hæc ille. Cæterùm, nec nouum eſt, nec mirum, vt tantùm apud Omnipotentem valeat obedientiæ virtus, vt ob ipſius meritum Petrus ex Simone, qui interpretatur obediens, in Petrum qui firmum ſtabilemq. ſignificat, mutaretur: Vndè cùm anteà Simon diceretur vt homo, poſtquàm obedientiam præſtitit, quaſi diuinum aliquid aſſecutus, dicitur Petrus, ſeù petra; quo nomine Chriſtus Dei Filius hominum aſſertor appellatur.

Origen.

Chryſoſt. Hom. 59. in Matth.

Proh quantùm licet obedientię! hominem quodammodò trãſfert in Deum, & in trãsformationis huius planè mirabilis argumẽtum diuiniſsimæ, firmiſsimæquè Eſſentiæ nomen quod proprium eſt, obediens ſibi vendicat. Dubitas? Eſaiam audi. Aderat ille diuinæ Maieſtatis conſpectui: rogat Dominus, quẽ mittet, Eſa. 6. *Quẽ mittam?* reſpondet Propheta: *Ecce ego mitte me.* Mirabilis eſt hoc loco Diui Baſilij lectio, ſic enim transfert: *Ecce ego ſum mitte me.* Vndè nam homo tantam nactus fiduciam, vt Dei nomen ſibi aſſumat? Nonnè rogatus aliquandò à Moyſe Dominus quod eſſet nomen eius, reſpondit: *Ego ſum, qui ſum.* Cur ergò illud homo non veretur ſibi vſurpare? Non mireris, poſtquàm enim vt obediens dixerat: *Mitte me:* Ad obtemperandum ſpõtanea oblatione ſe offerens, quaſi diuinæ particeps naturæ, ipſum Dei nomẽ vſurpare nõ metuit. Fallar, niſi hoc D. Baſilius ſolito inſpexit acumine. *Ecce ſum ego: fiducia iam fretus, quaſi particeps illius Eſſentiæ, ſe ipſum annumerat his, qui in conſortium venerant illius Eſſentiæ.* Hæc ille.

Iſa. 6.

Exod 3.

Vndè non iam Petrum ad obediendum Præceptori ità paratum, nec ipſius obedientiæ promptitudinem tot fauoribus auctam, pręclariſsimiſq. elogijs commendatam admiror. Ideò namquè obe-

dien-

dientem ſe præſtitit, vt cum ſui nominis appellatione congrueret. Simon quippè dicitur obediens: *Et verè Simon, verè obediens*, infert Bernardus in declamationibus ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*. Quapropter dum Petro totius Eccleſiæ regimen cõmitteret Diuinus Saluator apud Ioann. 21. num. 15. *Simon*, inquit, *Ioannes diligis me plus his?* Nec vacua, nec vana fuit, ſed plena myſterio nominis appellatio, quoniam, vt ibi docuit S. Thom. *Qui neſcit ſuperioribus obedire, inferioribus neſcit imperare*, Quaſi diceret Petri obedientia ipſum extulit ad altitudinem dignitatis: ex oue tranſtulit in paſtorem: atquè ex obediente in ſuperiorem omnium permutauit. Admirabilis planè obedientia creaturæ. Mirabilior tamen creatoris in ea remuneranda fuit dignatio, Petrus obedientiæ inſignè nominis ſui appellatione ferebat expreſſum: Pontificięq. dignitatis amplitudine Dei remuneratione oſtentauit. Hic terminus, in quò ſuperius relata Damiani ſententia ſtetit: hæc vltima ipſius clauſula; cui applaudendo laxis paululùm habenis ſpatiata Oratio D. Petri obedientiam in Chriſti ſequela, largiſſimamq. Saluatoris retributionem exornauit.

D.Bern. Matth. 20. D.Thom. in c. 21. Ioann.

Aliam eiuſdem Petri ſententiæ interpretationem proſequamur.

CAPVT VI.

D. Petri ſententia, Abſit à te Domine, interpretatio proponitur, & elucidatur.

Nonnulli, quibus præit D. Hieronymus, vt Petri immunitatem à culpa tueantur, aliã calcant ſemitam, & verba illa Petri, *Abſit à te Domine*, altiùs repetentes, ab ipſis hiſtoriæ huius principijs ordiuntur, & quò Petri excuſationem texant, ipſius intentionem interpretantur; ità vt perindè valeat, *Abſit à te Domine*, acſi diceret, inquit Hieronymus; *Non recipiũt aures meæ, quod Dei filius occidendus ſit.* Quod ſi hæc germana eſt ſententiæ interpretatio: vbi nam hic tam ſæuere increpationis occaſio; Vt propterea Satanas diceretur? Credidit enim Petrus Deo indigniſsimum, atquè ab ipſius magnitudine alienum, vt flagellis, iniurijs, blaſphemijs oneratus, & inimicorum manibus cruci affixus obiecta quæ opinio veniã fortè merebatur non pœnam, & ideò Chriſtus Petri ignorantiam ſignificans ait: *Non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*. Quo dicto ſentẽtiam temperauit, quaſi dicat: Erras Petre ſi mortem putas ignominiam, hæc ſumma Dei gloria, vt pro redimendis hominibus patiatur. Ità expoſuit D. Chryſoſt. Homil. 55. in Matth. *Nam ſi*, inquit, *diuinis ductus præceptis, atquè carnalis ſenſus immu-*

D. Hier. Matth. 16. D. Chryſ. Hom. 55.

immunis hæc audires, non te fugeret profectò; quia præcipuum mihi decus eſt paſſio. Nouerat Chriſtus Petri animum, ingentemq. ipſius affectum percallebat: verùm quia verbis paſsioni obſtabat, acerrimè coarguit, ignorantiæque conuincit. *Increpatur*, ait D. Hieronymus, *à Domino, quoniam paſſioni, etſi ignorans, obſiſtat*. In idem recidit illud Origenis ibid. *Petri affectum Chriſtus ſuſcipiens, ignorãtiam exprobrans dixit: Vade poſt me Satanas, quia non ſapis &c*. Non abludit Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſtol. 285. vbi admiratus, qua ratione Chriſtus fœminas ipſum crucem humeris portãtem, in eaque moriturum deplorantes, reprehenderit, hunc in modum ſciſcitatur: *Quidnam cauſæ eſt, quamobrẽ Chriſtus mulieres lugentes, cùm ipſe ad crucem vt victor triumphans abibat, non modò nõ laudauit, ſed etiam obiurgauit?* Conuenientiſſimèq. ita factum reſpondet: *Neque enim illũ lugere fas eſt, qui peccatum fudit, & profligauit; atque opprimendam quoque, ac de medio tollendam mortem, vinculisq: extinguendum diabolum properat*. Hæc ille. Vnde non tam compaſsionem reprobaſſe, quàm, vt magis arbitror, intempeſtiuum affectum damnaſſe videtur, ſignificans quòd eum luctum ſibi dedignaretur impẽdi, quia non decebant lacrymę victoriam, nec lamenta triumphum.

D. Chryſ.

Origen.

Iſidor. Peluſiot.

Pari etiã ratione Petri affectus, licèt bonus, & amore conſtans eſſet, quia tamen peſſimum, à Satanaq. ſuggeſtum videbatur quod intẽdebat, & ignorabat quid vellet, dum Magiſtrum à moriendo retrahere niteretur, cuius maior gloria, nobiliorq. triũphus pro hominibus mortem oppetere credebatur: idcirco reprehenditur, eique dicitur: *Non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*. Et quidem tam incredibili moriendi ſtudio Chriſtus efferebatur, quò Dæmonem vinceret, & genus humanum ab ipſius tyrannide, & captiuitate liberaret; vt propterea Petrum verbis ſuis ab eo ſtudio reuocantem ſeuera nimis reprehenſione caſtigaret: quod D. Hilarius in Pſ. 131. apertè tradidit: *Tanta Chriſti religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum Satanæ conuicio nuncuparet*. Hæc Hilarius communem ſecutus ſententiam, aſſerentem verba illa, *Vade poſt me Satana*, Petro dicta (cùm tamen ipſe, vt vidimus, ſententiam ita diſpungat, vt duplex ex ea ſenſus oriatur) Nec mirandum eſt, Saluatorem ea vſum ſeueritate, quia ex ipſius paſsione quamplurima bona Petro ignota in hominum genus redundabant, vt Chriſtus apud Ioannem affirmat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Quæ verba D. Leo ſermon. 6. de paſsione ſic exponit: *Totam cauſam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam*.

D. Hilar

D. Leo

In

In me omnis infirmitas abolebitur: in me omnis plaga ſanabitur. Hæc Chriſti nomine: Et paulò poſt, aurea certè clauſula totam ſententiam firmat, & obſignat. *Pendente enim*, ait, *in patibulo creatore, vniuerſa creatura congemuit, & crucis clauos vniuerſa ſimul elementa ſenſerunt. Nihil ab illo ſupplicio liberum fuit. Hoc in communionem ſui, & terram traxit, & cælum. Hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reſerauit, & denſarum horrore tenebrarum radios ſolis abſcondit. Debebat autem hoc teſtimonium ſuo mundus authori, vt in occaſu conditoris ſui vellent elementa finiri, ſed patientia Dei ſeruat rebus, atquè temporibus ordinem ſuum, noſque in illum potiùs vocat affectum, vt eorum ſalutem petamus, quorum crimen horremus.* Hactenus Leo; vbi Chriſti morientis victoriam, partumq. de tenebrarum Principe triumphum, eleganter depictum intueris. Moriens Chriſtus peccatum radicitùs extirpauit, mortem eiicit, Dæmonis tyrannidem confregit, à mortuisq. reſurgens gloria claruit incredibili: ità vt Aurelius Prudentius Cæſaraugu- *Pruden.* ſtanus, Doctor Chriſtianus, auſus ſit dicere in hymno de Cereo Paſchali, vt refert Fr. Ildephonſus de Mendoza in ſuis quodlibet. q. 6. *Mendoz.* Scholaſtica; eadem nocte, qua è tumulo Chriſtus exiuit, damnatorum pœnas apud Tartarum tantiſper remiſiſſe, vt ea demonſtratione probaretur, quanta gloria vitæ Autor mortem ſuperauerat.

Sunt & ſpiritibus ſæpè nocentibus
Pœnarum celebres ſub Styge feriæ:
Illa nocte, ſacer qua rediit Deus,
Stagnis ad ſuperos ex Acherõticis,
Marcent ſupplicijs tartara mitibus;
Exultatq. ſui carceris ocio
Vmbrarum populus liber ab ignibus:
Nec ſeruēt ſolito ſulphure flumina.

Hæc Chriſtianus Vates; poeticè an etiam & verè, alij viderint. Illud certè diffiteri non poſſumus: totum illud, aliaq. multo plura bona, ex Chriſti paſsione in homines, etiam damnatos redundare potuiſſe: quod cùm Petrus, licèt ex amoris affectu paſſioni obſiſtēs impedire niteretur, non immeritò Satanas appellatur.

CAPVT VII.

Elegans D. Auguſtini, & ſingularis ſententia proponitur, & dilatatur.

SOlito acumine nouam D. Auguſtinus, cui plurimum grator, viam adinuenit, quam tenēs, *Auguſt. ſer 13. de verbis Domini in Matth.* Petrum in hac diſſuaſione penitùs à culpa liberat, ac inter Chriſti mortem deſiderantis affectum, & diſcipuli ab ea reuocantis conſilium, verbis eleganter colludens. *Timuit*, inquit, *perdere morientē, quem cõfeſſus fuerat vitæ fontem.* ſtatimq. *Petrus dicebat Chriſto, nolo te*

*te mori, ſed melius dicebat Chri-
ſtus, volo pro te mori.* Quaſi dicat,
Petri affectum non improbo, quin
potiùs, vt bonum laudo, magis
tamen laudandus mihi venit, & lõ-
gè melior eſt Chriſti ad mortem
properantis affectus. Mirum tamẽ
videtur, qua ratione Chriſtus Do-
minus tam ſubito, e Petri enco-
miaſte mutatus ſit in reprehenſo-
rem, & cui paulò antè Beati nomẽ
indiderat, mox Satanam appellat.
Ad myſterij ſignificationem perti-
D. Auguſt. nere tradidit citato loco D. Au-
guſtinus. *Deniquè*, ait, *continuò
reprehendit, quem paulò antè lau-
dauerat; Et quem Beatum dixe-
rat, Satanam appellat*. Non ta-
men appellationum diuerſitas te
moueat, nec Petri in diuerſa muta-
tionem admireris: Quoniam, vt
ibidem adnotauit Sãctiſsimus Pa-
ter, Eccleſiæ figuram Petrus gere-
bat, in qua boni malis permixti
diuerſantur. Quidam in ea ſunt
ob vitæ probitatem laudum blan-
dimentis demulcendi: At verò alij
propter malitiã, redargutionis mu
crone feriendi: vtroſquè Petrus re-
preſentabat: idcircò propter fidei
firmitatem, vt beatus commenda-
tur, & illicò propter importunam
diſſuaſionem, veluti Satanas explo-
ditur. Sed iam Auguſtinus. *Illum
tamẽ videte Petrum; qui tunc erat
figura veſtra, modo fidit, modo ti-
tubauit, modo immortalem confi-
tetur, modo timet ne moriatur.
Proindè quia Eccleſia habet firmos,
habet & infirmos: nec ſine firmis
eſſe poteſt, nec ſine infirmis. In
eo quod dixit Petrus, Tu es Chri-* Matth. 16.
*ſtus filius Dei viui, firmos ſignificat:
in eo quod trepidat, & titubat, &
Chriſtum pati non vult, mortem
timendo, vitam non agnoſcendo,
infirmos Eccleſiæ ſignificat. In illo
ergò vno Apoſtolo, ideſt Petrò, in
ordine Apoſtolorum primo, & præ-
cipuo, in quo figurabatur Eccleſia,
vtrumquè genus ſignificandũ fuit,
ideſt, firmi, & infirmi, quia ſine
vtroquè non eſt Eccleſia*. Hæc ille.

Ex quibus deduces: Primò in
Chriſti Eccleſia fidei robore, &
firmitate conſtantes, vna cum in-
firmis; & vacillantibus: bonos pa-
riter cum malis permixtos deti-
neri: Et certè quãdiù hic degitur,
bonorum, malorumq. inſeparabi-
lis commixtio videtur neceſſaria.
Quoniam vt prudenter aduertit
Haymon: *Boni ſoli nunquam ſunt* Haym.
*niſi in cælo: mali autem nuſquam
ſoli ſunt, niſi in Inferno: Eccleſia
autẽ, quæ in medio conſiſtit, vtriuſ-
que partis ciues recipit*. Ideò Chri-
ſtus Dominus Matth. 13. Eccleſiã Matth. 13.
æquiparauit *Sagenæ miſſæ in ma-
re ex omni genere piſcium congre-
ganti*. Quis non videat quàm
multigena ſit ſagenæ huius captu-
ra, quam diuerſa piſcium genera
in hoc rete ingrediantur, hoc eſt,
diuerſis moribus homines, fide
conſtantes, in eadem parum firmi,
probitate inſignes, & malitia de-
teſtabiles, ſicquè ad extremum Iu-
dicij diem permanebunt. Vndè in-
tulit D. Gregor. Homil. 11. in

Euan-

Euangel. quòd *Nunc bonos, maloſque cõmuniter, quaſi permixtos piſces, fidei ſagena nos continet, ſed littus indicat ſanctæ Eccleſiæ ſagena quid trahebat.* In littore namque, ideſt, extremo Orbis termino conſtituti cùm ſint, malorum fiet à bonis ſeparatio. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* In quamrem eſt illud D. Chryſologi ſermon. 47. *Piſces congregat captura confuſos, ſed in vaſa diſcretio dat electos: ſic vocatio Chriſtiana iuſtos & iniuſtos, malos bonoſque congregat; ſed bonos maloſq. electio diuina diſcernit.* Hæc ille. D. Chryſ.

Secundum ex Auguſtini ſentẽtia inferendum eſt: Omnes quotquot Eccleſiæ ſagena concludit, ſiue mali, ſiue boni, imbecilles & fortes, in Petro tanquam in capite repræſentari. Quemadmodum Chriſtus Dominus ſumma Dei ſapientia, & fortitudo; quia tamen Eccleſiæ caput erat, infirmitatis, & virtutis actiones edidit: vt videre eſt apud Matth. 26. vbi Chriſtus Æternum Parentem inter orandum allocutus ita ait: *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte: verũtamen nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* In quę verba ſcripſit aptiſsimè in rem præſentẽ D. Leo ſerm. 5. de Paſsione: *Prima petitio infirmitatis eſt, ſecũda virtutis: illud optauit ex noſtro, hoc elegit in proprio.* Subdit deinde ſer. 7. *Cùm itaque, dilectiſsimi Dei filius dicit, Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: noſtræ vtitur voce naturæ, & causã fragilitatis, & trepidationis agit humanæ.* Vix autẽ imbecillitatis huiuſmodi ſpeciem præ ſe tulerat, cùm ſtatim vnico Verbo, quod clariſsimum fuit diuinæ fortitudinis argumẽtum, Iudæos proſtrauit, qui ad ipſum capiendum irruebant: *Dominus dicit: ego ſum. Ioann. 8. & ad vocem eius turba proſternitur impiorum. Quid iam poterit maieſtas iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?* Sic intulit egregiè D. Leo ſerm. 1. de Paſſione. Vides quo pacto membrorum infirmitas & fortitudo repræſentatur in Chriſto, non aliunde, niſi quia Eccleſiæ caput erat, & veri capitis officio fungebatur? Eodem aſpectu ſerm. 16. de Paſsione reſpiciens ad Chriſti in cruce conqueſtionem, qua apud Patrem ſe derelictum querebatur, hæc addit: *Inde eſt quòd caput noſtrum Dominus Ieſus Chriſtus omnia in ſe corporis ſui mẽbra transformãs, quod olim in Pſal. 21. eructauerat, id in ſupplicio crucis ſub redẽptorum ſuorum voce clamabat, Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Hæc ille.

Matth. D. Leo. D. Leo. D. Leo. Pſ. 21.

Quid igitur mirum, omnes huiuſmodi affectus in Petro reperiri? Quem fortem modò, rurſus imbecillem; iam animoſum, ſtatim pauitantem, & dira crucis ſupplicia Magiſtro ſuo timentem deprehendit. Ipſum conſidera Eccleſiæ caput, ac in eo omnes membrorũ

ſuo-

ſuorum affectus videbis expreſſos. Ideo enim timuit Petrus, quia plurimos ex ſuis membris, quandoque mutatis vicibus timor elideret,& audacia eleuaret: quemadmodum Chriſtus, etſi aliter, vt monuit Leo citatus, de noſtro imbecillis,de ſuo fortis apparuit. Vnde quòd mortem timet,& calicem deprecatur, naturæ noſtræ, quam aſſumpſerat,infirmitas reputanda eſt: quòd autem mortis cupidus ad crucem feſtinet,& Patris voluntati ſe committat intrepidus; hoc magnum eſt diuinæ fortitudinis argumentum. Iure igitur Leo; *Illud*, inquit, *optauit ex noſtro; hoc elegit ex proprio*. Vice verſa Petrus, quam prætulit timiditatē, Magiſtri mortem reformidans, quam ob cauſam Satanas & neſcius appellatur; *Vade poſt me Satana, non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*; hanc ille habebat ex ſuo. Cùm verò cæteris tacentibus in præclaram confeſſionem erupit, ob quam dici beatus àChriſto promeruit,totum ex ipſius fortitudine, & gratia deſumptum agnouit S.Leo ſermon. 2. de Natali Apoſtolorum, vbi Chriſti nomine ita loquitur: *Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit,nec opinio te terrena feſellit, ſed inſpiratio cæleſtis inſtruxit;& non caro,& ſanguis, ſed ille me tibi,cuius ſum vnigenitus,indicauit.*

Matth. 16.

D.Leo.

Ceſſet igitur tot inter contrarios affectus admiratio.Cùm enim Petrus,teſte Auguſtino,totius Eccleſiæ figura,caputq. exiſteret;non abſonum erat, vt contrarijs affectibus pulſaretur,eundemque modico temporis interuallo cæleſtis Magiſter Beatum diceret, & Satanam; ſiquidem ipſemet Saluator ob eandem capitis rationem,iudiciorum & affectuum expertus eſt contrarietatem; cùm alioquin nō ſolum propter æternam generationem,verùm etiā ab inſtanti cōceptionis in vtero Virginis eſſet Beatus; quinimo, & Mariæ venter ob filij genituram,beatitudinis titulo decoratur. *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ ſuxiſti*. Sed proh dolor,cùm ignobilis fœmina vocē extollens Beatum prædicabat, Scribæ, & Phariſæi non ſolum Satanam, verùm etiam in Beelzebub Dæmoniorū principe Dęmonia eijcere teſtabātur. *In Beelzebub principe Dæmoniorū eijcit Dæmonia*. Venerabilis Beda expendens quo pacto inter tot calumniantium Phariſæorum nebulas vnius mulieris fidei,deuotionisque ſplendor illuxit, quam dicebamus affectuum varietatem, graphice depingit.*Magnæ*,inquit, *deuotionis,& fidei hæc mulier oſtēditur;quæ Scribis,& Phariſæis Dominum tentantibus,ſimul & blaſphemantibus; tanta eius incarnationem præ omnibus ſynceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur,vt præſentium procerum calūniam, & futurorū confundat hæreticorū perfidiam*. Hæc ille. Quaſi dicat: quo tempore Phariſæi obmurmurant,

Luc.11

Beda.

G rant,

rant, & Chriſtũ in Beelzebub poteſtate operantem muſſitantes affirmant, fœmina beatum proclamat, ſeu ventrẽ in quo fuerat conceptus, titulo beatitatis exornat. Proh quanta iudiciorũ diuerſitas! Illi ſapientes & legis periti, quos atrox inuidia obcæcauerat, Dæmoniorũ principi adſcribunt opera, quæ à ſola Dei virtute edi poſſe fatendum erat. Illa mulier humilis & abiecta vocem pariter, & mentẽ eleuans, Deum tanti operis authorem deprædicat; atque vt Iudæos perperam ſentientes confundat, ChriſtiGenitricem beatam dicere non erubeſcit. Vtrũque ex diuina diſpenſatione factum interpretor. Cùm enim Chriſtus homo eſſet, & Eccleſiæ caput, quid mirum ſi tantamin hominum iudicijs varietatẽ
Ioan.8. ſubiret? etenim apud Ioan.8. dicitur à quibuſdam: *Samaritanus es*
Ioan.10. *tu, & Dæmonium habes*: & c.10. n.20. *Quidam dixerunt, Dæmoniũ habet, & inſanit, quid eum auditis?*
Ioan.7. Præterea c.7. ita exprobant, *Dæmoniũ habes, quis te quærit interficere?* Heu quàm fatua, & blaſphemiæ plena ſunt horum verba pariter, & indicia! *Quaſi*, inquit, Au-
D. Aug. guſt. tract.10. in Ioan. *non potius fuerit dicere, Dæmoniũ habes, quã eum occidere: & quidem dictũ eſt quòd Dæmonium haberet, qui Dæmones expellebat. Quid poſſet aliud dicere turba turbulenta? quid poſſet aliud olere cœnum commotum? turba turbata eſt: vnde? à veritate: turbã lippitudinis turbauit claritas lucis; oculi enim non habentes ſanitatem, nõ poſſunt ferre luminis claritatem.* Hæc ille verè & diſertè.

Diuine amor quid non diuinum Chriſti pectus cogeres? ad audiendas Iudęorum blaſphemias identidem adegiſti: vt tibi morem gereret, Satanas, à Dæmoneq. obſeſſus & inſanus voluit appellari, muneris ſui & officij memor, qui caput Eccleſiæ cùm eſſet, multos in ea præuidebat, quos profligatæ vitæ turpitudo, & prauitas diabolica, tali appellatione fecerat dignos. Pari ratione Petrus Eccleſiæ caput, & figura, pro membrorum diuerſitate beatus eodem pene tẽpore, & Satanas dicitur; ijs affectus nominibus, quæ membris pro re & loco conuenirẽt, vt hac ratione Magiſtrum ſuum ac Redẽptorem noſtrum, cuius eſſet in terris Vicarius, imitaretur.

Allatrat hoc loco æui noſtri impudens hæreticorum procacitas, & Satanæ titulum, quo Chriſtus Dominus Petrum redarguẽs affecerat, in Romanum Pontificẽ quadrare proteſtantur. Qui Petrum, aiunt, Satanã appellauit, quod nomen Pontifici Romano indidiſſet? Fatuos vos dicã, an blaſphemos? Vtrũque eſtis perfidi Nouatores: quanto ſalubrius eſſet ita inferre: (quod fecit malleus veſter Mal- Maldon.
donatus ibi, fidiſſimus Euangelio- in c.16.
rum interpres) Qui PetrumChriſti Matth.
Vicarium, Eccleſiæ caput, firmiſſimam rupem, in qua ipſius conſtructio firmiter innitebatur, iuxta illud:

Matth. 16. illud: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam*, dixit Satanam;quibus ille nominibus Lutherum,Caluinum, & alios hæreticorũ capita, Tartariq. oſtia exploderet?Decipiuntur blaterones iſti;improba eſt, falſaq. ipſorũ calumnia:etenim,vt iam ex Auguſtino adnotauimus,idcirco Petrus Satanas ſimul, & beatus à Chriſto audiuit, quia omnium caput erat ille, ac figura: Propter iuſtos,fide ſtabiles,gratia ſtabilitos,æternæq. beatitudini deſtinatos, beatus: propter hæreticos,licet Baptiſmatis fonte ablutos,in fide tamen errantes,& Dęmonis filios;quorum, etſi impudẽter id negãt,Petrus, & Romanus Pontifex ipſius ſucceſſor caput eſt,vbi primum per Baptiſmi oſtium in Eccleſiam intrarunt; Satanas appellatur. Quid ergo nomẽ operibus ſuis congruũ repudiant? Veſtra eſt, Nouatores, Satanæ appellatio: veſtram reſpiciebat perfidiam, & diabolicam improbitatẽ, qui ſuum Vicariũ, & caput veſtrũ, Satanam dixit;quemadmodum ad fideles reſpiciens eundem Petrum beatitudinis pręconio decorauit.

Pudore ſuffunduntur hæretici dũ ſe ab Auguſtino conuictos inſpiciunt: at qui doctoris magni dextra cadunt, nõ tantum erubeſcere debuiſſent. Non ita grauior ipſis D.Hier. erit D. Hieronymus, in hoc loco rem ita diffiniẽs: *Quomodo*,inquit, *poſt tantam beatitudinẽ, beatus es Simon Bar-iona & tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam:& tibi dabo claues Regni cælorũ: & quod ligaueris, vel ſolueris ſuper terrã, erit ligatum vel ſolutum in cælo: nunc audiat, Vade retro Satana, ſcandalum mihi es;aut quæ ſit tam repentina conuerſio, vt poſt tanta præmia Satanas appelletur?* Statimq. rationem reddit,ob quam cæleſtis Magiſter ea vſus fuerit appellationum diuerſitate. *Sed ſi*, inquit, *conſideret qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem,ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datã intelliget. Aedificabo*,inquit,*ſuper te Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni cælorum;omnia de futuro: quæ ſi ſtatim ei dediſſet,nunquã in eo prauæ confeſſionis error inueniſſet locum*. Hæc ille. Ex quibus planũ fit,propterea Petrum à Chriſto Satanam appellatum; quia nõdum ipſius in terra Vicarius & Eccleſiæ caput erat: aliter, eam iam obtinens dignitatem, nequaquam conſentit D. Hieronymus quòd Satanas diceretur. Cur ergo hæreticorũ impudentia Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium,Petri ſucceſſorẽ, Eccleſiæ caput,Satanæ appellationibus deturpare nõ erubeſcit? eiq. nomen dedere alienum, qui propter dignitatem,&,ſi ita fas eſt loqui,Vicedeitatem,ſplendidiſsimis ac diuinis,Sanctiſſimi videlicet, &

Beatiſsimi Patris nominibus illuſtrari promeretur?

Sed quid ego contra imbelles tela vibro fortiſsima? faciliùs expugnantur infirma hæreticorum argumenta. Cur iterum ſugiēti ſimilis, & funābuli inſtar, inter Auguſtini figuras in Petro repræſentaras, & futuras ædificādæ Eccleſiæ promiſſiones à D. Hieronymo inuentas, ſuſpēſus incedo? Figurata cedāt effugia: myſticos ſenſus ad Petri defenſionē nō ambio. Planiorem mihi viam oſtendit Magnus Origenes, in qua litteræ inhærens facilè inueniam, ex Satanæ appellatione hæreticos iniuſtè occaſionem arripuiſſe, vt Petrum, ipſiusq. ſucceſſores blaſphemijs & calumnijs lacerarent.

CAPVT VIII.

Iuxta Origenis interpretationem difficultati reſpondetur, & Nouatorum calumniæ refutantur.

MAgnus Origenes Satanæ nomen, quo vtitur Chriſtus, aliter quam ſonat interpretatur. *Satana autem*, inquit ille, *dixit ei, quaſi per ignorantiā habenti aliquid contrarium Deo; quod Hebræi interpretati ſunt, contrarius: & ſi non dixiſſet contraria eis, quæ dicta ſunt ab eo, nō ei dixiſſet Satana.* Origenis ſemitā calcauit Hieronymus in c. 16. Matth. vbi ita: *Satanas interpretatur aduerſarius*; ſtatimq. ſubdit Petrum Chriſti nomine alloquens: *Quia contraria loquens volūtati meæ, debes aduerſarius appellari.* Notandū verò eſt Satanam, ſeu contrarium, non eiuſdem notionis eſſe atque diabolū. Vnde concludit egregiè Hieronymus: *Sed mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuū diaboli videbitur.* Digna tanto Doctore erga Chriſti Vicarium pietas, quam ego deoſculor, & reuerenter amplector.

Origen. tract. 1. in Matth. Hieron.

Præceptoris ſui de ſuſtinenda morte decreto, nulla interueniēte culpa, ignorāter tamen, ſeſe diſcipulus oppoſuerat: idcirco Satanas appellatur; quod amicus citra amoris offēſam, amico dicere potuiſſet; maximè cū Chriſtus agnoſceret oppoſitionē illam ex amoris affectu prouenire: quo aſpectu Dauid 2. Reg. 19. Ioabum & Amaſam allocutus: *Quid mihi*, inquit, *& vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in Satan?* Ideſt aduerſarij; id enim ſignificat Hebræorum idioma, vt tenet D. Chryſoſt. in c. 12. epiſt. ad Corinth hom. 26. *Quid igitur*, ait, *ſibi vult his verbis? Satan Hebræorū lingua aduerſarium ſonat. Et Scriptura* 3. *Reg. lib. aduerſarios hoc nomine appellauit. Nam de Salomone verba faciens ait: Non erat ſatan in diebus ipſius, hoc eſt aduerſarius, qui bellum ipſi inferret, aut moleſtiam exhiberet.* Addo ipſius Redemptoris calculum, eo quod ſtatim adiecit dicens: *Scandalum es mihi*; quod interprete Barradio to. 2. lib. 10.

2. Reg. 19.

D. Chryſ.

3. Reg. 5.

Barrad.

lib. 10. cap. 25. obſtaculum ſignificat, & impedimentum: vnde quia Petrus paſſioni amore ductus obſtabat, ſcandalum eſſe dicitur, hoc eſt impedimentum: Non quia poſſet Chriſto ſcandalum exhibere, ſed quia Chriſti paſſioni obſtaculum ignoranter opponebat.

Duo itaq. in ea Petri increpatione Chriſtus reſpiciebat, ſi D. Chryſoſtomo credēdum eſt homil. 55. in Matth. Primùm libertatem demonſtrabat, qua ad ſuſtinendam mortē ducebatur. Chryſoſtomus: *Ipſe verò, vt oſtenderet ſponte ſe ad paſſionē venire, increpauit Petrum, & Satanam appellauit.* Secundùm vt timorem mortis ſuæ, quo diſcipulorum pectora quatiebantur, prorſus excuteret: idem Chryſoſtomus: *Hæc enim illius oppoſiti cupiditas erat, ne Chriſtus pateretur: idcirco ſic vehemēter increpauit, quia ſciebat tam ipſum, quàm cæteros valde id formidare, nec facilè poſſe audire: quocirca & mentis eius arcana reuelat dicens: Quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum; nam ille cùm humanis, caducisq. cogitationibus rem penſaret, turpe, ac indecorum id Domino futurum æſtimabat.* Hæc ille.

D. chryſ.

D. chryſ.

Longè aliter poſtea cenſuit Petrus diuinæ claritatis appulſu illuſtratus: etenim Magiſtrum ſecutus, ipſiusq. monitis & præceptis obtemperans, tantum profecit, vt periculorum omnium, mortisq. contemptor euaſerit. Atque adeo non ſolùm Chriſti necem probauit, ſed etiam propriam lætabundus, vltroneusq. oppetijt. Hinc eſt quòd in carcere conſtitutus, & poſtera die ad capitale ſupplicium extrahendus, ità ſuauiter quieſcebat, ac ſi in farta roſis culcitra molliter decubaret vt videre eſt Actorum 12. Sed nihil mirū, ait Chryſoſtom. homil. 8. in epiſt. ad Epheſios; *Ita videlicet erat hilaris, ac nihil prorſus immutatus.* Nec mireris, quoniam Chriſti amor in ipſius pectora exardeſcens, & cæleſtis ſapientia, qua indidem fuerat illuſtratus, in cauſa erat, vt res alijs iam oculis intueretur, mortisq. horrorem, & carceris ſqualorem, & tenebras non ſolùm temperaret, ſed etiam qualibet vita, luceq. iocundiores efficeret. Parua loquor, maius eſt diuini amoris artificium, dum pœnas mutat in delitias, tormentaq. in oblectamenta conuertit, ipſe non ſolùm non deteſtanda efficit pro dilectis mala, ſed etiam expetenda, & ſummopere diligenda; quinimo etiam inuidenda. Inter duos militum quaterniones dulcem Petrus ſomnum capiebat, cùm Angelus ipſū excitaturus aduenit: *Percuſſoq. latere Petri excitauit eum:* Actor. 12. vidit hoc mētis acumine D. Chryſoſtomus; dicam? & inuidit: ſanctaq. plenus inuidia ſic profatur: *Si quis mihi diceret, quid malles an eſſe Angelus Petrum ſtimulans ac ſoluens? an Petrus ſeruatus? Petrus vtique maluiſſem eſſe propter*

Act. 12.

Chryſoſt.

Actor. 12

D. chryſ. Homil. 8. ad Epheſ.

pter quem Angelus deſcendit. Ita ille. Laudanda quidem eſt hæc Chryſoſtomi inuidia, & ab homine Chriſtiano ſummo ſtudio imitanda.

Claudo hic Petri in hac Saluatoris reprehenſione, indemnitatis ipſius, defenſionisq. argumentum: Coronidis tamen vice, pulcherrimum cæleſtis Sponſi, venuſtatem Sponſæ extollentis encomium adijcio: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; Cantic. 4. Admirandum certè præconium. Nihil reliqui fecerat Spõſus, quod adderet ad laudem: non plus vltra ad encomium adijci potuiſſe videtur. Verùm auſculta quid ſtatim Sponſus inclamet: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni*. Cantic. 4. Cantic. 4. Ter ad perfectionis culmen faſtigiumq. vocatur: nõ ne ſatis erat ſemel illam vocaſſe quæ trahi poſtulabat? *Trahe me poſt te, & curremus*. Cur igitur quæ trahi rogat, & currendo ſequi trahẽtem pollicetur, ter vocatur? Optimè reſpondet ad eum locum D. Gregorius Nyſſenus: Gregor. Nyſſen. *Nunquam aſcendenti deeſt cohortatio, qua ſemper ad maiora protrahatur*. Quaſi dicat, nolo vt aſcenſu fatigata paululum ſiſtat, & immoretur: idcirco moneo, ac identidem tertioque exhortor, & dico, Veni de Libano. Nec ſuperuacanea eſt trina vocatio: Audi ipſum Nyſſenum in eo loco more Nyſſen. ſuo diſertè loquentem. *Ne propter hoc teſtimonium ſtulto faſtu elata, in progreſſu ad altiora impediatur, rurſum voce exhortatoria, eam ad deſiderium ſuperiorum excitat; quaſi diceret, cùm ad hanc ſublimitatem perueneris, ne ſubſiſtas in aſcendendo, quaſi iam perfectionẽ aſſecuta ſis*. Hæc Sponſi nomine fatur Nyſſenus. Quaſi dicat, verebatur ne propterea quòd omnimodæ pulchritudinis elogio Spõſam decorauerat, illa magnifico elata præconio inſoleſcens, & totam ſe pulchram circumſpiciens, totum quod perfectionis erat acquiſitum reputaret, atque adeo ſiſteret; neque ad anteriora, quod faciebat Paulus, ſe extendere niteretur: idcirco bis, & tertiò ad aſcẽſum prouocat & exhortatur. Eodem vſus artificio cæleſtis Magiſter, vt Petrum doceret humilitatem, faſtumq. & arrogantiam deprimeret, quæ forte ob Beati titulum, dignitatisq. officium potuiſſet obrepere, Satanã appellat: *Vade poſt me Satana*, quem paulo ante, poſt magnifica beatitudinis Matth. 16. præconia, poſt laudatam animi ſoliditatem, & conſtãtiam, Petri nomine adumbratam, Eccleſiæ Caput inſtituerat; vt ſi forte collata dignitas, præſtitumq. beatitudinis encomium extolleret, commemorata Satanæ appellatione humilitas, elationem penitus deprimeret.

A R-

ARCHIELOGIVM TERTIVM.

De ignorantia D. Petri in Monte Thabor oſtenſa.

TErtium aggredior Principis Apoſtolorũ princeps elogiũ, quod primò in publicum extrahere meditabar: illius enim materies cæteris archielogijs, imò vniuerſo operi occaſionem præbuit, & fomitem miniſtrauit. Quippe cùm apud Principem ex ijs, quos Hiſpania dicit Magnos, de Chriſti transfiguratione verba facerem; cõtigit vt ad illa verba, in quæ Petrus, beatitatis illius dulcedine captus eruperat, dicens: *Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnũ, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Matth. 17. ipſum ab ignorantia, quam ibi oſtendit, excuſauerim, ſicuti & Marcus teſtatur, & Lucas; hic dum ait, *Neſciens quid diceret* cap. 9. ille pene conſonus: *Non enim ſciebat quid diceret.* Nec ſine patronis, & magnis ducibus talem excuſationem prætexui. Magnus mihi præiuit Ambroſius, & in aureo Chryſoſtomi flumine orationis noſtræ ſpongiam intinxi, vt ignorantiæ labem abſtergerem: quoniam hi Patres Apoſtolorum Principem ab omni culpa, peccatiq. ſpecie conſtanter defendunt.

Matth. 17. Luce. 9. Marc. 9.

Nihilominus non defuere, qui cẽſoriam erexere virgam, Chriſti Vicarium percuſſuri; tam in ipſum iniurij, quam in concionatorem, (qualẽ per id temporis agebam) rigidi cenſores. Forte (bona fides adfuerit) Petrum, dũ in monte illo ignorantiam oſtendit, peccati reũ euaſiſſe crediderunt: & ideo illam mihi adſcripſerunt, eo ſolo nomine, quòd Apoſtolorum Principem Chryſoſtomi, Ambroſijq. authoritate, ab omni culpa vendicauerim; quin etiam eorumdem ſuffultus patrocinio, amoris affectum, quẽ erga Magiſtrum ſuum, & Saluatorem noſtrum, hic & ſæpe alibi Petrus oſtendit (vt poſtea dicam) encomiaſtes pariter & deuotus commendauerim. Præterijt hos cenſores, ſe Cupidinis inſtar oculos habuiſſe faſcia contectos: vnde non recta collimarunt cenſuræ ſagittas: quoniam dum ignorantiam damnant, produnt, ac in Caluiniſtarum turpitudinem prolabuntur, qui ex hac, & alijs leuis momenti cauſis anſam arripuerũt vt Petro detraherent: quos ideo Maldonatus, litteralis Euangelij ſenſus indagator acerrimus, explodit, Ambroſio libentius au-

ſcultato; cuius ſententiam referés hæc adijcit: *Iuuat intueri quanto verius, quantoq. meliori ſpiritu D. Ambroſius, quàm Caluinus Petri factum interpretetur.* O qualẽ iſti habent anteſignanum, quàm pudenda Caluini ſequela! quã nõ contenti, Magdeburgenſes ſequi non verecundantur; qui impio auſu, prauo affectu, roſtroq. vulturino, Petri verba rimantur: *Domine bonum eſt nos hic eſſe; ſi vis, faciamus hic tria tabernacula;* & in illis peccantem accuſant: *Peccabat,* inquiũt, *Petrus, quòd extra verbum Dei memoriam iſtius rei, cultumq. cogitaret inſtituere: quã & voce Patris caleſtis iſta ſuperſtitio Petri caſtigatur.* Verùm vt futilis eſt, & temeritate plena iſtorum criminatio, ſic leui brachio erit eluenda. *Non enim,* vt cum D. Hieronymo de perpetua virginitate contra Heluidium loquamur; *Rhetorici campum deſideramus eloquij: non dialecticorum tendiculas, nec Ariſtotelis ſpineta conquirimus; ipſa Scripturarum verba ponenda ſunt, vt ipſis, quibus aduerſum nos vſus eſt teſtimonijs, reuincatur: vt intelligat ſe & legere potuiſſe, quæ ſcripta ſunt, & non potuiſſe quæ pietate roborata ſunt, cognoſcere.* Certè in Chriſti Vicarium (ne dicam impios) parum pij extiterunt. Dum enim audiunt Euangeliſtas, Petrum ignoraſſe quid diceret affirmãtes, aduertere ipſi debuiſſent Petrò ad uertentiam deſuiſſe; quæ cùm deſit, nemo criminis reus iuſtè prudenterq. damnatur.

Maldon in c. 17. Matth.

Matth. 17.

D. Hier. cont. Heluid.

Non noui, fateor, hos cenſores: nec ſi nouiſſem, nomina proferrem: quia animus mihi eſt obiecta diluere, à perſoniſq. abſtinere, vt iam ex D. Hieronymo ad Pamach. & Ocea. de erroribus Origenis perdidici: *Omittam,* ait, *perſonas; rebus tantum & criminibus reſpondebo: neque enim cauſæ prodeſt maledicentibus remaledicere, & aduerſarios talione mordere.* Duo tamen (ſicut accepi) extiterunt: non tamen Auguſtinos credo, aut Hieronymos; quorum vmbras ſi referrent, non ita turpiter in cenſendo Chriſti Vicario laberentur. Attamen (non diuinatio iſta eſt, ſed veritas ſponte ſe prodens) alter de doctrina ſibi plurimum blanditur, ſed oſcitanter libris incumbit, dormitando potius quàm legendo. *Si enim litteras didiciſſet,* (quod in primo Apologiæ libro contra Rufinum producit S. Hieronymus) *oleret teſta ingenioli ſui, quo ſemel fuiſſet imbuta.* Alter (ita audiui) Sacrarum litterarum, Theologiæq. lycea nec de limine ſalutauit: vterque iuſto pudore vultum, ne agnoſceretur, obnubit. Verùm ita incognitis illud Hieronymi in eadem Apologia reſpondere poſſem: *Nouum malitiæ genus, accuſare quod prodi timeas, ſcribere quod occultes: Si ſunt vera quæ ſcripſit, cur publicum timuit? ſi falſa, cur ſcripſit?* Et quis ita formidoloſus,

D. Hier. Epiſt. 65.

D. Hier. in Apol cont. Ruf.

Hieron. ibidem.

vt

vt falſa ſcribentem pertimeſcat? Non ego certè, qui non Æneæ, ſed Hieronymi clypeum habeo telis obijciendū. Et *Reprehenſores non audio, ſequor Magiſtros*. Præſertim quia imbelles illi; proiecto lapide, teloq. vibrato, manum abſcondentes faciem verterunt: nec directis, ſed obliquis auſi ſunt petitionibus aggredi: proindeque Hieronymum ipſis dicentem oppono: *Noli ex obliquo, & vnde non putaris, vulnus inferre: directo percute gladio: turpe tibi eſt hoſtem dolis ferire, non viribus*. Non abſimiles, quibus cum noſtra lis eſt, poſt parietem & murum tecti munitiq. periculum formidantes ſteterunt, contra innocentiam non acuta vibrantes tela, ſed aculeata verba: nec tincta Lycambęo felle ſpicula, ſed probra innumera Tartareo igne cadentia proijcientes: &, quod ignauorum eſt, linguis pugnantes, peſſimum inuidentiæ virus euomuerunt. O ignaui! lingua res agitur? Hieronymum audite loco citato. *Delicata doctrina eſt pugnanti ictus dictare de muro, & cùm ipſe vnguentis delibutus ſis, cruentum militem accuſare formidinis*. Cur timeat, cui nullum in prælio imminet cadendi periculum, ſed corporis ſui tutiſſima cuſtodia certiſsimam reddidit victoriæ fortunam? Non timet hoſtis gladium, qui in turri editiſsima conſtitutus aërem lingua identidē verberat, vt ignaui conſueſcunt. Quàm alium

Hieron. ad Pam. in Apolog. pro lib. is aduerſus Iouinian.

Hieron. ibidem.

Hieron. ibidem.

D. Hieronymum contra Iouinianū præliantem campus inſpexit. Vnde Pamachio ſuo in Apologia dicebat: *Nolo tale certamen adeas, in quo tantùm te protegas, & torpente dextra, ſiniſtra clypeum circumferas: aut feriendum tibi eſt, aut cadendum: Non poſſum te exiſtimare victorem, niſi aduerſarium videro trucidatum*.

D. Hier. ibidem.

Verùm neque hac ratione tela noſtra in hæc corpora, vel potius in has corporum vmbras dirigemus: ſcopus noſter erit veritatis defenſio, hæreticorum conuictio, in quorum doctrinam illi parum prouidè impegerunt. Quin etiam hæreticis parcendum erit, nec iniuria perſonis irroganda, ſed culpa prodenda eſt, Vatis monitum ſecuti;

Hunc ſeruare modum noſtri nouere libelli,
Parcere perſonis, dicere de vitijs.

Quod à Moyſi factum ſacra refert hiſtoria Exod. 32. dum cæcis vituli cultoribus ipſum in cineres redactum, & aqua dilutum prębuit potandum, vt hac ratione effrænem populi temeritatem, efferatamque temerariæ præſumptionis audaciam caſtigaret: *Arripienſq. vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerē, quem ſparſit in aquam; & dedit ex eo potum filijs Iſrael*. Itaque peccatoribus pepercit, omnemq. in peccatum, ſeu peccati obiectum iracundiam exprompſit, & vindictam exercuit; quia culpā ſolummo-

Exod. 32.

mo-

ſculrato; cuius ſententiam referēs hæc adijcit: *Iuuat intueri quanto verius, quantoq. meliori ſpiritu D. Ambroſius, quàm Caluinus Petri factum interpretetur.* O qualē iſti habent anteſignanum, quàm pudenda Caluini ſequela! qua nō contenti, Magdeburgenſes ſequi non verecundantur; qui impio auſu, prauo affectu, roſtroq. vulturino, Petri verba rimantur: *Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula*; & in illis peccantem accuſant: *Peccabat*, inquiūt, *Petrus, quòd extra verbum Dei memoriam iſtius rei, cultumq. cogitaret inſtituere; ipſa & voce Patris cæleſtis iſta ſuperſtitio Petri caſtigatur.* Verùm vt futilis eſt, & temeritate plena iſtorum criminatio, ſic leui brachio erit eluenda. *Non enim*, vt cum D. Hieronymo de perpetua virginitate contra Heluidium loquamur; *Rhetorici campum deſideramus eloquij: non dialecticorum tendiculas, nec Ariſtotelis ſpineta conquirimus; ipſa Scripturarum verba ponenda ſunt, vt ipſis, quibus aduerſum nos vſus eſt teſtimonijs, reuincatur: vt intelligat ſe & legere potuiſſe, quæ ſcripta ſunt, & non potuiſſe quæ pietate roborata ſunt, cognoſcere.* Certè in Chriſti Vicarium (ne dicam impios) parum pij extiterunt. Dum enim audiunt Euangeliſtas, Petrum ignoraſſe quid diceret affirmātes, aduertere ipſi debuiſſent Petrò aduertentiam defuiſſe; quæ cùm deſit, nemo criminis reus iuſtè prudenterq. damnatur.

Maldon in c. 17. Matth.

Matth. 17.

D. Hier. cont. Heluid.

Non noui, fateor, hos cenſores: nec ſi nouiſſem, nomina proferrem: quia animus mihi eſt obiecta diluere, à perſoniſq. abſtinere, vt iam ex D. Hieronymo ad Pamach. & Ocea. de erroribus Origenis perdidici: *Omittam*, ait, *perſonas; rebus tantum & criminibus reſpondebo: neque enim cauſæ prodeſt maledicentibus remaledicere, & aduerſarios talione mordere.* Duo tamen (ſicut accepi) extiterunt: non tamen Auguſtinos credo aut Hieronymos; quorum vmbras ſi referrent, non ita turpiter in cenſendo Chriſti Vicario laberentur. Attamen (non diuinatio iſta eſt, ſed veritas ſponte ſe prodens) alter de doctrina ſibi plurimum blanditur, ſed oſcitanter libris incumbit, dormitando potius quàm legendo. *Si enim litteras didiciſſet*, (quod in primo Apologiæ libro contra Rufinum producit S. Hieronymus) *oleret teſta ingenioli ſui, quo ſemel fuiſſet imbuta.* Alter (ita audiui) Sacrarum litterarum, Theologiæq. lycęa nec de limine ſalutauit: vterque iuſto pudore vultum, ne agnoſceretur, obnubit. Verùm ita incognitis illud Hieronymi in eadem Apologia reſpondere poſſem: *Nouum malitiæ genus, accuſare quod prodi timeas, ſcribere quod occultes: Si ſunt vera quæ ſcripſit, cur publicum timuit? ſi falſa, cur ſcripſit?* Et quis ita formidoloſus,

D. Hier. Epiſt. 65.

D Hier. in Apol cont Ruf.

Hieron. ibidem.

vt falſa ſcribentem pertimeſcat? Non ego certè, qui non Æneæ, ſed Hieronymi clypeum habeo telis obijciendũ. Et *Reprehenſores non audio, ſequor Magiſtros*. Præſertim quia imbelles illi; proiecto lapide, teloq. vibrato, manum abſcondentes faciem verterunt: nec directis, ſed obliquis auſi ſunt petitionibus aggredi: proindeque Hieronymum ipſis dicentem oppono: *Noli ex obliquo, & vnde non putaris, vulnus inferre: directo percute gladio: turpe tibi eſt hoſtem dolis ferire, non viribus*. Non abſimiles, quibus cum noſtra lis eſt, poſt parietem & murum tecti munitiq. periculum formidantes ſteterunt, contra innocentiam non acuta vibrantes tela, ſed aculeata verba: nec tincta Lycambęo felle ſpicula, ſed probra innumera Tartareo igne cadentia proijcientes: &, quod ignauorum eſt, linguis pugnantes, peſſimum inuidentiæ virus euomuerunt. O ignaui! linguares agitur? Hieronymum audite loco citato. *Delicata doctrina eſt pugnanti ictus dictare de muro, & cùm ipſe vnguentis delibutus ſis, cruentum militem accuſare formidinis*. Cur timeat, cui nullum in prælio imminet cadendi periculum, ſed corporis ſui tutiſſima cuſtodia certiſsimam reddidit victoriæ fortunam? Non timet hoſtis gladium, qui in turri editiſsima conſtitutus aërem lingua identidē verberat, vt ignaui conſueſcunt. Quàm alium

Hieron. ad Pam. in Apolog. pro libris aduerſus Iouinian.

Hieron. ibidem.

Hieron. ibidem.

D. Hieronymum contra Iouinianũ præliantem campus inſpexit. Vnde Pamachio ſuo in Apologia dicebat: *Nolo tale certamen adeas, in quo tantùm te protegas, & torpente dextra, ſiniſtra clypeum circumferas: aut feriendum tibi eſt, aut cadendum: Non poſſum te exiſtimare victorem, niſi aduerſarium videro trucidatum*.

D. Hier. ibidem.

Verùm neque hac ratione tela noſtra in hæc corpora, vel potius in has corporum vmbras dirigemus: ſcopus noſter erit veritatis defenſio, hæreticorum conuictio, in quorum doctrinam illi parum prouidè impegerunt. Quin etiam hæreticis parcendum erit, nec iniuria perſonis irroganda, ſed culpa prodenda eſt, Vatis monitum ſecuti;

Hunc ſeruare modum noſtri nouere libelli,
Parcere perſonis, dicere de vitijs.

Quod à Moyſi factum ſacra refert hiſtoria Exod. 32. dum cæcis vituli cultoribus ipſum in cineres redactum, & aqua dilutum prębuit potandum, vt hac ratione effrænem populi temeritatem, efferatamque temerariæ præſumptionis audaciam caſtigaret: *Arripienſq. vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerē, quem ſparſit in aquam; & dedit ex eo potum filijs Iſrael*. Itaque peccatoribus pepercit, omnemq. in peccatum, ſeu peccati obiectum iracundiam exprompſit, & vindictam exercuit; quia culpā ſolum-

Exod. 32.

mo-

modo volebat extinguere, & delinquentibus nō nocere ſtudebat. Vidit hoc Oleaſter ad hunc locū: *Potius*, inquit, *in peccatum, quàm in peccatores ſæuit*.

Oleaſter.

Igitur in euertenda hæreticorum prauitate, conuincēdaq. ignorantia inſiſtendum nobis erit: nec multum in hoc operæ & laboris impendendum. Priùs tamen theologica, vt dicunt, principia, & poſitiua communiter recepta & indubitata, nec non ſanctorum Patrum doctrina ſtabilita iaciemus; vt hac ratione hæreticorū impietas detegatur, & quæ inde in Apoſtolorum Principem redundēt encomia dignoſcantur: miro namque modo diſſeminatæ prauorum calumniæ fœneraria quadam viciſſitudine in tot prærogatiuas ſuccreuerunt.

Quæ nec pernumerare curioſi Poſſint, nec mala faſcinare lingua.

Vt verò tota præſentis Archielogij ſeries ſub vno aſpectu legentibus proponatur, ſanctorum Patrum ſententias circa Petri ignorantiam producemus; ijsq. ad examen reuocatis, in quo ignorantia conſtiterit, vndeuè proceſſerit, demonſtrabitur: & ſubinde bonorū cæleſtium magnitudinem, quæ Petrum ignorantem reddiderunt, & ab ignorātia excuſarunt: itemque formidandum extremi iudicij rigorem, cui in transfiguratione Chriſtus prælufit, acerbiſſimamq. eiuſdem Saluatoris paſſionem expendemus. Poſtremò de Petri Monarchia & Principatu, quid iuxta fidem contra Nouatores ſentiendum ſit, ſtatuemus. Quo fiet vt Petrus apud Thabor non ſolùm ab ignorātia culpaq immunis, ſed innocentiſsimus, ſapientiſsimusq. appareat: vnde ipſius ignorantia, dignitas, Principatus, Monarchia, de Nouatorum calumnijs victrix palmam feret, & glorioſiùs triumphabit.

CAPVT I.

Principia ſcholaſtica, moralia, & poſitiua iaciuntur, quibus Petri ignorantia peccato immunis demonſtratur.

PArum equidem mente aſſequitur, & cæca nimium præſumptione extollitur, qui theologicis deſtitutus principijs Scholaſticorū authoritate firmatis, deſicenteq. ſanctorum Patrum doctrina, qua veluti filo cæca regat veſtigia, ſanctarum Scripturarum labyrinthum ingredi tentet, ac pro arbitrio interpretationem texere adoriatur, contra Synodi Tridentinæ decretum ſeſſ. 4 de vſu ſacrorum librorum: quodq. amplius explodendum eſt, ſoli inhærens cortici, & verborum ambiguitate deceptus, normas ſibi fingit, canoneſq. ſtatuit, quibus ridenda ingenij tenuitate ſacros textus audet exponere (dolendum planè) cùm materiæ grauitas, qualem in hoc

tra-

tractamus Archielogio, aliud poſtulet;inſuperq. ſanctorum Patrum & vtriuſque doctrinæ (ſcholaſticæ videlicet & poſitiuę) Magiſtrorum ſententiæ reſtagetur: adde rationes,& principia ad mores ſpectātia,ex quibus euidenter colligitur D. Petrum in monte Thabor peccati reum nullatenus extitiſſe: & tamen (ò fatua nimis iudicia) non defuere, qui ſola ſubnixi ignorantia (quam D. Auguſtinus falſitatis & dubietatis matrem prudenter appellauit, *Peſſimæ matris*, dicens, *ignorantiæ peſſimæ itidem duæ filiæ ſunt, ſcilicet falſitas, & dubietas: illa miſerior, iſta miſerabilior: illa pernicioſior, iſta moleſtior)* Petrum culpæ inſimularunt: forte quia Marcus & Lucas viſi ſunt ipſius ignorantiam damnaſſe cùm dixerint: *Non enim ſciebat quid diceret*. Quod veriùs de his cenſoribus dici potuiſſet, & facillimè comprobari: Primò deductis ex ſcholaſtica, moraliq. doctrina rationibus adeo validis,vt niſi cæcitate opprimantur, conuictos ſe ſentiant. Secundò poſitiua efformabimus argumenta, ſanctorum Patrū authoritate roborata; quos etſi non admittunt, conſtabit tamen quàm ſit fundamento deſtituta doctrinæ huius falſitas, & quàm facili negotio concuti, & penitus euelli poſſit. In his enim adimpletum conſpicio,quod ponderauit egregiè S. Chryſologus ſerm. 21. ad illa verba Marci ex capit. 4. *Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis*. Sed quinam ſunt fluctus iſti, quos in nauim procella mittebat,niſi hęretici, qui cæco impetu in Eccleſiam hinc inde irruentes, abſque vllo fundamento,& ſanctorum Patrum ductu, ſubuertere nituntur? cùm tamen apud ipſos nihil firmū ſit & ſtabile, ſed diſputationum & controuerſiarum fluctibus iactati naufragium patiantur, quia ad Eccleſiæ Arcton minimè reſpiciunt,ſed proprio Marte, ſydereq. infauſto, procelloſo æquori ſe cōmittunt, Acherōtis fluctibus tandem perituri. Sed iam Chryſologus: *Meritò ſpumoſis fluctibus Euāgeliſta refert fuiſſe nauim repletam; cùm tot pene hæreſes Eccleſia patiatur, quot diuinæ legis legimus eſſe quæſtiones*. Nos verò, qui fidem catholicam profitemur, & Petri naui prouehimur, vt ſalutis portum teneamus, ſanctos Eccleſiæ Doctores tanquam ſydera remetimur; è quorum doctrina, & veritate magna ſuſcepit fidei & virtutum incremēta, ſicuti D. Auguſtinus lib. contra Iulianum capit. vltimo teſtatur. *Talibus*, ait, *poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plātatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit*. Hinc aptiſsimè Caſſiodorus in præfat. ad lib. de Diuinis lectionibus ſanctos Patres ſcalæ Iacob ſimiles appellat: ijs enim tanquam gradibus ad veritatis contemplationem aſcenditur. *Dilectiſſi-*

D. Aug. Marc. 9. Luc. 9. D. Chryſ. ſerm. 21. Marc. 4. D. Chryſ. D. Aug. Caſſiod.

Chriſsimi, inquit, *fratres indubitanter aſcendamus ad diuinam Scripturam per expoſitiones probabiles Patrum, velut per quandam ſcalam viſionis Iacob; vt eorum ſenſibus protecti ad contemplationem Domini efficaciter peruenire mereamur*. Quin etiam eodem lib. c. 15. Patrum doctrinam monumentis ſcriptam, facem vocat ſplendidiſsimam, ad cuius ſplendorem veritas repetitur. *Epiſtolæ quoque Patrum, ſermones & libri diuerſorum: nec non & homiliæ, vel cum hæreticis altercationes fidelium, quoniam diuerſa loca Scripturæ diuinæ ſuauiter, ac diligenter aperiunt, magno ſtudio relegantur; quatenus in Eccleſia Dei, quaſi quibuſdam lampadibus cõpetenter accenſis, totum nitidum, totum ſplendidum Domino præſtãte colluceat*. Non abludit Rupertus lib. 3. in Ioann. vbi ſacros Doctores, ſtellas polares dicit, minimèq. errãtes; quibus inſpectis curſum, ad fidei veritatem aſſequendam, dirigimus. *Doctores*, ait, *ſacri mente, ac vigilantibus oculis tenendi ſunt: qui tanquam Arcturi nunquam occidentis lucida ſydera, ſtabili fide ſemper fixi ſteterunt, & lucem fidei fundentes erroris occaſum neſcierunt*. E contra verò hæreticos dixeris errantes ſtellas, vel potiùs ignes fatuos è terrenis exalationibus in aëre ſuccẽſos; quorum lux maligna eſt & ſubobſcura, nec illuminãdi vim habet, ſed vrendi. Iterum Rupertus: *Hæreticorum verò lux erratica longe fugienda eſt; ſunt enim, vt Apoſtolus Iudas ait, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt*. Sacros igitur ſequamur Doctores; Sydera obſeruemus fulgentiſſima, faces ſplẽdidiſsimas præferamus; ne ſine ductore deſtituti errorum fluctibus obruamur. Sed Theologica priùs fundamenta ſubſternamus.

Lib. de diuin. lect. cap. 15.

Rupert. 3. in Ioan.

§. PRIMVM.

Ex ſcholaſticis, moralibusq. principijs primum ſubſternitur fundamentum, quo D. Petri à peccato immunitas ſuſtentatur.

FIrmum plane eſt & inconcuſſum pro re morali præiactũ à Theologis fundamentũ, & principium communi aſſenſu receptiſſimum, Inuincibilem ignorantiam, quam dicunt antecedẽtem, à peccato prorſus excuſare, omnemq. ab humanis actionibus malitiam eradere, vt docuit ſanctus Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 18. & lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. D. Thom. 1. 2. q. 64. art. 3. & communiter Doctores, omnium latiſsimè Couarr. in cap. *Alma mater*, 1. par. §. 10. num. 12. & 13. vbi plurimos adducit. Thomas Sanchez in præcepta Decalogi lib. 1. cap. 16. concluſ. 1. Didacus Granado 1. 2. controu. 6. de peccat. tract. 5. diſput. 3. ſect. 3. & plures alij. Aſſertionis huius ratio plana eſt, & nullam patitur

tergi-

Digitized by Google

cergiuerſationẽ: Quidquid enim eſt ex ſe prorſus inuoluntarium, nulla ratione malitia affectum reputari debet: Atqui actio, quam inuincibilis ignorantia præcedit, nullo modo eſt voluntaria: quippe quæ citra poteſtatem operantis poſita eſt, & vltra omnes libertatis terminos conſtituta: Igitur nequaquam malitiæ capax iudicari poteſt. Aliter probat eandem aſſertionem Thom. Sanch. loco ſupracitato. Syndęreſis rationis, ſeu cònſcientiæ iudicium, proxima & immediata regula eſt, ad quam veluti adamuſsim, humanarum actionum malitia menſuratur: vnde quoties iuxta præfatam regugulam res inuincibiliter, & prudenter creditur non illicita; impoſsibile eſt vt ex ea in actionem humanam aliqualis malitia refundatur.

Ad maiorem tamen perſpicuitatem, atque vt huius principij veritas omnibus diſpaleſcat; baſim aliam ſubſternere oportet, in qua totius defenſionis noſtræ operoſa moles ſuſtentatur. Stabiliendum igitur eſt cum Theologorum cõmuni ſchola, quid ſit inuincibilis ignorantia, & in quo ipſius ratio conſtituatur. Et quidem, poſthabitis pluribus ignorãtiæ diuiſionibus, quas adducit Cordub. lib. 2. quæſt. 1. Valent. 1.2. diſp. 2. q. 1. puncto 6. Vaſq. diſp. 117. c. 1. Azor. tom. 1. lib. 1. inſtit. Moral. cap. 12. quæſt. 1. ad præſens inſtitutum ſat eſt vt celebrem & trimembrem ignorantiæ diuiſionem proponamus; videlicet in antecedentem, concomitantem, & conſequẽtem; eaque propoſita & explicata, noſtram firmabimus aſſertionem, & comparandam de aduerſarijs victoriã auſpicabimur. Igitur ignorantia inuincibilis & antecedẽs, vt cum D. Thom. 1.2. quæſt. 6. art. 8. tradũt cõmuniter Doctores, Granad. ibidem controuerſ. 6. de peccatis tract. 5. diſp. 2. nihil aliud eſt quàm ſcientiæ priuatio, ſeu inuoluntaria rei alicuius cognitio, abſque ſubiecti culpa in quo reperitur; ita quòd ſi is qui tali cognitione orbatur, quod ignorat apprime calleret, nequaquam faceret quod cum ignorantia operatur. Exemplo ſit: Arcum quiſpiã tendit miſſurus ſagittam, qua (præmiſſa debita diligentia) feram prudenter ſe reputat confixurũ; ſagittam minimè diſploſurus, ſi hominem cogitaret. Huiuſmodi ignorantia, teſte Sanchez in præcepta Decalog. cap. 16. num. 4. inuincibilis, dicitur; quia non poteſt, aut non debet excludi: itemque probabilis, iuſta, innocens & inculpabilis appellatur, quia nulla interueniente culpa incurritur.

Ignorantia concomitans ea dicitur, quam quis habet, cùm ſine culpa quod agit ignorat, illud idẽ, etſi optimè nouiſſet, peracturus: nimirum ſi Petrus v.g. hoſtem ſuũ interficeret, inuincibiliter feram aliquam certò credens, nihilominus adhuc occideret, inimicum agno-

agnoſcendo. Dicitur verò concomitans, quoniam etſi operanti nõ adfuiſſet, in eãdem prodiret actionem: iuxta quod, vt nonnulli opinantur, illud Ariſtotelis 3. Ethic. cap. 1. intelligendum eſt, vbi, Cum ignorantia, vel ignoranter operari, diuerſa admodũ affirmat: Tunc enim cũ ignorãtia quiſpiã dicitur operari, cùm illa cauſa eſt actionis; vt in ignorantia inuincibili antecedenti vſu venit; quam dixeris cauſam actionis extitiſſe. At verò ignoranter operari tunc dicitur, quando ignorantia non eſt cauſa actionis; quia etſi illa non adeſſet, adhuc tamen actio ſequeretur.

Quod Ariſtotelis placitũ D. Thomas Apoſtoli authoritate explicat & cõfirmat ex epiſt. 1. ad Timoth. capit. 1. *Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum; quia ignorans feci.* Quę verba Doct. Angelicus lect. 3. ſic expendit: *Minus dicit, plus ſignificat: quia aliud eſt ignoranter agere; aliud per ignorãtiam: quia ignoranter facit aliquid, qui neſcit quod facit, tamen ſi ſciret etiam faceret illud; ſicut credens ſe interficere feram, occidit inimicum ſuum; quem tamen occidiſſet etiam libentius, ſi nouiſſet eum. Sed per ignorantiam facit qui facit aliquid, quod non faceret ſi noſſet: ſicut occidens patrem, qui ſi ſciret nõ occideret eum, quem tamẽ occidit, quia eum credit inimicum. Sed Paulus fecit per ignorantiam quia ſi ſciuiſſet quòd eſſet Chriſtus filius Dei, hoc non feciſſet.* Hactenus ille.

[Margin: 1. ad Timoth. cap. 1.]
[Margin: D. Thom.]

Huiuſmodi verò ignorãtia concomitans, ſi propriè loquendum eſt, vt Vaſquez & Azor. ſuptacitati aſſeuerant, nec vincibilis, nec item inuincibilis dici poteſt: ſub diuerſis tamen conſiderationibus vtroque modo poterit efferri, vt egregiè aduertit Suar. & probat to. 5. in 3. p. diſp. 4. ſect. 8. n. 6. Quoniam ſi is qui occidit, debitam adhibuit diligentiam, conueniẽſque præmiſit examen, & adhuc feram credidit nõ hominem; tunc eam ignorãtiam inuincibilem, & antecedẽtem iuſtè dicere fas erit. At verò cùm deficiente examine & diligentia ſecutum homicidium culpabile fuit, indirectèque voluntarium; iam illa ignorantia conſequens & vincibilis dicenda eſt.

[Margin: Vaſquez. Azor.]
[Margin: Suarez.]

Ignorantia conſequens dicitur, quæ voluntatem conſequitur, & libera quodammodo reputatur: ſiquidem ab habente vinci poterat & expelli; non tamen voluit: vnde culpabilem dicunt & vincibilẽ; quæ in affectatam, & non affectatam ſubdiuiditur. Affectata illa eſt, cùm quis de induſtria non vult edoceri; ne excluſa ignorantia ab actione & culpa ſe ſubtrahere teneatur. Nõ affectata dicitur, quãdo aliquis culpabiliter ignorat: nõ tamen eligit ignorare. Hanc cum Suarez vbi ſupra, craſſam ſemper dixeris & ſupinam: quæ enim affectata non eſt, ita dici debet: ſubſcribunt Vaſquez & Azor. locis citatis, cõmuniterque Doctores, qui ignorantiam vincibilem in affecta-

[Margin: Suarez.]
[Margin: Vaſquez. Azo.]

tam

tam ſolummodo, & ſupinam, vel craſſam partiuntur.

His præiactis fundamentis, veriſsima vniuerſalisq. doctrina ſtabilitur, videlicet, deficiente cognitione malitiæ, quæ in obiecto reperitur, peccatum interuenire non poſſe; conſequenterque ſtatuendum eſt, tunc ignorantiam inuincibilem & inculpabilem reputari, cùm nullo modo præceſſit actualis cognitio malitiæ, quæ obiecto inerat. Ita docuit S.Thom. quæſt. 15. de Veritate art. 4. ad 10. Bonauent 2.d.29. p. 1. diſt. art. 2. quæſt. 2. S Antonin. 2. p. tit. 2. § 9. Granad. 1. 2. controu. 6. de Peccatis tract. 5. diſp. 3. ſect. 1. & alij antiquiores, quos refert & ſequitur Vaſquez 1. 2. diſp. 107. c. 3. Probatur: Nemo peccatum admittere censẽdus erit, niſi libere obiectum, quod moraliter malum eſt, amplectatur. At verò qui nullam habet cognitionem expreſſam malitiæ obiecti moraliter mali, illud appetere non poteſt liberè: *Nihil enim, volitum, quin præcognitum.* Et confirmatur: quoniã illud tantùm ad culpã imputari debet operanti, quod præcauere debuit, non tamen cauit; ſed qui expreſſam cognitionem malitię obiecti moraliter mali non habet, talem ignorantiam voluntariè euitare non poteſt: igitur quidquid ea durante operabitur, criminoſum & culpabile reputãdum non erit.

D.Thom. D.Bona. S Anton. Granad. Vaſquez.

Secundò ſic argumentatur Didacus Granado: Sufficienter ſuo muneri ſatisfacit confeſſarius, cui ſi pęnitens confiteatur, ieiunium in quadam vigilia prętermiſiſſe, ab eo interroget an meminerit ea die ad ieiunandum obligari, vel omnino fuerit ieiunij oblitus. Quod ſi reſpondeat ſibi minimè occurriſſe ea d.e ad ieiunium conſtringi, prudẽter iudicabit prætermiſſo ieiunio peccatum non admiſiſſe. Igitur planum eſt, oportere vt actualis & expreſſa malitiæ cognitio præcedat, ad hoc vt agẽs peccatum admittere cenſeatur.

Granad.

His hunc in modũ ſtatutis plana, & facilis via conſternitur ad aſſerendam D. Petri in Thabor innocentiam, & qua ratione, quam ibi oſtendit ignorantiam inuincibilis antecedenſque extiterit: ac proinde nulli culpæ peccato vel obnoxia; ſicut, ni fallor, ex ſacro textu euidenter probatur. Etenim S. Lucas cap. 9. Petrum & reliquos dormientes depinxit, quando Saluator noſter fuit transfiguratus: *Petrus verò, et qui cũ eo erãt, grauati erant ſõno.* Ex quo inferũt expoſitores, Chriſti transfigurationẽ noctu contigiſſe, vel ſaltem ſub lucis ortum: quò reſpexiſſe videtur S. Lucas, dicens: *Fere dies octo.* Et quidẽ exiſtimat Caietanus Apoſtolos non ſolum ſomni grauedine oppreſſos, ſed verè tum temporis obdormire: Quod ne de Petro dubitari poſſet, ſpeciatim ſuo nomine illum Euangeliſta cõmemorauit: *Petrus verò, & qui cum eo erant.* In quo ad defendẽdam Petri

Luca 9. Caietan.

Petri ſententiam fundamentum ſubſtruxit; quaſi hac ratione ſignificare vellet, Apoſtolo tempus defuiſſe, vt de illa cogitaret, nedum deliberare poſſet: ſiquidem nec transfigurationis principium, nec Moyſis, Eliæque aduentum, dormitabundus inſpexit, vt Caietani ſert opinio: quam etiam ob cauſã idem Caietanus exiſtimat, propterea ab Euãgeliſta dictum: *Euigilantes viderunt maieſtatem eius, & duos viros qui ſtabãt cum illo*; quia cùm ſomno excuſſo euigilauerant, iam Dominus Ieſus transfiguratus erat, Moyſique & Eliæ loquebatur: & probat apertè eiuſdem Euangeliſtæ contextus: ſic enim habet: *Erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate, & dicebãt exceſſum eius, quem completurus eſſet in Hieruſalem*. Quę cùm dixiſſet, illico ſubiunxit: *Petrus verò, & qui cum eo erant, grauati erant ſomno*. Quaſi diceret, cùm hæc acciderunt, Petrus graui ſopore premebatur: euigilans tamen montem illum in cælum reperit traſmutatum: *Et euigilantes viderunt maieſtatem eius*. Etenim nocte intempeſta, vt Maldonatus, & Stella exiſtimant, verus iuſtitiæ ſol Dominus Ieſus, ſplendidiſsimos ſuæ lucis radios emiſit, qua omnia ſplendore perfudit, ſeque ipſum veram eſſe lucem demonſtrauit: & fugatis tenebris Thabor factus eſt gloriæ theatrum; ita vt ipſum cælum mõti potuerit inuidere. Tunc euigilans Petrus, &, Theophilo teſte ac Carthuſiano, beatitudinis illius magnitudine ſuſpenſus, vbi futuræ felicitatis arrhabonẽ intuebatur, ac præ gloriæ amplitudine ſic abſtractus, vt ſui minimè compos, ad quæ proferebat non attenderit; & certe temporis breuitas id nõ permiſit. Vnde in illa verba pene raptus erupit: *Domine bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum & Eliæ vnum*. Hæc illo proferente ſubitò nubes deſcendit, ipſumque operuit, & alios, qui aderant. *Adhuc eo loquẽte, ecce nubes lucida obumbrauit eos*. Ex qua Patris vox illa intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Ad vocis diuinæ maieſtatem tres repente corruerunt: *Ceciderunt in faciem ſuam & timuerunt valde*. Et quidem in ea temporis breuitate videri potuit Petrũ non ita perfectè de proferenda ſententia cogitaſſe ex improuiſo euigilantem; quod fortè non præterijt Euangeliſtas: idcirco excuſationem prętexẽtes poſt eius verba addiderunt, *Neſciens quid diceret*. Nec dubitare licet, hæc à ſacris hiſtoricis addita, vt Petrum excuſarent à culpa, non autem vt reum oſtenderent: quoniam ex præiactis fundamentis ignorantia illa inuincibilis antecedens omni culpa vacabat. Hæc huius loci germanior habetur expoſitio, & litterali contextui magis conſona, licèt Petro minus honorifica, vt communi-

Caietan. Luca 9. Luca 9. Maldon. Stella in cap. 17. Matth. Theoph. Carthuſ. Matth. 17. Matth. 17. Luca 9.

munitèr expoſitores aduertunt.

Maximè verò notandum eſt, hanc,quam Petri dicimus ignorãtiam, non ita ab Euangeliſtis appellari, ſed neſcientiam, vt ſonant

Luc. 9. illa verba: *Neſciens quid diceret*.

D.Thom. Nec dubium eſt,vt aſſerit D.Thomas 1.2.quæſt.67.art.2. magnum inter ignorantiam & neſcientiam diſcrimē interuenire, quemadmodum inter cæcum,& illum qui ſuapte natura non videt. Etenim neſcientia quandam ſignificat negationem notitiæ, cuius ſubiectum eſt incapax: At verò ignorantia priuationem denotat ſcientiæ in ſubiecto, quod illius capax habetur:quia verò tantum abſuit vt illa Petri ſententia culpæ fuerit obnoxia, Euangeliſtæ, non ignorantiam, ſed neſcientiam dicere voluerunt. Lucas ait: *Neſciens quid*

Luc. 9. *diceret*; Marcus verò: *Neſciebat*

Marc. 9. *enim quid diceret*; his loquendi formulis innuentes Petrum in illis temporis anguſtijs ſic præuentum fuiſſe & conſtrictum, vt moraliter loquendo, nec examinare, diſcernereque potuerit quid loqueretur. Siquidem vix euigilarat,cùm ſubitò Chriſtum transfiguratum inſpiciens ipſum ita fuit alloquutus:*Domine bonum eſt nos hic eſſe.*

Matth. 17. Vnde eſt illud Claudij aſſerentis,

Claud. Petri ignorantiam non fuiſſe craſſam & culpabilem. *Quod, inquit, non eſt de craſſa illa (quam vocãt) interpretandum*: Quin potius dicenda fuit illa ignorantia inuincibilis, antecedēs, & culpæ minimè obnoxia: nulla enim inhoneſtas in actionis illius obiecto Petro apparuit, nec quid proferret aduertit; quod non ità in Apoſtoli honorem cedere videtur: & quidem ipſum latuit obiecti illius malitia; nec antecedenter attendit, an actio illa prauitatem aliquam includeret. Iam verò contra fidem locutum, nec ſomniãdum quidem eſt. Siquidem,vt aduertit Maldo- *Maldon.* nat.in c.Matth 17.*Nec propterea Euangeliſtæ dixerunt, illum, quod diceret neſciuiſſe, quòd quidquam contra fidem locutus ſit.* Minus verò præceptis moralibus,& Chriſti intentioni aduertenter repugnare credendus eſt, aut de errore aliqualiter dubitaſſe; in quo germana inuincibilis antecedentiſque ignorantiæ ratio conſiſtit. Vnde Carthuſianus illa verba Luc. ex *Carthuſ.* cap.9. *Neſciens quid diceret*, ita verſat, ad Petrique excuſationem inflectit:*Hoc eſt*,ait,*præ affectionis*, *Luc. 9.* *admirationis, delectationis, deuotionisque magnitudine, ſenſum proprium verborum non multùm, aut non ſatis aduertens, nec conſideranda conſiderans.* In idem placitum conſpirauit Lyranus in ca- *Lyran.* put.17. Matth. *Sicut enim*, ait, *ex magnitudine paſſionis,aut timoris, vel amoris, aliquis prorumpit in aliqua verba ſine præmeditatione; ita ſimiliter ex magnitudine deuotionis, delectationis,ex parte,dixit Petrus illa verba*. Itaque ingens Petri affectus ab ingenti deuotione profectus,& minimè damnan-

dus in cauſa fuit vt illa verba inculpabiliter proferret. Siquidem ob temporis breuitatem, & repẽtinam clariſsimæ viſionis admirationem caruit aduertentia; ideoq. ignoſcenda prorſus (vt ita loquar) inſcientia, quæ ſenſum abſtulit, & Luc. 9. præripuit. *Neſciens quid diceret*, vt quę loquebatur, nõ aduerteret: quinimo hũc affectum in ſuo fonte ſi quis inſpexerit, omni laude, vt poſtea videbimus, dignum iudicabit. Nec niſi qui lucernam Caluini perolebit, Petrum ita ſantem damnabit; ſicut plurimos ex Caluiniſtis feciſſe memorat eo in Maldon. in c. 17. Matth. loco Maldonatus. *Marcus, & Lucas annotarunt Petrum neſciuiſſe quid diceret. Vnde Caluiniſtæ more ſuo occaſionem accipiunt Petrum impudenter accuſandi.* Cæterùm vt ſtabilita veritas firmior euadat, nonnulla in contrarium proponemus argumenta, & diſſoluemus.

§. SECVNDVM.

Aliqua in contrarium, tam ex ſacra Scriptura, quàm ex Theologiæ principijs deſumpta, proponuntur argumenta.

TAm ex Theologiæ principijs, quàm ex varijs ſacrarũ litterarũ authoritatibus, nonnulla eruuntur argumẽta, quibus ignorantiam inuincibilem antecedentem à peccato non excuſare probari videtur: atque adeo etſi Petrus inuincibilem habuerit ignorantiam & antecedentem, non proinde à culpa vindicabitur. Primum conficitur ex Geneſ. hiſtor. capit. 12. numer. 17. vbi ſcribitur Deum in Pharaonem animaduertiſſe, quia Saram Abrahæ vxorem acceperat. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Saray vxorem Abram.* Geneſ. 12 num. 17. Et tamen Rex Saram Abrahæ vxorem eſſe inuincibiliter ignorabat. Deinde c. 20. eiuſdẽ libri ſcribitur Deum ſeuerè nimis redarguiſſe Abimelech, & mortem ei fuiſſe minitatum, eo quod ipſe Rex eandem Saram Abrahæ vxorem raptam detulerit in palatium: nõ nouerat autem fęminam eſſe coniugatam, vt ibi notat ſacer textus. *Venit autẽ Deus ad Abimelech per ſomnum nocte, & ait illi: en morieris propter mulierem quam tuliſti: habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam; & ait: Domine, num gentem ignorantem & iuſtam interficies? Nonnẽ ipſe dixit mihi: ſoror mea eſt; & ipſa ait: frater meus eſt? in ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc.* Geneſ. 20 Hæc Deo reſpondit Abimelech: vnde patet quòd inuincibiliter ignorans tulerit vxorem alienam: nõ obſtante verò ignorãtia tãquam criminis reus à Deo ſuggillatur. Tertium addo exemplum ex eadem Geneſis hiſtoria c. 38. vbi Iudas cum Thamar nuru ſua Geneſ. 38 admittens inceſtum, criminis reus

accuſatur; conſtat autem illum Thamar non agnouiſſe, meretricemque ſuſpicatum: quippe quæ operto vultu incognitam ſe reddiderat. *Quam cùm vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum ne agnoſceretur*. Ergo ignorantia inuincibilis peccatum non tollit.

Secundò argumentor ex capit. In lectum, 34. quæſt. 2. vbi ſtatuitur iniungendam eſſe pęnitentiam & ſupplicio afficiendum, qui cogitans cum vxore rem habere, ſorori ſe immiſcuit, eſto ſuam oſtendat innocētiam, verèque ignorantiam in eo facto interueniſſe demōſtret. Igitur ſupponit textus, ſtāte ignorantia inuincibili peccatum interuenire potuiſſe, quod ſupplicio expiandum ſtatuit. Et confirmari poteſt ex eo, quòd non omnes diſcrimen inter mortale peccatum & veniale interueniens agnoſcunt: nihilominus mortiferè delinquūt: igitur inuincibilis ignorantia minimè à peccato excuſat: vnde licèt Petrum in monte Thabor ex ignorantia inuincibili locutum fuiſſe admittamus; non proinde à culpa immunem comprobabimus. Quis enim auſit abſoluere quem cælum damnare videtur? Et quidem vox illa, quæ Petro loquente inſonuit, ei quaſi non rectè loquenti verba intercepit, & pro reprehenſione reputanda eſt. *Adhuc eo loquente*. [illegible] (*Matth. c. 17.*)

Tertiò argumentari liceat ex principijs, quæ in Theologia recipiuntur. Si inuincibilis ignorantia à peccato excuſaret, inde prorſus ſequeretur nullum peccatū fore occultum: quod eſt apertè falſum. Probatur ſequela: Illud peccatum dicendum eſt occultum, quod ab illo, qui ipſum admittit, non agnoſcitur. Igitur dato quòd nuſquam actualiter quiſquā peccet, niſi expreſſam, & actualem de obiecti malitia cognitionē habeat, ſemper nouit peccatum cū illud admittit, vel ab eo liber eſt: item quando inuincibili & culpabili ignorantia, vel inculpabili laborat: quod ſuſtineri non poteſt. Siquidem vbi Pſalmographus dixit: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo*; ex Hebræo transferri poteſt, vt tenet Bellarminus: *Ignorantias quis intelligit?* Quo ſatis innuit, ignorantiæ peccata, ijs à quibus committuntur, occultari. Confirmatur: Peccatum ignorantiæ dices, quod homo non cognoſcit: igitur abſque expreſſa malitię cognitione peccatum admitti poteſt. Antecedēs probant illa Pauli verba ex epiſtola 1. ad Corinth. cap. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*. Quod tantumdem valet, ac ſi dixiſſet: Nullum in me peccatum agnoſco: ſed non propterea me iuſtum reputo; quia forte aliquod ignorātiæ peccatum habeo, quod non aſſequor. Et hunc eſſe germanum verborum ſenſum affirmat Anſelmus ad eum

(*Pſal. 18. verſ. 13.* — *Bellarm.* — *Paulus.* — *Anſelm.*)

locum. *Nullius*, inquit, *peccati ſibi conſcius erat: ſed quia legerat: Delicta quis intelligit? ſententiam temperauit, nè ſorte per ignorantiam deliquiſſet;& addit : Sed non in hoc iuſtificatus ſum*. Eiuſdem ſententię authorē inuenio D. Ambroſium ibi, *Humiliat ſe, & loquitur vt homo, qui poſſit culpam incurrere neſcius*. Huic doctrinæ ſubſcribere videtur Auguſtinus in Enchirid. cap. 81. dicens: *Duabus ex cauſis peccamus; aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus*. Sentit igitur Auguſtinus ignorantię peccatum in eo cōſiſtere, vt operans quid agere debeat, cognitione nō aſſequatur. Ex quo optime deducitur, ad ignorantiæ peccatum actualem malitię cognitionem non exigi. Magni Baſilij calculum addo: cuius eſt illud cap. 2. conſtit. Monaſtic. *Cùm multis in rebus offendamus Deum, maiorem tamen offenſarum partem ne intelligimus quidem: idcirco Apoſtolus dicebat, Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Quod idem eſt, ac ſi diceret: Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc cauſam Propheta ait: Delicta quis intelligit?* D. Ambr. D. Aug. D. Baſil.

Confirmatur 2. Non rarò vſu venit vt peccēt homines, qui tantum abeſt vt actionis malitiam intelligant, vt potius quod agunt, iuſtum, rectumque arbitrentur. Ergo vt quis peccati ſit reus, ſat erit implicitam mali notitiam habuiſſe: nec actualis, & expreſſa requiretur. Antecedens probat Theodoretus ex illa Saluatoris ſententia apud Ioannem cap. 16. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Sæpe euenit* (inquit ad locum citatum Diui Pauli) *vt etiam ignorantes peccent, æquum eſſe & iuſtum exiſtimantes*. Theodor.

Confirmatur 3. Multoties peccant homines, minimè remordente conſcientia: quòd ſi expreſſa malignitatis cognitio interuenire deberet, nunquam remorſus conſcientiæ abſuiſſet, in ijs etiam, qui repentino furore præcipitati in hoſtes irruunt, eoſque occidunt.

Quartum & vltimum argumentum confici poteſt ex verbis Apoſtoli ad Corinthios 1. cap. 2. vbi loquens de Chriſti interfectoribus dicit: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. In quem locum ait Diuus Ambroſius: *Principes huius ſæculi per ignorantiam Dominum crucifixerunt*: & probat ſuam ſententiam Petri authoritate Actorum 3. *Scio fratres, quia per ignorantiam egiſtis hoc malum*. Et tamen non propterea quòd ignoranter feciſſe dicuntur, à peccato excuſantur. Quin etiam D. Pauli ignorantia etſi ad obtinēdam miſericordiam profuit, non tamen à peccato exemit. *Miſericor-* 1. Cor. 2. D. Ambr. Actor. 3.

2. ad Timot. c. 1. num. 13. *ricordiam, ait, à Domino conſecutus ſum: quoniam ignorans feci.*

§. TERTIVM.

Argumenta haſtenus propoſita diſſoluuntur.

PArum negotij faceſsit argumentorum ſolutio. Ad primum reſpondebis, quòd licèt Pharao non violauerit Saram, vt Abulenſis, & Pererius in c. 12. Geneſ. *Abulen.* *Pererius.* teſtantur; nihilominus incertum eſt an eam in domũ recipiens peccauerit, necne? Illud tamen dubitatione caret, accedente ignorantia inuincibili, quòd alienam vxorem inuaderet, peccatũ committere non potuiſſe. Supplicio tamen à Deo afficitur, non ob illud peccatum, ſed propter alia, quæ admiſerat; vt palam teſtatur *D.Ambr.* Ambroſius lib. de Abraham cap. 7. eo autem ſupplicio Deus intendit vt nota fieret veritas, & poſtmodum Pharao Abraham & Saram lædere formidaret. An vero Abraham peccauerit vxorem diſſimulans, & veritatem occultans? diſputat doctiſsime Pererius tom. 3. *Pererius* diſp. 5. ad eum locum: & authore *Caietan.* Caietano, Abraham in ea ſimulatione ab omni culpa eximendum aſſeuerat. Quod attinet ad Abimelech, planius eſt Regem non deliquiſſe: ſiquidẽ, vt conſtat ex textu *Geneſ 20* Geneſ. cap. 20. num. 6. Deus ipſe ab omni culpa reddit immunem, eo quod ignoranter & ex ſimplicitate fecerit. *Dixitque ad eum Deus, & ego ſcio quòd ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te ne peccares in me:* vnde colliges, ex inuincibili ignorantia peccati excuſationem enaſci: & ideo Regem non reprehendit Deus, nec mortem ei fuit minitatus propter peccatum præteritum, niſi propter illud, quod abſque dubio committeret, ſi fœminam viro ſuo non reſtitueret, poſtquam vxorem ipſius agnouerat; vt Abulenſis ſupra citatus aduertit. *Abulen.* Iam verò de Iuda dubium non eſt, eum peccatũ inceſtus cõmiſiſſe, quãdo enim Thamar ſe immiſcuit, nurum prorſus neſciebat: At verò fornicationis reus inuenitur, quia hoc ipſum non latebat.

Ad ſecundum reſpõdetur, ſupplicium illud in cap. *in lectum*, inceſtuoſo ſtatutũ, vt ibi notat gloſſ. *Gloſſ.* non in pęnam peccati illius inferri: quoniam planum eſt, eum qui bona fide rem habere cum vxore exiſtimabat, non peccaſſe, ſi ad ſororem acceſsit: punitur tamen à Iure pro vberiori cautela; itemq. vt Eccleſiaſtica diſciplina in ſuo vigore retineatur. Quod verò pro cõfirmatione additur, facilè eneruatur: etenim qui inuincibili lethalis malitiæ ignorantia omnino laborabat, mortiferè non peccauit. Verum quidem eſt, ad lethale crimen ſat eſſe vt quiſquam nouerit ſe Deum grauiter offendere, & rationi etiam grauiter contraire,

Digitized by Google

vel actionem illam æterno dignam ſupplicio haberi. Quod verò additur, Petrum adhuc in Thabor loquentem à cælo reprehendi, poſtea diſcutiemus, cùm ſanctorum Patrum de ipſius neſcientia, ſeu ignorãtia opiniones retulerimus: interim dici poteſt, in voce illa è cęlo demiſſa nullatenus reprehenſionem, ſed præmium, & laudem contineri: idcirco non nubes obſcura, vel ſimile quid deſcendit, ſed lucida, ſplẽdoreque perfuſa, vt ibi dicitur: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Matth. 17. E qua Patris æterni vox intonuit; & quaſi aptos iam inueniret, quos Redemptor haberet diſcipulos, ex eo quòd Petrus aliorum nomine futuræ beatitudinis argumenta illa tam magni fecerat, vt ibi vellet demorari, ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* Matth. 17.

Tertio argumento, dices in ſacris litteris peccatum occultum non appellari illud, quod actu peccans non agnoſcit; ſed proprerea dici occultum, quia tranſactum cùm ſit, è memoria excidit, oblinioneque ſepelitur; dum tamen actu committebatur, minimè latuit peccantem. Hinc eſt quòd D. Hieronymus ad illa verba Pſal. D.Hier. Pſal. 18. 18. in 3. argumento producta, dixit peccata præterita, quæ Pſalmographus appellauit occulta: Dicuntur etiam (ait Granado) pec- Granado cata occulta, quæ quis admiſit, ignotans peccaret necne; non quia obiecti malitiam ignoraret, ſed quia dubitat an conſenſerit, vel non, in ipſum peccatum: multoties enim contingit voluntatem prauo conſenſu prolabi, quin intellectus prauitatẽ agnoſcat; ſicuti in peccatis merè internis inſpicere fas eſt: vnde viri timorati & religioſi aſſiduo pauore anxietateq. agitantur, an in prauas cõgitationes conſenſerint; an etiã in Dei ſeruitio rectam intentionem habuerint, cũ ab inordinato quouis affectu ſe trahi ſentiebant, vel aliquid minus perfectum ſuggeri aduertebant.

Ad primam confirmationem reſpondendũ erit negando ſequelam: quoniam peccatum ignorãtiæ non dicitur illud quod ſuam malitiam intellectui non aperit, ſed quod omnino & integrè illam non detegit; quinimo aliqualiter occultat ac diſsimulat, eã ſub dubitatione relinquens, in communique & non particulariter proponens. Exempli cauſa: Petro ſe obijcit in quadam vigilia ad ieiunandum conſtringi; hoc tamen non obſtante, cùm ratio ſufficiens & cauſa non adſit, neque examen conueniens præceſſerit, dubium expellit, ieiunijque præceptum tranſgreditur, leui ratione & imprudenter perſuaſus ad ieiunium non teneri. Huiuſmodi peccat ex ignorantia: non quia actualis expreſſaque malitię cognitio in communi ei defuerit; dubius enim fuit de obligatione ieiunandi: verùm

rùm

rùm quia cùm poſſet, hoc dubium non euicit: quapropter huiuſmodi ignorantia vincibilis dicitur; & conſequens, vtpote quam voluntas indirectè adamauit. Et in hoc ſenſu intelligendū eſt illud D. Auguſtini ex Enchirid. c. 8. Quod verò additur ex D. Paulo in 1. ad Corinth. cap. 4. cum Caietano, & alijs ſic interpretaberis: vel enim Apoſtolus de fidelitate in diſpenſandis diſtribuendiſque myſterijs loquebatur: vel de prædicatione Euangelica, & conſequenter de peccatis venialibus, quorum interuentu illa diſtributio parum fidelis redderetur: idcirco dicebat: *Nihil mihi conſcius ſum*. Vel vt exponit D. Thom. in 1. ad Corinth. cap. 4. *Ideſt, non habeo alicuius peccati conſcientiam, ſecundum illud Iob 22. Non reprehendit me cor meum in omni vita mea: verùm non propterea in meo munere me iuſtū reputo: ſed non in hoc iuſtificatus ſum*. Accidere namque poteſt vt in grauiſsimo munere, & plurimū difficili exercendo, nonnulla admiſerim peccata venialia mihi occulta, & Deo ſupremo iudici manifeſta: *Qui autem iudicat me, Dominus eſt*. Quod interprete D. Thoma, perinde eſt, ac ſi diceret: *Ad ſolum Deum pertinet vtrum ſim fidelis miniſter, an non*. Poterant verò venialia huiuſmodi peccata duplici de cauſa Paulo occultari: vel ex ignorantia, vt Baſilius, Ambroſius, & Anſelmus exiſtimāt; ac ſi leuis cuiuſquā obligationis dubitatio occurreret: quā non ſufficienti cauſa deponeret, eaque perageret, vnde miniſterij ſui diſtributio minus fidelis euaderet: vel, vt obuium ſæpe eſt, quòd non ita recta fuerit intentio, licet probabiliter homo rectiſſimam fuiſſe ſibi perſuadeat.

D. Aug.
D. Paulus
Caietan.
D. Thom.
D. Thom.
Baſilius.
Ambroſ.
Anſelm.

Ad 2. confirmationē dicito, quòd etſi multoties peccēt homines iuſtū rectumq. arbitrātes quod agūt, inde tamen non ſequi eos expreſſa malitiæ cognitione ſaltem dubia, & in communi deſtitui: verùm adeo vehementem eſſe appetitus vim, & impotentem paſſionis tyrannidem, vt intellectum eludat, & pene conſopiat, ne veritatē aperte videat & examinet, ſed conniuens diſſimulanter prætereat. Egregiè Tertull. cap. 1. de Spectaculis: *Tanta eſt vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in rationem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut vtrumque*. Quaſi dicat, tantam habet vim illud quod delectat, vt ignorantiam, (videlicet dubiam de actionis malitia cognitionem,) in contrarij notitiam conuertat: quinimo cognitionem transfert in diſſimulationem, & non rarò vtrūque edit, quoniam volūtas ad quęcumque amplectitur, intellectum deducit & impellit. Hinc eſt illud à D. Gregorio Nazianzeno diſertè dictum: *Facile in impoſturam venit, quod delectat*. Vnde prouenit quamplurimos ipſum quod admittunt peccatum, rem iuſtam &

Tertull.
D. Naz.

& virtute plenam reputare. Quòd
etiam referendum eſt illud Diuini
Prou.14. Spiritus Prouerb. 14. *Eſt via quæ
videtur homini iuſta, nouiſſima
autem eius deducunt ad mortem.*

Vaſq. Tertiæ confirmationi adhibenda
eſt doctiſsima Vaſquez reſponſio
ſupra cap. 5. ad 3. vbi duos cõſcientiæ
remorſus diſtinguit; alterum,
qui in intellectu conſiſtit, &
quandam aduertentiam & malitiæ
conſiderationem appellabis: alterum,
quem voluntatis torturam
dices, ac dolorem: hic non ſemper
in peccatore reperitur: quinimo
plurimi ſunt, qui conſcientijs callum
ex peccandi conſuetudine
obduxerunt, ita vt neceſſe ſit illos
commemorata Spiritus ſancti ſen-
Eccli.5. num.4. tentia deterrere: *Ne dixeris, peccaui,
& quid mihi accidit triſte?*
Sic in lapideam iam duritiē abierunt.
Primus remorſus peccatorē
comitatur, licèt aliquando ob paſſionis
vim non ita perfectè dignoſcatur.
Vnde aduertendum eſt, eodem
modo nobis de inaduertētia,
actualique obliuione philoſophādū
eſſe, atque de ignorantia: & eaſdem
diuiſiones vtriſque adaptan-
Azor. das; ſicut egregiè fecit Azor. to. 1.
lib. 1. Inſtit. Moral. c. 16. quæſt. 3.
Suarez. Suarez tom 5. in 3. par. diſput. 4.
ſect. 8. vbi ait ignorantiam, inaduertentiam,
actualemque obliuionem,
in excuſanda culpa æquales
eſſe; in eo tamē differre, quòd
ignorantia habitum, at verò inaduertentia
actum adſignificat.

Ad quartum argumentum dicendum,
in illis locis non agi de
ignorantia inuincibili & antecedenti.
Primo vt reſpondeat, ſanctus
Ambroſius obijcit: *Quomodo
peccauerunt, ſi ignorantes fecerunt?* D. Ambr.
Statimque ſubiungit: *Non
licet ignorare: & quamuis Dominum
eſſe neſcirent, tamen quia
rem impiam faciebant, non erant
neſcij.* Quaſi diceret, illamet ignorantia
ipſis erat culpæ vertenda:
Chriſto enim prædicanti non crediderunt.
Adde quòd licèt in hoc
interuenerit ignorātia, illam mortis
iniuſtæ, nimirum culpabilis
homicidij, habere non potuerunt.
D. Chryſoſtomus verba Matth. in D. Chryſ. in Matth. 21.
cap. 21. exponens, *Agricolæ autem
videntes filium, dixerunt intra
ſe, venite, occidamus eum;*
apertè ſentit, eos non ex ignorantia,
ſed per inuidiam Chriſtum
occidiſſe. *Manifeſtè,* inquit, *Dominus
probat his verbis, Iudæorū
principes, non per ignorantiam, ſed
per inuidiam crucifixiſſe.* Quod
etſi contrarium Petri verbis videatur,
Actorum 3. aſſerentis per in- Actor.3.
uidiam crucifixum, D. Ambro- D.Ambr.
ſius & S.Thom. in 1. ad Corinth. D.Thom.
2. lect. 2. conueniunt, ac de ignorantia
ſic rem componunt: *Sciebant
principes Iudæorum, eum
eſſe qui promiſſus erat in lege; non
tamen myſterium eius quòd filius
Dei erat, neque ſciebant ſacramentum
Incarnationis, & Redemptionis.*
Itaque, vt ſenſit Chryſoſtomus,
alterius ignorantiam, &
inuidiam alterius habuerunt; vt

etiam

etiã innuit Matthæus. Pergit vlterius Chryſoſtomus, & ſententiam ſuam magis explicans adijcit, eos Dei filium cognouiſſe. Reſpondet egregiè D. Thomas hanc cognitionem non fuiſſe certam, ſed coniecturis innitentem: quinimo inuidia, qua de Saluatoris magnitudine & gloria contabeſcebant, ipſam cognitionẽ obſcurauit: ſed hæc connaturalis cognitio obſcurabatur in eis ex inuidia, & ex cupiditate propriæ gloriæ, quæ per excellentiã Chriſti minui videbatur. Sed iam ad poſitiuum veniamus principium, ex quo munitiorem, & omnimodam Petri defenſionem contexemus.

D.Thom

§. QVARTVM.

Pro defenſione Principis Apoſtolorum proponitur poſitiuum principium, ſanctorum Patrum doctrina ſtabilitum.

Nihil meo iudicio ad ſtabiliendam Principis Apoſtolorum indemnitatem ab omni culpa firmius excogitari poteſt, nullum validius telum in oppugnatores Apoſtolicæ innocentiæ contorqueri, nec potentior ratio ad conuincendos etiam cæcutientes adduci, quàm ſi aduerſarijs opponamus, nullum reperiri Authorem Catholicum, ſiue ex Scholaſticorũ grege, ſiue ex ijs qui in doctrina verſãtur poſitiua, & multo minus ex ſanctis Eccleſiæ Patribus quẽquam, qui D. Petrum in monte Thabor culpæ reum affirmarit. Licet enim, præeuntibus Euangeliſtis, ignorantiam ſiue inſcientiam fateãtur; nihilominus vnanimi cõſenſu aſſeuerãt, errorem illum materialem ſolummodo extitiſſe, ab inaduertentiaque, & parua, vt vidimus, deliberatione profectũ. Præterea (quod etiam reor) eximius Petri erga Redemptorem amor, & incredibilis deuotæ mentis affectus; quæ præ æſtimatione cęleſtiũ bonorum, quorum magnitudinem ex modica illa demonſtratione coniectabat, in cauſa fuit vt ſibi tẽperare non potuerit quin illa proferret verba: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Sed, proh dolor, nemo ex Catholicis Petrum culpæ arguit, & hęretici carpunt; atque ex ignorantia peccati venenum, aranearum inſtar, exſugunt, & Chriſti Vicarium peccantem oſtendere elaborant. Cum quibus potuiſſet Apoſtolus iure optimo expoſtulare, verba illa Iob ex cap. 19. vſurpans: *Etſi ignoraui; mecum erit ignorantia mea: at vos contra me erigimini, & arguitis me opprobrijs.* Nec ſolum poſſet expoſtulare, ſed etiam multis validiſſimiſque rationibus expugnare. Prima, quoniam ſine probatis teſtibus, nec authoribus, in Chriſti Vicarium improbiſsimas diſſipant calumnias; quod magnum eſt mẽdacij probroſæque falſitatis indicium, vt Vincẽtius Lyrinenſis lib. contra profanas hæreſum nouitates cap. 37. egregiè demonſtrat.

Matth. 17.

Iob 19.

Vincent. Lyrinen.

Quid-

Quidquid, ait, *vel omnes, vel plures, vno eodemque ſenſu manifeſte frequenter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerunt; id pro indubitato, certo, ratoque habetur: quidquid verò quãuis ille ſanctus & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis Confeſſor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit; id inter proprias, & occultas & priuatas opiniunculas à communis, publicæ, ac generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit; ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hæreticorum, & ſchiſmaticorum conſuetudinẽ vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem*. Hinc Hieronymus cum Auguſtino contendens ſibi viſus eſt illum ſuperaſſe, eo quòd authores ſuæ ſententiæ patronos non haberet: &
D.Hier. epiſt.89. ideo epiſt.89. ſic argumentatur: *Si igitur me reprehendis errantem, patere me quæſo errare cum talibus: & cùm me erroris mei multos ſocios habere perſpexeris, tu veritati tuæ ſaltem vnum adſtipulatorem proferre debebis*. Eſt autem hæc argumentandi ratio efficax, & apertiſsima: quippe cùm ſingularis vnius ſentẽtiæ author, aliorũ multitudini ſe opponit, falſitatis planè ſuſpicione laborat, quamuis ille ſanctus & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis Confeſſor, & Martyr ſit, vt ex Lyrinenſi dicebamus. Et quidem hominem ſe meminiſſe oportet in ſentiendo ſolum, erroribuſque obnoxium. Licèt verò qui doctus eſt, humanitatem prope videatur exuiſſe, humanam tamen habet mentem; vnde ſi aliorum deſit fulcimẽtum, in errorem labi poterit. Idcirco Peluſiota lib.2. epiſt. 104. homi- Peluſiota
nem *Promptuarium vitij*, diſertè appellauit. Non enim in ſola voluntate vitiorum ſentit ægritudinem, ſed etiam ægrum habet erroribus intellectũ; ſicque ad omnes huiuſmodi peruaſit ægritudo, vt à natura inſita, & cum ipſa trãſfundi videatur. Philonis ſenten- Philo.
tia eſt lib. de mũdi opific. pag. 22. *Vitij*, inquit, *ac virtutis tanquam domicilium videtur Mens & Ratio*. Pulchrè dictum. Si enim quæras, vbi nam deceptio, errorque demoretur; è qua domo & trunco ramus iſte procedat: aptiſsime reſpondebis; ex hominis intellectu: in eo enim tanquam nidulo viuit, & certiſsimè demoratur: vnde quantumuis ſublimis, acutiſſimuſque exiſtat intellectus, ſemper originis ſuæ naturam referet. Hinc eſt vt apud eruditos, ſanctitateque eximios, parum ponderis habuerit authoritas humana. Auguſt.
D. Auguſtino quamplurimæ aliorum authorum opiniones, teſte Caietano, tam ex antiquioribus, quàm ex coæuis, non admodum placuerunt: vnde illud dicebat: *Alios autem ita lego, in quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant; non ideo credam ſic eſſe,*

quia

quia ipſi ita ſcripſerunt. Sic refert Caietanus in præfat. ad Pentatheucum. Veritatem hominum propriè dixeris mercem aliunde conuectam: idcirco nemini mirum videatur, ſi quandoque deficiat. Qui ſanctorum Patrum, Eccleſiæque Doctorum ſcripta verſauit, eos nonnunquã velut homines cecidiſſe deprehendet; vt ſciãt gentes quoniam homines ſunt. Quapropter ea ſola, quæ, dictante ſancto Spiritu, conſcripta ſunt, tãquam vera & omnino certa venerari & ſuſpicere debemus. *Solis*, ait Caiet. *ſacræ Scripturæ authoribus reſeruata eſt authoritas hæc: vt ideo credamus ſic eſſe, quia ipſi ita ſcripſerint*. Ex quo non ineptè deducas, illã opinionem, quę vnũtantum habet authorem, cuique reliqui omnes communiter aduerſantur, veluti falſam & ſuſpectam eſſe reijciendam. Vnde iam quod ad Petri defenſionem conficiebamus argumentũ, roboratur: Nullus enim aſſignabitur author Catholicus, qui Petrum in Thabor peccati reum affirmet: quinimo pro indemnitate omnes decertãt, & ſancti Patres in ſuper laudibus extollunt, Euangeliſtarum verba mitius interpretantes: quo hæreticorum impudens temeritas deijcitur, & ignorantia refutatur: cùm enim eorũ teſtimonia fide careãt, vtpote qui diuina reijciunt, omnis eorum calumnia fundamẽto deſtituta corruit & prorſus euaneſcit.

Caietan.

Caietan.

Iam verò id vlterius demonſtro ex varijs finibus & motiuis, ob quæ Dominus Ieſus ſe transfigurauit, ac illius myſterij teſtes Petrum, Iacobum, & Ioannem adeſſe ſtatuit, quaſi eos in comitia quædam in Thabor celebranda euocaret; vt ibi adſtantibus Moyſe & Elia, Dei filium recognoſcerent, & Empyrei Orbiſque Regẽ inaugurarent; ſicuti videtur à Patre præceptum, dum ait; *Hic eſt Filius meus dilectus*. Et reuera ita factum intelligo: adſtantes enim ſupremo Principi ſua detulerunt ſuffragia; quam ob rationẽ transfigurationis ſpectatores eſſe voluit: *Et transfiguratus eſt ante eos*; Vel vt aliter legitur, *in medio eorum:* Quod Gloſſa ordinaria ad c. 9. Luc. ita reddit interpretatũ; *Tres teſtes habemus de terra, tres de cælo, Moyſen, & Eliam, & ipſum Patrem; Septimus in medio eorum eſt Dei filius: cùm ſoleat ſufficere teſtimonium trium, & hic eſt teſtimonium plurimorum*. Quaſi diceret, tres vt plurimum teſtes in humanis rebus integrum conficiunt teſtimonium: hic vero, quia res agebatur diuina, Princepſque cæleſtis in his comitijs Rex inaugurabatur, è cælo, & è terra teſtes adfuerunt, & coram omnibus in illo gloriæ ſplendore Vnigenitum ſe Dei filium demonſtrauit, vt Ioannes capit. 1. teſtatur: *Gloriam quaſi Vnigeniti a Patre*. Huc reſpicit illud D. Leonis homil de transfigurat. *Aperit Dominus coram electis teſtibus gloriam ſuam*.

Matth. c. 17.

Gloſſ. Or.

Ioan. 1.

D. Leo.

ſuam. Teſtes de terra elegit probatiſsimos, & fidei inter omnes ſpectatiſsimos, quò illius gloriæ magnitudinẽ inaugurati Regis, & Dei filij maieſtatem poſtea prædicarẽt. Ita Carthuſ. in c. 17. Matth. *Ideò tres aſſumpſit, vt in ore trium teſtium ſtaret huius transfigurationis teſtimonium, & propter ſanctæ Trinitatis myſterium deſignãdum, & propter ternarij numeri perfectionem*. Quemadmodum Pater æternus Moyſen & Eliam in montem deduxit, vt noui eſſent Filij ſui diſcipuli; ſicut dixit Tertull. lib. 4. contra Marcion. *Tradidit Deus filio ſuo Diſcipulos nouos, oſtenſis prius cum illo Moyſe & Elia in claritatis prærogatiua; atque ita dimiſſis quaſi iam, & officio & honore diſiunctis*. Itaque omnes ſimul, Redemptoris gloriæ delecti & probatiſsimi teſtes extiterunt: & quidem nihil fortius ad fidem Euangelio quærendam, nec ad ſuaſionem accommodatius inueniri (ni fallor) potuiſſet. Huc reſpexit D. Leo ſupracitatus: *Moyſes enim*, inquit, *& Elias, lex ſcilicet & Prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes, vt veriſſimè in illa quinque virorum præſentia compleretur quod dictum eſt: In duobus vel tribus teſtibus ſtat omne verbum. Quid hoc ſtabilius, quid firmius verbo? In cuius prædicatione veteris & noui Teſtamenti concinit tuba, & cum Euangelica doctrina antiquarum proteſtationum inſtrumẽta concurrunt. Adſtipulãtur enim ſibi inuicem vtriuſque fæderis pagina: & quem ſub velamine myſteriorum præcedentia ſigna promiſerant, manifeſtum ac perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſtẽdit*. Inſpecto igitur fine, quo Petrum & alios in mõtem perduxit, vt gloriam Redemptoris teſtarentur, deducendum eſt, Petrum, qui primus & præcipuus ad hoc eligebatur, à culpa immunem extitiſſe. *Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobũ & Ioannem*. At qua ratione credendum eſt, Dominum Ieſum in ea occaſione à Petro ſe offendi permiſſurum; quem ideo voluit ſpectatorem adeſſe, vt in cæleſtibus comitijs primus Dei filium Orbis Redemptorem & Dominũ adorabundus agnoſceret, & poſtea prædicaret? Sed qua fronte id ageret, ſi turpi ignorantiæ nota & culpabili atratus appareret, *Neſciens quid diceret?* Exſibilandus potius, & explodendus, quàm deuotè & reuerenter auſcultandus videbatur. Adde cum D. Leone loco citato, Propterea ad illud gloriæ theatrum, deuectos, vt ibi inter claritatis immenſæ ſplendores, cæleſti ſapientia illuminati, Doctorum lauream obtinerent. *Confirmandis vero Apoſtolis*, inquit, *& ad omnem ſcientiam prouehendis, alia quoque in illo miraculo acceſſit inſtructio*.

Conſideratis vero effectibus, dicẽdum videtur, Petrum rectiùs in eo ſpectaculo, & pulchriùs ſe- geſ-

Marginalia: Carthuſ. — Tertull. — D. Leo. — Matth. 17. — Lucæ 9. — D. Leo.

geſſiſſe quàm alios, Ioannem videlicet, & Iacobum, qui omnino tacuerunt, cùm Petrus, rerum terrenarum contemptor, & æternæ beatitudinis ſuauitate illectus, amanter loquebatur. Iterum do Leonem. D.Leo. *His ergo ſacramẽtorum reuelationibus Petrus Apoſtolus incitatus, mundana ſpernens, & terrena faſtidiens, in æternorum deſiderium quodam mentis rapiebatur exceſſu; & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum Ieſu optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur*. Ita ille homil. ſupra citata. Licèt verò Chriſtus Dominus tres diſcipulos, Petrum videlicet, Iacobum, & Ioannem, præ cæteris in gloriæ illius teſtes elegerit, vtpote qui omnes alios ſacri collegij alumnos perfectione anteibant, vt ad caput. 9. Lucæ affirmat Lyranus; Lyran. *Scit*, inquit, *meritorũ cognitor perfectiores fuiſſe cæteris tres Apoſtolis*. D.Chryſ. Et D.Chryſoſtom. in cap. 17. Matth. id ipſum affirmat: *Cuius autem* (interrogat) *rei gratia tres iſtos tantum aſſumit?* Et reſpondet: *Nimirum quòd eſſent hi cæteris excellẽtiores*; Nullus tamen Dominum Ieſum in ea occaſione, ſic nouit obſtringere, ſicut Petrus: cuius affectio, ait ad cap. 9. Luc. Gloſſ. ordinaria, ſancti Spiritus doctrinam & inſtructionem, nobiſque aduenientis obumbrationem omnibus promeruit. Gloſſ. ord. *Etſi Petrus ex infirmitate ignorat, placet tamen obſequij deuotio; vnde & nubes obumbrat: Diuini ſpiritus eſt iſta obumbratio, quæ non caligat affectibus hominum, ſed reuelat occulta: cuius profectus oſtenditur audita voce dicentis: Hic eſt filius meus*. Sed qui & ſibi & ſocijs ea actione tantum promeruit, qua ratione credendus eſt deliquiſſe? Abſit. Quinimo non parum voluptatis Redemptori noſtro attulit, dum ſic fęlicitatis æternę delicijs affectum ſe exhibuit, nouã ſocijs doctrinam fauorẽque promeritus. Hic etiam Diuinus Saluator ad defenſionem fauoris, quem in tres contulerat, alios inuidentes caſtigãs proſiluit. Quod totum ad Petrum, tanquam aliorum caput, eſt referẽdum, quique in præſenti Magiſtri affectum in ſe vehementius pertraxit: vnde in obſequij præmium Sancti ſpiritus miſit vmbraculum.

Vix è monte Chriſtus deſcenderat, cùm, vt refert Luc. cap. 9. pater filium habens à Dæmone obſeſſum, Chriſto appropinquat ſanitatem rogaturus, inter poſtulãdum exponens iam à diſcipulis ſanitatem petijſſe, qui tamen ſanum reddere non potuerant. Lucæ 9. *Rogaui diſcipulos tuos vt eijcerent illum, & non potuerunt*. Exiſtimat verò Lyran. Lyran. propterea quòd alijs ſpectandæ transfigurationis fauorem inuiderant, Dæmones eijciẽdi poteſtate priuatos fuiſſe. *Alij*, inquit, *diſcipuli, qui nondum erãt in bono confirmati, aliquid humanum paſſi, moti fuerunt quodam zelo inuidiæ contra tres prædictos;*

&

& ideo poteſtas eijciendi Dæmones fuit eis ſublata: & ideo non potuerũt curare dæmoniacum eis oblatum. Creuit autem hæc inuidia ex Petri gratulatione: qua ad montem cum Iacobo & Ioanne euectus, huic Redẽptoris amori affectuique indulgens, inſpecta felicitatis æternæ vmbra, tam incredibilem cæleſtium bonorum exiſtimationem concepit, vt dixerit: *Bonum eſt nos hic eſſe*. Quapropter nõ criminosè debuit inuideri, ſed miris affici fauoribus, & noua inſtructione (ſicut à cælo factum vidimus) erudiri. Ex quo damnabilior euaſit culpa cæterorum, qui Petri & duorum electionem ipſis inuidentes, eijciendi Dæmones poteſtate ſe indignos reddiderunt.

Eandem etiam ob cauſam, cùm ab hæreticis hac occaſione deprimitur & damnatur, à Doctoribus & ſanctis Patribus largiùs cõmendatur, altiùſque extollitur. Nouerant enim, ignorantiam, quam ibi oſtendit, non eſſe ſuggillatione dignam, vtpote innocuam culpaque vacantem: Quinimo ingens charitatis ardor, quo ad gloriæ illius conſpectum Apoſtoli pectus æſtuabat, mirificè laudandus mihi videtur. Et certè D. Chryſoſtomus, & Ambroſius id largiſſimè *D. Chryſ. D. Ambr.* præſtiterunt; quorum ſententiæ ab ijs (qui, inſontes forte, Magdeburgenſibus adhæſerũt) damnatæ, huic operi occaſionem prębuerunt. Igitur D. Chryſoſtom. ad illa verba: *Domine bonũ eſt nos hic eſſe*, ita fatur homil. 57. in Matth. *Matth. 17.* *Vides quanto Chriſti ardore incendebatur: Non enim quærere debes, quàm prudenter hortabatur, ſed quàm ſeruens charitate Chriſti; quàmq. inflãmatus eſſet.* Aſſimilia ſunt quæ D. Ambroſ. in Lucam cap. 9. ſcripſit, duo hic expendẽs, magna quidem, & in Petro maximè laudanda: alterum, quia tanquam verus Chriſti diſcipulus, incredibili affectu, gloriæque amore illectus, ipſius bona dilaudauit: alterum, quòd ita erga Redemptorem afficiebatur, vt labore proprio & induſtria conſtruendis tabernaculis ſe obtulerit, in quibus cum Moyſi & Elia tranquillè & ſecurè moraretur: ſed tamen incautum ignorantia cepit amantem; ignoſcenda quidem, ait ſanctus Ambroſius, quia ingentem animi amore æſtuantis affectum indicabat. *Nec laudaſſe*, inquit, *Lib. 9. in Luc. c. 1.* *contentus non ſolum affectu, ſed etiam factorum deuotione præſtantior, ad exædificanda tabernacula tria impiger operarius, communis obſequij miniſteriũ pollicetur. Et quamuis neſciret quid diceret; tamen pollicebatur officium, in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat: nam quod ignorabat, conditionis fuit: quod promittebat, deuotionis*. Hæc ille; quibus ſatis ſuperque huius Archielogij materies elucidatur: perſpicuè enim & diſtinctè Petri ſententiam, ipſum-

ſumque affectum proponit.

Cæterùm, quoniam iam oppignerati obſtrictique videmur multimode veritatem hãc propugnare, quamplurimis ſanctorum Patrum authoritatibus & ſententijs fulciemus: vnde in varios diſcurſus progrediemur capitibus mox ſequentibus, qui lectori ad diſciplinã inſtructionemque inſeruiãt. D. Thom. in c. 17. Matth. Interim D. Thomæ, S. Chryſoſtomi, & Ambroſij ſententiæ ſubſcribentis, ſuffragium refero. *Ex nimio,* inquit, *feruore Petrus videns gloriam, ita affectus erat, quòd nunquam voluiſſet ſeparari, ſi Deus voluiſſet.* Alium Venerabilis Beda. Bedę ex homil. in transfiguration. calculum addo: *Petrus*, inquit, *glorificatam Chriſti humanitatem contemplatus tãto afficitur gaudio, vt nullatenus ab eius intuitu velit ſecerni.* Itaque ingẽs Petri in Magiſtrum amor, quo pene ebrius, & extra ſe abreptus, atque vt amantium mos eſt, in amantem tranſlatus, ipsũ adegit, vt inſpecta gloriæ repręſentatione, animi defectum patiens, affectuque impulſus, ratione incõſulta (in quo ſtetit ignorantia) Marc. 9. Matth. 17. *neſciens quid diceret*, verba illa protulerit, *Bonum eſt nos hic eſſe.* Et quidem amoris magnitudo, ingenſque deuotio omnem aditum librandi examinandique ſententiam intercluſit.

Addo etiam, in ſacris litteris non raro magnum voluntatis affectum ſimplicitatis nomine declarari: quemadmodum in epiſtola Iacobi factum reperio cap. 1. num. 5. Iacobi Epiſt. c. 1. n. 5. Vt enim Apoſtolus ingẽtem Dei amorem ſignificaret, quo innumeris beneficijs genus humanum inceſſanter afficit, hac vſus eſt loquendi formula: *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Quo loco ex Græco & Syriaco fonte pro, *Dat omnibus affluenter*, hauries, *Dat omnibus ſimpliciter*: quæ pugnantia omnino videntur: qui enim affluenter, dat plurimum; qui ſimpliciter, parum largiri reputatur. Verùm vt Neotericus quidã in Epiſtol. ad Philippenſes cap. 2. aduertit, tantundem valet affluenter dare, ac ſimpliciter: quinimo plus aliquid in Deo largitio ſimpliciter facta ſignificat. Perinde namque valet, ac ſi Deum ita munificum largitorem teſtaretur, vt quaſi ignorans, vel non aduertens quæ donat, ſimpliciter dicatur elargiri. Nec mirum; quoniam Dei amor omnem captum excedens, non contentus hominem maximis naturæ & gratiæ beneficijs cumulare, ſeipſum tradidit; nec quoquo modo, ſed *ſemetipſũ* Philipp. 2. n. 7. *exinaniuit*; ſeu vt legit Tertull. Tertull. *Exhauſit*: hoc eſt, vt hominem ditaret, quaſi vacuum ſe reddidit. Tantum apud eum valuit amor, vt actiones, quibus illum demonſtrabat, rationis trutina ponderatæ minimè viderentur, cùm tamen nihil rectum magis fuerit atque ordinatum: Et hoc verè dixeris ſimpliciter operari, quo immen-

menſi amoris largitatiſque magnitudo aptiſsimè ſignificatur. Non aliter Petrus, tam incredibili amoris incendio æſtuabat Dominum Ieſum ſolis inſtar, immenſæ claritatis radios e facie iaculantem cõtemplatus, ſic lætitia efferebatur eum tanta maieſtate circumfuſum inſpiciens, vt ſui oblitus, nulli parcens labori, Chriſto, Moyſi, & Eliæ tabernacula ſubſtruere polliceretur. *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Hanc verò fabricandi pollicitationem, veri amoris filiam, Euangeliſtæ ſimplicitatem appellarunt: Sic enim ego illud interpretor, *Neſciens quid diceret*, conſentaneè ad ea quæ ex Iacobi epiſtola produxi. Et quidem Petrus præamore in extaſim raptus, ita videtur locutus, ac ſi feriante tunc intellectu, ſola voluntas operaretur: quod Euangeliſtæ vt exprimerent, dixerunt, *Neſciens quid diceret*; Sicut humani moris eſt dicere: Ille eſt amore cæcus, ignorat quid loquatur, præ affectu redditus mentis inops.

Matth. 17.

Luce 9.

Singularis apud D. Thomã in catena ad caput 9. Lucæ, fuit Damaſceni interpretatio, ex qua ingens Petro gloria cumulatur: quoniam dictante Spiritu ſancto, futuráque diſcipulorum gloriam prædicente, Petrum ea verba exiſtimat protuliſſe. *Hoc autem*, inquit, *non ex intentione Petrus proferebat, ſed inſpiratione Spiritus reuelantis futura. Vnde ſequitur, neſciens quid diceret*. Quidni Petrus rectè loqueretur, qui Spiritus ſancti ore locutus, & ſibi & ſocijs gloriã impoſterum obtinendã prophetauit? quamuis enim dixerit: *Bonum eſt nos hic eſſe*, non locum reſpiciebat (vt, ni fallor, intellexit Damaſcenus,) ſed gloriæ illius originem, & cauſam, videlicèt Dei eſſentiam, cuius lucem inacceſſibilem, infinitamq. puritatẽ, niueo veſtimentorum candore, & fulgurãti ſolis inſtar facie Chriſtus Dominus oſtentabat. Totum enim illud quod exterius in Saluatoris corpore cernebatur, ex reſtagnantis interiùs Diuinitatis mari procedebat: idcirco dixit: *Bonum eſt nos hic eſſe*. Quaſi dicat; Bonum nobis Domine Ieſu, ſi quod tu modò cernis, nobis poſtea concedatur, vt reuelata facie Dei gloriam ſpeculantes, in eandem imaginem transformemur, & beati ſimus. Quòd ſi hæc verba non vt à Petro, ſed à Spiritu ſancto prolata conſideres, peregregiè ſenſit Damaſcenus, in illis gloriam impoſterum adipiſcendam præmonſtrari: *Non ex intentione Petrus proferebat, ſed inſpiratione Spiritus reuelantis futura*. Ideoque in Petri laudem cedit. Nec iam probroſum, ſed honorificum reputandum eſt quòd de eo dixerint Euãgeliſtæ, quid diceret ignoraſſe: vnde ſequitur, *Neſciens quid diceret*. In quo non damnanda venit Petri ignorantia, ſed laudanda, & ma-

Damaſc. Orat. de transfig.

Matth. 17.

Matth. 17.

Damaſc.

maximè inuidenda Spiritus ſancti benignitas, qui Petrum velut digniſsimum elegit inſtrumentum, cuius ore loquens futuram gloriã reuelaret. Et quomodo erraſſe credẽdus eſt, qui non ex proprio, ſed ex alieno loquebatur? ſicut aliter, cùm Chriſtum confeſſus eſt Dei Filium, Matth. 16. ei dicitur: *Caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Quaſi dicat, hebetes & obtuſi ſunt carnis oculi, Diuinitatem humanitatis velo contectam non introſpiciunt: vnde quod vides, ac in Dei Filio agnoſcis, Æterni Patris beneficentię gratare, quo reuelãte adeptus es Chriſti Diuinitatem agnoſcere, & pręclariſsima confeſſione cæteris tacentibus propalare. Sic expoſuit D. Hilarius in cap. 16. Matth. *Beatus Petrus eſt, vt vltra humanum oculos intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non quod ex carne & ſanguine erat contuens, ſed Dei Filium cæleſtis Patris reuelatione conſpiciens.* Sic euenit in Thabor, vbi Petrus humana mente beatitudinem, quæ tùm ipsũ, tum condiſcipulos manebat, attingere certò non poterat. Quid igitur Dei Spiritus? ſicuti verba ſua in ore Prophetarũ quondam collocabat, ita nunc Petro quę loqueretur ſuggeſſit: vnde ignarus minimè anteriùs aduertẽs loquutus eſt, *Neſciens quid diceret.* Videant ergo, qui Petrum culpæ arguunt, atque ob damnatam ignorantiam ſuggillant, ne in Dei Spiritum Apoſtoli ore loquentem talis ſuggillatio conuertatur.

Matth. 16.

Hilarius Can. 16. in Matth.

Luc. 9.

Adde, ſi lubet, quòd ſicut loquens in conciliabulo Caiphas, vt refert Ioannes cap. 11. neſciẽs quid diceret, prophetauit. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit.* Hoc eſt, verba illa non Caiphæ, ſed diuini Spiritus exiſtimanda ſunt: vnde nec tunc, nec poſtea quæ loquutus eſt intellexit. Quemadmodum noſter S. Antonius de Padua ſerm. 1. Dominicæ 2. Quadrageſ. in eadem Petri verba, ipſum Caiphæ prophetanti æquiparans, ait: *Neſciebat quid diceret*, ideſt Petrus, *quia verum dicebat, & myſterium non capiebat. Sic Caiphas cùm prophetabat, & tamen neſciebat quid diceret.* Neque enim neceſſe eſt vt prophetę ſemper quæ prædicunt, actu percipiãt: & D. Thomas 2. 2. quæſt. 173. art. 4. Caietanus ibid. Vaſq. 1. part. diſp. 17. cap. 3. (videndus omnino) & diſp. 14. c. 5. exiſtimat Prohetas non ſemper viſionum, actorum, & verborum ſignificata percepiſſe. Et quidem Caiphas dici Propheta non meretur, vt communiter ſentiunt Patres; quis propter vnam hirundinem dixit ver? Sic & vnum vaticinium non facit Prophetam. Ex quo intulit optimè Origenes ad hunc locum: *Non ſi quis aliquid, quod medicinæ eſt proprium, fecit; aut aliquid eorum, quæ ad valetudi-*

Ioan. 11.

S. Anton. de Padua

D. Thom. Caietan. Vaſquez. Origenes.

Origen.

tudinem conducunt; propterea eſt Medicus: nec ſi quis aliquid, quod Architecturæ ſubiectum eſt, efficit, Architectus eſt. Concinit D.Thom. D. Thomas ad c. 11. Ioan. dicens: *Nō magis poteſt Caiphas dici Propheta, quàm aſina Balaam.* Cæterùm, etſi verus eſſet Propheta, non proinde quæ dicebat intelligere oportebat. At Petrus, quamuis tunc quæ dixit non perceperit, quia non ipſe, ſed Dei Spiritus in eo loquebatur: poſtea (credo) tum ipſe, tum ſodales perceperunt: aliter non conſtaret Damaſceni ſententia, qui Petro futuram gloriam à Spiritu fuiſſe reuelatam affirmat: *Sed inſpiratione Spiritus reuelantis futura.* Et quia verba Petri non ab eo, ſed à Deo inſpirante proceſſerunt, nec antea quid dicturus eſſet aduerterit, aut meditatus fuerit; idcirco potuit ab Euāgeliſtis dici: *Neſciens quid diceret.* Verùm in hac, quam dicunt, ignorantia, incredibilis Petri ſapientia eluxit.

CAPVT II.

Petrus apud Thabor ſapientiſsimus, & perfectiſsimus oſtenditur.

INter radiantes immenſæ claritatis ſplendores, quibus ſub obſcura nocte ad Chriſti ſe transfigurantis ſpectaculum mons ille fulgurabat, Petri ſe mihi oſtentat imago; quem tantum abeſt vt peccantem ignarumque inſpexerim, vt potius, attenta ſententiæ ſuæ veritate, pollicitique rectitudine, ſapientiſsimum perfectiſsimumq. agnoſcam. Vnde arreptis multorum Patrum calamis & penicillis, innocentiæ candore pulchrum, multarumque virtutum ornamentis prædiuitem depingemus, meliori fortuna quàm ille alius Apellis diſcipulus Helenam pinxiſſe memoratur: cùm enim pulchram reddere non potuiſſet, mentitis colorum fuco margaritis & auro, diuitem compoſuit: quam cùm vidiſſet Magiſter, vt refert Clemens Stromat. 3. Pædag. cap. 16. Clemens. Alexand. exclamauit: *O adoleſcens, cùm non poſſes pingere pulchram, pinxiſti diuitem.* Longe aliter ſancti Patres, peritiſsimi artifices, Petri affectum verbaque ipſius in eo ſpectaculo contemplati; non modò ſanctitate & innocētia, cęterisque virtutibus diuitem, ſed etiam decorum ſapientia, non minus docto, quàm generoſo calamo depinxerunt; quaſi Euangeliſtarum verba illa, *Neſciens quid diceret*, non plano & communi ſenſu, ſed ironicos dicta interpretentur: ſeu vt alijs placuit cum Damaſceno, Petrus ibi prophetico afflatus ſpiritu quam magna cæleſtis beatitudinis futura eſſet dulcedo prædicebat: vel ob fines incognitos præ illius gloriæ affectu in ea verba protrupit; in quibus etſi ignorās ab Euangeliſtis exterius notatur, ſapientiſſimum demonſtrabimus.

§. PRI-

§. PRIMVM.

Euangeliſtarum cenſuram D. Bernardus ironicè prolatam interpretatur.

SAnctus Bernardus epiſtola ad fratres de monte Dei ſenſu ironico Petrum ab Euangeliſtis cenſuratum exiſtimat: ita enim illud mihi ſonat: *In eo autem præſentiſſimus ſibi, & ſcientiſſimus quid diceret: quia ſuauitate eius guſtata optimum ſibi iudicauit in hoc ſemper eſſe, vitam hanc in contubernio Dei & ciuium ſupernorum, quos cum eo viderat, concupiuit dicens, Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Quid agis Doctor mellifluę? ſapientiſsimum vocas, & ſibi cùm loqueretur, pręſentiſsimum dicis, quem Euangeliſtæ neſcijſſe quid diceret affirmarunt? Euangelio contradicis? Abſit. Quinimo ad Euangelium conſentaneè loquitur. Si enim per ironiam dictum eſt, *Neſciens quid diceret*, quis neget, quod ſupponit Bernardus, Petrum hic aduertenter, ſcienterque locutum? Nam licèt antea defenſionis huius Theologica tractantes principia, dixerimus dormientem; vbi primum euigilans ſomnum excuſsit, ſat ei ſuperfuit temporis, vt aduerteret deliberetque, & bonorum illorum viſione raperetur: vel forſan (reor) orationis fructus & præmium illud fuit: ſic mihi perſuadet ordo quo Christi transfigurationem Lucas depinxit. Tres ſecū deferens Chriſtus Dominus, in montem Thabor oraturus aſcendit. Orat Magiſter, orationi vacant diſcipuli: neque enim decens erat vt Magiſtro orante ipſi aliud agerent: orantibus ſomnus, quemadmodum in horto, obrepſit. Interim dum dormiebant transfiguratus eſt Chriſtus in oratione, adfueruntque Moyſes & Elias: ac dum cum Saluatore de ipſius paſſione loquerentur, Petrus ſocijque excitantur, nec vtcumque & ſemiuigiles, ſed ſomno prorſus excuſſo alacres & impigri cōſtiterunt; vt ſignificātet dixit Euāgeliſta: *Euigilantes viderunt maieſtatem eius*. Et certè, vt ibi tenet gloſſ. Luc. 9. ſomnus ille ex myſterio potius quàm ex neceſſitate prouenit, vt mortem, quæ iuſtorum ſomnus eſt, ſignificaret, à qua iuſti, Dei maieſtatē in gloria contemplantur. *Vt reſurrectionis gloriam poſt corporis quietem viderint; & ſancti eo veriùs maieſtatem Domini videbunt, quò carnis ſuæ, in qua mortem vicerant, immortalitate gaudebunt.* Hinc etiam eſt illud Ambroſij in Lucam cap. 9. vbi totum orbem in tribus diſcipulis myſticè ſignificatum aſſeuerat: additque neminem poſt reſurrectionē ad gloriam illo montis ſpectaculo ſignificatam aſcenſurum, niſi priùs Trinitatis myſterium crederet, pa-

Margin notes: D. Bern. — Luc. 9. — Luc. 9. — Gloſſ. — D. Ambr.

Iamque fateretur. *Putarem*, inquit, *in tribus, qui ducuntur ad montem, myſticè genus humanum comprehenſum: quia ex tribus filijs Noe genus omne defluxit humanum; niſi electos cernerem. Tres igitur eliguntur, qui aſcendũt in montem, quia nemo poteſt reſurrectionis videre gloriam, niſi qui myſterium Trinitatis incorrupta fidei ſinceritate ſeruauerit.* Beda cap. 38. ad illa verba, *Transfiguratus eſt ante eos*, exiſtimat Domini transfigurationẽ futuræ gloriæ pignus extitiſſe. *Transfiguratus autem Saluator gloriam futuræ, vel ſuæ, vel noſtræ reſurrectionis oſtendit: qui qualis tunc Apoſtolis apparuit, poſt iudicium cunctis apparebit electis.* Itaque Petri & ſodalium ſomnus myſterio tribuendus eſt: vnde ita impigri vigileſque ſurrexerunt, ac ſi non antea ſomno indulgerent, ſed tanquam vigiles attentè excubarent: Idcirco Petrus aduertenter, & ſapientiſsimè, vt monuit Bernardus, ad ea quæ loquebatur attendit. *In eo autem præſentiſſimus ſibi & ſcientiſsimus quid diceret.* Et quidem prophetice locutus ſuam & ſociorum prædeſtinationem, futuram beatitudinem prædixit: vel certè ea loquendi formula, fęlicitatis æternæ bona quanto amore æſtimationeque digna ſint, declarauit. *Bonum eſt nos hic eſſe.* Quod ſi verum habet, non extra rem Euangeliſtæ per ironiã dicere potuerunt, illum quid diceret ignoraſſe: quia præcelſo dicendi genere, ſublimique admodum ſermone, profundiſsima myſteria, cæleſtiumque bonorum magnitudinem patefecit. Et quemadmodum Petrus, vt in illa demonſtratione Empyrei bona approbaret, non exquiſitis vſus eſt dictionibus, aut verba adhibuit ſuperlatiua, ſed terminis vſus eſt ſimplicibus ac poſitiuis, dicens, *Bonum eſt nos hic eſſe*; Ita etiam Euangeliſtæ, vt ſignificantiſsimo dicendi artificio Petri ſapientiam declararent, per ironiam locuti dixerunt, *Neſciens quid diceret.*

Beda. — Bernard. in epiſt. ad fratr. de monte Dei. — Matth. 17. — Lucæ 9.

Et quidem Ironiæ vſus in diuinis litteris non infrequenter reperitur. Geneſis 3. dicitur: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Diuinitatem ſibi ſpoponderat Adam: atque vbi primum vetito malo veſceretur, in Deum tranſire ſperabat. Sed, proh humani iudicij fatuitatem, fallacemque ſpem! nec Diuinitatem obtinuit, & pene amiſit humanitatem, itaut è paradiſo eiectus beſtiarum ſimilitudinem referret, vt Regius Vates præcinuit Pſalm. 48. verſ. 13. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* O Adam, quis dignè tuam deplorabit calamitatem, quis inſperatam adeo mutationẽ ſatis dolebit? in

Gen 3. — Pſal. 48.

te

te ſumma imis,fælicia calamitoſis infauſto euentu repente commutantur. Hæccinè, quam præſumebas,diuerſitas?tantum abeſt quòd Deus euaſeris, vt nec etiam homo videaris, è ſummo fælicitatis ſtatu in miſeriarum omnium piſtrinum repente detruſus. Idcirco Deus, hominis fatuitatem deceptionemque irridens, dicebat:
Gen.3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*;ironicè dictum;tantumdemque valet, ac ſi dixiſſet, ſua hominem ſpes deluſit: nihil minus habet quàm quod optabat.

Eadem vſus eſt ironia D. Paulus 2. Corinth. 11. cùm Superiores ſuggillans, eo quòd ad plurium ſubditorum licentiam, impudentemque in peccando libertatem conniuebant, ſic illos ſub laudis colore(ſi D. Bernardo cre-
2.Cor.11 dimus) affatur: *Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes: ſuſtinetis enim ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis in faciem vos cædit.* Quid tibi videtur? laus eſt hæc, an ſuggillatio? Planè deſipies, ſi laudem arbitreris. Magis diſertè Bernardus, cui ironiâ ſapuit Apoſtoli ſententia: *Niſi fallor*, inquit, *ironia etiam, & nō laus ſed ſuggillatio quorumdam manſuetudinis.* Non aliter Euangeliſtæ, dum de Petro dicunt, *Neſciēs quis diceret*, ironia vtuntur, ideſt, nunquam magis cordatus extitit & ſapientior, quàm hic, dum gloria cæleſti captus ab ea nunquam diuelli, ſed æternùm ibi manſuram ſtationem figere cupiebat. Et ita ni fallor, cenſuit Gloſſa Ordinaria Gloſ.Or. in cap. 17. Matth. *Sed in hoc ſciebat quid diceret, Bonum eſt nos hic eſſe, quia verè ſolum hominis bonum eſt intrare in gloriam Domini ſui. Quia ſi Petrus videns glorificatam humanitatē, tanto afficitur gaudio, vt nunquam velit ab eius intuitu ſecerni; quid putandum eſt de his, qui diuinitatem videre meruerunt?* Mirum ergo in modum Petri in hoc ſapientia enituit; nec verè neſcius dici poteſt, qui à ſe dicta peroptimè callebat: quinimo laudāda maximè venit eximia ipſius ſanctimonia, æternæ beatitudinis amor, ingensque affectus, quo terrenis poſthabitis, quaſi ea neſciret, ſola nouerat cæleſtia, eorumque poſſeſsione frui peroptabat.

§. SECVNDVM.

Qui terrena deſipit, in cæleſtibus nimium ſapere comprobatur.

NOuum quidem in ſacris litteris atque inſolitum non eſt, vt terrenorum bonorum ignorantia, cæleſtium ſapiētia dicenda ſit, & è contra: etenim vbi primū oculi ad æterna ſolidaque beatitudinis inſpicienda bona aperiūtur, terrenis, temporalibus, & caducis obturantur. Optimum huic doctrinæ fulcimētum adhibeo ex c.24. Exod. cùm Moyſes in mōtem

Sinai Dei colloquio fruiturus acceſſitur, erat tunc mons caliginoſa, & ſpiſſa nube circunfuſus, flammarumque incendio coruſcans, & luce plenus, quæ ex Dei gloria promicabat. *Cùmque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini quaſi ignis ardens ſuper verticem montis in conſpectu filiorum Iſraël: ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, &c.* Duo itaque Moyſem in illo mõtis aſcenſu obſederunt, nubes obſcura, & ignis flãma reſplẽdens. Inquirit autem Riccardus Victorinus lib. 4. de contemplat. part. 1. cap. 32. qua ratione caligo & ſplendor, nubes obſcura, & ardens ignis, cohærere poterant? Quod perinde eſt, vt ignorantia & ſcientia ſimul conſiſterent: *Vt iuſtè mirari debeas, quomodo concordet ibi nubes cum igne, & ignis cum nube: nubis ignorantiæ cum nube illuminatæ intelligẽtiæ.* Aptiſſimè reſpondet in rem prçſentem, illammet cæleſtium bonorum ſapientiam, terreſtrium ignorãtiam dicendam eſſe: quoniam vbi primum quis aſpicit cæleſtia, terrenis inſpiciendis cæcutit, & caligat. *Nam vno eodemque tempore*, inquit, *humana intelligentia, & ad diuina illuminatur, & ad humana obnubilatur.* Fallar, niſi hic propoſitæ doctrinæ fulcimentum & probationem nõ ſolum habeas, ſed etiam figuram: ita quod idem Moyſi acciderit in Sinai, quod in Thabor. Sicut enim Moyſes caligine & ſplendore, hoc eſt ignorantia & ſcientia circumfuſus erat, ſimiliter Petrus, & ſapientiſſimus, & ignarus dici poterat; nec ipſius ignorantiam à ſapiẽtia diſcriminabis. Quam enim ibi, Diuino reuelante Spiritu, ad cæleſtium bonorum approbationẽ, Petrus ſapientiam oſtendit; error & ignorantia reputanda eſt; quia terrena bona nec nouerat, nec inſpiciebat: & ideo tanquam de ignaro loquentes Euangeliſtæ dixerunt: *Neſciens quid diceret*; vbi ego cæleſtium bonorum ſapientiam inuenio commendatam. At verò tam Apoſtolus quàm Euangeliſtæ, latenti quadam energia emphaſiq. locuti videntur: ille dum proferens, *Bonum eſt nos hic eſſe*; bona amplificauit cæleſtia: hi dum ad terrena cæcutientem depingunt: nam illud, *Neſciens quid diceret*, ſic interpretor: Qui in inſpiciendis æternæ fælicitatis bonis ita cernit acutum, tam ſapienter eadem commendat & extollit; is profectò ſapientiſſimus ad cæleſtia, & in terrenis cæcutiens erit; *Neſciens quid diceret*.

Exod. 24.

Ricard. Victoriu.

Matth. 17.

Matth. 17.

Nec ſola in hoc magna eluxit Petri ſapientia: magnus item ſanctitatis perfectioniſque ſplendor radiauit: Qui enim inſpecta quaſi per rimulas cæleſti gloria, ſic afficiebatur, vt omnẽ terrenorum memoriã amitteret; quidni perfectionis culmen attigiſſe dicendus erit? Quòd autem Petrus gloriam inſpiciens, non quæ-

ſierit

ſierit terrena, Claudius in cap. 17. Matth. palam teſtatur: loquentem auſculta, & ſaberis: *Omnibus*, ait, *ſepoſitis curis ſuis, Chriſti & Sanctorum conſortio contentus, in ea beatitudine permanere cupit: quaſi diceret, omnium iocundiſſimus ac lætiſſimus eſt hic locus; hic nobis eſt commorandum. Valeat Galilæa cum voluptatibus ſuis: valeat Hieroſolyma cum bonore, principatu, & maieſtate ſua: quæ etiã te filium Dei, & Prophetarũ maximum occidere cupit: imò valeat totus mundus vna cum omni ſua terrena fælicitate*. Hactenus ille. Gloſſa ordin. in Luc. ad illa verba, *Bonum eſt nos hic eſſe*, ait: *Qui ad montana conſcenderat, nõ vult ad terrena deſcendere, ſed ſemper in ſublimi perſeuerare: & eſt Petrus in perſona ingredientium Regnum Dei*. Quaſi dicat, Petrus omnium iuſtorũ nomine, quibus à Deo conceſſum eſt, vt in æterna beatitudine ipſius viſione perfruantur, ita cæleſtium bonorum amore tenebatur, vt conſpecta in monte Thabor aliquali gloriæ ſimilitudine, tanquam generoſus beatitudinis profeſſor, feruẽtiſſimusq. amator, rerum mundialium affectum exuerit; quàmq. ingens in cælo præmium, & pulchra iuſtitiæ corona, Dei ſeruis eſſet repoſita, cognoſcens, dixerit: *Bonum eſt nos hic eſſe*, hoc eſt: Incredibilem Domine Ieſu ſupernæ Hieruſalem reputo fælicitatem: immenſum agnoſco diuitiarũ inæſtimabilium theſaurũ, quem amatoribus tuis in cælo aperiendum reſeruas: talibus ego diuitijs mirificè delector; incredibiliter mihi placent: nihil ſupereſt expetendum: Omnia in te vno bona cumulantur: Te ſine nihil aliud voluntas deſiderat: Tecum omnibus bonis perfruitur: & ideo *Bonum eſt nos hic eſſe*. Quòd ſi (proſequitur Petrus) labor tam magni præmij futurũ eſt pretium, pro te, & amicis tuis ad laborem impiger exilio: attamen ſi tibi placeat, & ſic fieri poſſit, hìc in Thabor, te inſpiciente vellem laborare: *Si vis, faciamus hic tria tabernacula*: Is enim labor ſolũ proficuus eſt, quẽ te propter quis obit, teque vidente aggreditur: Vnde labor humanus, qui te velut ſcopum non reſpicit, incaſſum abit, inutilis redditur, nec quidquam ex eo præter laſſitudinem remanet, & ſudorem: vt impius Herodes expertus eſt. Quippe cùm apud Matth. 2. incredibilem diligentiam adhiberet, vt de Chriſti natiuitate certior redderetur, & Magorum prædicatione commotus Legiſperitos & Sapientes conuocaret; *Et diligenter didicit ab eis, vbi Chriſtus naſceretur*; ex tam laborioſa diligentia nihil vtilitatis percepit, quia Deum non aſpiciebat prẹſentem, nec quẽ Magi habuerant finem reſpiciebat. Inuidendus plane & valde fortunatus, ait D. Leo ſerm. 1. de Epiphania, ſi totum, quod pera-

Claudius. Gloſſ. Or. Luc. 9. Matth. 17. Matth. 17. Matth. 2.

gebat, ad fidem, pietatemque dirigeret. D. Leo. *Quàm felix*, inquit, *foret Herodes, ſi Magorum imitaretur fidem, & cõuerteret ad Religionem, quod diſponebat ad fraudem*. Longe aliter Petrus frugiferum voluit habere laborem; idcirco actionum ſuarum ſcopum reſpiciebat Saluatorem: & quia maximam in hoc ſapientiam, incredibilemque perfectionẽ oſtendit, ab Euangeliſtis commẽdatur, & à contrario, quod aiunt, ſenſu neſcius dicitur, *Neſciens quid diceret*. Non abſimile videtur illud Iob 2. vxoris Iob ad maritum: *Benedic Deo, & morere*, cap. 2. Quod aliter quàm ſonat, ab interpretibus declaratur. Non enim optabat vt maritus in Dei laudes benedictionemque effuſus, pro ipſius dilectione moreretur: ſed vt Deum execraret, eiuſque ſeruitium deſereret; vt ſic lætus & à calamitatibus liber vitam traduceret. Pari ratione Euangeliſtæ Petrum à cõtrario ſenſu ignorantem neſciumque appellant; cùm ipſe cautiſſimum, ſapientiſſimum, ſanctitate perfectioneque eximium ſe exhibuit: Matth. 17. *Neſciens quid diceret*. Sic per antiphraſim fœdiſsimum dicimus pulchrum, neſcium Salomonem, & nigerrimum niue candidiorem appellamus.

§. TERTIVM.

Qui terrenam ſapit fælicitatem, valde neſcius in æterna deprehenditur.

CÆleſtium bonorum ignorãtia, terrenæ fælicitatis dicitur ſapientia; quemadmodum, qui terrena ignorant, in cæleſtibus ſapiẽtiſsimi reputãtur: E cuius probatione tradita fulcietur doctrina, & fortior Petri defenſio, ampliorque euadet virtutis & perfectionis ipſius commendatio. Vbi primùm Parentes primi pomum vetitum comederunt, oculos aperuiſſe, ac ſe ipſos nudos inſpexiſſe dicuntur; quod antea non aduerterant. *Et aperti* Genes. 3. nu. 7. *ſunt oculi amborum; cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus*. Itaque vbi primum à cæleſti itinere deflexerũt, regulam deferentes, quam ſequi debuerant iuxta diuinæ ſapientiæ agnitionem, qua veluti manu ad conſeruandam Dei gratiam recto tramite ferebantur; ſtatim oculos ad terrenas cõmoditates, bonaque temporalia adipiſcenda coniecerunt, nuditatem agnoſcẽtes, vt eam conſutis folijs contegerent. Satius certè foret, (ait Baſilius homil. Quod Deus non ſit author malorum) ſi oculos ad ſuam nuditatem aſpiciendam nullatenus aperuiſſent, nec integumenta, quibus ſe operirent, quæſiſſent. Quantum enim huma-

mana ſcientia profecerũt, tantum errantes & cæci ab itinere cæleſti
D. Baſil. deuiârant. *Oportebat ſe*, inquit, *nudos minimè cognouiſſe, ne mens hominis aut eorũ cupiditate, quæ deeſſe viderẽtur, traheretur: amictum namque nuditatis defenſionem, ſolatiumque eſſe exiſtimauit; & omnino per carnis curam ab obſeruantia Dei abſtractus eſt.* Cernis igitur humanam illorum ſcientiam, Diuinæ priuationem extitiſſe; ac dum proprium ſecuti ſunt arbitrium, diuinam ignoraſſe voluntatem: vnde ab Apoſtolo
Ad Rom. 8. dictum, ad Roman. cap. 8. *Sapientia carnis inimica eſt Deo*. Melius igitur fuiſſet, ſi tunc ignorarent, quod tam infauſto diſpendio agnouerũt: iuxta quod illud Auguſtini citatum videtur in diſt. 38.
diſt. 38. Quamuis errare. *Sunt enim quædam, quæ neſcire melius eſt quàm ſcire*. Ideo in Petri vtilitatem ceſsit, quòd ignorauerit: dum enim oculos ad terrena conſpicienda obnubit, *Neſciens quid diceret*, cæleſtia videre diligereque promeruit, ac eorum fruitionem incredibili affectu procu-
Matth. 17. rauit, dicens; *Bonũ eſt nos hic eſſe.*

Indubitatum eſt, & prorſus ſtabilitum, quò quis in conquirendis vitæ commoditatibus magis oculatum, & ampliùs ſtudioſum ſe præbet, eò certiùs cæleſtibus lucris & hæreditatis æternæ negotiationibus deſtitui. Paſsim id apud Sanctorum Patrum monumenta reperies. Bernardus tamẽ in hac materia præſtantiùs mihi videtur locutus, maximè viris Religioſis, qui Petrum in Thabor contemplantem, & Paulum in cælis conuerſantem æmulari tenentur. Igitur in Epiſtola ad fratres de Monte Dei hæc ſcripſit;
Altiſsima eſt enim profeſsio veſtra, cælos tranſit, par Angelis eſt, Angelicæ ſimilis puritati: Non ſolum vouiſtis omnem perfectionẽ, ſed omnem modum perfectionis, & ſanctitatis: aliorum eſt Deo ſeruire, veſtrum adhærere. D. Bern. Quod vt validiùs comprobaret Doctor mellifluus, Petri exemplum adducit, cùm in Thabor, cæleſtis gloriæ contẽplatione elatus, ibi immorari & quieſcere exoptabat; nec à Magiſtri ſui conſpectu tantiſper auelli patiebatur, reliqua huius vitæ bona oblitus, quaſi iã ipſius naturę actiones ignorauerit. Hinc etiã ipſe Bernard. ſerm. 30. in Cantic. nimiam quorumdã Religioſorum ſolicitudinem in conquirendo cibo carpit; quin etiam luxum deliciaſque ſuggillat. *Quid* D. Bern. *verò prodeſt*, inquit, *temperare à voluptatibus, & inueſtigandis diuerſitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirẽdis quotidianam expendere curã? Legumina, inquis, ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam; choleram porri accẽdunt, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua, meæ penitus complexioni*

xioni non congruunt. Quale eſt hoc, vt in totis fluuijs, agris, hortis, cellarijſue reperiri vix poſſit quod comedas? Hactenus ille: Vbi vides quàm ſpiritnales deſideret Religioſos viros, qui ad Petri ſimilitudinem omnia huius vitæ commoda poſthabuerunt, in carne ita viuentes, ac ſi ea prorſus caruiſſent. Vnde conſentaneè ad prædicta adijcit idem Bernard. ſermon. 63. ex paruis verba illa Canticorum cap. 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum*; & Monachis eleganter adaptat: *Monachi carnem non habent; quia in carne carnem obliti, audiunt ab Apoſtolo: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu.* Viris ſpiritualibus ſūmopere enitendū eſt, ne quid in ipſis carneum reperiatur, aut carnis leges ſectentur. Exploratiſsimum enim eſt, tam in agnitione mentis, quàm in cordis affectu, vt quò impenſiùs quiſque humanis & carnalibus attendat, eaque diligat, eò longiùs à Dei cognitione, cæleſtiumque amore ſeparetur. Non dimittamus Bernardum: ex ijſdē ſermonibus, vt iam incepimus, propoſitæ doctrinæ fulcimentum quæramus. Igitur in Dei Eccleſia ſpirituales, & carnales contēplatus, vtroſque affectibus contrarijs nunquam penitus exui teſtatur. *Cùm in populo Dei carnales alij ſint, & alij ſpirituales; nec illi tamen æternorum, nec iſti carent omnimodò temporalium deſiderio.* Ita ille ſermon. 33. ex paruis. Quod apertè cernitur in benedictionibus Iacob, & Eſau: alter enim perfectus erat, & ſpiritualis, alter verò perditus, & carni deſeruiens; & forte in vtroque ſpiritualium & carnalium figura præludebat: vnde ambos cæleſtia & terreſtria bona in moribus retuliſſe cōperimus, vt in ſuis benedictionibus figuratum agnouit idem Bernardus. Iacobo enim Geneſis 27. dicitur: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pingue dine terræ abundātiam:* Eſau autē, *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* Notandum tamen eſt benedictionis vtriuſque diſcrimen: quoniam Iacob primo loco cæleſtia bona, *De rore cæli*, & poſtmodum terrena, *De pinguedine terræ:* Eſau autem vice verſa, terreſtria primum, *In pinguedine terræ*; & poſtea promittuntur cæleſtia, *& in rore cæli.* Quo datur intelligi, inquit Bernardus, eos dici ſpirituales, qui dum hic agunt, humanis affectibus non omnino exuuntur; ſed minus humanitatis habent; & ſpiritualia iuxta ſuæ profeſſionis inſtitutum temporalibus antepo-nunt. Qui verò carni deſeruiunt, primo loco temporalia, & deinde reſpiciūt ſpiritualia. *In eo*, inquit, *ſanè diſtant, quòd plus alia appetunt alij, & ſecundùm ea quæ præferunt, aut ſpirituales, aut carnales iudicantur.* Vtroſque tamen ſua pars contigit: nam in ſpiritualibus

Margin notes: Cantic. — D. Bern. — D. Bern. — Geneſ. 27 — D. Bern.

Digitized by Google

libus carnale aliquid, in carnalibus nonnihil ſpiritus reperitur, plus minuſue, prout ab his, vel illis affectibus impelluntur. *Quid autem ſinguli præſerant, à ſtudijs eorum, & ſolicitudinibus innoteſcat*. Tantũ itaque in ſpiritu quiſquam augetur, quantum terrenis affectibus vacuatur; quòque magis vitæ huius accreſcit amor, eò ampliùs proficiendi ſtudium minuitur, & conſequendę perfectionis conatus remittitur & langueſcit.

Pulchrè ſanè hoc animæ terrenorũ cupiditate languẽtis ſtudiũ, perfectionisque deliquium illa Ephronis venditio adumbrauit. Gen. 23 Cùm enim, vt refert Geneſ. hiſtor. c. 23. Abraham interuẽtu filiorũ Heth agrũ, ad Sarę cõiugis ſepulturam, ab Ephron ſibi vendi poſtularet; ille, etſi oblatum pretium ſemel iterumque repudians gratis campum largiretur, tandem renuente Abraham gratis obtinere, precum inſtantia victus, pretium accepit; & Abraham ager accreuit. Plus tamen amiſit in agri venditione, quàm ſi omnino perderet, vel ſine pretio donaret. Dum enim venditor inuenitur, tanquã in virtutis ſtudio adhuc nouitius & parum perfectus, in ſacris litteris notatur; etenim à venditione, vt aduertit in quæſtion. hebraicis D. Hieronymus, vna nominis littera expungitur, in aliamque mutatur: & qui antea dicebatur *Ephron*, agro diuendito, & accepto pretio dictus eſt *Ephran*, O in A permurato: eſt autem O poſtrema Alphabeti Gręci littera, perfectio. nemque deſignat & conſummationem: A verò eiuſdem Alphabeti prima, & principiũ repręſentat, iuxta illud Apocal. *Ego ſum Alpha & Omega, Principium & finis*: Apoc. 1. ea ratione ſignificans venditorem illum tantum abeſſe à conſummata perfectaque virtute, vt non quaſi iam in virum perfectum euaſerit Ephron; ſed veluti puer elementarius, qui vix primã Alphabeti litteram didicerat, Ephran appellari debuiſſet. Quò, ni fallor, reſpexit Hieronymus, cuius D. Hier. hæc ſunt: *Significante Scriptura, non eum fuiſſe conſummatæ perfectæque virtutis, qui potuit memorias vendere mortuorum*. Vel fortè ideo Ephran dicitur, quia littera A verſus partem inferiorẽ comatula depingitur, breuiſsimæ inſtar radicis: ſignificans ea figura Ephran radices in terram egiſſe poſtquam agrum pretiò victus diuendidit: in quo parum perfectus reperitur. Et quidem, ſi rectè ſapis, ex hoc euentu colliges, neminem, vniuerſim loquendo, ita perfectum inueniri, qui vel minimis carnis affectibus vrgeatur; atque adeo quantum ex altera lance detrahit ponderis, tantum in aliam cõijciat; neceſſe eſt: & quod perfectionis ſtudio adimitur, omne illud temporali terrenæque ſolicitudini adhibetur.

Hinc admirandam Petri excellen-

lentiam fas eſt intueri; quoniam terrenis rebus animum ſubtraxit, & omnes cordis portas occluſit, ne mundi amor intraret. Vnde quaſi iam perfectę conſũmatæque virtutis in Thabor conſiſtens, bona cæleſtia, quæ ibi cernebat repræſentata, ſolùm cupiebat, & omnem conatum affectumq. vt ijs frueretur, velatis interim ad terrena oculis, extundebat; ideoque non minus prudenter quam ſanctè, & perfectè dicebat: *Bonum eſt nos hic eſſe*; quod Euangeliſtæ ignorantiam dixere: *Neſciens quid diceret*: eo quod Petrus humanam repudiauit ſapiẽtiam, terrenoſque affectus ab animo auulſit, vt late proſequitur D. Chryſoſtomus epiſtol. Parænet. 5. ad Theodorum lapſum. *Si Petrus*, ait, *qui vidit obſcuram quandam imaginem futurorum, omnia cõtinuò reiecit ab animo, propter voluptatem inditã animæ à tali conſpectu; quid dicemus quando rerum veritas aderit? quando regijs cubiculis adapertis contueri licebit ipſum Regẽ nõ per ænigmata, nec per ſpeculum, ſed facie ad faciem; nõ amplius, inquam, per fidem, ſed per ſpeciem?*

Matth. 17. Marc. 9.

§. QVARTVM.

Petrus apud Thabor vt Spiritus ſancti filius honoratur, quemadmodum Chriſtus ab æterno Patre filius prædicatur.

ANtequam Petrum Dominus Ieſus in Thabor adduceret gloriæ illius ſpectatorem; Spiritus ſancti filium dixit, confeſſionem remunerãs: *Beatus es Simon Bar-iona*. Matth. 16. nũc ideo inter cæteros ad montem aſſumpſit, vt ibi à Spiritu ſancto tanquam ipſius patre mũdaretur, & omnino perficeretur; ſubindeque in eo monte duo filij à ſuis parentibus honorati, magniſque aucti fauoribus cernerentur, Chriſtus videlicet, quem Pater æternus mirificè extulit dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui*; Petrus, quem ſex ab hinc diebus Chriſtus Dominus apud Matth. 16. in confeſſionis ſuæ remuneratiõe Spiritui ſancto filium deſtinauerat dicẽs: *Beatus es, Simon Bar-iona*. Et verò verbum, *Bar-iona*, idem ſignificat ac Ioannis filium (nimirum gratiæ) vel columbæ filium, hoc eſt, interprete D. Hieronymo, ſancti Spiritus filium: Et tanti apud me ponderis habet, quod Petrus à Chriſto audiat, *Simon Bar-iona*, quaſi diceret: Beatum, ò Petre, Orbis te prædicet: quoniam Patrem æternum ego parentem agnoſco. Tibi pro patre datus eſt ſanctus Spiritus, Patri omnino æqualis: vnde iam parentibus pares ſumus. Deus bone, quantum ſe extulit Petri excellẽtia, quantumque ſplenduit magnitudo! Nullus hominum ſic expreſsè Spiritus ſãcti filius dici promeruit: ſed cur ita? Voluit (credo) Dominus Ieſus, hac appellatione à debito, quo Spiritui ſancto

Matth. 16.

Matth. 17.

& quodammodo aſtringebatur, ſe exoluere: nam qui à ſancto Spiritu regenerantur, non ipſius, ſed æterni Patris filij dicuntur. Reddit ergo Chriſtus in Petro filios ſuos Spiritui ſancto; & impoſito filij ſpiritus nomine, debitum ſoluit. Quòd autem renati ad gratiam à Spiritu ſancto id accipiant, Dominus ipſe apud Ioann. cap. 3.
Ioan. 3. fatetur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Hoc eſt, quicunque Regni Dei hæreditatem adituri ſunt; oportet primò vt ex aqua & ſancti Spiritus operatione renaſcantur: qua loquendi formula ſic renatos, Spiritus ſancti filios appellare videtur: nõ enim illos cæleſtis contingit hæreditas, vt aquæ filios, ſed Spiritus, à quo regenerati ex aqua prodierunt. Ita planè faciendum videbatur; ſed aliter, inquit Auguſtin. in Enchirid. capit. 39. ſe res habet: qui enim Spiritus ſancti, & aquæ filij dicendi videbantur, illos æterni Patris, ſanctæque matris Eccleſiæ filios cernis appella-
D. Aug. ri. *Certè qui naſcuntur ex aqua & Spiritu ſancto, planè dicuntur filij Dei Patris, & matris Eccleſiæ.* Itaque Dei Spiritu gratiam conferente, per quam vt Dei ſint filij nanciſcuntur, non ipſius filij, ſed Patris dicuntur, & Chriſti fratres. Cùm autem Pater ęternus, Chriſti ſit Pater, qui *primogenitus in multis fratribus* appellatur, inde fit vt ſanctus Spiritus à nobis Pater non dicatur, cùm tamẽ Deum Patrem, noſtrum etiam Patrem appellemus. Idem cernere licet inter Spiritum ſanctum & Dominum Ieſum Saluatorem noſtrum: Quippe cùm de Spiritu ſancto conceptus, & ex Maria Virgine natus ſit, ac eius filius verè & propriè dicatur, & longè meliùs quàm quiſque noſtrũ matris ſuæ filius ſit & dicatur; nihilominus, Spiritus ſancti filius non audit: Quod D. Auguſtino viſum D. Aug. eſt difficillimum: vnde c. 38. Enchiridij hunc in modum ſciſcitatur, quomodo non ſit filius Spiritus ſancti, & ſit filius Virginis Marię, cùm de illo & de illa ſit natus? Explicare difficile eſt: verùm in ſuperficie ſiſtẽdum erit, nec altiùs ad eruendam rationem excauandum; eſt enim extra rem noſtram. Sat modò ſit dicere, propterea Chriſtum Spiritus ſancti filium nõ dici, etſi ab eo conceptus & genitus fuerit, quia concipiendi, & naſcendi modus non eius fuit rationis, vt filij nomen inderet: Nõ enim dicẽdus erat filius, qui nõ vt filius naſcebatur. Do Auguſtinum: D. Aug. *Profectò modus iſte, quo natus eſt Chriſtus de Spiritu ſancto, non eſt ſicut filius.* Hinc autem inferendũ eſt, quòd Spiritus ſanctus, licèt in temporali Chriſti generatione, & fidelium prolificio operã ſuam collocarit; attamen nec Chriſti, nec fidelium pater audiat. Quid ergo? filijs carebit omnino? Non ita, ait Chriſtus: vnus pro cunctis da-

dabitur Petrus: *Beatus es Simon Bar-iona*, cui ad magnam fælicitatem contigit, vt Spiritus ſancti filius eſſet. *Beatus es Simon Bar-iona*. Et præterea nos omnes ſub hac appellatione continebat; quin & ipſius Dei filij vices hic adimplebat, qui ſuo & omnium fidelium nomine collocatam operam voluit rependere, Petrum Spiritui ſancto filium deſtinans; acſi ex vna parte ſeipſum vnà cum fidelium vniuerſitate conſtitueret; ex altera Petrum, quo ſolo videtur Spiritui ſancto debitum (vt ita loquar) ſoluiſſe, quòd cum omnes ab eo geniti fuerint, non ipſius, ſed ęterni Patris filij nuncupētur. Matth. 16.

Et quidem vt Petrus agnoſceret quantæ fælicitatis eſſet vnicū Spiritus ſancti filium appellari, tranſactis à fauſtiſsima filiatione ſex diebus, poſtquam ei dictum fuerat, *Beatus es Simon Bar-iona*, in Thabor euocatur: vbi ſicut Pater ęternus, voce delapſa a magnifica gloria, filium ſuum honorauit dicens: *Hic eſt filius meus dilectus:* ſic etiam Spiritus ſanctus Patris inſtar in Petrum propēſus, tam incredibili affectu impulit, nouoque amoris incēdio inflammauit, vt terrena & caduca faſtidiens, ſolis diuinis & cæleſtibus inhiaret. Vnde in alium tanto mutatus incendio, ſapiētiſsimusque & perfectiſsimus repēte effectus, dicebat: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*. Quin etiam, vt iam ſupra retulimus, Spiritus ſancti fauor illi adfuit, nubem, quæ reficeret, demittētis: *Et nubes lucida obūbrauit eos*. Vbi gloſſ. ordinaria, *Vnde*, ait, *& nubes obumbrat: Diuini Spiritus eſt iſta obūbratio, quæ non caligat affectibus hominum, ſed reuelat occulta*. Ibi etiā ex Damaſceno ſtatutum reliquimus, Spiritum ſanctum futuram Petri gloriam ei reuelaſſe, vt omnibus modis beneficentiam eius ſentiret, quem velut Patrem habebat; & talis filiationis prerogatiuis & fructibus frueretur; quēadmodum Christus Dei Patris amorem, benignitatemque experiebatur. *Hoc autem*, inquit, *non ex intentione Petrus proferebat, ſed inſpiratione ſpiritus reuelantis futura*. Ex quo apparebat vtrumque filium, Chriſtum videlicet & Petrum, à ſuis parentibus honorari, dum Pater æternus filium, Spiritus ſanctus Petrum diuerſis fauoribus proſequūntur, quamdā inter eos æqualitatem conſtituētes, dum vtriuſque parentes Diuinitate exæquantur, nec maior eſt Chriſti Pater, quàm Petri: quin etiam ſicut Chriſtum Pater, ſic Petrum Spiritus ſanctus fauoribus auxit, vt amorem ſuum teſtaretur: vnde Petrus fauorem, & Spiritus ſanctus, nouo ſibi dato filio, quem ijs demonſtrationibus honorabat, ſolatium (vt ita loquar) authoritatemque accipere videbatur. Lucæ 9. Gloſ. or. Damaſc. lib. 3. cap. 24.

Pro quo notandum eſt, longe aliter apud Iordanem eueniſſe, cùm

cùm Pater æternus, ibi, ſicut in Thabor, Chriſtum filium ſuum iiſdem verbis declarauit dicens: Matth. 17 *Hic eſt filius meus:* quoniam in eo ſpectaculo Spiritus ſanctus tãquam teſtis adhibetur; dum ſuper Chriſti caput ſub columbæ ſpecie deſcendit. Et licèt initiati Pater dici potuiſſet, quoniam gratia in baptiſmate recepta opus eius reputatur; teſtis tamen adfuit, Æternum Patrem voce futuris audienda ſæculis Chriſtum declaraſſe filium probaturus: *Hic eſt filius meus dilectus*. Quod tantum abeſt, vt Spiritui ſancto tanquam iniurium diſplicuerit, vt ipſe veritatis huius teſtem ſe exhibuerit, Patriſque diſpoſitionem in Chriſti Baptiſmate præſens cõfirmarit: quin etiam pro vnoquoque noſtrum, teſte D. Paulo ad ad Rom. cap. 5. Rom. cap. 5. eiuſdem filiationis præbet teſtimonium: *Ipſe autem Spiritus teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei*. Cæterùm in Thabor aliter factum inuenio: quoniam ibi Pater & Spiritus ſanctus, ſuos filios habuerunt: Ille Chriſtum, hic Petrum: vterque honorauit; Pater dicens: *Hic eſt filius meus dilectus*; Spiritus ſanctus, non voce proferens, ſed fauore filium oſtendens: Ita enim amore incẽdit, potentiſsimèque in filij Matth. 17. affectus ſe inſinuauit, vt ipſius impulſu dixerit, *Bonum eſt nos hic eſſe*, beatitudinis illius ſuauitate illectus. Quod cùm aduerterent Euangeliſtæ, diuini ſpiritus ſapiẽtiam in Petro agnoſcentes, à contrario ſenſu antiphraſi vtendo, vel ironia, ignorantem dixerunt, quia minimè ignorauerat; ſicut mundũ dicimus quia minimè mũdus: vel quia cæleſtẽ ſapientiam, rerũ terrenarum ignorantiam reputabãt: Vnde qui cæleſtia nouerat, adeoque vehementer optabat, verè dici potuit *Neſciens quid diceret*. Luc 9. At verò dum neſcientem dicunt, non deprimunt, ſed altiùs extollunt, & vberiùs commendant, propter diuinos fauores, quibus à Spiritu ſancto tanquam filius ſummè dilectus cumulatur.

Hinc iam dabitur intelligi, quã ob cauſam Petrus vnà cum ſocijs poſt hæc in terram corruerit; *Ceciderũt in faciem ſuam, & timuerunt valde*; Matth. 17. cùm tamen eandem Patris vocem impigri ſtanteſque audierint apud Iordanem. Quod inquiſitione dignum D. Chryſoſtomus D. Chryſ. homil. 57. in Matth. indicauit. *Quomodo autem*, inquit, *hæc audientes perculſi ſunt, cùm iam ante ſimilis vox in Iordane audita fuerit, nemo ex turba qui aderat expauit; Et iterum quando tonitru factum fuiſſe dicebant, nullus commotus fuit; quomodo inquam, nunc timore perculſi ceciderunt?* Reſpondet ſibi Chryſoſtomus: *Ceciderunt trementes ſimul atque adorantes.* Quod certè reſponſum in Petri & ſociorum laudẽ maximè cedit: quippe qui Dei maieſtatẽ reueriti adorantes

&

Digitized by Google

& tremebundi proſternuntur. Cæterum, ni fallor, etſi omnes, non tamẽ ex eadem cauſa ceciderunt. Petro alia, Ioanni & Iacobo alia fuit cadendi ratio. De Petro quidem planum fiet, ſi meminerimus quid ei Matthæo referente c. 16. acciderit. Nam cùm à Saluatore Eccleſiæ caput, & Paſtor ſupremus inſtitueretur, & præclaram ob confeſſionem ligãdi atque ſoluendi Pontificium obtineret; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam; & tibi dabo claues Regni cælorum*; Statimque Satanam appellauit, vt aliquantiſper deprimeret, vel ne ipſe ijs fauoribus auctum ſe inſpiciens inſoleſceret, vt in ſuperioribus Archielog. 2. cap. 2. demonſtrauimus; Idem planè mihi videtur hic in Thabor à Deo intẽtum. Cùm enim Petrus tot à Spiritu ſancto beneficijs fuerit cumulatus, timendum erat vt inſpecta gloriæ maieſtate, patefactiſque in trãsfigurationis ſpectaculo cæleſtis Regni theſauris, inaniter efferretur: ad terram deijcitur, & timore concutitur, vt aliquo modo beneficiorum oblitus humilitatem retineret. Quãquam nec omnino, nec ad longum tempus voluit obliuiſci; ne pro humilitate deſpectum ingratitudinemque referret: vnde accurrens diligenter proiectos & pauitantes erexit. Perbellè Chryſoſtomus: *Ne autem*, inquit, *ex timore diuturnio re obliuio fieret, cito eos liberauit.*

Matth. 16.

D. Chryſ.

Hæc D. Chryſoſtomi ratio in Iacobum & Ioannem pariter quadrat, quoniã tres ſimul eodem affecerat honore, tanti ſpectaculi teſtes adducens probatiſsimos. Verùm cùm duo fratres quaſi muti in transfiguratione conſtiterint, nec verbum vllum proferentes, quo affectus ſui magnitudinem teſtarentur, quantique illius gloriæ ſublimitatem ſibi fieri ſignificarent, quaſi taciturnitatem damnans, & omiſſionem caſtigans, in terram deijci permiſit: *Ceciderunt in faciem ſuam*; pauoremque concuſsit: vt qui, ſicut Petrus, fælicitatem illam diligere non demonſtrabãt, exteriùs ad illius conſpectum timore quaterentur: *Et timuerunt valde*. Magno verò dignum ſupplicio cenſet D. Ambroſius ſermon. 80. illum qui ad cæleſtium voluptatum conſpectum non hilareſcit interiùs, nec externa hilaritudinis argumenta demonſtrat: ſicut etiã puniendus deprehenditur, qui auditis æterni ſupplicij cõminationibus, mæſtitudine non afficitur, nec ad peccatorum pœnitudinem commouetur. *Annuntiamus*, inquit, *vobis Regni cæleſtis gaudiũ; & minimè corda veſtra motu quodam alacritatis exultãt: prædicamus triſte iudicium; & ſenſus veſtri ad pœnitentiam in lacrymas non prorumpunt. Infidelitatis genus eſt, in diuinis rebus, nec gaudere proſperis, nec flere contrarijs*. Hæc ille; in quibus

D. Aug.

D. Ambr.

bus videtur reſpexiſſe ad illud Saluatoris apud Matth. 11. num. 17.
Matth. 11. *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentauimus, & non planxiſtis.* Quaſi dixerit, interprete D. Hieronymo ad hũc locum, æterna vobis propoſuimus bona, eorum magnitudinem decantantes, vt ſic ad virtutis ſtudiũ prouocaremus: vos autem, quaſi nihil intellexeritis, immobiles permãſiſtis: quin etiã lamentis ſociantibus damnatorum pœnas vobis annuntiauimus, vt earum timore conterriti pœnitentiam ageretis: at irritus
D. Hier. noſter labor euaſit. Hieronymi verba ſunt: *Prouocauimus vos, vt ad noſtrum canticum bona opera faceretis, & noluiſtis; lamentati ſumus, & vos ad pœnitentiam prouocauimus, & ne hoc quidem facere voluiſtis, ſpernentes vtramque prædicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ poſt peccata.* Debuerant igitur Iacobus, & Ioannes, in illo gloriæ ſpectaculo, inter Moyſis, & Eliæ colloquia *(loquebãtur de exceſſu, quem completurus eſſet in Hieru-*
Luc. 9. *ſalem)* Patris audita voce, *Hic eſt filius meus dilectus*, inter Chriſti ſe transfigurantis ſplendores; *Reſplenduit facies eius ſicut Sol*, non immobiles perſtitere; ſed interni gaudij ſigna demonſtrare, quibus amoris ſui affectum teſtarentur.

CAPVT III.

Sancti Ephrem ſententia proponitur, aſſerentis in eo Petri ignorantiam extitiſſe, quòd labore ſuo gloria illius magnitudinem augeri poſſe arbitraretur.

QVoniam noſtri inſtituti ratio exigit vtilia potius quã ſpecioſa ſectari, animarumq. profectui, non aurium lenocinio indulgere, non ita in refellendis Magdeburgenſium falſitatibus diſtinebimur, vt interim vtilia & profutura non inſeramus: quinimo, euulſis peccati ſpinis, quas Petro nixi ſunt infigere Nouatores, lilia colligemus & roſas, quæ languenti animæ ſeruiant ad medelam. Igitur omnes Patrum ſentẽtias ad examẽ ſingillatim reuocabimus, ſingulas capitibus ſpeciatim, claritatis gratia, partientes: vt inde nobis innoteſcat, in quo illa Petri ignorantia fuerit conſtituta. Non tamen ſterile & infœcũdum erit iſtud ſententiarum examen, ſed floridum, & amœnum, varijs aſſertionibus & ſẽtẽtijs interpũctum, gratiſsimiſque excurſionibus variatum: quo ſanè oppugnata veritas clarior euadet, Petrus victor triumphabit; cui nõ ita indulgendum eſt, vt ipſi contraria & parum ſpecioſa, officioſo potius quàm vero ſilentio opprimantur: cæleſtium theſaurorum ineffabiles diuitiæ ſaltẽ per rimulas apparebunt, ſupernæque Hie-

ruſalem amplitudo & magnificentia, parum licet docto calamo, & penicillo minùs generoſo, depingetur: Eccleſiæ Monarchia, cuius caput Petrum & Romanos Pontifices Petri ſucceſſores vera fides agnoſcit, ſtatuetur.

Igitur primò diſcutienda erit, ac illuſtranda S. Ephrem ſentẽtia; qua notum euadet, in quo Petri dicentis: *Bonum eſt nos hic eſſe*, conſtiterit ignorantia: pariterque mõſtrabitur eam eſſe cæleſtis beatitudinis magnitudinem, vt humanæ induſtriæ opera non egeat.

Ergo Petri ignorantiam in eo ſitam Ephrem Syrus oratione de Transfigurationis myſterio exiſtimat, quòd bonorum cæleſtiũ magnitudini derogauerit: vnde non illam prioribus verbis, *Bonum eſt nos hic eſſe:* ſed poſterioribus, *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnũ,* Petrus exprompſit. Ita verò locutus videtur, quaſi ſtationis illius commoda aliqualiter augere, & vitę eius quietudini aliquid addere cogitaret, ac ſi Redemptoris gloria Petri opera indigeret: idcirco Ephrẽ ad illa verba, *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos*, cum eo ſic expoſtulat: *Vides Simon tabernaculum ſine labore, tabernaculum, quod arcet æſtum, & non habet tenebras?* Quaſi dicat: non aſpicis, ò Petre, pulcherrimum nubis ſplendidiſsimæ conopæum, quod tibi de tabernaculis è vili materia ſabrefaciendis cogitanti è cælo demittitur; vt tibi documento ſit quòd ſi forte ad illum ſtatum tabernaculis opus eſſet, ſummaque tanti ſpectaculi fælicitas vmbraculis indigeret, non tuis manibus & labore ſunt conſtruenda? Quis enim tu, vt gloriæ immenſitati aliquid addere, & infinito omnium bonorum cumulo operis & laboris tui acceſſione commodum aliquod adijcere præſumas? Erras ò Petre: in hoc ignorantiam manifeſtas, ac propterea tanquam neſcius ab Euangeliſtis ſuggillaris. Hæc ex mente D. Ephrem. Idem etiam ſenſiſſe videtur Theodoret. in cap. 9. Luc. & Beda in Marc. cap. 37. vbi verba illa expendens, *Facta eſt nubes obumbrans eos*, ita fatur: *Quia verò Petrus materiale quæſiuit tabernaculum, nubis accepit vmbraculum, vt diſcat in reſurrectione, non tegmine domorum, ſed Spiritus ſancti gloria eos eſſe protegendos: vnde ſequitur, Et facta eſt nubes obumbrans eos.* Quaſi dicat, nubes è cælo mittitur, ſplẽdore renitens, vt Petrum ignorantiæ commonefaciat; pariterque intelligat cæleſtis patriæ beatitudinem, qua poſt reſurrectionem beati perfruentur, nullatenus humanæ induſtriæ labore indigere: Regni enim æterni manſiones Architectonicam non deſiderant; nec hominis labor, & fatigatio quidquam additamenti immenſæ fęlicitatis cumulo poterit adijcere,

Matth. c. 17.

S. Ephrẽ.

Theodor.

Beda.

cere,

cere, quantumuis vires omnes extundat.

Verum quidem eſt, Petrum & ſocios nec Diuinitatem tunc inſpexiſſe, nec claram eſſentiæ diuinæ cognitionem aſſecutos, vt (teſte Maldonat. in c. 17. Matth.) duo viri grauitate præcellentes, doctrinaque, & eruditione præſtantiſsimi crediderunt; nec ſine veterum Doctorum firmamento. Quin etiam id Eccleſia ſenſiſſe videtur: cuius hymnum ad cõfirmandam ſententiã proferre ſolẽt.

Maldon.

Prudent. in hymno de Epiph.

Illuſtre quiddam cernimus,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum,
Antiquius cælo & chao.

Huic tamen exiſtimationi, ait Maldonatus, communior, verior & ſecurior obſtat ſententia; nec citra periculum affirmari poteſt, Petrum, alioſque diſcipulos in transfiguratione Diuinitatem inſpexiſſe: nec ex veteribus qui citantur, id affirmarunt: illud tantum credẽdi ſunt voluiſſe, vt Apoſtoli Diuinitatis ſignum, quod vocant Chriſti Diuinitatem, oculis inſpexerint: & facilè ſuadetur ex eo, quòd cum Arianis differentes Chriſti Diuinitatem inde probare conabantur: quod certè in prædicto Eccleſiæ hymno clariùs ſignificatur.

Quicumque Chriſtum quæritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit viſere
Signum perennis gloriæ.

Atque hinc planum fit, Dominum Ieſum Diuinitatem ſuam corporeis oculis inſpiciendam (id enim impoſsibile erat) nullatenus oſtendiſſe, ſed quandam veluti Diuinitatis ſpeciem, & corporis gloriam, qua tunc, effundente ſe animæ beatitudine, fruebatur: ita ni fallor inſinuat D. Hieronymus, & ſubtiliter exponit in ſumma Theologiæ S. Thomas 3. part. quæſt. 45 art. 1. ad 2. à Theologis, quos delectant ſubtilia, planè adeundus. Verùm etſi Petrus in eo ſpectaculo corpoream Chriſti gloriam, ac in ea animæ beatitudinem adumbratam, non tamen diuinam eſſentiam inſpexerit; improuidum tamẽ & ignorantem ſe præbuit, vt memorati Patres tradiderunt, eo quòd labore proprio & induſtria aliquid illi ſtatui addendum exiſtimarit, quò eius felicitas ac beatitudo gratior & amplior redderetur: qualis enim qualis fuit, ſic in Petri animum ſe inſinuauit, vt penitus abriperet, ac rerum omnium induceret obliuionem. Atque adeo (vt ait Remigius in caput 17. Matth.) ſi rectè ſaperet, vel minimam gloriæ illius ſtillam eius eſſe naturæ aduertere potuiſſet, vt omnia humanæ vitæ incommoda repente aboleret. *Viſa*, inquit, *Domini maieſtate, & duorum ſeruorum, Petrus adeo delectatus eſt, vt cuncta temporalia obliuioni traderet; & ibi in perpetuum vellet mane-*

D. Hier.

S. Thom.

Remig.

re. Si autem tunc Petrus ſic accenſus eſt, quanta erit ſuauitas & dulcedo, videre Regem in decore ſuo; & intereſſe choris Angelorum, & omnium ſanctorum? Hæc ille: verè quidem: nam vel minima cæleſtium bonorum particula, vmbra tenuiſsima, aut perexigua empyrij fluminis ſtilla, temporalium calamitatum maxima poteſt incendia extinguere, humanæque infælicitatis dolorē, & memoriam penitus eluere; quinimo ipſos Tartari ignes, æterna damnatorum tormenta, & nunquam peritura incendia, vt iam videbimus, conſopire.

§. PRIMVM.

Vna beatitudinis ſtilla omnes Tartari flammas in paradiſi rorem immutare poteſt.

TArtareo carceri mācipatus diues ille auarus tenebatur: ecce tibi inter flammarum globos, quibus nunquam abſumendus vrebatur, non improuidus aut ignorans, & parum prudens, inclamat, atque ad extinguendum ignis incendium vnam tantum aquæ guttulam expoſcit: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Pro certo hic ſtatuendum eſt, & poſtea probabitur, diuitem hunc non materialem aquam, ſed diuinam, non è terreno fonte, ſed è cæleſti flumine ac Dei menſa guttulam quæſiſſe. Nam quod Lucas capite 16. enarrat, vel hiſtoria dicenda eſt vera; vel parabola, ſeu aliud ex hiſtoria, parabolaque compoſitum. Quod ſi dicamus hiſtoriam cum Irenæo lib. 1. capite 61. Tertull. lib. de anima cap. de ſubſtant. animæ, Clem. lib. 2. Pædag. Chryſoſt. homil. 6. in epiſt. 2. ad Corinth. & homil. de Beato Iob. Ambroſ. in comment. Eutym. & alijs, qui omnes ob Origenis rationem in caput 1. Iob, quam etiam adducit Chryſoſtom. homil. de diuite, & Lazaro, videlicet, inſolitum eſſe in parabolis, perſonarum, quæ introducuntur, nomina recenſere; hanc diuitis fuiſſe hiſtoriam crediderunt. Quo item argumento Origenes, & alij vſi ſunt contra nonnullos ex Iudæis, vt librum Iob veram continere hiſtoriam, & non parabolam ſtatuerent.

Luc. 16. | Irenæus. | Tertul. | Clemens. Alex. | D. Chryſ. | D. Ambr. | Eutym.

Stante igitur pro hiſtoria iudicio, neceſſe eſt, vt qui diuitem ignibus cruciatum videmus, & aquæ refrigerium poſtulantem audiuimus, eum veros pati ignes, & veram aquam petere arbitremur. Quòd ſi totum erat verum, non aptè ad extinguendum tam magnum incendium, paruam aquę materialis guttam exigebat: fatua certè & parum idonea poſtulatio videbatur: nec ſi gutta daretur,

quid-

quidquam de dolore & incendio remittere poſſet : & præterea , vt in hiſtoria refertur , non ſola lingua, ſed totũ corpus; imo & anima , ipſo teſtante diuite , flammis

Luc. 16. vrebatur: *Quia crucior in hac flãma* . Quaſi dicat : nihil in me reperitur, quod non ſit incendij pa-

D.Baſil. bulum . Ita, ni fallor, ſenſit Baſilius , cuius eſt illud apud D.Thomam in caten.aur.cap.16. *Condignum autem præmium redditur diuiti illi , ignis , & infernalis pœna , lingua areſacta ; vice lyræ ſonantis, gemitus; vice potus,deſiderium ſtillæ; vice ſpeculorum enormium,caligo profunda;vice ambitus inceſſantis , peruigil vermis : vnde ſequitur : Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* . Dum igitur ſolam tam magnis cruciatibus guttam ad incendij leuamen poſtulat , quadam vtens honoris pręfatione,dum ait:

Luc. 16. *Pater Abraham miſere mei* , vt Abraham exoret ; quid aliud quã de remedio cogitat ?

Dum verò quod petit ei non conceditur , & verborum additur blandimentum , vt negatæ peti-

Luc.16. tionis aſperitas temperetur : *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua* ; nihil aliud cogitandum eſt, quàm negatum fuiſſe leuaminis remedium,vt æternis flammarum cruciatibus inceſſanter exu-

Petrus Chr.ſol. ſtus perſtitiſſet. Ita placuit Chryſolog. ſermon.123. vbi nomine Abraham diuiti colloquitur . *Tu vocas patrem, ego voco filium, vt te grauiter doleas perdidiſſe quòd natus es : voco filium, vt intellgas iudicij eſſe , quod pateris, non furoris : voco filium , vt in me mea patientia, & in te tua maneat pœna*. Ex quo planè deducitur,conceſſa, quam poſtulabat diues ille, tenui guttula, tormentum omne , & ignis incendium eſſe abolendũ, protinuſque calamitoſum damnati ſtatum in perennem Beatorum fælicitatem immutandum:idcirco vt ſemper ſit miſer , æternùmque diſcrucietur,gutta negatur. *In inferno* (ait Auguſtinus ſerm.227.de D. Aug.

tempore) *guttam ardens petebat , & impetrare non poterat* . Tene igitur,guttulam à diuite poſtulatam , non aliquid eſſe terrenum , ſed cæleſte ; non temporarium , ſed æternum : aquam ille poſtulabat, Empyreo fonte hauriendam: beatæ vrbis Hieruſalem vitrei fluminis latices expetebat: his æterna malorum omnium , quæ ſuſtinebat,obliuia ſe potaturum exiſtimabat : parua illius fontis ſtilla, è quo Beati epotant , ac delectabiliter ſitiunt , ſitienteſque delectãtur, ſat erat , vt Tartari flammas extingueret ; atque ex ærumnoſo redderet ex improuiſo fælicisſimum . Addit etiam Auguſtinus loco ſupra citato : *Deſiderat gut-* D.Aug.

tam, qui negauerat micam . Hoc eſt ; etſi qui dare non nouerat,parum exigere videatur,non ita eſt; multum rogat è cælo guttam poſtulans, qui nec terrenas donare micas agnouerat .

Luc. 16. Quòd ſi de ſolius linguæ refrigerio cogitabat dicens: *Vt refrigeret linguam meam*, ideo fortè id præſtitit, quia lingua, damnationis illius inſtrumentum extiterat; & ſicut per illam acceperat mortem, illius etiam beneficio vitam conſequi ſperabat: atque adeo, vbi primum cæleſtis aquæ contactu lingua ſuum reſtingueret ardorē, totus ipſe liber ab incendio, torturaque immunis euaderet. Author mihi eſt Auguſtin. lib. 2. Euāgelic. qq. quæſt. 38. *Vel quòd linguam ſuam vult refrigerari, cùm in flamma totus arderet, ſignificat quod ſcriptum eſt: Mors & vita in manibus linguæ.* Vel, vt placuit D. Chryſoſt. homil. de diuite, & Lazaro, diuitis lingua peccandi fuerat occaſio; idcirco plus ibi pœnarum quàm alibi ſentiebat. *Multa etiam*, inquit, *lingua eius ſuperba locuta eſt: vbi peccatum, ibi & pœna; quia plurimum lingua peccauit, amplius torquetur.* Concinit Auguſtinus ſerm. 227. de tēpore. *Totum*, inquit, *diuitis corpus flammis gehennæ conſumitur, & ſola lingua ampliùs cruciatur: Ideo ſine dubio in lingua maiorem ſentit ardorem; quia per eam ſuperbè loquendo contempſerat pauperem*. Dum verò ad reſtinguēdum linguæ incendium aquam poſtulat, intolerabile quod in ea tormentum patiebatur oſtendit; inſuperque aquę præſtantiam manifeſtat: quippe cùm paruula eſſet gutta, magnum potis eſſet & præcipuum linguæ ardorem temperare; quin etiam reliqua membra eximeret à tortura. Nec ipſius tantùm diuitis, ſed damnatorum omnium tartareos cruciatus gutta illa, ſi concederetur, extinguere potuiſſet. Proh bonorum cæleſtium magnitudinem, inexplicabilem iuſtorum gloriam, æternas beatorum delitias! quid facient in humano pectore fluuij voluptatum, quid epota de paradiſi torrentibus vnda, quid inexhauſtum gaudiorum mare; cùm totus in illud iuſtus intrabit; ſecundum illud, *Intra in gaudium Domini tui*; quando vna illius maris ſtilla, & parua fluminis gutta in tartarū illapſa, cruciatus omnes extinguere, tormenta delere, & nunquam morituras damnatorum pœnas, in ineffabiles Beatorum delicias immutare poſſet!

D. Aug. (margin)

D. Chryſ. (margin)

D. Aug. (margin)

Matth. c. 25. n. 21. (margin)

Quòd ſi hæc diuitis enarratio, non hiſtoria, ſed parabola, vt multi crediderunt, exiſtimanda ſit, in quibus Theophilactus in cap. 16. Luc. Iuſtin. quæſt. 6. Theophilus Antioch. lib. 4. allegor. Eucherius in quæſt. in Lucam: eodem modo nobis philoſophandum erit. Etenim eadem ratione, qua diues, & pauper ſuppoſititij creduntur, etiā ignis, ad oſtendendum auari aliorumque damnatorum cruciatum, introductus videtur; & qua ratione illi paruam gloriæ ſtillam ſuſpirarent, quæ ignes omnes, tormenta omnia ptorſus aboleret: quandiu inops Lazarus; Beatos puta,

Theophil. Iuſtinus. Theoph. Eucher. (margin)

quos

quos ipſe exprimebat;de torrente diuinę voluptatis ad plenum epotus, & cæleſtibus paſtus delicijs experiebatur à ſiti neceſſitatem abeſſe, à ſatietate faſtidium. Quin etiam quò plus è cæleſtium deliciarum flumine hauriuntur aquæ, plus iucundiſſimè ſitiuntur: cùm Deo prouidente, inter ſæculi diuites, & Chriſti pauperes, patiendi & fruendi viciſſitudo alternetur, vt cum Chryſologo loquar ſerm. 122. *Iam vobis verſæ ſunt vices. Vides eius gloriam, cuius ſupplicium ſic ſpreuiſti: videt ille cruciatus tuos, qui te tunc tua mirabatur in gloria.* Similia ex Auguſt. calamo proueniunt, ſermon. 227. *Mutatæ*, inquit, *ſunt vices: Pauper beatitudinem emit mendicitate, & diues ſupplicium facultate.* Petrus Chryſol. D. Aug.

Cæterùm, vt placuit Maldonato, & Iuſtino, cuius ſententiam refert ad caput 16. Lucæ, cùm hæc enarratio partim ex hiſtoria, partim ex parabola coagmentata fuiſſe videatur, quomodo Poetæ tragicomedias compingunt; & verò diuitē, & Lazarum fuiſſe; quorū alter in infernū detruſus, alter verò ab Angelis in ſinū Abrahæ portatus deſcribitur, hiſtoria videtur. Attamen diuitis cum Abrahamo colloquia, Lazarum vt mitteret petitionem; intinctum in aqua digiti extremum, ad linguę refrigerium; parabolam hiſtoriæ admixtam interpretare. Nec dubitat D. Auguſtinus lib. 8. de Geneſ. ad litteram cap. 5. primam partem hiſtoriam continere, dubius an etiam idem exiſtimandum ſit de ſecunda. *Melius eſt*, inquit, *dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Illum quippe diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos eſſe non dubito. Sed quomodo intelligenda ſit illa flamma inferni, ille ſinus Abrahæ, illa lingua diuitis, ille digitus pauperis, illa ſitis tormēti, illa ſtilla refrigerij, vix fortaſſe à manſuetè quærentibus, à contentioſè autem certantibus nunquā inuenitur.* Non hæſit in hac flamma Chryſologus; vnde ſerm. 122. illum diuitis ignē, refrigerij petitionem, eleuatos ad poſtulandum remedium oculos, digiti in aqua intinctionem, totum exiſtimat parabolicum. *Hæc flamma*, inquit, *non tam linguæ, quàm mentis eſt; non tam linguæ, quàm cordis eſt: & adhuc iſte conſcientiæ calor eſt: non illud extremū, quod te manet, & expectat incendium: Nam ſi te iam nouiſſimi iudicij totus ignis ambiret, & illius deſperatæ damnationis ſentētia iam teneret; nunquam leuares oculos, nunquam patrem colloqui; nunquam pro te rogare; nunquam præſumeres interuenire pro fratribus.* Maldon. Iuſtin. D. Aug. Chryſol.

Ex quibus cernes, illam Euangelij guttam, non eſſe veram; ſed myſticam, atque ad exprimendam amplitudinem gloriæ productam extitiſſe: cuius ſic exuberātes ſunt immenſæque deliciæ, vt pœnas

vertere in voluptates, & ipſum Tartarum reddere potuiſſet Beatorum paradiſum. Fallar, niſi huc reſpiciēs ſcripſit Gregor. hom. 4. in Euangelia, quod iuxta tres ſententias perbellè cadit in rem noſtram: *Diues enim iſte*, inquit, *qui ulcerato pauperi menſæ ſuæ vel minuta dare noluit, in inferno poſitus vſque ad minima quærenda peruenit: nam guttam aquæ petiuit, qui micas panis negauit.* Quam ſententiam vtraque manu reuerſans, Dico primum: Diuitem illum ſic auarum extitiſſe, vt quemadmodum menſæ non præſtiterit micas, ita etiam animus illi defuerit, vt quidquam præter aquę ſtillam poſtularet: fere enim rogandi difficultatem, & largiendi parcitatem coniunctas inſpicies; Nec audet largiter petere, qui nuſquam liberaliter donare cognouit: quinimo auarus alios ad ſeipſum remetitur; vnde larga petere ab illis veretur, quos in auaritia ſibi ſimiles opinatur. Et ideo miſer hic neceſsitate compulſus, cùm iam tormenti vis preces extudit, priſtinum referens ingeniū, nihil niſi guttam petere nouit, quia auari lingua nō niſi minutias & quiſquilias proferre conſueuit: quinimo neque hæc loqui & donare nouerat iſte. Vnde mirum fuit quòd quid eſſet gutta, vt poſtularet, agnouiſſet, qui micam non dedit. Quod, ni fallor, à Gregorio dictū: *Nam guttam aquæ petiuit, qui micas panis negauit.* Aliter ego in rem noſtram diuitis petitionē interpretor; Hoc eſt: nouerat egregiè diues ille in damnationem incidiſſe eo quòd menſæ ſuæ micas pauperi denegauerat: vt igitur damnationem euaderet, de menſa Dei cadentes micas expoſcit, hoc eſt, guttam aquæ, ſeu gloriæ cæleſtis paruam ſtillam, qua Tartareum deleretur incendium; & ipſe è miſero beatus ex improuiſo redderetur. *In inferno poſitus, vſque ad minima quærenda peruenit: nam guttam aquæ petiuit, qui micas panis negauit.* Quis hic æternæ fœlicitatis magnitudinem non admiretur? Quis cæleſtium voluptatum ineffabilē delectationem non ſuſpiciat? cum ſola fontis illius vel minima gutta flammas extinguere, diuitis illius cruciatus omnes abolere, extremamque calamitatem in maximam gloriam permutare poſsit.

D.Greg.

D.Greg.

§. SECVNDVM.

Minima gloriæ particula omnem humanæ mentis meditationem exuperat.

IAm, ni fallor, admirari non licet guttæ fontis æterni dulcedinem tormenta omnia extinguere poſſe, quando ineffabiles Regni Cæleſtis diuitias, æterna gaudia, nunquam perituram fœlicitatem, inexhauſtos omnigenæ voluptatis theſauros, humana lin-

lingua explicari, & ſenſu percipi non licet; & vel minima eius gloriæ particula omnem mentis captum excedit. Animaduerſione dignißimum arbitror, quanto ſtudio cæleſtis ſponſa, veri Salomonis & Regis Regum, dilectiſſimiq. ſponſi triumphalem lecticã depinxerit, ſingula mira curioſitate percurrens: faſtigiatas in orbem ex argento columnas: purpurantium graduum diſpoſitionẽ; ſed ille intus eminens, materiam, ligna videlicet Libani; opus in materiæ certamen vltra humanæ vires induſtriæ fabrefactum. *Ferculum*, inquit, *fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit*. Canticor. 3. Illud autem plus inijcit admirationis, quòd ſponſa, quaſi aliud agẽs, ſponſi lectum, & quietis locum in eodem capite leuiter præſtrinxerit dicẽs: *En lectulum Salomonis*; ſtatimque adijcit, *Sexaginta fortes ambiũt, ex fortiſſimis Iſrael*. Quod quidem nec ad lectuli maieſtatem & amplitudinem, nec minùs ad ſomnum molliter captandi commoditatem attinere videtur: externum tantummodo ornatum reſpiciunt. Sunt etiam fortiũ ambitus, quo innuitur pręſtantiores Iſrael, hoc eſt, viros Iuſtitiæ laude præcellentes, vitæque sãctimonia eximios, qui totis mentibus beatorum requiem inhiant, & paradiſi lectulos, vbi ſponſi delicię captantur; tota auiditate ſuſpirãt, nunquam ab æternæ felicitatis conſpectu ſeparari: quia ſemper illam affectibus circuncingunt; & rectè factis ambiunt & coronant.

Cantic. 3

Cantic. 3

Hæc de externo lecti ornatu & dignitate ſponſa: Nihil tamen de ipſo lecto profert: ipſum duntaxat nudè propónit, *En lectulum Salomonis*; nec minimam amplitudinis illius particulam exprómit. Cur ita? Verbis fortè deſtitutam ſe inſpexit, quibus incredibilem lecti ornatum, magnitudinemque depingeret? Planè: cùm enim lectus ille ineffabilem requiẽ, qua iuſti in cælo perfruũtur, ſignificaret; nulla poteſt eloquentia exprimi, nullo verborum penicillo depingi: vnde irrito conatu niteretur, qui non totum lectum, ſed minimam illius partem exprimere tentaret. Perbellè in hãc rem Gillibertus Abbas ſerm. 16. in Cantic. *Quid eſt, quòd de ipſo nobis lectuli apparatu nihil dicit? quòd non eius, vel in modico depromit delicias? Et Thronum lego Salomonis, & ferculum; ſed vtrunque ambitioſo ſtructum apparatu; & ſicut regias decet delicias. Nunquid lectulum intelligimus neglectum? Abſit: ſed ſufficiebat vt lectulum diceret. Fortè verbum hoc, verbum ineffabile, quod non licet homini loqui*. Cùm igitur ſponſæ lectuli delicias expertæ verba defuerint, & quaſi ſe mutam ſenſerit, vt vel

Gillibert.

mo-

modicam ineffabilium voluptatũ particulam exptimeret; quid mireris diuitem auarum, inter inferni ardores vnam tantũ aquæ guttam petijſſe, hoc eſt, eius gaudij tenuem particulam, qua ſolaſe fælicisſimum fieri reputabat?

Quod verò hac in re plurimi faciendum arbitror, illud eſt, ipſum humanum intellectum, dum hæc de cæleſtium voluptatum magnitudine componit, dum quæ diſertiſsimè compoſita ſunt, & docto nimis calamo poſſunt exprimi, contemplatur; Nauis inſtar amiſſo gubernaculo fluctibus obrui, & ſubmergi. Quin etiam, parabolæ, ſimilitudines, tituli, nomina, figuræ, quibus ſacra pagina mille modis beatitudinem adũbrare conatur; necnon ſanctorum Patrum ſubtiles cogitatus, præclariſsimique diſcurſus; quidquid denique de ineffabili ſanctorum fælicitate pulcherrimè dictum, ſubtiliter inuentum, eleganter excultum, inauditaque peregrinitate compoſitum inuenietur; nihil aliud eſt, quàm vmbra tenuiſsima, quę lucem illã inacceſsibilẽ, claritate, Solis ſplendorẽ infinitè ſuperantem, verbi ineffabiles diuitias, Spõſi inexplicabiles delicias, Beatorum gaudia omnigenis voluptatibus cumulata, delineare vix poſſit, nedum inſpicienda repræſentare. Quantumcunque enim mens aſſequatur humana, paruam magnitudinis illius particulam, non attingit: nec niſi imperfectum quid non in ipſa re, ſed abſtractè, vt Theologi loquntur, intelligit. Non latuit hoc Nyſſenum hom. 6. & Richardum Victorinum par. 2. cap. 10. qui prudentiſsimè adnotarunt Sponſam, non lectum abſolutè, ſed ſub diminutiuo lectulum dixiſſe: *En lectulum Salomonis*. Qua ratione paruum dicit lectum? Crede, non vt minuat, ſed amplificet, pariterque innuat humanam mentem vix illius lectuli minimum & diminutiuũ cognitione aſſequi, vix minimam ipſius in præſenti vita particulam, minus vero poſſe totius lecti magnitudinẽ attingere. Richardi verba ſunt: *Quia minimum eſt quod de illa quiete cognoſcere poſſunt, per diminutiuum exprimitur; nec tam lectus, quàm lectulus nominatur*. Verùm ſumma Beatorum ſęlicitas qualis ſit, quàm magna, & ineffabilis paradiſi dulcedo, cùm, D. Paulo atteſtante 1. ad Corinth. 13. num. 8. *Videmus Deum facie ad faciẽ*, vel cùm *Videbimus eum ſicuti eſt*, vt Ioan. epiſt. 1. cap. 3. affirmat; hoc hominum cogitatus longiſsimè tranſit, nec intellectus noſtri acumen vmbrã poteſt aſpicere tenuiſsimam: quoniam, vt ait Eſaias c. 64. & Paul. 1. Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; quæ præparauit Deus illis, qui diligunt illum*.

Nyſſen. *Richard. Victor.* *Cantic. 3* *Richard.* *1. Cor. 13* *Io. epiſt. 1 cap 3.* *Eſai 64.* *1. Cor. 2.*

Non ineptè quidem mulier illa Cananea è Domini & Saluatoris noſtri menſa cadentes micas po-

poſtulauit; nam cùm antea Chriſtus dixerit; *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, Matth. 15. Illa ſtatim intulit: *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Quod perinde fuit, interprete D. Thom. in caten. ad caput. 15. Matth. ac ſi conſequenter inferret: *Si canis ſũ, non ſum aliena: canem me dicis; ergo nutri me vt canem; non poſſum relinquere menſam Domini mei.* Inſpecta verò ipſius fide Dominus Ieſus, quaſi admiraretur exclamauit: *O mulier, magna eſt fides tua.* Congruè autem, ait Diuus Thomas in c. 15. Matth. magnam appellauit mulieris fidem, quia plurima ſimul & magna credidit. *Magna, quia magna credidit.* Primò enim affirmat Victor Antiochenus cap. 7. in Marcum, Chriſtum vel minimam virtutis ſuæ particulam largiturum crediſſe, qua filia ſanitatem reciperet; *Minimam virtutis illius partem; hoc enim micæ nomine ſignificabatur; præſtandam filiæ ſanitatem arbitrata eſt.* Secundò, ſibi perſuaſit, Saluatorem quaſdam veluti gratię ſuę micas impertiri poſſe: & ideo Chriſtus, vt cenſuit D. Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. filiæ ſanitatem, quam primò rogauerat, conferre diſtulit; vt hac mora ad poſtulandam gratiam prouocaret. *Propter hoc autem*, inquit, *Chriſtus tardabat; præſciebat enim hoc dicturam: nec occultari volebat tantam mulieris virtutem.* Credidit tertiò, micis è lautiſsima Beatorũ menſa cadentibus refici; minimãque cæleſtis beatitudinis particulam, Chriſto poſſe largitore nanciſci: atque adeo tota ad humilitatem compoſita, & contritione cordis permota, fide etiam generoſa propellente, ſe indignam teſtatur, quæ integras diuinæ menſæ epulas deguſtet, quibus cæleſtes conuiuæ in patria ad ſatietatem perfruuntur, dum reuelata facie Dei gloriam ſpeculantur; & eum ſicuti eſt clariſſimè vident: Verum ſatis ſibi ad ſummam fælicitatem ducebat, ſi cadentes è cœleſti conuiuio micas colligere permitteretur. Egregiè D. Hieronymus in c. 15. Matth. *Scio me filiorum panem non mereri, nec integros capere poſſe cibos, nec ſedere poſſe ad menſam cum patre; ſed contenta ſum reliquijs.* Quod Dominus Ieſus fidei illius elogio complexus eſt: *O mulier, magna eſt fides tua.* Vt enim intulit Diuus Thomas, *Magna, quia magna credidit.* Illud autem velim aduertas, quòd fœmina illa inter omnia, quæ fide tenebat, etiam micarũ nomine minutiſsimas cæleſtium deliciarum particulas meditabatur: quas fami ſedandæ, imò appetitui largiſſimè reficiendo, abũdantiſsimas fore reputabat: vnde illis cõtenta dicere potuit: *Sed contenta ſum reliquijs.* Et qua ratione diues auarus nihil ampliùs ſibi petendum, præter aquæ guttam

tam

Marginalia: Matth. 15. — D. Thom. — Matth. c. 15. — D. Thom. — Vict. Antioch. — D. Chryſ. — D. Hier. — Matth. c. 15. — D. Thom.

tam indicauit, fœmina ſolas micas expetiuit; vterque prudentiſſimè, attenta bonorum cæleſtium magnitudine, quæ adeo ineffabilis eſt, vt modica fontis illius gutta ſitim omnem extinguere, beatiſsimique illius conuiuij tenuis mica auiditatem omnem reſtinguere, & famem poſſit abundatiſſimè ſatiare.

§. TERTIVM.

Ingens gloriæ voluptas quàm ineffabilis ſit, inſinuatur.

DVctis modò lineamentis, mortuisve coloribus, & vmbris, quàm ſit ingens paradiſi gloria, quàm amplum cæleſte ſit præmium iuſtis in Patria reſeruatum, aliqualiter agnoſcitur: quãdoquidem modica ſtilla, & tenuis admodum particula humanum pectus implet, & largiſsimè reficit; quin etiam quidquid hac ratione à Deo accipimus, eandem implendi, ac reficiendi qualitatem ſibi vendicat. Lucem è cælo Magis itinerantibus dimiſit, qua tam ingenti gaudio illorum mentes perfudit, vt, afferente Remigio, Euangeliſtę verba defuiſſe videantur, quibus illud exprimeret: vnde repetitis vocibus, & geminata loquendi formula dixit: *Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde*. Gloſſa ordinaria ibi primam repetitionem ita exponit: *Gaudio gaudet, qui propter Deum gaudet, qui eſt verum gaudium*. Aliter cenſuit Chryſoſtomus homil. 2. imperfecti operis in Matth. cap. 2. vbi voluptatem incredibilem, & gaudium ineffabile, quo Magi fuerant affecti, aliter explicari nõn poſſe teſtatur; niſi quis dixerit, ſyderis illius, à quo prouenit, claritatem, Chriſti recens nati ſignum pariter & pignus habendam; qui ſolus in humanum pectus eam immittere poteſt voluptatẽ, qua pleniſsimè refectum, omnem aliam appetitionem extinguat, mundaliumque voluptatum, & delectationum magnitudinem, ac menſuram infinito ſuperet interuallo. *Per myſterium*, inquit, *ſtellæ intelligebant, quoniam dignitas tunc nati Regis excedebat menſuram omnium mundialium Regum*.

Remig. — Matth. 2. — Gloſſ. ord. — D. Chryſ. — D. Chryſ.

Vnus tantùm, leuiſsimuſque citharæ pulſus, Franciſcum parentem meum tam incredibili voluptate perfudit, vt præ ſuauitate in ecſtaſim raptus Angelorũ choris intereſſe ſibi videretur. Cùm enim aliquando, vt refert Bonauent. in eius vita capit. 5. cæleſtis ſpiritus cytharam deferens, Seraphici parentis ſpiritũ cantus ſuauitate delinire moliretur; vix inſtrumentum ſuũ Citharædus ales præſtrinxerat, cùm Franciſci animus ita commoueri cępit, & præ gaudij magnitudine palpitare, peneque deficere, tantæ voluptatis impatiens; vt his vocibus canere meditantem retardarit: Siſte, expecta,

D. Bonau. in vita S. Franc. cap. 5.

pecta,

pecta, ne progrediare, Citharam vlterius ne percutias; quia cor tantæ dulcedinis incapax diſrũpetur. Proh ineffabilem gloriæ dulcedinem! Proh inexplicabilem cæleſtium voluptatum magnitudinem: cuius minima tãtum particula, omnes humanę capacitatis ſinus, & ardentiſsimas cupiditates ſic abundãter replet, gaudioque diſtendit, vt nihil expetendum relinquat: cuius tenuiſſima aquæ cæleſtis gutta in pectus illabens, Tartari flammas extinguit, ardentiſſimoſque ſulphurei æſtus incendij, in rorem ſuauiſſimum, auramque leniter ſpirantem conuertit: Cuius vna panis illius mica ſic cor explet, & ſatiat, vt omne ipſius deſiderium exuperet: Lux vna è cælo affulgens Regis gloriæ pignus, & ſignum, terrenos Reges, etſi barbarie efferatos, ita emolliuit, gaudio voluptateque affecit, vt Regiam maieſtatem, ſceptra, diademata, ſeipſos obliti, mundi huius gaudia, delectationesque repudiarent: Angelicæ tactus citharæ Franciſcum abripit, pauliſper cor ſuffuratur audientis, ita vt feriante quaſi à vegetando corpore anima, cæleſtium muſicorum concentibus deliniri exiſtimaret, ſoliſque beatis intellecta vocum illarum harmonia demulceri, & alternis canentium, & citharizantium modulatibus reſpirare ſibi perſuaderet: Mortali tamen adhuc corpore detentus iſta ſentiebat: vnde tantæ delectationis incapacitatem aduertens, ſuum precatur Citharœdum, vt Citharam ſemel percuſsiſſe contentus ſiſtat, ne ipſe præ dulcedine deficiens animo concidat, è vitaque decedat. Quid tibi hæc cogitanti dicendum occurrit? Quid de ſuauitatis illius magnitudine conijciendum ſe offert? Voce adhuc non audita, ſed canendi pulſandique nutu vix percepto, Franciſci animum ita cepit vnus qui canere ſolùm minabatur; Quid profectò exiſtimas eueniet, cùm millia millium peritiſsimos, formaque præſtantiſsimos Cantores, & Citharœdos, in cæleſti aula, coram cælorum Principe, & curia inſpectante vniuerſa, ſuauiſsimis vocibus, dulciſonis inſtrumentis, alternante ſe melodia, ſupremi Numinis laudes, Beatorum certamina, victorias, diademata celebrantes auſcultare liceat? cùm non ſolùm auditus, ſed reliqui etiam ſenſus, innumeris voluptatum generibus certatim afficiantur, ita vt alij alios, ſi fas eſſet, in inuidiam prouocarent; aut delectabile illud, quo rapiuntur, non ita abſorberet, vt aliud ſentiendi locũ minimè relinqueret? Quid? cùm gaudio geſtientes lætitia exultent; exultatione tripudient, ſummaque ſtatus illius tranquillitate perfruantur? Beati, quibus ineffabili Dei miſeratione conceſſum eſt vltimum certaminum noſtrorum finem adipiſci: cùm iam

malis

malis omnibus liberos;& immenſa gloria, cordis appetitione ad plenum ſatiata, cumulatos ſe inſpexerint; illudque Auguſtini lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 30. veriſsimum experientia comprobauerint. *Quid aliud ageretur, vbi neque vlla deſidia ceſſabitur, neque vlla indigentia laborabitur? Ipſe Deus finis erit deſideriorũ noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, ſicut ipſa vita æterna communis. Ibi ergo vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus; amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine ſine fine: Nam quis alius noſter eſt finis, niſi peruenire ad Regnum, cuius nullus eſt finis?* Liceat hic Regij Vatis ore millies beatos, fælicesque proclamare, quibus ante ora procerum cæleſtium, coram frequentiſsima Empyrij curia, Regē æternum reuelata facie, & reducta in poſterum cortina inſpicere datum eſt, ac ipſius laudes ſuauiſſimis, æternùmque duraturis vocibus, iucundiſsimè perſonare. D. Aug.

Pſal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Pſalm. 83. Quid? Etſi gloria non eſſet ad æternitatem menſurata, ſed vnius tãtum diei ſpatio clauderetur: adhuc ego beatiſsimos prædicarem, qui omnia vitæ huius delectamenta, etiã infinitos annos duratura, cum illo breui vnius diei ſpatio cõmutarent: Non meum, ſed Auguſtini iudicium eſt lib. 3. de libero arbitrio cap. vltimo diſertiſsimè loquentis. *Tanta eſt iocunditas lucis æternæ, vt etiam ſi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni delicijs, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè, meritòque contemnerentur: non enim falſo, ac paruo affectu dictum eſt: Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia.* Nec exaggeratio iſta eſt, ſed plana & aperta veritas: tã magna quippe ſunt paradiſi gaudia, ineffabiles adeo voluptates, ſic firma & ſolida patriæ cæleſtis bona, vt non ſolùm cùm actu poſſidentur, delectent; ſed ſola eorum recordatio incredibilē pariat delectationem, vt iam ſub ſpeciali titulo declarabimus. D. Aug. Pſal. 83.

§. QVARTVM.

Ineffabilis adeo eſt æternæ fælicitatis dulcedo, vt ſola ipſius memoria vitæ huius calamitates omnes, tormentaque exuperet.

PRæibit in huius aſſertionis firmamentum Chriſti Saluatoris noſtri factum, & exemplum. Quantum enim gloriæ cæleſtis recordatio valeret, in eo clariſsimè enituit, mortis ſuæ paſsioniſque tempore inſtante; & ideo apud Thabor in illo gloriæ ſpectaculo

Moy-

Moyſes, & Elias cum eo de paſ-
Lucæ 9. ſione locuti memorantur: *Loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem*. Luc. 9. At dices, vt quid inter gloriæ ſplendores, paradiſique oblectamenta? Vt quid dum à Patre filius appellatur dilectiſsimus, & iubetur audiri, tormenta, ſpinæ, verbera, Crux, opprobria recenſentur, & cum iniquis damnandus in crucis ſuſpendio prędicatur? Vt quid inter melleam paradiſi dulcedinem, fella, quibus antequã moreretur epotus deſcribitur, è cuius ore verba manabant melle dulciora? Nihil aptius, dico fieri potuiſſe: quoniam ad præmij conſpectum labor omnis euaneſcit: Vnde conuenienter tormentorum, quæ ſubiturus erat, memoria inijcitur, quando gloriæ primitijs merito paſsionis ſtatim obtinendæ fruebatur: vt hac ratione, obijciente ſe, cùm pateretur, gloria, quam in transfiguratione prægustauerat, mors ipſa non ſolum non acerba, ſed dulcis, & voluptuoſa videretur. Vnde parta iam à Reſurrectione gloria, tranſactæ paſsionis quaſi oblitus, tanquam de aliquo ſibi nouo, & incognito ab itinerantibus in Emmaus diſcipulis de paſ-
Lucæ 24. ſione conſabulantibus: *Loquebãtur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderent*, ſciſcitatur: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicẽ ambulantes, & eſtis triſtes?* Cùm autem Cleophas admiratus rem adeo vulgatam, & famoſam peregrino inauditam, & incognitam reſponderet: *Tu ſolus peregrinus in Hieruſalem?* Iterum obliuionem demonſtrans, & rerum, quæ dicebantur ignorantiam ſignificans, adiecit: *Quæ?* Innuens planè tam magnum eſſe gloriæ præmium, quod paſsione ſua corpori acquiſiuerat, vt iam tormenta omnia, quaſi nihil, vel certè leuiſsima obliuione ſepelierit. *Quæ?* Hoc eſt, parua, leuiſsima, pene nulla, ſi cum illius gloriæ dulcedine, voluptate, magnitudine conferantur. Ita pariter transfigurationis præſente gloria, futura memorantur crucis tormẽta. *Loquebãtur de exceſſu*: vt dum *Lucæ 9.*
ad propoſiti præmij conſpectum ſuſtinenda obijciuntur, perpeſſu facillima, imò omnibus modis expetenda videantur. Poſtea verò in ipſo patiendi, moriendique articulo conſtitutus, huius gloriæ magnitudinẽ memoria repetendo, mortis dolorem, & acerbitatem hilariter ſuſtinuit. Hinc eſt, vt nunquã ſibi viſum fuerit ſuę ſponſæ Eccleſię delicias plurimi ſtetiſſe: Nam licet ſponsã, delectabilemque ipſius fruitionem, effuſo ſanguine, & perpeſsis ſupra humanam patientiam tormentis coemerit; cùm omnia hæc inter gloriæ ſplendores ſe illi obiecerint, nec grauia & intolerabilia; nec ſponſa minus grata viſa eſt, & amabilis, aut magno ſibi pretio conſtitiſſe: quia præterquàm quòd

rem

Digitized by Google

rem amabilem emerat, vbi ſummum pretium ſemper infimum æſtimatur; nihil triſte & ærumnoſum eſt gloriæ ſplendoribus illuſtratum; nihil fędum paradiſi expectatione veſtitum, & ornatũ; nihil acerbum ineffabili cæleſtis patriæ, mellitaque ſuauitate dulcoratum; nihil denique inſuperabile videri potuit iuſtorum præmio coronatum.

Hac credo ratione cũ D. Chryſoſtom. homil. 15. in Geneſ. Deũ antequam è primo parente coſtã educeret, vnde Euam ei ſponsã formare decreuerat, ſoporem immiſiſſe grauiſsimum, ſeu in extaſim rapuiſſe; vbi doloris vice, quẽ in extrahenda coſta ſentiret euigilans, mollè dormiens, aut raptus, myſteria cõſpexit: Vnde iam planum fit, quo fine ſoporem illum indiderit: nimirum, reſpondet
D. Chryſ. Chryſoſtomus, *Vt ne ſentiendo dolorem, mulieri ex ſe formatæ poſtea doloris memor inſenſus fieret.* Licèt vero Chryſoſtomus cẽſeat diuina myſteria, quæ coſta carne inuoluta claudebat, Adamo dormienti nõ fuiſſe patefacta, ſed poſtquam è ſomno euigilarat, *Nam quãuis*, inquit, *eo tempore, quo auferebatur, ignorauerit, poſtea tamẽ cogniturus erat*; Alios aliter cenſuiſſe cognoui, qui Adamo dormienti coſtæ ſuæ in mulierem eductæ profunda myſteria à Deo propoſita crediderunt: atque adeo tunc primum in extaſim raptus, vel dormiens, vxorem myſterijs, & arcanis inuolutam introſpexit. Demus tamẽ Chryſoſtomo, quòd Adamo non inter dormiendum, ſed iam vigilanti, ſecreta coſtæ, vel vxoris myſteria panderentur: ſemper illud verum habet, ſponſam inter arcanorum voluptatem, & delectationem primò agnouiſſe. Ex quo redit iterum Chryſoſtomus conſtanter affirmans, Adamum è ſponſæ formatione nullum percepiſſe dolorem, eo quod vltra voluptatem ex myſteriorum contemplatione perceptam, quibus iam in muliere coſtam ſuam aſpiciebat repletam, nihil ſibi deeſſe aduertebat, quia Dominus ſuppoſita carne locum repleuerat. *Itaque*, inquit, Chryſoſt. *vt ne illum in auferendo dolore, neque ob ablationem triſtitia afficeret, vtraque ſic diſpenſauit, vt & citra cruciatum illius auferret, & impleto eo loco, vnde abſtulerat, factorum ſenſum percipere non ſineret.* Itaque omnibus modis à primo parente dolorẽ amouit, ne illius memoria dulcem ſponſæ ſocietatẽ aliquatenus turbaret, ſi inter fruitionis gaudia, quanti ſtetiſſet recordaretur. Et verò ſic potẽs fuit voluptas, qua dormiẽs illam inſpexit efformandã, vel iam formatam vidit euigilãs, diuinis vndique myſterijs circũfuſam; vt quamuis poſtea in coniugẽ data, tot infelicitatum, & ærumnarum cauſa fuerit, nunquã ipſi mouerit ſtomachum; vel ad diſſidiũ prouocarit. Proh Deum immor-

immortalē! Aſſiduis quatiebatur ærūnis Adam; magnis ipſe, & filij laboribus tundebatur; tantæque calamitatis cauſā aſpiciebat vxorem; & tamen nunquam torua facie, & parum læto vultu conſpexit. Non tamen miror: quia antequam Adamus in has deueniret ærumnas, laboreſque vxoris cauſa pateretur, inter feſtiua gaudia, & voluptuoſam myſteriorum contemplationem illam inſpexit lætabūdus; & ineffabilis viſionis huius voluptas aliarum rerum memoriam & acerbitatem corraſit.

Non aliter Chriſtus, etſi inter paſſionis anguſtias, & acerbiſsimos mortis dolores; quorum Sponſa ſua Eccleſia cauſa fuit, illam viderit; nunquam acerbum ſe illi præſtitit, nuſquam faciem exhibuit ſubnubilam & parum lætam, ſed ſemper hilarem, ac iucundam: quoniam tunc primò Sponſam, ac tormenta propter eam ſuſtinenda inter coruſcantes gloriæ radios, quibus corpus ſuum clarebat, diſcreuit: idcirco ibi paſſionis memoriam refricant: *Loquebantur de exceſſu*: vt cùm iuſtum patiendi tempus aduenerit, gloriæ memor, coronæ certus, & triumphi expectatione lætabundus; tormentorum acerbitatem, & mortis dolorem iucundiſsimè ſuſtineat. Tantum valet æternæ felicitatis memoria, vt difficultates, ac tormenta reddat facillima ſuperatu; ideo Chriſtus Dominus, vt nos beatitudinis memoria ſubleuaret, coram Petro, Iacobo, & Ioanne Transfigurationis myſterium celebrauit, Matth. 17. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & transfiguratus eſt ante eos.* Planè, ait D. Bernard. ſerm. 4. de Aſcenſione, vt hi tres, quoties temporariā Chriſti in Transfiguratione gloriam, æternæ, quæ nos manet, ſimulacrum meminiſſent, alijque ex ipſis audirent, cæleſtis patriæ oblectamenta præ oculis ſemper haberent; iiſque conſpectis, obſtacula omnia in Dei ſeruitio opponenda ſuperarent. In quam rem adducit Bernardus illud Dauidicum Pſalm. 41. num. 5. *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.* Hoc eſt, incredibili efferebar lætitia, quoties paradiſi gaudia recordabar. Quod vt clariùs ſignificaret addit: *Quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei.* Hoc idem in ipſo Cantionis veſtibulo appoſuit; vt quanto Deū videndi ſtudio, æternaque ſanctorum fælicitate perfruendi amore teneretur, explicaret: *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Quidni, Deum videre ardentiſsimè cupijſſet, quē ideo creauerat Deus, vt ipſius viſione frueretur? Hinc eſt illud Auguſtini lib. 1. confeſs. c. 1. *Feciſti nos Domine ad te: & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Perſimile eſt, quod cecinit

Lucæ 9.

Matth. 17.

D. Bern.

Pſal. 41.

Pſal. 41. num. 2.

D Aug. lib. conf. cap. 1.

L idem

idem Vates Pſal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Sed iam redeat Bernardus, Transfigurationis cauſam in hanc rem mirificè deflectens. *Vt quid enim*, inquit, *aſcendit, vt transfiguraretur, niſi vt doceret nos cogitatione aſcendere ad futuram illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Quid enim graue illi poterit videri, qui ſemper mente tractat, quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quæ quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei: & iterum: Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Hactenus ille.

D. Bern.

Et quidem Dominus Ieſus immenſas theſaurorum ſuorum diuitias pateſecit, in Thabor gloriæ ſupellectilem oſtēdit, vt ſuos gloriæ ſpe aleret, coronæ aſpectu in certamina prouocaret, & præmij demōſtratione laborum omnium tolerātiam redderet ſuauiſſimam. Concinit egregiè Damaſcen. orat. de transfigur. *Spirituales*, inquit, *Domini propugnatores, non terrenorum quæſtuum cupidi, nec fluxorum bonorum deſiderio flagrantes; cùm ea quæ in ſpe poſita ſunt, ipſis etiam oculis intuentur, eoſque qui prius labores pertulerunt, bonorum in ſpe poſitorū delicijs fruentes conſpiciunt; maioribus animis ad certamina ſe comparant*. Hæc ille: nec minus pulchra ſunt quæ ſcripſit D. Thom. in 3. part. q. 45. art. 1. in corpore: *Dominus*, inquit, *diſcipulos ſuos prænunciata ſua paſſione induxerat eos ad ſuæ paſſionis ſequelam: Oportet autem ad hoc quòd aliquis directè procedat in via, quòd finem aliqualiter præcognoſcat: ſicut ſagittator non rectè iaciet ſagittam, niſi priùs ſignum proſpexerit, in quod iaciendum eſt: & ideo conueniēs fuit, vt diſcipulis ſuis gloriam ſuæ claritatis oſtenderet*. Huc etiam reſpexit Beda in Matth. ad hunc locum. *Pia prouiſione*, inquit, *factum eſt, vt contemplatione ſemper manentis gaudij ad breue tempus delibata, fortiùs aduerſa tolerarent*. Verè quidem: nihil enim fortius mihi dabis, quod difficultatibus & obſtaculis obiectum omnia prorſus elidat; quàm vt cæleſtium voluptatum contemplatione, æterni gaudij memoria, patriæque cæleſtis amore pectus humanum incēdatur. Cùm enim bona illa verè magna ſint, & omnino ſolida, æternùmque duratura; mirandum non eſt tantam eorum memoriæ vim ineſſe, vt ea ſola carceres, tormēta, famem, ſitim, perſecutiones, mortem ipſam, tanquam ludum reputet quicunque contra ſpiritualia nequitię pro cęleſtibus magnanimiter decertat; ſicuti Diuo Paulo contigiſſe lego: quippe cùm innumeris calamitatibus obſeſſum ſe inſpiceret, vt 2. ad Corinth. cap. 8. affirmat dicens: *Supra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam*

D. Dam.

D. Thom.

Beda.

2. Corint. cap. 8.

viuere. Quod interprete D. Chryſoſt. homil. 2. in epiſtol. 2. ad Corinth. tantum valet, ac ſi D. Paulus tot vndique calamitatibus circumuallatus, & tam multis laboribus oppreſſus exiſteret, vt iam de vita conclamatum eſſet. *Hoc* D. Chryſ. *eſt*, inquit, *nullam ſpem, & expectationem haberemus nos amplius victuros*.

Verùm eandem epiſtolam reuerſa, ibique Paulum ineffabili voluptate delibutum, incredibili geſtientē lætitia, & immenſo gaudio triumphātem intueberis: 2.Cor. 7. *Repletus ſum*, inquit, *conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*. Vt autem huius gaudij magnitudinem inſpicias, pulcherrimam ex generoſo Chryſoſtomi calamo picturam tibi propono: D. Chryſ. *Non enim dixit, impletus ſum gaudio, ſed abundo; imo non abundo, ſed ſuperabundo*: Nec his contentus, proſequitur Chryſoſtomus: *Ipſius magnitudinem declarans, non hinc ſolum oſtendit quod dixit, ſuperabundo gaudio; ſed ex eo etiam quod ſubdit, in omni tribulatione noſtra*. Ita quòd inter calamitatum fluctus, vinculis detentus, tormentis oppreſſus, cum morte ipſa colluctās, gaudio 2.Cor. 7. tripudians exultabat: *Superabundo gaudio, in omni tribulatione noſtra*. Nec ipſe tantum; ſed redundans è proprio pectore lætitia in alios refundebatur; vnde dicebat: 2.Cor. 1. *Vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt*. In ipſo aurem epiſtolæ principio rationē reddidir, & lętitiæ cauſam retexit: 2.Cor. 1. *Quoniam*, air, *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. Quaſi dicat: Innumera quidem proprer Chriſtum mala ſuſtinemus; longè tamen maiora ſunt gaudia, quibus patiendi acerbitas compenſatur. Nam vel Chriſti amor incendit, ac roborat; vel repoſitæ coronæ expectatio prouocat; vel præmij magnitudo, pro ipſo laborantibus præparati, vires addit, patientiamque extundit. Et verò tam magna ſunt iſta, & ſola eorum memoria tantum affert voluptatis, vt ea ſola delibuti, inter flammas, & ſpinas, quaſi coronati roſis, & rore perfuſi delectemur: *Superabundo gaudio*.

Atque hinc etiam vt Corinthios ad cęleſtium voluptatum contemplationem, meditandaque paradiſi gaudia excitaret, fidei, & pœnitentię intermedio, quibus etiam Apoſtolus mirificè recreabatur, ita eos alloquitur: 2.Cor. 1. *Sicut eſtis ſocij paſſionum, ita eritis conſolationis*. Quaſi dicat, Nulla rarione, ò Corinthij, vos pœniteat laborum, ac perſecutionum, quæ ob Chriſti amorem perpetimini: ſi enim in pręmij magnitudinem, electis in cælo pręparati, oculos conijciatis; ſicut perſecutiones, & labores inueniunt ſocios, ſic in præmij fruitione eandem inibitis ſocietatem; neque enim in obtinenda patientię corona ſors diui-

det, quos patiendi amor, & cauſa coniunxit: Nec tantum vos manent æterna, & nunquam interitura paradiſi oblectamenta: hic etiam in exilio præ lætitia exultātes triumphabitis, cùm inter ipſas afflictiones, & calamitates, ingruētē futuræ beatitudinis memoria, tam ingenti gaudio afficiemini, vt iam vos omnino beatos iudicetis, mihi in hac parte ſuppares: dicēti
2.Cor.7. credite: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio:* Et qui dicentem auditis voluptate perfuſum, velut exemplar contemplamini: & quem in paſſionibus experti fuiſtis ſodalem, in conſolationibus ſocium ſentietis: ſolet enim Deus grata viciſsitudine pœnas iuſtorum in delicias permutare. *Sicut ſocij paſſionum, ita eritis conſolationis.*

§. QVINTVM.

Eadem gloriæ meditatæ præſtantia ad ſopiendum in paſſionibus doloris ſenſum Sanctorū exemplis confirmatur.

EX hactenus dictis, ſtatimque dicendis inferes, quò quis fortiùs ſeipſum ad ſuſtinēdas pro Chriſto vitæ huius calamitates impellit, inſpecta ſemper æternæ beatitudinis voluptate, quâ amplius accenditur, eò delectabiliùs patiendi lętitia & gaudio diſtendi, vitamque præſentem in dies fieri magis oneroſam, aſſiduoque æternę deſiderio inflammari. Hac, ni fallor, via incedens D. Nicolaus Tolentinas, eò peruenit, vt perſemeſtre ſpatium, antequam è vita decederet, Angelorum muſica meruerit demulceri, qua mirum in modum ad Dei viſionem anhelabat, ipſiuſque in patria videndi cupiditate accendebatur: ſic Dei ſpiritu afflata refert Eccleſia: *Demum ſex ante obitum menſibus, ſingulis noctibus, Angelicum concentum audiuit: cuius ſuauitate cùm iam paradiſi gaudia prægustaret, crebrò illud Apoſtoli repetebat: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Eccleſia in officio S. Nicolai de Tolēt. Verùm hanc vitæ periodum, finemque extremum cum ipſius initio, & conuerſionis exordio copulemus. Etenim dum prædicatorem audiret de mundi vanitate, cæleſtiumque bonorum veritate, & perennitate differentem, ita commotus eſt, atque beatitudinis æternæ deſiderio cōflagrauit, vt S. Auguſtini habitum ſuſceperit, ac in ea Religione profeſſus, & ingenti gaudio delibutus, totum ſe ieiunijs pœnitentiæ, mortificationi, & orationi charitate incenſus deuouerit: Sicque in eo ſtudio proficiebat, meditandiſque paradiſi delicijs detinebatur, vt nunquam inſtigante diabolo, varijſque perſequutionibus intentatis, ab orationis ſtudio, Nicolaus abduci potuerit. Nicolaus. *Orandi ſtudium, quamuis Satanæ inſidijs variè vexatus, & flagellis interdū cæſus, nō intermittebat.*

Quin-

Digitized by Google

Quinimo non minùs inter orandum, quàm patiendum, hilarem cerneres, & gaudio exultantem; quia in preces effuſus, & perſecutionibus oppreſſus, patriam cernebat iuſtorum, & paradiſi oblectamenta præ oculis habebat, tãquam primæ vocationis ſcopum, in qua nouis quotidie profectibus augebatur: & præterea in hoc exilio detentus, tam incredibili voluptate ex bonorum cæleſtium contemplatione perfundebatur, vt vltra patientiæ,& orationis voluptatem, qua beatus ille ſaginari diſceſſurus volebat, Angelorum chori è cælo mitterentur, qui ſuauiſsimo concentu animam deſiderio æſtuantem demulcerẽt. *Cuius ſuauitate cùm iam paradiſi gaudia prægustaret, crebrò illud Apoſtoli repetebat: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Proh æterna Regni cæleſtis bona! cui ſemel datum eſt veſtram guſtare dulcedinem, omne aliud deinceps gaudium faſtidit. Quàm aptè huc referenda eſt illa Pſalmographi exhortatio: *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus,* Pſal. 33. num. 9. Qui enim Dei dulcedinem vel leuiſsimè deguſtauit; quem parua diuini ignis afflauit ſcintilla, vel minimus illius gloriæ ſplendor illuſtrauit; in quandam amoris ebrietatem incidit, & cæterarũ rerum capitur obliuione. Teſtem laudo Auguſtinũ, in quo vna tantum fluminis cæleſtis gutta, & beatiſsimi conuiuij mica omnem mundi huius appetitionem extinxit: Volupe erit ipſum in ſoliloquijs Deo loquentem auſcultare. *Hanc* (ideſt ſuauitatem) *vt guſtauit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamauit quaſi ebrius, dicens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula; hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus. Sufficit nobis Domine videre te, ſufficit, inquit, tanta dulcedine ſatiari. Vnam enim ſtillam dulcedinis ille guſtauit, & omnem aliam faſtidiuit dulcedinem. Quid putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis diuinitatis tuæ guſtaſſet, quã abſcondiſti timentibus te?* Hæc ille cap. 22.

Pſal. 33.

D. Aug.

Quaſi verò felix illa Petri ſatietas, & ebrietas ſalutaris, Doctori maximo inuidiæ foret; cupidus vt, cæleſti guſtata dulcedine, cuncta vitæ huius gaudia ſibi in amaritudinem verterentur, Deum ita precatur: *Obſecro, ſumma veritas, te per te, non permittas me in aliqua conſolatione vana conſolari; ſed peto vt omnia mihi amareſcant, vt tu ſolus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo ineſtimabilis, per quem cuncta amara dulcorantur.* Verè quidem, & expertis credendum; quoniam in vitæ acerbitatibus dulcedinem, in laboribus quietem, in dedecore honorem, in perſecutionibus voluptatem; denique in omnibus quæ æternæ vitæ aſpectu ſuſtinebant,

D. Aug.

bant, inæſtimabile gaudium,& incredibilem repererunt animorum delectationem. Nec mirum videatur, addit eodem loco Auguſtinus; quoniam Deus,verum iuſtorum premium,ſui memoria patientes reficit, & mærentes abundantiſsimè ſolatur. *Paſſionibus*, inquit, *qui hic cruciantur, à te conſolantur; & qui participant paſſionibus, participant conſolationibus*. Et paulo inferius S. Stephani, & Laurentij, necnon Petri, & Pauli, Andreæ, aliorumque exemplo veritatem hanc ſtabilit; quibus ſuauiores roſis prunę,dulciores ſaccaro molares, verbera, tela, cruces, ſpinæ, fixo in æternam hæreditatem obtutu, iucundiores floribus extiterunt. *Tua enim* (ait Deum alloquutus) *dulcedo Stephano lapides torrētis dulcorauit; tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit. Præ tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij; quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas ſecurus ad crucem; & gaudens; quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc tua dulcedo ipſos Apoſtolorum Principes ſic repleuit, vt pro ipſa crucis patibulum vnus eligeret,alter quoque caput ferienti gladio ſupponere non timeret.* Cur non ita,cùm præmio ob oculos propoſito,quidquid ærumnoſum eſt, facilè ſuperatur?

D. Aug.

D. Aug.

In extremo diſceſſu iam iam moriturus conſiſtebat B.Didacus profeſſione laicus, & Seraphicæ Religionis decus, Presbyteratus non habuit ille coronam,& Ordinis ſui pulcherrima fuit corona; cùm in ipſis moriendi anguſtijs,& proficiſcēdi feſtinatione poſitus, in extaſim incidit,gloriæ contemplatione abſtractus: è quo iterum rediens verba illa melliflua ſuauitatis plena ter quaterue repetiuit: *O quales flores habet paradiſus!* Miraris? ſed immerito: quid ni? Is,qui dum viueret,totus in æternæ fælicitatis amore erat,& illius contemplatione labores, obſtacula, perſecutiones, quæ Euangelicæ perfectioni opponuntur, conſtantiſsimè ſuperauit; moriturus nunc mortis dolorem,& acerbitatem omnibus formidandam,exoptatæ beatitudinis ſuauitate delinitus,minimè ſentiret: quinimo dum, *O quales habet flores paradiſus*, repeteret, perinde mihi viſus eſt, ac ſi dixiſſet; O quando vitæ huius acerbiſſimæ curſus finietur, quando grauiſsimum corporis onus deponetur; vt amoto omni impedimento,quos nunc ſuboluì paradiſi flores decerpere, admirandaque eorum fragrantia recreari poſſem. vel ſicut de B. Nicolao diximus, etiam illud Apoſtoli vſurparet: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Hęc omnia,ni fallor, Petrus Damianus Cardinalis Hoſtiēſis,hymno cæleſti gloriæ dicato mirificè complectitur.

S. Didac.

Philip. 1.

S. Petrus Damian.

Ad perennis vitæ fontem mens ſi-
tiuit arida.
Clauſtra carnis præſto frangi, clau-
ſa quærit anima:
Gliſcit, ambit, eluctatur, exul
frui patria;
Dum preſſuris ac ærumnis, ſe ge-
mit obnoxiam,
Quam amiſit cùm deliquit, con-
templatur gloriam.
Præſens malum auget boni perditi
memoriam.

Chriſto Domino in Aſcenſione ſua cælos penetrante, cùm primũ obſeratæ cęleſtis Hieruſalem portæ, ſublatis ad Angelorum clamorem ſuperliminaribus panderentur; ecce tibi Apoſtoli triumphalem aſcenſum inſpectantes, admiratione defixi, ſtuporeque ſuſpenſi conſtiterunt: & quaſi inopinata aſcendentis maieſtas, & gloriæ magnitudo in extaſim raperet, vocemque & ſenſum penitus auferret, oculis in cælum defixis, nec verbum quidem vnum protuliſſe memorantur: vnde Angeli ipſos alloquuti dicebant: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum?* Cur non rogant quid cauſæ ſit, vt de triumphali Præceptoris aſcenſu loquantur, & gloriæ amplitudinem, ciuiumque cæleſtium Regem ſuum excipientium lætitiam & hilaritatem loquendo exaggerent? Illud tantùm dicunt: Vt quid ſtupore defixi, eleuatis in cælum oculis, & quaſi mente alienati, veſtris iam luminibus ereptũ aſpicientes detinemini? Aduertit autem D. Chryſoſt. ſerm. 4. de Aſcenſ. Petrũ apud Thabor, cùm Saluatorem ibi cerneret transfiguratum, loquutum fuiſſe: cùm tamen in cęlos aſcendentem aſpiciens, nec ipſe, nec ex diſcipulis alij quidquam loquuti fuerint. *Petrus*, inquit, *magna cum fiducia reſpondit: Bonum eſt nos hic eſſe; nunc verò nec loqui quidem potuit aliquis diſcipulorum, nec os aperire.* Vndenam in Transfiguratione verba, & in Aſcenſione ſilentium? Petrus tranſfiguratum aſpiciens Magiſtrũ in verba prorumpit; diſcipuli aſcendentem cernentes, quaſi muti conticeſcunt? Verùm Petri locutionem, & aliorum taciturnitatem, ad illius gloriæ laudem, ęſtimationemque deflecto. Incredibilis męſtitudo ob Magiſtri deceſſum Apoſtolorum pectora inuaſerat; ac dũ ſe deſertos contemplarentur, in Magiſtrum cælos magnifico triũpho penetrantem, oculos coniecerunt: patebant tunc temporis cęli ianuæ, aderat beatorum ciuiũ multitudo Regem gloriæ intraturum feſtiuis plauſibus exceptura. Tantùm verò apud diſcipulos valuit ſpectaculi huius pulchritudo, vt conſpecto hinc aſcendẽtis triũpho, inde excipientium iucunditate, futuræ gloriæ, qua frui ſperabãt, cupido, & cogitatio eorum animos inceſſerit: vnde licet Magiſtri diſceſſus mærẽtes relinqueret, plus tamen cæleſtis beatitudinis, & æterni gaudij, cuius ibi cer-

Actor. 1. num. 11.

D. Chryſ.

nebant imaginem, contemplatio valuit; vt quaſi ſomno ſopiti, vel in extaſim ſuauiſsimè rapti viderentur: vnde fixo in cælum obtutu, tanquam alienati, & ſtupentes, ab Angelis excitantur: *Quid ſtatis aſpicientes in cælum?*

Actor. 1. n. 11.

Itaque plus valuit triumphalis aſcenſus gloria, quàm decedentis deſiderium: nam etſi propter deceſſum mærerent, conſpecta aſcẽdentis maieſtate, & gloriæ magnificentia, tam incredibili gaudio fuerunt delibuti, vt quaſi animi deliquiũ paterentur, ſuffurante interim magna voluptate videndi corporis ſenſus, vocẽ amitterent. Petrus autem loquitur, quia ſcintillans gloriæ ſplendor ipſum propiùs afflauit, cumulatiùsque impleuit: vnde, ſicut ex Auguſtino retulimus, in Soliloquijs c. 22. quaſi æternæ fælicitatis amore ebrius dixit: *Bonũ eſt nos hic eſſe*. Nec mirum fuit, quia cùm Petri cor nulla fuerit triſtitia præoccupatum, ſicut diſcipulis ob Chriſti abſentiam euenerat; idcirco tacentibus in Aſcenſione diſcipulis, Petro verba nõ deſunt, quibus gloriæ illius immenſitatẽ, æternæque beatorum lætitiæ magnitudinem declararet, præ affectu ebrius dicens: *Bonum eſt nos hic eſſe*. Itaque, vt iam dicebamus, & Petrus loquens, & Apoſtoli ſilentes, Beatitudinis magnitudinẽ commendant. Hi muta contemplatione deliquium paſsi, manifeſtant, quantæ efficacitatis ſit æternæ Beatitudinis memoria, vt in extaſim raptos, dormientibus ſimiles, & mutos reddiderit: Ille autem loquendo aperit, quantum vel parua gloriæ ſcintilla in humano pectore excitet amoris incendium: ſiquidem vbi primum Petri cor tetigit, ita inflammauit, vt incendij impatiens rupto ſilentio, in verba eruperit, quæ gloriæ magnitudinem, quantum valet humana fragilitas, declarabant. *Bonum eſt nos hic eſſe*.

Hinc planum fiet, quodnam de verbis Petri dicentis, *Faciamus hic tria tabernacula*, ferendum ſit iudicium. Si enim, vt ſentit ſanctus Ephræm, ita fuit locutus, quia labori ſuo aliquid commodi ſtatus illius beatitudini adijcere exiſtimauit, ignorantiæ damnãdus. Et reuera cõtraria videtur pugnantiaq. locutus: ab ipſaque experientia edoceri potuit, quantum voluptatis & lætitiæ ex minimæ ſcintillæ appulſu, & tenui immenſę illius gloriæ mica leuiter guſtata perciperet; qua ſic præ gaudio efferebatur, vt rerum omnium obliuione capi, non verò de tabernaculorũ ſubſtructione agere debuiſſet: Et certè, teſte Auguſtino, Petrum rerum omnium cepit obliuio. *Petrus*, inquit, *omnium inferiorum oblitus clamauit quaſi ebrius dicens: Bonum eſt nos hic eſſe*.

Matth. 17.

S. Aug.

Quis neget vel minimam gloriæ illius particulam tantum in ſe abundantiæ continere, vt omnem

nem

nem ſuperaret indigentiam; hominumque induſtriam ibi fore ſuperuacaneam, vt ſtatus illius tranquillitatem, lętitiam, voluptatem aliqualiter augeret, vel reddere poſſet meliorem? in quo, etſi per inaduertētiam, indemniter Petrus in ignorantiæ errorem lapſus deſcribitur, *Neſciens quid diceret.* Siquidem ad beatæ illius vitæ, fælicißimique ſtatus durationem, & perpetuitatem ſtabiliendam, tabernaculis cùm opus eſſet; non humana induſtria aut labore, ſed Dei potentia fabricanda eſſent: non enim in cælum vehimur operaturi, ſed vt æterna quiete perfruamur. Egregiè in hanc rem aptat Origenes verba illa Moyſis ad Dominum, *Introduces eos, & plantabis in mōte hæreditatis tuæ, firmiſsimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.* Exod. 15. quem locū ex verſione Septuaginta ſic reddidit Origenes hom. 7. *In præparata habitatione tua, quam præparaſti Domine;* ſub indeque monet: *Vide clemētis Domini bonitatem: non vult te inducere ad laborem, non vult vt ipſe tibi facias habitaculum: iam te ad præparatam ducit habitationem. Audi Deum dicentem in Euangelio Ioannis cap. 4. Alij laborauerunt, & vos in labores eorū introiſtis.* Diſtineantur alij labore, & fatigentur; agnouerint iuſti ſuam fælicitatem, quibus datū eſt, vt in cæleſti patria tabernaculum inueniant, quod transferri non poſſit, firmiſsimam æternùmque duraturam manſionem, quam in virtutum noſtrarum, ac laborum certiſsimum præmium, largiſsimáque remunerationem immenſa Dei benignitas præparauit.

Luc. 9.

Exod. 15

Orig.

Ioan. 4.

Liber ille, qui Ezechieli deuorandus offerebatur, intus foriſque erat ſcriptus certis caracteribus, quæ, vt mirificè expendit ſanctus Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum, tres animarum ſtatus portendebant, videlicet præſentis vitæ & futuræ: vbi quaſdam beat paradiſus, alias torquet infernus. Continebat igitur liber hæc tria, *Lamentationes, carmen, & væ.* Rhetorum figura eſt, quam ab adiunctis appellant; lamētaque & læta carmina, ac poſtremam deſperantium & dolentium calamitatem repręſentat. Lamenta, inquit Hieronymus, ad vitæ huius pœnitentes ſpectant, quos in hoc ſęculo peccatorum dolor & criminum pœnitudo exagitat, atque in lacrymas, gemitus & ſuſpiria diſſoluit. *Lamentationes.* Carmina iocūdiſsima in paradiſo à Beatis occinuntur, dum prolectante beatitudinis gaudio, vna cum Angelorum choris totos ſe in Dei laudes effundunt. *Et carmen.* Triſte verò & nunquam ſatis deplorandum væ damnatorum, deſperatos queſtus, immedicabileſque ſignificat dolores: quippe cū obſeratas diuinæ miſericordiæ portas inſpiciant, & ſalutis ſpem abie-

D. Hier.

Ezech. 2. num. 9.

D. Hier.

Digitized by Google

abiecerint, gemitibus, & funeſtiſſimis vlulatibus conqueruntur. *Et væ.* Itaque beatitudinis illius ſtatus, in eo excellit, quòd vetera in eo tranſierint, nec præteriti laboris veſtigium aliquod ibi repetiatur; ſed totum ſit lætum, voluptate conſtãs, lætitia perfuſum, cantionibus cęleſtium Muſicorũ mirificè recreatum. Senſit hoc in Manuali ſanctus
D.Aug. Auguſtinus: vnde cap. 12. cæleſtis patriæ fælicitatem meditatus ita loquitur: *Conſideremus inclytam noſtræ vrbis fælicitatem, in quantum conſiderare poſſibile eſt. Dicamus ergo cum Propheta: O quam glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei! ſicut lętantium omnium habitatio eſt in te: fundaris exultatione vniuerſæ terræ: non eſt in te ſenectus, nec ſenectutis miſeria: non eſt in te mancus, nec claudus, nec gibboſus, nec deformis, dum omnes occurrunt in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Reſpicit Auguſtinus in hac vltima clauſula locum
Epheſ.4. v.13. Diui Pauli ad Epheſ. 4. verſ. 13. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*; Vbi ſtatuit, prædeſtinatos omnes in reſurrectione, Chriſti ſtaturam, pulchritudinem, perfectionem, tanquam ſui prototypi ſimulacra relaturos: nihil enim in cælo imperfectum & indecorum reperietur. Atque ex hoc loco nonnulli deduxerunt, fœminas vt imperfectum quid, ob ſexus fragilitatem, in eo non ſurrecturas, ſed virili, ita quòd omnes reſurgentes in viros abituræ erunt: ſic refert Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei Auguſt.
cap. 17. & ſequentibus. Idem etiam ſenſiſſe videntur Baſilius & Baſil.
Hieronymus in Pſal. 114. Hilarius Hieron.
ad illud Matth. ex cap. 22. *In Re-* Hilar.
ſurrectione neque nubent, neque Athanaſ.
nubentur. Athanaſ. ſerm. 3. con- Matth. 22.
tra Arianos, & plures alij, qui in Reſurrectione, ſexuum diuerſitatem minimè futuram atteſtantur: iuxta quam ſententiam dicendum videtur, fęminas propter ſexus diuerſitatem, quid imperfectum reputari; atque adeo ſub ea figura in paradiſum nõ admittendas, quia eo in loco nihil defectuoſum & minus perfectum demorabitur.

Verùm nec relata opinio, nec fundamentum, in quo ſuſtentatur, veritate nituntur. Etenim, vltra Beatiſsimam Virginem, ob Dei Matris dignitatem, omnes fæminæ, ſeruata ſui ſexus differentia, reſurgent. Quod tanquam indubitatum docuit Tertull. lib. de Re- Tertull.
ſurrect. carnis cap. 60. Hierony- Hieron.
mus epiſtol. 61. ad Pamachium contra errores Ioannis Hieroſolymitani: Eſt etiam cõmunis Scho- Scholaſt.
laſticorum ſententia in 4. diſt. 44. in 4.diſt. 44.
Illam probat acutiſsimè D. Hie- D.Hier.
ronymus lib. 3. commentar. in Matth. c. 22. ex Chriſti verbis, ***In reſurrectione neque nubent, neque***

nu-

nubentur; vnde ita infert: *Nos ſimpliciter dictum intelligamus, quòd nubere de viris, & nubi de vxoribus ſcriptum ſit. Si in reſurrectione non nubent, neque nubentur, reſurgent ergo corpora quæ poſſunt nubere & nubi; Nemo quippe dicit de lapide & arbore, & his rebus, quæ non habent mēbra genitalia, quòd non nubant neque nubantur; ſed de his qui, cùm poſſunt nubere, tamen alia ratione non nubunt.* Quod verò addit Euangeliſta, Beatos Angelis ſimiles in cælo futuros; *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo*; non reſpexit ſexum, ſed conuerſationis püritatem. *Quod autem infertur*, ait idem Hieronym. *ſed sūt ſicut Angeli Dei in cælo, ſpiritualis repromittitur conuerſatio.* Eadem pene repetit in epitaphio Lucilij: *Quādo*, inquit, *dicit, erunt ſicut Angeli in cælis; non natura, & ſubſtantia corporis tollitur, ſed gloriæ magnitudo monſtratur.* Et quidem ſuperuacaneæ videntur in cælo nuptiæ, quæ iam olim à terreſtri paradiſo exularūt, cùm nulla ibi ſit moriendi naſciendique viciſſitudo; ſed omnia immortalia, & nunquam interitura: Ad quid ergo nuptiarum celebritas, quæ in propagandæ naturæ auxilium, & moriendi remedium ſubſtitutæ videntur?

Luc 20. Hoc idem ſignificantiùs expreſſit S. Lucas cap. 20. num. 35. & 36. *Illi verò*, ait, *qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltra mori poterunt; æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cùm ſint filij reſurrectionis.* Vbi vides fœminas poſt reſurrectionē in ſexu permanſuras: aliter, qua ratione diceret, *Neque ducent vxores*, ſi fœminæ ibi non adeſſent, quæ apud viros matrimonio collocari poſſent? Et inſuper quid perfectionis contineret non nubere, ſi conſtante in omnibus ſexus virilitate, quæ nuberentur defuiſſent? Nec verò ſexus fœmineus, etſi virili imperfectior, abſolutè imperfectus, vt aliqui ſenſerunt, reputandus erit: vnde in paradiſo, vigente innocentiæ ſtatu, maſculum & fœminam Deus cōſtituit: atque adeo conſentaneum videtur vt in cælo ſub vtriuſque ſexus differentia reſurgentes conſeruet; ad maioremque remuneratoris gloriam in ſingulis præmiet, quod proprio ſexu meruerunt. Ex quo monet D. Thomas verba illa D. Pauli ad Epheſ. 4. exponens, *In virum perfectum*, in reſurrectione fœminas nullo modo in viros permutandas eſſe. *Vbi*, inquit, *non eſt intelligēdum ſicut quidam intellexerunt, quòd ſcilicet fœminæ mutentur in ſexum virilem: quia vterque ſexus permanebit, non quidem ad commixtionem ſexuū, quæ tunc de cætero non erit, ſecundum illud Matth. 22. In reſurrectione enim non nubent, neque nubentur;* Epheſ. 4. D. Thom.

mon

bentur; ſed ſunt ſicut Angeli, ſed ad perfectionem naturæ & gloriæ Dei, qui talem naturam condidit. Prǽterquam quòd ad reſurrectionis perfectionem maximè ſpectat, vt ſicut idem numero corpus, ſic etiam idem ſexus regrediatur, iiſdem indiuiduis qualitatibus ſociatum, inter quas determinata ſexus differentia magni momenti reputatur. Quòd ſi Dominus Ieſus prædeſtinatis nec pilum vnum è capite periturum pollicetur; *Capillus de capite veſtro non peribit*; Luc. 21. cur non reponet ſexum? qui vt ſeruet integritatem minimum curat, quare, quod malus eſt contemnet? vt reddito ſexu verè & propriè idem qui mortuus fuerat, ſurrexiſſe dicatur; vt aduertit S. Gregorius in cap. 19. Iob ad illa verba: *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* lib. 14. cap. 27. *Non rectè*, inquit, *reſurrectio dici poteſt, vbi non reſurgit quod cecidit.*

Luc. 21. Iob 19 D. Greg.

Nec verò Patres, & Doctores ſupra citati ſexuum diuerſitatem & ſubſtantiam negaſſe credendi ſunt, ſed vſum beatitudinis perfectioni repugnantem: & ideo teſtāte D. Paulo nos omnes in virum perfectum Chriſto reſurgētes obuiam ituros, non ſexus fœmineus excluditur, ſed ſumma beatitudinis perfectio ſignificatur, vt aſſerit D. Thomas lect. 5. ad hunc locum. *Dixit ergo virum perfectū, ad deſignandum omnimodam perfectionem illius ſtatus. 1. Corinth. 13. Cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt: & propter hoc vir magis ſumitur ſecundùm quod diuiditur contra puerum, quàm ſecundum quod diuiditur contra fœminam.* Quaſi diceret, tantum abeſt vt in eo ſtatu quælibet imperfectio reperiatur, vt, quia puerilis, etſi innocēs, ætas imperfecta videtur, ad Chriſti ætatem menſurati reſurgant. Non ſic impij non ſic, ſed iiſdem, quos in vita defectus paſſi ſunt, ſuſcitabuntur, vt tradidit Bonauent. & Auguſt. in Enchirid. cap. 92. Nec ratio aliqua ſe offert, quæ ſuadeat ipſis reſurgentibus membra corporis reſtituēda, quibus viuentes caruerunt, niſi quòd omnis imperfectio, etiam naturalis, ab immenſæ illius fœlicitatis ſtatu remoueri debet; vt paradiſi ciues, & Chriſti ſimulacra, ipſum ætatis perfectione, naturæ integritate, & pulchritudine repræſentent.

D.Thom. Cor. 13. Bonau. D. Aug.

§. SEXTVM.

Aeternæ gloriæ magnitudo ignorantem reddidit Petrū; eademque ab ignorantia excuſat & protegit.

HActenus paradiſi aura leniter aſpirante prouecti, & S. Patris Ephræm ſententiæ obſecundantes, cęleſtis Patrię beatitudinem, & ineffabilem nunquam interiturę voluptatis magnitudi-

nem

nem non pro rei dignitate expreſſimus, ſed quantum noſtri ingenij tenuitas valuit, parum docto calamo delineauimus. Et verò Petrus tantæ fælicitatis maieſtatem, vt ex Ephræm dicebamus, non leuiter læſit, dum conſtruendis tabernaculis operam ſuam pollicetur; quod etiam cenſuit gloſſ. ordinaria in cap. 17. Matth. *Neſciebat*, inquit, *quod diceret in eo, quia in cælis tabernacula quærit, vbi nulla aduerſitatis aura eſt timenda; Quia Deus omnipotens templum eius eſt & agnus.* Origenes item homil. 3. in Matth. læſæ gloriæ reum damnauit Petrum: Et ideo aſſerit nubem à cælo demiſſam, vt ipſius errorem exploderet, & tabernacula fabricare molientem prohiberet: altius enim erat nubis opus, & æternæ fælicitatis, cuius ibi imago videbatur, repræſentandæ magnitudini congruentius. *Deus*, inquit, *prohibens Petrum facere tabernacula tria, in quibus habitarent ſecundum volūtatem illius, oſtendit vnum & melius & multo præclarius tabernaculū, quàm ille cupiebat. Tabernaculi enim hoc eſt proprium opus obumbrare aliquos ſub ſe: Lucida autem nubes obumbrans eos, diuiniorem & ſplendidiorem recompenſationem exemplo ſuo demonſtrabat eis futuram, quæ protegeret eos ſimul, & illuminaret.* Hæc ille. Cæterùm non mihi damnanda venit Petri ignorantia, in eo quod tabernacula conſtruere niteretur; quin potius ab omni culpa immunem & innocentia commendabilem exiſtimo: non enim tabernaculorum ſtructurā meminit, quia beatiſsimi illius ſtatus fælicitati quidquam addere commoditatis arbitraretur; ſed ſuperuacaneam fore tabernaculorum ſubſtructionem non aduertit, vbi præ gloriæ magnitudine neceſſe erat vt omnia abundanter ſuppeterent. Vidit hoc ſuo acumine Maldonat. in cap. 17. Matth. *Quod rude*, inquit, *& quaſi puerile deſiderium magni amoris ſignum declarauerit, non conſiderans, illis qui tam glorioſi eſſent, opus non eſſe tabernaculis.* Inaduertentia quidem fuit, non tamen reprehenſione ferienda, ſed clariſsimis laudum præconijs extollenda; quippe quæ ingentem in Apoſtolo deuotionis affectum indicabat: qui ideo conſtructionis labori ſe offerebat, vt in Chriſti obſequio operā ſuam humilis pariter & deuotus impenderet. Pulchrè in cap. 9. Luc. D. Ambroſ. *Et quamuis*, inquit, *neſciret quid diceret, tamen pollicebatur officiū, in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit; quod promittebat, deuotionis.* Nec mirum eſt vt conſpecta gloriæ magnitudine in illam inaduertētiam laberetur: inopinata enim viſio, & rei magnificentia, Petro mentem abſtulit, ſenſumque eripuit,

Gloſ. ord.

Orig.

Maldon.

D. Ambr.

vt tanquam improuidus & parum cautus loqueretur. At tu vide qua ratione ex ipſamet gloriæ magnitudine, quam inaduertẽter Petrus offendit, inaduertentiæ excuſatio oriatur. Cui enim incognitum eſt Paradiſi gaudia, Beatorum voluptatem æternæ hæreditatis bona ſic ineffabilia & magna eſſe, vt omnem poſt ſe rapiãt mentis cogitatum, omnem contemplationem ſuffurentur; nec in ipſo laudandi exercitio aliquid aliud loqui & cogitare permittant? Audiendus hæc in re D. Bernard. ad illa verba Pſalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, diſertiſſimè locutus. Ita enim, ait, à magnifica gloria Beatorum mẽtes abſorbentur, vt etſi alij in alijs viciſsim præclara & laudabilia cognoſcant, laudibus tamen non inuidi parcant; ſed quia omnem alium affectum, curam & exercitium, immenſa Dei bonitas, qua perfruuntur, abſtrahit & abſorbet. *Non viciſſim alter alterum laudat, quia in laudem conditoris intenti & extenti, in quo poſita eſt tota beatitudo, mutuis nunquam vacare laudibus poſſunt, dicente Propheta: Beati qui habitant in domo tua: in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Ita ille ſerm. 5. in feſto omnium Sanctorum.

D. Bern. Pſal 83.

Et certè illud cæleſtem beatitudinem quammaximè extollit, & omnibus reddit admirandam, quòd cùm beati omnes in Dei laudes inceſſanter effuſi, laudandi exercitium currente æternitate nunquam intermittant, ipſum illud æternum, quod laudando viuunt, ita modicum reputant, vt diem vnam, multum eſt, horam aut breui tranſiens momentum exiſtiment. Et ideo Vates Regius Pſalm. 80. æternum beatorum ſæculum diem ſolemnitatis appellauit. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Vbi Gillibertus Abbas ſermon. 18. in Cantic. egregiè philoſophatur. *Buccina nobis tu Domine Ieſu, in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtra. Verè inſignis dies, vbi Diuina maieſtas ſe manifeſtat; nihil inſignius, ſed nihil ſuccinctius. Diẽ dixi: hora eſt, hora verè inſignis, & verè ſolemnis. Eructa tu nobis Ieſu, æterni illius diei horas aliquas, diem illum ſtatim efficies?* Hinc eſt, vt cælites aulici quò plus Deum laudãt & ardentiùs amãt, eo maiori laudandi ſtudio efferãtur, validiorique amoris incendio inflammentur. Vnde Petrus epiſtol. 1. cap. 1. ſcripſit: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Fallor, niſi Apoſtolus ex Thabor hanc beatitudinis prærogatiuam elicuit, in ſe fæliciter expertus quid de alijs ſentiret: tam incredibili enim in eo ſtatu permanendi cupiditate agitatum ſe ſenſit, ita ipſius animum gaudij magnitudo prolectauit, tam magnum in pectore gloriæ illius ſcintilla

Pſal. 80. Gillib. Abbas

1 Pet. 1.

ex

Digitized by Google

excitauit incendium, ſic cor eius voluptas mirificè titillauit; vt mundi gloriam, pompam, ambitionem faſtidiens, in illo æternæ gloriæ theatro perpetuam figere manſionem exoptaret: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Perbellè Paſchaſius ad hæc verba lib. 8. in Matth. *Tamen pium eſt cogitare, ſi viſa Domini vultus claritate, vult deinceps in monte manere; & nec ad momentum deſcendere, reſpuit gloriam mundi, & totum quod in mundo blanditur, ſola ei claritas, quæ de Chriſti facie ſplendet, placet; quid putare poſſumus, quomodo placeret ei, ſi talem tunc poſſet intueri per corpus mortale, qualem nunc cernit exutus iam mortalitate?* In eo quod gloriæ minimum erat, didicit, quàm magnum eſſet futurum quo illi fruerentur, quibus de obſcuro fidei datum eſt ad viſionis claritatem pertranſire, iuxta illud Pauli 2. Corinth. cap. 5. num. 8. *Transformamur de claritate in claritatem vſque ad Domini gloriam.* Quod exponit Auguſtin. lib. 11. de Trinit. cap. 8. *De gloria fidei in gloriam ſpei; de gloria, qua filij Dei ſumus, in gloriam, qua ſimiles erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.*

Paſch. — *2. Cor. 5. num 8.* — *Auguſt.*

In hac igitur filiorũ gloria Petrus agnouit, quantum eorum de gloria qui ſimiles Deo erunt, exiſtimare deberet. Ita enim modica illius voluptatis allapſus cor titillauit, & breui tranſiens lucis ſplendor mentem impleuit, vt ſi, quod optabat, æterna foret viſio, momentaneã reputaret, nec fruẽdo poſſet expleri, ſed quo plus frueretur, eo amplius fruitione delectari cõcupiſceret. Hoc enim bonorum illorum exigit magnitudo: hæc eſt cæleſtis gaudij conditio; vt ſui fruitione ſatiet, & in ipſa ſatietate fruendi cupiditatem excitet. Ideo Petrus dicebat: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Quaſi diceret: Tam immenſa eſt Dei bonitas, ingens adeo dulcedinis ipſius ſuauitas, admirandaque ſuauitatis magnitudo, vt quos ſui viſione & fruitione delectat, captos dulcedine perpetim detineat; & poſtquam æterna current ſæcula, tanquam dies heſterna quæ præterijt, ab eis reputabuntur; in ipſaque viſione videndi deſiderio æſtuabunt; nec in æternitate ſentient temporis faſtidium, quia vix momentum tranſijſſe præ voluptate exiſtimabunt. Eleganter hanc gloriæ prærogatiuam deſcripſit Petrus Damianus in hymno, quem de cæleſti beatitudine compoſuit: vbi Deum, Angelis & hominibus panem dicit communem; quo cùm videndo ſatientur, nouo videndi inflammantur deſiderio; ita vt cũ ſatietate deſiderium, & ſatietas cũ deſiderio contẽdere videatur.

1. Pet. 1. — *Petrus Damian.*

Vno pane viuunt ciues vtriuſque patriæ:
Auidi & ſemper pleni, quod habent deſiderant:

Non

Non ſatietas faſtidit, neque fames cruciat:
Inhiantes ſemper edunt, & edentes inhiant

Dum verò cęleſtibus paſcũtur delicijs, & de æternitatis fonte aquam bibunt, quæ ſitim in æternum extinguit, in quandam mentis ebrietatem incidunt, vt Pſalmographus affirmat dicens: *Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen*. Pſalm. 35. verſ. 9. & 10.

Pſal.35. verſ.9. & 10.

Verbis certè diſertiſsimis cęleſtis ſponſa incredibilem vbertatis huius magnitudinem, & voluptatis torrentẽ ſignificauit Cãticorum 1. dicens: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*. Et quidem cellarium hoc paradiſum intelligo, in quo repoſitum eſt vinum, quod Dominus Ieſus vna cum diſcipulis in Regno Patris ſui ſe bibiturum pollicebatur; & è quò bibentes modò inebriãtur amore, in ipſaque ebrietate quàm ingens ſit glorię cęleſtis dulcedo, experiuntur, exprimere tamen non poſſunt. Verùm, vt notat Origenes homil. 2. ex quatuor in Cantic. Sponſa parum conueniẽter locuta videtur, Regem hic appellans ſponſum: *Introduxit me Rex:* Nam Deus & anima, ſponſus & ſponſa, quæ in his dramatis loquentes introducuntur, ſub dulci paſtorum nomine, & amabili cura, hędos inter & tonſarum greges, in pratis virentibus, inter ſpirantes ſoli flores, dulcia miſcent colloquia, & amatorios ſermones ſuauiter interſerunt. Ad quid ergo paſtoritiam oblita curam ſponſa & figuram, Regem dicit purpuratum; *Introduxit me Rex in cellam vinariã*, quem amatoriè magis loquendo, paſtorem ſuum diceret pellitum, & ſponſum ſummè dilectum? Ceterùm delicatus nimiùm amor eſt, & valde diſertus; nihil, crede, tranſit amantes. Menti inſederat ſponſę, voluptatis ęternę, quam aliqualiter prægustauerat, magnitudinem exprimere; vini illius beatorum corda lætificantis ſuauitatem, cuius poculo ſe recreatam ſentiebat, inculcare; inexhauſtas cæleſtium Theſaurorum diuitias, æterni Regis maieſtatem, cælitum magnificentiam, aulæ amoris amplitudinem, in qua Deus amor dilectos ſuos, ab vbertate domus ſuę inebriat, & de torrente voluptatis, epotat, qua poterat verborum proprietate depingere: ruſtica & parum compta ſibi viſa ſunt paſtorum nomina, vilis habitus, humilis figura, vt rem adeo magnificam repræſentaret. Vt ergo tibi cellariorum ſponſi magnificẽtiam, & opulentiam declararet, quantùmque voluptatis & delectationis eſſet in illis repoſitum, oſtenderet; paſtoris vice, & ſponſi Regem appellat. Origenes ſeipſo melior: *Non enim, ait, vacuum videtur*; *Quòd*

Cantic.1. num.3.
Matth. 26.v.29.
Origen.
Cant.1. num.3.
Origen.

quòd cùm potuiſſet dicere, introduxit me dilectus meus, aut frater meus, aut aliquid huiuſmodi, vt moris eſt: nunc quia cubiculum dictura erat, regis dixerit cubiculum, & non aliud nomen poſuerit, in quo poſſet fortaſsis aliquis mediocris intelligi. Sed proptereà arbitror in his Regem nominatum, vt oſtenderet per hoc nomen prædiues cubiculum, vtpote Regium, & multis atque immenſis opibus repletum. Quid ni? vbi tanta eſt cellarij magnificentia, & vini inebriantis abundantia, beati omnes, qui ad plenum epotãt, ebrietatemque patiuntur, & currentem æternitatem minimè ſentiunt, diẽ, horam, momentum æterna temporum ſpatia cogitantes.

Iterum ſub paſtoritio habitu, pulcherrima ſpõſæ mihi ludit imago, & paſtorem ſuum rogantem auſculto, vt ſe in eum locum introducat, vbi dilectis & amicis ſuis detecta facie, & reiectis vmbris videndum ſe præbet, delicatiſsimiſque paradiſi epulis iuſtorum animas paſcit & replet.

Cant. 1. num. 6. *Indica mihi quem diligit anima mea: vbi paſcas: vbi cubes in meridie?* Canticor. 1. Meridianum tempus iſtud, hora eſt, in qua cæleſte paratur conuiuium, æternitatemque deſignat, quã celeſtes conuiuæ perfruuntur. Licèt verò

S. Laur. Iuſtinian. S. Laurent. Iuſtin. cap. 6. lib. Faſcicul. amor. in hæc verba, diem gloriæ, æternitatem, dixerit: *Sola dies illa deſiderabilis, ſola amabilis, in qua Diuinitatis immenſitas puro contemplatur intuitu: iſta nempe dies illa ſublimis eſt, de qua Dominus ait: In illa die cognoſcetis, quia ego in Patre.* Idcirco diem appellauit, ne gloriæ lucem & ſplẽdorem ab æternitatis die ſepararet; hac ratione ſignificans totam ęqualem eſſe, & ſplendore ſuo vniformiter conſtantem; & ideo non horam (quia etſi horæ quantitate æquales ſint, qualitate diſpares eſſe ſolent) ſed diem vnam fore appellãdam cenſuit, quia beatitudinis claritas nequaquam noctis viciſſitudine alternatur. Verùm ob breuitatẽ, quam beati in fruitione ſentiunt, dies, hora, momentum fas erit appellari: nunquam enim faſtidium parit, ſed tanquam noua maiorem excitat auiditatem. Quapropter idem Iuſtinianus citato loco ſub diei metaphora Pſalm. 83. verba, *Melior eſt dies vna in atrijs tuis*, refert ad explicandam beatitudinis claritatem: Pſal. 83.

Iuſtinian. *Vna, inquit, meritò, quia vnica, quia ſingularis, quia cæteris longè diſſimilior, diuturnitate, felicitate. In hac ergo peregrinatione dierum ſunt millia gaudijs & mæroribus mixta: in atrijs autem Domini, vna tantum eſſe dicitur, quæ per ſe ſufficit, per ſe placet, nunquam faſtidit, nunquam variatur.*

Quòd ſi volupe ſit, de numeroſa gaudiorum multitudine, quibus paradiſi incolæ in illo æternitatis die, ſeu hora perfunduntur, & iu-

cundiſsimè recreantur, aliquid inquirere: nihil nobis niſi negationum interpoſitione reſpondendum: ſicuti à D. Paulo factum inuenio; quippe qui ineffabilem gloriæ magnitudinem expreſſurus, negationes adhibuit, dicens: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* In quo loco Author lib. de ſpiritu, & anima, non nihil de gloriæ immenſitate ſubodoratus, hæc eleganter ſcripſit: *Sicut exterior homo circa iſta temporalia quinquepartito ſenſu afficitur, ideſt viſu, auditu, guſtu, & cæteris: ſic interior homo in beata vita circa quinque ineffabilia Dei, ineffabili amore afficitur. Cùm enim Deum ſuum amabit, quandam lucem, quandam vocem, quendam odorem, quendam cibum, & quendam amplexum interiorem amabit; Ibi enim fulget quod non capit locus: ibi ſonat, quod non rapit tempus: ibi olet, quod non ſpargit ventus: ibi ſapit, quod nō minuit edacitas: ibi hæret, quod non diuellit ſatietas: ibi ſiquidem videtur Deus ſine intermiſſione, cognoſcitur ſine errore; amatur ſine offenſione, laudatur ſine fatigatione.* Hactenus ille. Et quidem memorata D. Pauli ſententia Adrianum martyrio, & cęlo dedit. Adoleſcens in ipſo iuuentutis flore vigeſimum octauum agens annum, cùm tot Martyrum myriades alacri animo ad mortem feſtinantes, & hilari vultu ac læta facie, quaſi non læſos intueretur, verbera, ignes, vncos, forcipes, tormenta pati cerneret; ipſos rogat Adrianus: quid poſt hæc expectandum maneret? illi reſpondent: *Speramus bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Vox hæc Adriani aures penetrans, in cor illabitur ita potenter, vt illico in Martyrum albo deſcribi niteretur; adſuit votis Numen; Nataliaque vxore inſpectante, & exhortante, ſub Diocletiano anno Domini 306. Nicomediæ pro Chriſti fide mortem lætabundus oppetijt. Nec mihi venit admirari, Adrianum hilariter occubuiſſe: cùm enim æternæ fælicitatis contemplatio, & gaudij cæleſtis auiditas, illum ad ſidem pertraxerit, non poterat non contemplata illius dulcedinis magnitudo mortis acerbitatem reddere iucundiſsimam: vt iam inter ipſa quæ ſuſtinebat tormenta, futuræ gloriæ voluptatem prælibans, quantum poſtea acquireret iucunditatis æternæ, celebraret.

Nec primus ipſe hanc ſenſit fælicitatem: in Stephano Martyrum primo dedicatam inuenio: etenim, vt notauit Eucherius homil. 5. de Sancto Stephano. Æterni gaudij ſuauitate delibatus Protomartyr ferientes lapides neutiquam ſentiebat. *Dum*, inquit, occu-

1. Cor 2. num. 9.

Author l. de ſpiritu & anima

Adrian.

Eucher.

occupatur in ſtupore & amore cæleſtium, meritò ingruentium non turbatur duro imbre ſaxorum. Pulchrè contemplationem Stephani dixit ſtuporem: aufert enim doloris ſenſum ſtupor; & reuera Stephanus ſpiritu elatus, & contemplatæ voluptatis dulcedine perfuſus, abierat in ſtuporem; vnde non lapidum ictus, ſed cordis affectus, & commouentis ſe præ beatitudinis deſiderio animæ impulſus ſentiebat. Quod in ſeipſo non ſemel expertus fatebatur Diuus Bernardus ſerm. 1. in Septuageſ. *Commouetur*, ait, *intra me ſpiritus meus, ſpirans nimirum ad patriam illam, in qua nec numerus eſt, nec menſura, nec pondus.* Quòd ſi tam mirabiles cogitatum æternitatis gaudium parit effectus; quis dignè explicabit, quid efficiet inſpectum? verba animo deſunt: ad negationes recurrendum ei erit, qui ineffabilem illius gloriæ magnitudinem, ſicut Dei immenſitatem, & altitudinem infinitam, velit explicare. Nunc enim, vt cum Bernardo loquar ſerm. in feſto S. Martini, *Videmus patriam, ſed à longe ſalutamus; odoramus illas delicias, non guſtamus:* Verùm cùm tempus aderit, vt illis frui nobis detur, & reuelata facie Dei gloriam ſpeculemur, videntes eum ſicuti eſt, cùm illius eſſentiam, & altiſſimum Trinitatis myſterium intuitiuè inter iucundiſsimas ciuium cæleſtiū gratulationes agnouerimus; tunc virtutum Dominus, & gloriæ Rex altiſsimus, in medio ſeniorum ſedens, inexplicabilique maieſtate præfulgens; nos omnes incredibili gaudio & immenſa voluptate replebit. Sentiendum hoc eſt, non loquendum, pectore retinendum, non verbis euulgandum, vt ille alius, qui dicebat: *Secretum meum mihi*; hoc eſt, præmium iuſtorum mihi.

D. Bern.

D. Bern.

Iſai. 24. nu. 16.

Verùm vt interim leniatur ſupernæ Hieruſalem deſideriū, pulcherrimam voluptatis ipſius imaginem Petri Damiani calamo graphicè depictam, ex ſerm. 55. verè tranſſumptam propono. *Spectabilis*, inquit, *illa cælorum ſolemnitas, quæ non annuis, ſed continuis gaudijs inclareſcit: vbi lumen videtur in lumine, & Trinitatis ſubſtantia beatis oculis, oculo ad oculum aperitur: Illic Regina virginum virginibus innumeris comitata, manſiones perambulat Angelorum, & vtriuſque naturis gloriam eius admirantibus dicit: Quid me admiramini? Diuinum eſt myſterium hoc, quod cernitis; diuinum profectò, non humanum, nec humanis vnquam rationibus comprehenſum. Ibi numeroſus Angelorum exercitus ſatiatis diuiſionibus ſplendeſcit, & voluntario delectatus obſequio, non velat, ſed reuelat Domino maieſtatem. Illic Patriarcharum electio primitiua,*

Petrus Damian.

tiua, reuerenda ſocietas Prophetarum, glorioſus Apoſtolorum chorus, purpurea Martyrum multitudo, congregatio Confeſſorum, candida Virginum turma, Monachorum numerus infinitus. Sedet in medio Dominus virtutum, & de refectione gloriæ ſuæ inebriat intuentes. Ibi pax ſecura, requies voluptuoſa, vita perpetua, ſapiẽtia mentis, agilitas corporis, cordis illuminatio: hic eſt ſtadiũ, illic præmiũ: hic pugna, ibi corona. Hęc ille.

Nec ſolos, qui cæleſti menſæ accumbunt, contentus habere conuiuas, nos etiam Rex glorię, vt ſuauiſsima vini huius capiamur ebrietate, prouocat, & inuitat.
Cant. 1. Canticorum 1. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi:* Sic enim expoſuit Diuus Ber-
D. Bern. nardus ſermon. de aquęductu in Natiuit. Virg. ſub initium, vbi eodem refert illud Pſalm. 67. numer. 4. *Iuſti epulentur, & exul-*
Pſalm. 67 num. 4. *tent in conſpectu Dei*. Aptiſsimè verò & propriè ſub comedendi & bibẽdi nominibus paradiſi dulcedinem admirandam ſignificauit: quo etiam vſus eſt tropo Raphael Archangelus apud To-
Tobiæ 12 num. 19. biam cap. 12. num. 19. *Ego*, inquit, *cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*. Quinimo Dominus Ieſus, eodem metaphorę colore pulcherrimam æternæ fælicitatis imaginem de-
Luc. 22. num. 29. pinxit apud Lucam 22. num. 29. in ſenſu litterali, iuxta cõmunem ſententiam, diſcipulis loquutus. *Ego diſpono vobis Regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater, vt edatis, & bibatis ſuper mẽſam meam in Regno meo*. Appoſitus in hac cæleſti menſa panis Deus ipſe eſt; vinum ſuauiſsimum, delectabilis viſionis fruitio: nec aliud eſt edere & bibere, quàm diligere & videre: amando & videndo cæleſtes conuiuæ ita ſatiantur & inebriantur. Nec parit ſatietas faſtidium, nec ex ebrietate oritur ęgritudo, ſed tam ingẽs dulcedo, vt omnem humanæ mentis captum excedat ſatietatis, & ebrietatis illius voluptas & magnitudo.

Temeritatis dicam, an fatuitatis damnandus, qui in præſenti vita vel minimam tanti gaudij particulam cognitione aſſequi, & verbis explicare præſumeret? Ita mihi ſuadet illud Hieronymi cum Auguſtino colloquium (Si tamen commentitium non eſt, & furti- Auguſt.
na epiſtola, quæ ſub Auguſtino ad Cyrillum Hieroſolymitanum de meritis Hieronymi circumfertur) Ergo ſtatuerat Auguſtinus (inſtante, credo, Seuerino) de ęterna Sanctorum beatitudine tractatum texere: cùmque iam de conſulendo ea ſuper re Hieronymo, quem adhuc putabat viuentem, deliberaret; ecce tibi arrepto calamo ſcripturienti adſuit Hieronymus eodem die è viuis deceſſus: magnaque circumfuſus claritate, iam beatiſsimę illius patrię ciuem

cla-

claɾiſsimium,& menſę regalis conuiuam pane illo, & vino ſatiatum, & fælicisſimè ebriatum referebat. Quem vbi primum lætabũdus inſpexit, ita loquentem ſuſpenſus & admirabundus audiuit: *Auguſtine, Auguſtine, quid quæris? Putas ne breui immittere in vaſculo mare totum, breui includere pugillo terrarum orbem, cælum firmare, ne vſitatos exerceat motus? Quæ oculus nullius hominum videre potuit, tuus videbit? Quæ auris nulla per ſonum hauſit, audiet tua? Quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit, exiſtimas te poſſe intelligere? Infinitæ rei quis erit finis? immenſa qua menſura metieris? Potiùs totum mare in arctiſſimo clauderetur vaſculo; potiùs terrarum orbem paruulus teneret pugillus; potiùs cælum à motu continuo deſiſteret, quàm gaudiorum & gloriæ, quibus beatorum animæ ſine fine potiuntur, minorem intelligeres particulam, niſi vti ego experientia docereris.* Hactenus ille. Et quidem ſtulta & damnanda foret in hac vita cuiuſquam pręſumptio, ſi vel minimam cæleſtium gaudiorum particulã agnoſci exiſtimaret, vel explicari. Nam bona illa, etiam cùm poſſidentur, altitudine ſua mentis humanæ capacitatem excedunt; & poſſeſſorem ſic afficiunt, mentemque abſorbent, vt quàm magna ſint quæ poſſeſſione tener, non aſſequatur.

§. SEPTIMVM.

Sub alijs coloribus æternæ fælicitatis prærogatiuæ depinguntur.

HAbet præterea æterna fælicitas alias non minoris faciendas prærogatiuas, quia non ſolùm bonorum omnium cumulo ditata mala omnia propulſat, ſed eorum memoriam prorſus eliminat; nec ſolum quæ ipſi, ſed etiam alij pertulerunt. Vis videre? Beatos apud Matth. 25. loquentes audi: *Quando te vidimus eſurientem, & pauimus te? ſitientem, & dedimus tibi potum?* Videor mihi Martham, Zachæum, & alios ita locutos audire, qui Domino Ieſu in neceſſitate conſtituto cibaria miniſtrarunt. Ijs igitur in paradiſo præſtitum gratatur auxilium. Illi verò, tanquam nouum quid, & obliuioni traditum, opus illud apud ipſos habeatur, reſpondent: *Quando te vidimus?* quaſi nec viderint, nec vidiſſe recordentur. Sic gloriæ illius magnitudo cæterarum rerũ memoriam excluſit, vt nec alienarum calamitatum ſiuerit meminiſſe. Hinc eſt illud à S. Paſchaſio lib. 11. in Matth. eleganter dictum: *Magnæ admirationis eſt ſtupor, quæ in tanta maieſtatis gloria conſpiciunt, & claritate, ſi eum eſurientem aliquando vel ſitientẽ videre potuiſſent.* Nec ſola mihi iſta videtur obliuio, ſed rei omnino cõ-

Matth. c. 25.

D. Paſch.

trariæ iudicium: etenim, inſpe-ƈta ſtatus præſentis gloria, in qua Saluatorem ſuum videbunt conſtitutum, indecens & omnino contrarium iudicabāt vt aliquando fame & ſiti premeretur. Et quid mirum? nam & D. Paulo à Chriſti magnitudine viſū eſt alienum, hominem dicere, quem ad Patris dexteram cum maieſtate ſedentem teſtabatur. Vnde ad Galatas c. 1. Apoſtolatum ab homi-
Galat. 1. ne non accepiſſe profitetur. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum Patrem.* Pulchra eſt huius loci interpreta-
Rupert. tio Ruperti lib. 13. de victor. verbi Dei, & noſtrum confirmat inſtitutum. *Quid enim*, inquit, *ſi non per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum? nonne conſequitur, quòd Ieſum Chriſtum, quo tempore vocauit Paulum & fecit Apoſtolum, dicat cœpiſſe iam non eſſe hominem, ſed eſſe Deum? Non tamen, aiunt Patres Orthodoxi; hoc dicendo, hominis demit naturam, ſed confitetur ſuperabundantem humanæ naturæ diuinam gloriam.*

Cæterùm cùm ita ſe res habeat, admiratione non vacat quòd Dominus Ieſus in cæleſti gloria ſitim & famem, quam in præſenti ſæculo perpeſſus fuerit, recordetur; vt
Matth. 25. apud Matth. cap. 25. benefactoribus ſuis gratulabundus commemorat. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Non miraris hic in Saluatore noſtro famis præteritæ ſitiſque memoriam; cùm ſupra diximus, gloriæ magnitudinem in reliquis beatis præteritorum malorum recordationem abolere? Miratur certè Chryſologus, & meritò, quia amplior Chriſti in multis fratribus primogeniti gloria cùm eſſet, magis improprium, indecens & contrarium videbatur, vt præteritæ neceſſitatis memoria tangeretur; & ideo ad myſterium diſpenſationemque recurrit, prophetiam vocans illam non memoriam, qua Dominus Ieſus, ſtatus illius conditionem quodammodo trāſiliens, vt gratitudinē ſuis benefactoribus exhiberet, quę recepit obſequia, non memorando reuocat, ſed prophetizando recēſet. Chryſologum audiamus ſer- D. Chryſ.
mon. 14. *Qui totius creaturæ bona non eſurit, ſaginatum ſe in eſca pauperis prophetizat, in regno cæli coram omnibus Sanctis, in conuentu reſurgentium.* Quaſi dicat, alienum quidem videtur à glorioſo paradiſi ſtatu, vt quis in eo propriæ calamitatis, vel alienæ iam præteritæ memoria tangatur: verùm ſi id ex quadam diſpenſatione fiat, & quandam prophetię ſpeciem referat, vel fines alios nobis ignotos contineat, vti in Chriſto accidere potuit, non credo Chriſti glorię repugnare, *Prophetizat*. At verò glorioſus ille beatitudinis ſtatus, malorum omnium memoriam expellit, aggregatamque fęlicitatum omniū multitudinem

accu-

accumulat: & licet paruo conſtet pretio, plurimi tamen valet. Quid vilius panis fruſtulo, & frigidæ calice paſsim obuio; quibus non raro emitur æterna fælicitas? Audiẽdus hac de re Auguſtinus tract. in Pſalm. 49. *Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frangere panem eſurienti? Tanti valet Regnum cælorum: ſcriptum eſt enim: Poſſidete paratum vobis Regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi panem. Emit vidua duobus minutis; emit Petrus relinquens retia; emit Zachæus dando dimidium patrimonij.* Similia profert in Pſalm. 93. Deo gratanter locutus. *Venale*, inquit, *habeo. Quid Domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita. Scriptum eſt enim: Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: beati qui lugẽt, quoniam ipſi conſolabuntur: beati qui eſuriunt, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Addo aliud ex manuali cap. 16. non minus venuſtum. *Regnum*, inquit, *cælorum, ò homo, aliud non quærit precium, niſi teipſum: tantum valet, quantum es: te da, & habebis illud.* Placuit Bedæ venerabili Auguſtini ſententia, & totidem pene verbis ſerm. 18. de ſanctis tranſcripſit. *Res illa aliud non quærit pretium, quàm teipſum: tantum valet, quantum es tu: te da, & habebis illud.*

Auguſt. Pſal. 49. — *Auguſt. Pſal. 93.* — *Auguſt.* — *Beda.*

Et verò cùm ita facilis ſit beatitudinis acquiſitio, ob pretij vilitatem quo emitur, mirum eſt quantus ſit eius valor, & quanti æſtimata ponderetur æternæ gloriæ ſumma fælicitas. Fidum pro hac re ponderatorem adduco D. Paulum 2. Corinth. 4. dicentem: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Eſt autem gloriæ põdus ita magnum, vt à beatis ipſis libratum in eo inueniant quidquid expeti & deſiderari poſſit. In libro de ſpiritu & anima, qui Auguſtini operibus tom. 3. inſertus reperitur, & teſte Trithemio, Hugonis Victorini opus eſt, non Auguſtini; à c. 37. vbi citat Boetium Seuerinum, qui multo poſt ab Auguſtino floruit. In eo igitur cap. 57. pulcherrimè deſcriptam inuenies mutuam beatorum charitatem, & reciproca viciſsitudine amore ſeipſum excitatum; illic mutua gaudia, & alternas gratulationes, quibus ob cõmunem beatitudinem alij alijs ad inuicem gratantur: Vnde quilibet non ſemel tantum dicendus erit beatus, ſed centies & millies; quin etiam totidem quoties beatorum numerus recenſetur: quoniam aliorum beatitudo in vnumquemque miro quodam modo refunditur. Huc reſpexit Petrus Dam. in hymno gloriæ paradiſi; vbi hanc illius prerogatiuam deſcribit.

2. Cor. 4. — *Auctor L. de ſpir. & anim.* — *Petrus Damian.*

Vnum volunt, vnum nolunt,
vnitas eſt mentium,
Licèt cuique ſit diuerſum pro labore meritum:
Charitas hæc ſuum facit, quòd dum amat alterum,
Proprium ſic ſingulorum commune ſit omnium.

Secundò ineffabilem inuenies voluptatem, quam Deum videntes beati percipiunt: deinde pacem omnimodam, & animorum incredibilem harmoniam, qua fælicíſsimè recreâtur. Cap. 64. Exaggeratam cernes immenſam Dei bonitatem, quæ eſt beatorum hæreditas & poſseſsio. Tandē accumulata rerum omnium multitudine, quæ vel pulchritudine ſua oculis blandiri, vel ſanitate reficere, vel ſapientia ornare, melodiæ ſuauitate mulcere, dignitate honoreque extollere, diuitijs, voluptatibus, gaudijs animum, ſenſum recreare & vltra omnem auiditatem replere poſſunt, mirificè delectaberis. *In cælo*, inquit, *eſt quidquid amatis, quidquid deſideratis: ſi delectat pulchritudo, fulgebunt iuſti ſicut ſol: ſi velocitas aut fortitudo, erunt ſimiles Angelis Dei: ſi longa & ſalubris vita, ibi eſt ſana æternitas, & æterna ſanitas: ſi ſatietas, ſatiabuntur cùm apparuerit gloria Domini: ſi ebrietas, inebriabuntur ab vbertate domus Dei: ſi melodia, ibi Angeli ſine fine cōcinunt Deo: ſi quælibet mundi voluptas, torrente voluptatis ſuæ potabit eos Dominus; ſi ſapientia, omnes erunt docibiles Dei: ſi cōcordia, cibus erit illius voluntas Dei: ſi poteſtas, introibunt in potentias Domini, & omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, vt Deus ſuæ.*

Anth. lib. de ſpir. & anim.

D. Auguſtinus ex humanis rebus ſcalam ſibi conſtruxit, qua ad Diuinarum rerum contemplationem aſcenderet; & conſideratione bonorum, quæ malis & peccatoribus Deus impertitur, quàm magna ſint, quæ iuſtis in cælo reſeruat, prudenter coniectatur: ait igitur in Pſalm. 88. *Peccatoribus blaſphemantibus cùm quotidie dat cælum & terram, dat fontes, fructus, ſanitatem, filios, copias, vbertatem: Qui talia peccatoribus dat, quid putas eum ſeruare fidelibus ſuis?* Huc etiā refero illud ex Soliloq. c. 21. *Cùm enim ſint hæc omnia valde bona & delectabilia, quæ bonis pariter maliſque communia tradidiſti: qualia futura ſunt illa, quæ ſolis bonis recondidiſti? Si tam innumera, & varia dona tua, quæ nūc amicis pariter tribuis & inimicis; quā magna & innumerabilia, quàm dulcia & delectabilia, quæ ſolis tuis es largitus amicis? Si tanta ſolatia in hac die lacrymarū, quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta, quæſo, continet Patria?* Eſt etiam notatu dignum, & percommodè cadit in rem præſentē, quod in vita ſancti Fulgentij refert Surius tom. 5. Cùm enim ali-

D. Aug.

aliquando Senatus Romani gloriam & maieſtatem inſpiceret, exclamaſſe dicitur: *Quàm ſpecioſa poteſt eſſe Ieruſalem cæleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris? Et ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præſtabitur ſanctis contemplantibus veritatem?* D Fulg.

Cæterùm non minorem cæleſtis gloriæ ſe ſe oſtentat magnitudo, & æterni magnificentia regni; cælique voluptas, & immenſa gaudia ad ſui commendationem, nõ renue argumentum deſumunt, contẽplata paradiſi terreſtris amęnitate, pulchritudine, voluptate. Regio illa, vt Carmine in Geneſ. deſcripſit Alchimus, ſoli amęnitate præſtantiſsima erat, & cæli temperie placidiſsima; nec veris calore æſtuans; nec hyberno frigore rigeſcens, ſed vernantis ſemper auræ afflatu delectabilis, florum varietate & odore aſpectũ demulcens, & mirificè recreans odoratum.

Alchim.
Hic ver aſſiduum cæli clementia ſeruat;
Turbidus Auſter abeſt; ſemperque ſub aëre ſudo
Nubila diffugiunt iugi ceſſura ſereno:
Nec poſcit natura rei quos non habet imbres,
Sed contenta ſuo ditantur germina rore:
Sic cùm deſit hyems, nec torrida ferueat æſtas;
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.

Mitto plures, qui in depingenda terreſtris paradiſi amęnitate calamos detriuerũt: taceo Claud. Marium Victor. lib. 1. Carmin. in Geneſ. Damaſcen. lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 11. Iſidor. lib. 14. Etymolog. cap. 3. & alios. Audiendus tamen mihi eſt S. Baſilius de Paradiſo mirificè loquens. *Illic*, inquit, *plantauit Deus paradiſum, vbi non eſt ventorum violentia, non temporum immodeſtiæ, non grando, non fulmina, non turbines, non hyberna congelatio, non veris humiditas, non æſtiuus calor, non autumnalis ſiccitas; ſed temperata ac pacifica temporum concordia inter ſe.* Claud. Marius. S. Damaſ. Iſidor. D. Baſil.

Eandem paradiſi amœnitatem, & ſaluberrimum blandientis auræ temperamentum, quo primi parentes ibi fruerentur, contemplatus eſt Auguſtin. lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 1. vbi hæc reperies. *Quid timere, vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluẽtia bonorum, vbi neque mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo; nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipiſceretur: nec inerat quod carnem animumue hominis fæliciter viuentis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter ſe coniugum fida & ſincera ſocietate viuentium; & ex hoc amore grande gaudium, non deſiſtente quod amabatur ad fruendum.* D. Aug.

dum. Erat deuitatio tranquilla peccati; qua manente, nullum omnino malum, quod contriſtaret, irruebat. Hactenus ille. Et quidem omnes has & multò plures fælicitates locus ille beatiſsimus continebat, vbi vernantes deliciæ, pulchritudo, gaudium, amænitas certatim videbātur. Hinc ergo deuotus contemplantis animus inferat, quis fælicitatum cumulus, quæ voluptatum magnitudo, quæ gaudia, quantus honor, qualis dignitas, & magnificentia Dei filios in cæleſti maneat paradiſo, cùm tot ac talibus terreſtris abundaſſe memoretur.

Sed iam ad Apoſtolorum Principem calamum reflecto; cuius laudes clariſsimæ, & ignorantiæ, quam in Thabor oſtendit, excuſatio, ex hactenus dictis luculentiùs apparent, & certiùs demonſtrātur. Etenim inſpecta Domini Ieſu ſe transfigurantis maieſtate, reſultanteque ab eius facie ſplendore afflatus, in quandā mentis ebrietatem & extaſim incidit: vnde quaſi ſenſu carens, in ea verba inaduertenter erupit, *Neſciens quid diceret.* Luc. 9. Nec dubium eſt quòd gloriæ ipſius magnitudo Petrum in mentis ſtuporem verterit, abſorptoque iudicio ſentiendi rectitudinem, & loquendi cautelam eripuerit. Verùm hæc eadem magnitudo, quæ vel altiſsimos creatæ mentis volatus tranſcendit, Apoſtolum ab omni culpa reddit immunem, & affectum, quem ibi loquendo expreſsit, apertiſsimè declarat. Vt enim aſſerit D. Ambroſius lib de Iſaac, & anima c. vltimo ad finem, idem fuit Petri, ac beatorum deſiderium; nec aliud in eo loco, ſi beatus fieret, Diuinam intuitus eſſentiam, cupijſſet. D. Ambr. *Si quis igitur*, inquit, *purum illud & incorporeum, ſummum illud videre meruerit; quid habet aliud quod deſideret? Denique Petrus gloriam reſurrectionis Chriſti vidit, & nolebat deſcendere, dicens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* Quaſi diceret: non vidit Petrus Dei eſſentiam, ſicut beatis in paradiſo ſpectandam ſe exhibet; verùm quod illi viſionis dulcedine capti dicere potuiſſent, nimirū, Matth. c. *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*, 17. hoc idem Petrus, inſpecta corporis Chriſti gloria, dixiſſe memoratur. Addit verò Auguſtin. ſermon. 69. de diuerſis, Petrum humanarum rerum faſtidio affectum, diuini amoris delicias apud Thabor inueniſſe, ibique Iuſtorū oblectamentis frui, perpetimque Auguſt. immorari voluiſſe. *Tædium*, inquit, *patiebatur à turba; inuenerat ſolitudinem montis: ibi habebat Chriſtum panem mentis: vt quid inde diſcederet ad labores & dolores, habens in Deo ſanctos amores? & ideo bonos mores bene ſibi volebat eſſe.* Quid? tantum abeſt vt hic Petrum culpæ reum agnoſcam, vt potius crediderim propterea Transfigurationis ſpectatorem electum, vt à peccato ſeruare-

naretur immunis, vel ſi fortè delinqueret, illius gloriæ recordatione à lapſu reſurgeret: & ideo priuſquam tentationi obijceretur in domo Pontificis, ad montem ducitur, gloriam ſpectaturus; vt ad tentationis victoriam muniretur, ne caderet, vel lapſum gloriæ, quam in monte viderat, contemplatio ocyſſime reuocaret. Ita à D. Gregorio lib. 24 Moral. c. 7. D.Greg. perbellè excogitarum hic transfero. *Petrus priùs in montem ducitur, priùs claritatem transfigurationis Dominicæ contemplatur; & tunc demum tentari, ancilla interrogante, permittitur; vt per tentationem factus ſibi ex infirmitate conſcius, ad illud flendo & amando recurreret, quod vidiſſet.* Hæc ille. Atque vtinam quàm fælix fuit Petrus in præuentione remedij, ne in tentatione laberetur in culpam, tam prudẽs, & cautus in illius prouiſione extitiſſet: & ad pectoris ſui fores cæleſtis gloriæ memoriam veluti fidiſſimam Oſtiariam adhiberet, quæ Pontificis ancillæ Oſtiariæ aditus impediret, & tenrãtem amoueret. Quis neget, ſicuri ad domorum cuſtodiam & munimen oſtiarius in ianuis adhibetur, ſic etiam in mentis cubiculo adhibendam eſſe Oſtiariam, quæ terrenæ deſideria, & carnales illecebras, quibus mẽtis fortitudo molleſcit, & virile robur expugnatur, ſtatim eliminet ac propellat? Ceterùm quænam iſthæc erit cuſtos & Oſtiaria, ſub cuius vigilanti cuſtodia animę ſtatus ab hoſtium inſidijs liber, & ſecurus permaneat? Conſule Bernard. ſerm. de triplici iudicio, & in foribus voluntatis, vbi multiformes ſtabulant carnis cupiditates, & alia vitiorum monſtra fędiſſima, ſiſtendam eſſe gloriæ recordationem edoceberis; quæ tanquam Oſtiaria vigilantior illa, quæ domum Isboſeth cuſtodiebat, ingredi tentaturos hoſtes viriliter propulſet. D.Bernar. *Ad portam*, inquit, *voluntatis, in qua ſolent manere carnalia deſideria, tanquam in domo domeſtica familia, ſtatuatur Oſtiarius, qui vocatur Recordatio cæleſtis patriæ: hic enim poteſt prauum deſiderium quaſi cuneus cuneum expellere.* Ita ille: & hic infinitæ gloriæ dicendi finis eſto. Iam aliorum Patrum circa Petri ignorantiam iudicia proponemus.

CAPVT IV.

Petrus in futuri Iudicij proluſione, qualem D. Hieronymus Transfigurationis ſpectaculum exiſtimauit, ideo ignorans inuenitur: quia neſciens, an ibi tanquam reus aſſiſtere, & futuras Tartari pœnas exhorreſcere debuiſſet; iudex ipſe & arbiter eſſe voluit.

HActenus rete in dexteram nauigij parrem miſimus; calamoque dextrorſum reflexo, æternam cæleſtis beatirudinis fælicitatem delineauimus, nonnulla præ-

prælibantes ex ijs, quibus ſanctiſſimi Patres, virtutumque artifices peritiſsimi, nobili, generoſo, & docto penicillo ſupernæ Hieruſalem auguſta depinxerunt. Omnibus præiuit S. Ephræm, è cuius ſententia, ideo Petrum apud Thabor ignorantem diximus extitiſſe, quia propria induſtria, gloriæ illius magnitudini quidquam addere poſſe exiſtimauit. Iam rete opus eſt mittere in ſiniſtram, & calamo læuorſum conuerſo, de magno Iudicij futuri die, horrendiſque damnatorum ſupplicijs aliquid proferre. Licèt enim non ita fęliciter ſiniſtræ partis captura proueniat; vnde Petrus per totam noctem laborans nihil cepit, quouſque retia dextrorſum mittens, magnam concluſit piſcium multitudinem; fòrs nunc, mutatis vicibus, aliter eueniet; & quos paradiſi voluptas, æternæ fælicitatis amor, Chriſtique ſe transfigurantis benignitas, & pulchritudo non traxerit ad virtutē; ipſius tremenda in Iudicio maieſtas, & rigor, futuriq. ſupplicij grauitas, à fæditate criminum deterrebit. Sic enim Deus operari aſſueuit, vt inter amoris delicias, & beneuolentiæ incitamenta, quibus homines prēdere nititur & hamare, timoris & ſeueritatis argumenta permiſceat: vt qui amore & benignitate diligendum non ament, ſeueritate & rigore metuendum vereantur.

Iter facienti olim Iacobo, noctuque inter dormiendum ſomnianti, Scala ſe obtulit, in cuius ſummitate Deus eidem innixus ſtabat; & Angeli ſurſum ac deorſum commeantes, aſcendebant pariter, & deſcendebant. *Viditque in ſomnis Scalam ſtantem ſuper terram, & cacumē illius tangebat cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam: & Dominum innixum Scalæ*. Geneſ. 28. num. 12. Fallar, niſi Scalæ huius viſio, quędam futuri Iudicij repręſentatio extiterit; & fòrs ideo Iacob vigilantem exterruit. *Cùmque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait, Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauenſque, quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte!* Ibid. num. 21. At dices: Vt quid pauitat Iacob, cur terretur, cùm potiùs refricata Angelorum memoria, & Dei præſentia, voluptate perfundi, lætitiaque efferri debuiſſet? Iure tamen pauore concutitur, quia totā viſionem ad futuri Iudicij imaginem retulit: Deū in ſumma ſtantem ſcala contemplatus eſt Iudicē maieſtate, ſeueritateque tremendum: in Angelorum ſurſum, ac deorſum commeantium aſcenſu & deſceſu, terribilem damnatorum, à beatis ſeparationem inſpexit: Cùm prolata à ſupremo Iudice ſententia, quidam deorſum præcipitabuntur in Tartarum, flammis nunquam morituris amburendi; alij ſurſum euehentur ad cælum, æterna fæ- Geneſ. 28.

lici-

licitate frui turi. Nec dubitat Tertullianus, quòd tam ſalubris cogitatio euigilantis Iacob animum pulſauerit: quia lamentabilem hædorum ab agnis ſeparationem Scala denotabat: Cùm agni obuiam Chriſto in aëra ſurſum rapientur, & ſemper cum Domino erunt: hædi autem deorſum ferentur, cum diabolo æternùm moraturi. *Hæ ſunt*, inquit, *ſcalæ quas ſõniat Iacob; alijs quidem aſcenſum ad ſuperiora, alijs verò deſcenſũ ad inferiora demonſtrantes*: Voluit autem Deus aſcendẽtium Angelorum aſpectu, & futuræ beatitudinis prælibatione, Iacob ad ſui amorem excitare; eundẽque iniecta formidandi Iudicij, æternęque damnationis memoria perterrere; vt Deum velut ſummè bonum benefactoremque diligeret; & tanquam Iudicem ſeuerißimum formidaret. Pari artificio Dominus Ieſus in illo trãſfigurationis Theatro, pulcher apparere voluit vt ſponſus, quò à nobis diligeretur: idemque metuendus vt iudex, quò nos ad ſui timorem prouocaret. Quia verò Petrus pulchritudine benignitateque allectus, ſoli inhiabat amori, & dicebat: *Bonum eſt nos hic eſſe*; nec fortè Iudicis maieſtatem & ſeueritatem, qua iudicandus erat, vt quem amabat, etiam timeret, aduertebat; idcirco ab Euangeliſtis ignorantiæ damnatur: *Neſciens quid diceret*.

Tertull. de fuga inperfec.

Matth. 17.

Quòd autem Chriſti transfiguratio futuri Iudicij prælufio extiterit, D. Hieronymus in Commentarijs in Matth. ad illa verba: *Et transfiguratus eſt ante eos*, ex cap. 17. non obſcurè teſtatur. *Qualis enim*, inquit, *futurus eſt tempore iudicandi, talis Apoſtolis apparuit. Nemo autem putet priſtinam eum formam & faciem perdidiſſe: vel amiſiſſe corporis veritatem, & aſſumpſiſſe corpus ſpirituale vel aërum. Sed quomodo transfiguratus eſt, Euangeliſta demonſtrans dicit: Et reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix: Vbi ſplendor faciei oſtẽditur, & candor veſtium deſcribitur: non ſubſtantia tollitur; ſed gloria commutatur. Certè transformatus eſt Dominus in eam gloriam, qua venturus eſt poſtea in Regno ſuo*. Hactenus ille. Nec verò alia eſt huiuſmodi gloria, quàm qua Dominus Ieſus apud Matth. 25. ſe Iudicio affuturum teſtatur: *Cùm venerit*, inquit, *filius hominis in maieſtate ſua*: vt vmbra corpori, figurato figura, & prolufio reſpondeat veritati. Hinc eſt, vt inter Moyſem, & Eliam, alterum iuſtitia clarum, alterum miſericordia præſtantem, apparuerit. Elias enim iuſtitiæ gladiũ in peccatores diſtrinxit: Moyſes verò ſumma lenitate delinquentibus veniam procurabat. Et ſanè Chriſtus in eo Iudicio mitis apparebit, & rigidus: iuſti manſuetum ſentient, audientque dicentem:

D. Hier.

Matth. 25. n. 31

tem:

tem: *Venite benedicti Patris mei;* Matth. 25. reprobi ſeuerum, cùm audito, *Ite maledicti in ignem æternum;* nunquam extinguendo Tartari incendio mancipari ſe ſentient. Totum à Chryſoſtomi calamo redditum mihi venit homil. 57. in Matth. vbi eandem complexus ſententiam, ampliorem in extremo Iudicio gloriam fore teſtatur, cùm veritas repræſentabitur, quàm apud Thabor extiterit, dum inter Moyſen & Eliam ſub obſcura quadam vmbra Dominus Ieſus futuro prælusit Iudicio, Apoſtolorum captui ſe attemperans. *Nam tunc*, inquit, *diſcipulis parcens, tantum ſplendorem adaperuit, quantum illi percipere poterant: in extrema autem die in ipſa gloria atque maieſtate Patris, non cum Moyſe & Elia ſolis, ſed cum innumero Angelorum, Archangelorum, aliarumque poteſtatum exercitu, cumque innumeris tribubus & populis veniet, nulla nube caput eius cõtegente, verùm etiam mirum in modũ cælo compreſſo: & quemadmodum cùm publicè ſententiam iudices prolaturi ſunt, velamina ſtatores contrahunt, vt ab omnibus videantur: ſic in ſolio ſuo ſedentem vniuerſi conſpicient, & vniuerſum genus hominum Iudicio aderit; quos ipſe non per alium, ſed per ſeipſum alloquetur: & alijs quidẽ dicet, Venite benedicti Patris mei: contra verò alijs, Ite maledicti in ignem æternum.*

Matth. 25. n. 34.

D. Chryſ.

Quapropter non dubitat Maldonatus in cap. 17. Matth. Chriſtum inter Moyſen & Eliam ideo transfigurari voluiſſe, vt futuro præludens Iudicio, imaginem ipſius referret. *Veriſſimam ego cauſam*, inquit, *cur Moyſes, & Elias apparuerint, eſſe arbitror, quam doctus quidam noſtri temporis interpres indicauit, quòd voluit Chriſtus futuri aduentus ſui imaginem repræſentare.* Quin etiam Moyſes & Elias ante ſecundum Chriſti aduentum, Iudicij præcurſores aduenient, vt ex cap. 11. Apoc. idem Maldonatus apertè deducit. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes: Et ſi quis eis nocere voluerit, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eũ occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum:* Quibus verbis Elias. *Et poteſtatem habẽt ſuper aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcumque voluerint;* Quibus verbis Moyſes apertè deſcribitur: quo reſpexit Hilarius Canon. 17. in Matth. vbi ita: *Moyſes, & Elias ex omnium Sanctorum numero aſſiſtunt: medius inter legem & Prophetas Chriſtus in Regno eſt. Cum his enim Iſraelẽ, quibus teſtibus prædicaturus eſt, iudi-*

Maldon.

Apoc. 11.

D. Hilar.

iudicabit. Congruum igitur fuit, vt in ſcœna illa, in qua futuro Iudicio præludebatur, Iudicij præcurſores cernerentur.

Quòd ſi hoc verum habet, in eo Petri ignorantia ſtetiſſe videtur, quòd in eo futuri Iudicij ſpectaculo, vbi omnes ſilebunt, Iudice ſententiam proferente; ipſe neſcius, vtrum in ea repræſentatione Dei figuram ageret, Iudicium præoccupare, & Iudicis partes obire præſumpſit, dicens: *Bonum eſt nos hic eſſe*: Cui talia fanti, ignorantia obiecta, ab Euangeliſtis ſtatim occurſum eſt: *Neſciebat Petrus*, aiunt, *quid diceret*. Nec ſola Euangeliſtarum cenſura ignorantia caſtigatur; terrore inſuper conſternatur: *Ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde*. Quo planè, quantus veri Iudicij terror eſſet futurus, edocebantur. Cùm ipſius imago ſic pauore concuſsit, vt in terram deiecerit, eoque ſupplicio, ignorantiæ culpa, in quam Petrus inaduertenter inciderat, caſtigata fuerit, argumẽto clariſsimo, quòd Iudicio verè celebrato, cùm ſupremus Iudex maieſtatis ſolium iudicaturus conſcẽdet, nihil inultum remanebit. Hinc verè Petrus ſententiam elicuit formidandam: *Si iuſtus vix ſaluabitur; impius & peccator, vbi parebunt?* Epiſtol. 1. cap. 4. num. 18. Iuſtos in die illa pauore maximo concutiendos quis dubitet? *Nam, & virtutes cælorũ mouebuntur*, Luc. 21. quo loco etſi Caietanus actiuas cælorum virtutes intelligat: Lyranus Angelos, qui Iudicem cum maieſtate magna ad Iudiciũ venientem formidabũt; quod Iob cap. 26. prædixit: *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent aduentum eius*. D. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 15. iuſtos ea die pauidos fore & formidoloſos teſtatur: quia probè ſciunt ſe à Iudice damnandos, niſi Iudicium illud lenitate & miſericordia temperetur. *Perituros*, inquit, *ſe abſque ambiguitate ſciunt, ſi remota pietate iudicentur*. Non damnationem cogitant, ait magnus Pater: fortè enim humilitas timorem illum, damnationiſque ſuſpicionem progigneret, ſed citra dubitationem damnari cognoſcunt: *Abſque ambiguitate ſciunt*. Et verò ne quiſquã huiuſmodi verba ad peccata præterita, in quæ nonnunquam iuſti prolabuntur, detorqueret; addit ſanctus Gregorius, ſe non ſolum de ijs agere criminibus, quæ inaduertenter admiſerunt, ſed de virtutibus, quas ſedulo ſtudioſèque exercẽt. *Hoc ipſum*, inquit, *quòd iuſte videmur viuere, culpa eſt, ſi vitam noſtram cùm iudicat, hanc apud ſe diuina miſericordia non excuſat*. In ipſis iuſtorum operibus plurimum ſcoriæ & rubiginis inſeritur, vt in ſe ipſo comperiſſe fatetur idem Gregorius ad finem librorum Moralium, quos diuini obſequij aſpectu, & animarum pro-

Matth. 17. Luc. 9. Matth. 17. 1. Petri 4. n. 18. Luc. 21. Caietan. Lyran. Iob 26. D. Greg.

profectus ſtudio componere aggreſſus eſt: attamen operis progreſſu furtim ſubrepſit inanimis gloriolæ, & vanitatis vmbra; de qua vehementer doluit, & à Deo ſibi indulgeri non ſine lacrymis poſtulauit. Itaque egregiũ opus cùm abſoluit Gregorius, iam non totum erat bonitate conſtans: quoniam ibi iam erat admixta vanitatis vmbra, ſplendorem virtutis aliqualiter offuſcans; & admixtum gramen tantiſper à recta intentione, propoſitoque ſcribendi fructu, & vtilitate diuertit. Quòd ſi, inquit, Deus quidquid prauum eſt in iuſtorum operibus deprehendit, ſatis ſuperque timendi ratio eis ſuppetit. Atque hoc ſẽſu reor à Petro dictum Epi-
1. Pet. 4. ſtol. 1. cap. 4. *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?*

Verùm vterque de peccatis iuſtorum venialibus loquitur: vnde cùm Petrus iuſtum vix ſalutem aſſequuturũ affirmat, & Gregorius de iuſtis aſſerat, quòd ipſi damnandos fore cognoſcãt, niſi Deus cùm illis miſericorditer ſe gerat; exaggeratio quædam eſt, notiſſimumque hyperbole, quo futuri Iudicij rigor deſignatur, & praui timorem edocentur: quandoquidem ipſis cum Deo res agitur, qui omnia impiè facta rimatur, & nihil inultum prætermittet. Quin etiam peccata reſpiciunt venialia, quibus nõ condonatis iuſti è præſenti ſæculo decceſſerunt: donec verò Deus miſericordia vtens ipſis veniam non indulgeat, ipſius beatitudine frui non poterunt, & cæleſti viſione carebunt: quia nihil illuc imperfectum, & peccati macula reſperſum introducetur. Quocirca Petrus ait: *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* 1. Pet. 4.

Oculos minimè lippos habebat Apoſtolus, quos detractis ſquamis Deus rediderat clariores; *Ceciderunt ab oculis eius tãquam ſquamæ*. Actor 9. Et quamuis ſe identidem circunſpiciens, nec in ſeipſo, nec in prædicationis miniſterio, culpam deprehẽderet leuiſſimam; nihilominus iuſtum ſe minimè reputat, quia Deum habebit Iudicem, & (teſte Gregorio) non aſſequitur, an in ipſo prædicationis exercitio, quod rectè ſe peregiſſe arbitratur, peccatum aliquod veniale inaduertẽter obrepſerit. *Nihil enim*, inquit, *mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt*. 1. Corinth. 4. num 4. Et quidem exploratum habebat Paulus, iuſti nomen vſurpare non poſſe, quandiu in eo vel minimum veniale peccatum deprehendet æquiſſimus Iudex: atque adeo miſericordia ſibi opus eſſe, qua veniam obtineat: nam ſi vna tantum veniali culpa minimè condonata è viuis diſcedat, à paradiſi ingreſſu arcebitur, quandiu non aderit remiſſio. Et licèt indubitatum ſit, gratiam habenti venia-

Actor. 9. 1. Cor. 4.

venialia deliĉta ſerius ocyus, antequam ad Dei viſionem admittatur indulgenda: quandiu tamen ijs maculatus extiterit, viſione priuabitur: quò reſpexit Petrus, dum ait: *Si iuſtus vix ſaluabitur*; vnde in promptu manet, quam aduerſus peccatores colligit conſequentiam, *Impius, & peccator vbi parebunt?* Quoniam in magno Iudicij die ſeuero nimis ſupplicio, & rigoroſa iuſtitiæ animaduerſione in impios excandeſcet; nec impunitum relinquet quidquid in eis peccati deprehēderit: aliter contra ſuum aſpectū Deus peccare videretur: quod Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 3. non admittit: *Diſſimulator*, inquit, *& præuaricator perſpicaciæ ſuæ non eſt.* Aliunde verò certū eſt Deum omnia inſpecturum, & nihil ita occultè peragi poſſe, quod ipſius oculos ſubterfugiat. Hinc eſt, vt Matthæus cap. 25. num. 31. Chriſtum ad Iudicium veniētem, Angelos ſecum allaturum affirmet; non vt Angelicus comitatus venienti maieſtatem accumulet; etenim Iudicis maieſtatem à comitatu Angelorum diſtinguit. *Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo.* Ad quid igitur hic Angelorum comitatus inſeruit? Porro, vt innuat peccata omnia ipſius oculis nuda, & aperta omnino futura, nec quidquam, quod Deum lateat, remanſurum: quoniam Angeli pro oculis, & auribus Deo inſeruiunt, vt diſertè dixit Philo Hebræus lib. de ſomn. de Angelis locutus, quos Iacob in ſcala deſcendentes, aſcendentesq. inſpexit: *Tanquam magni Regis aures & oculi; audientes videnteſque omnia.* Dum autem noctu, Iacob dormiente, mittuntur, vt ſurſum deorſum commeent; quid aliud innuit, quàm nullas, vel ſpiſſiſſimas tenebras Dei oculis quidquam eripere poſſe? quoniam ipſis peruium eſt, quod humanis aſpectibus ſubtrahitur.

Tertull. — Matth. 25. — Philo.

Dum igitur Matthæus, Iudicem omnes Angelos, nemine deficiente, ſecum allaturum teſtatur; *Et omnes Angeli eius cum eo*; planè omnem aditum intercludit: ne quis delictum aliquod abſcondi poſſe ſperet, pariterque intelligat omnia ſummo rigore punienda, ne Deus ſuam lædat perſpicaciam. Et quidē in ſecundo aduentu Iuſtitia in oculis promicabit (quemadmodum in primo Miſericordia in ipſis effulſit.) *Diſſimulator, & præuaricator perſpicaciæ ſuæ non eſt.*

§. PRIMVM.

Chriſto Moyſen inter & Eliam transfigurato, non ſolùm Thabor, ſed etiam Caluariæ mons inter duos latrones morienti theatrum dedit: vbi extremi Iudicij proluſionem habuit, futuraque illius diei ſeueritatis imaginem reliquit; & quàm

acerba reproborum ſors futura ſit; præmonſtrauit.

ALibi etiam Christum Dominum futuro Iudicio præluſiſſe memoto, cùm videlicet in Caluariæ monte duorum latronũ medius in cruce pendens, Iudicij imaginem repræſentauit, quemadmodum in monte Thabor inter Moyſen & Eliam gloria & maieſtate viſendus ediderat. Cæterùm in Caluariæ loco, pro gloria, tormentis diſcruciatus; pro maieſtate, inter ſceleſtiſsimos deſpiciendus, & iam moribundus videbatur: Crux ipſa tribunalis vices egit, vt monuit ſanctus Augustinus tract. 31. in Ioan. *Ipſa Crux*, inquit, *ſi attendas, tribunal fuit; in medio etenim Iudice conſtituto, vnus qui credidit, liberatus eſt, alius qui inſultauit, damnatus eſt.* Et ſerm. 120. de tempore dicit: *Poſitus in patibulo verus arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, ſuſcepit confitentem: hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Per hæc ergo credamus in maieſtate iudicaturum, quem iam in cruce, & miſericordiam videmus exercere & iudicium.* Nec dubito quòd hoc bonus Latro agnouerit, ac Dominum Ieſum in vtroque futuro Iudicio præludere voluerit: idcirco cogitatione præcurrens à præluſione ad Iudicij veritatem præuolauit, Saluatorem precatus vt in ea die ſui meminiſſet: *Domine memento mei cùm veneris in Regnum tuum*, Lucæ 23. Quæ Latronis verba D. Augustinus ſic exponit: *Non dixit, Si Deus es, de præſenti ſupplicio eripe me ſed magis, Quia vere Deus es, de futuro Iudicio libera me.* Cùm enim tormentum, quod in illa Iudicij vmbra, & præluſione ſentiebat intolerandum, animaduerteret; prudenter æſtimauit, cùm Iudicium verè exerceretur, vltra menſuram acerbiſſimum futurum, & ideo timuit ne tunc damnaretur, vt idem Augustinus ſtatim ſubijcit dicẽs: *Quàm cito eum repleuit Spiritus ſancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, etſi intolerabile probat eſſe quod ſentit, grauius tamen intelligit eſſe quod metuit.* Itaque è pęnis, quibus in præſenti cruciabatur, perdidicit, quid ſibi de futuris eſſet formidandum: vnde lamentabili voce, ab intimis cordis afflicti penetralibus extracta, Iudicem ita fuit alloquutus: *Domine, memento mei cùm veneris in Regnum tuum.* Et quidem timor iſte, & Latronis petitio fide ſociata, ipſum reddidit electũ, atque in prædeſtinatorum catalogo repoſuit; ſicut alterius blaſphemia reprobis ipſum annumerauit. Quod prudenter monuit S. Leo ſerm. 4 de paſſione Domini, vt in omnibus Iudicij vmbra veritatem ipſius repræſentaret, & gemini Latrones, bonorum & malorum, qui ibi aderunt, perſonas agerẽt. *Vt etiam*, inquit, *in ipſa patibuli ſpe-*

D. Aug.

Luc. 23.

D. Aug. ſer 120. de temp.

D. Aug.

Luc. 23.

D. Leo.

ſpecie monſtraretur illa, quæ in Iudicio ipſius omnium hominum eſt facienda diſcretio, cùm & ſaluandorum figuram fides credentis Latronis exprimeret, & damnatorum formam blaſphemantis impietas prænotaret. Hæc ille.

Sicut itaque in Thabor Dominus Ieſus Iudicio præluſit, inter Moyſen Eliamq conſiſtens, vtrumque iuſtum, & ſanctitate eximium, alterum iam vita functum, alterum adhuc viuentem: vt, quod monuit Beda cap. 37. in Marcum, viuorum ac mortuorum ſe Iudicē futurum præmonſtraret. *Moyſes*, inquit, *& Elias, quorum vnum mortuum, & alium in cælis raptum legimus, futuram Sanctorum gloriam ſignificat: qui videlicet tempore Iudicij, vel viui in carne reperiendi, vel ab olim guſtata morte reſuſcitandi, & partter ſunt regnaturi cum illo.* At verò in monte Caluariæ cruci affixus, tanquam in tribunali conſiſtens, hanc Iudicij repræſentationem exhibuit duorum medius; quorum alter reſipuerat, & probus erat; alter malus; vt defiguratus, ac ex mundo proficiſcens, perfectiorem ſui ad iudicandum regreſſus imaginem exhiberet, quàm in Thabor transfiguratus præſtiterat. Quin etiam in die illa terribili & formidanda, cum damnatis acriùs expoſtulandum erit, propter celebratam in Caluariæ loco Iudicij prælufionem, quàm propter vmbram eiuſdem Iudicij apud Thabor demonſtratam: poſtrema enim repræſentatio plus erga damnatos miſericordiæ, & beneficentiæ continuit. Vtinam vellent ipſi gratiam inibi contentam vertere ad vtilitatem, & minis, quas in ea futuri Iudicij imagine intentabat, perterriti, reſipiſcere; ne poſteà illius ore, qui Iudicio prę luſit in cruce, vt terreret, in eaque obijt, vt redimeret, æterno cruciandi ſupplicio addicerentur. *Ite maledicti in ignem æternum*. Matth. c. 25. Proh vocem formidandam, terribilem admodum ſententiam, horrendum ſupplicium, æternam pœnam, & flammas nunquam morituras! Et verò ne cuiquam in mentem veniret, quòd licèt ignis æternus ſit duraturus; attamen cruciatus, & tormenta quandoque extinguentur; non ſatis habuit, hortatur Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 15. ſi ignem diceret æternum, niſi etiam tormentum in eo ſuſtinendum, eâdem æternitatis notâ inſigniret. *Ibunt hi in ſupplicium æternum*, ſeu, vt legit Auguſtinus, *in combuſtionem æternam*. Qua lectione ſanctus Pater illorum errorem diluit, qui poſt longam annorum ſeriem damnatos, è Tartari flammis à Deo extrahendos crediderunt. *Hoc præuidens*, inquit, *Dominus Ieſus, ſententiam*

Beda.

Matth. 25.

Auguſt.

ſuam concluſit, ita dicens; Sic ibunt hi in combuſtionē æternam: erit ergo æterna combuſtio ſicut ignis; Tormenta de æternitate cum flāmis certabunt: flamma curret, & pęna: tortura cum tortore contendet, vtrumque æternitas exęquabit. Quid ni? *Vruntur montes, & durāt: quid facient peccatores, & Dei hoſtes?* dixit olim Tertullianus. Et verò nouerat Deus quamplurimos ad patranda crimina fore audaciſsimos, qui tamē ad ſuſtinendas quæ delictis pœnæ deberentur, imbelles ac timidi futuri eſsēt: vnde quod in ipſis operabatur timiditas, in Deo benignitatem effecturam arbitrarentur. Igitur hunc errorem Dominus præcidit, flammas & pœnas æternùm duraturas prædicens: *In ignem æternum, in ſupplicium æternum*. Tantum namque aberit, vt ignis combuſtum deuoret & abſumat, vt potius ab eo flammarum accipiat nutrimentum. Quod aſſerit Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 21. *Vna*, inquit, *eademque vi atque potentia cremabit impios & recreabit*. In ipſis itaque flammis rediuiui, nuſquam mortem inuenient, & mutua quadam viciſsitudine, quantum ignis ſumet ad pabulum; tantum in damnatis iterum renaſcetur, vt ignis nunquam extinguatur. *Et quantum* (addit Firmianus) *corporibus abſumet, tantum reponet*. Hinc eſt illud Diui

Tertull.

Lactant.

Pauli ad Hebræos c. 10. *Terribilis quædam expectatio Iudicij; & ignis æmulatio*. Decertabit, inquit, flamma: cum quo tamen futura ſit decertatio, non indigitat. Fortè ſecum ipſa pugnabit? quoniam vna cùm ſit, in diuerſos trahitur effectus, & quem exurit, abſumit, abſumptumque reſtituit, iterum comburendum, quod diſertè dixit Tertullianus in Apolog. cap. 7. *Erogat dum reparat*. quod deterit, ſtatim reſtituit; & ſecum decertat, ne plus vrendo conſumat, quàm reponendo reſtituat, vt nunquam flammis pabulum, nec miſeris deſit cruciatus. *Ignis æmulatio:* Vel fortè cum Beatorum fælicitate huiuſmodi contentio exercetur; vt quemadmodum illa Beatos æternat, & recreat, ſic etiam Tartareus ignis, quos torquet damnatos, reddat æternos. Quoquo tamen eueniat modo, ſemper æmulatio in miſerorum cedit detrimentum, in quibus flamma peccato, gloria, & ſecum ipſa decertat. *Ignis æmulatio*. Erit autem illud in duabus Iudicij ſententijs diſcrimen, ſicut S. Ephræm de pęnitentia teſtatur, quòd iuſtorum gloria vna tantum & æterna die menſurabitur: at verò damnatorum pœna vice verſa nunquam interitura nocte adæquabitur. *Statuit*, inquit, *Deus diem, qua iudicaturus eſt orbem terrarum in iuſtitia; nō dies multos ſed vnum. Sanctis vna dies eſt æter-*

Ad Hebr. 10.

Tertull.

S. Ephr.

Digitized by Google

æterna lucis fruitio, & peccatoribus vna nox æterna cuſtodia & carcer: ideo Ieſus dicit: Ibunt hi in vitam æternam, iniqui autem in ſupplicium æternum.

Miror vt non ſit, qui æterni Iudicis ſententia perpetuo carceri in æternam noctem flammis cruciandum mancipari vereatur; cùm ſola terribilis Iudicij cogitatio pectus æreum, nedum Chriſtianũ, pauore poſſit concutere. Certè D. Chryſoſtomo de horribili Iudicio ſcribere meditãti, pauor calamum excutiebat, vt ſermon. aduerſus impios hæreticos affirmat.

D. Chryſ. *Quando*, inquit, *loqui incipio de conſummatione ſæculi, & de ſecundo Chriſti aduentu, horrore corripior, & obſtupeſco: nam etſi cuncta opera Domini admirabilia ſint, & magna, atque tremenda: at conſummationis, & ſecũdi ipſius aduentus myſterium, omnem ſermonem ac mentem cogitationemque excedit.* Quamuis enim nulla timoris cauſa ſuperſit, quàm quòd in eo Iudicio conſtrictum ſe videbit Chriſtianus de beneficijs à Deo acceptis, necnon gratijs, & fauoribus rationem reddere; hoc ſolum deterrere poteſt meditantem, vt reuera, iuxta illud Prophetæ, *Turbabitur ibi fortis*, viros plurimos ſanctitate eximios terrefecit. (Sophon. 1 num. 14.) Quin etiam Virgo beatiſsima, in qua nullum actualis, aut originalis culpæ veſtigium apparuit, dum ab Angelo Dei Mater ſalutari audiuit, pauore viſa eſt & turbatione agitari: *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius.* (Luc. 1.) Quid ſibi vult pauor iſte? Nonne Angelus, Dei gratiam refert, & ſancti Spiritus fauorem, atque vmbraculũ pollicetur? teſte Chryſologo ſerm. 140. (Cryſolog.) *Venerat Angelus blandus in ſpecie, mitis in habitu, humana proferens, diuina promittens.* At ideo pauet, & cauſas habet iſte pauor honeſtas: nam dum ſe diuinis fauoribus cumulari ſentit, ad reddendam de illis rationem conſtringi aduertit; & qua gratitudine acceptam gratiam debeat rependere meditatur: vnde perinde fuit, quòd Angelus Dei Filium in ſuis viſceribus ſuſcepturam prædiceret, ac ſi eundem etiã Iudicem habitura eſſet, qui de matris beneficio rationem exigeret. *Quid plura?* replicat Chryſologus; (Chryſol.) *Mox ſentit in ſe ſupernum ſuſcipi Iudicem, vbi ante iam cæleſtem vidit & contemplata eſt mediatorem.* Et ideo iure optimo tot fauoribus verita eſt cumulari, memor quòd de omnibus rationem eſſet reddituram. Quid de peccatoribus in extremo Iudicio fiet? cùm collata in præſenti ſæculo beneficia, de Deo male meritis & ingratis opponantur; qui obſequij vice tot patratis criminibus authori offenſam rependerunt: vt benefactorem ſuum ac Dominum conſtricturi ſint horribilem in ipſos damnationis ſententiam proferre. *Ite maledicti in ignem æternum:* (Matth. c. 25.) Qua audita

etiam creaturæ ſenſu carentes cõtremiſcent. Quin etiam ſol, luna, & ſtellæ, quaſi turbata, ſuum amittent ſplendorem, vt Ioel cap. 3. vaticinatur: *Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum, & Dominus de Sion rugiet, & de Hieruſalem dabit vocem ſuam, & mouebuntur cæli & terra*. Ex quo rectè infert S. Zeno ſerm. 4. de Iſaia, quàm horribilis erit timor, tormentorumque magnitudo, quibus impij in futurum cruciabuntur: cùm audita ſeueriſsimi Iudicis voce, inſenſibilia timore & horrore quatientur. *Hinc*, ait, *æſtimare licet, quid ſit eis reſeruatum, quorum in cauſa funerei luctus pœnæ pertutulit natura ſupplicium*.

Ioel 3.

Zeno.

Cæterùm quid mirum, vt omnes creaturæ etiam cæleſtes, ad vocem Iudicis improbos æternæ damnationis ſententia ferientis expaueſcant; quando Iudex idem ac Dominus in humanitate ſua turbationem prætulit, cùm proditoris Iudæ damnationem expreſſa voce manifeſtauit, vt Ioannes ad cap. 13. aperte proponit. *Cùm hæc*, inquit, *dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet*. Adeo terribile erat proditorem detegere, ac expreſſa voce peccatum ipſius aperire, in quo damnatio iam virtute continebatur, vt Dominus Ieſus turbationem in ſpiritu, ac in humanitate ſenſerit commotionem. Nec dubitat Auguſtinus commotionem hanc ex proferenda in proditorem ſententia prouenisse: vnde ſerm. 28. ad fratres in eremo ait. *Doluit, quia ſuper eum ſententiam æternæ dãnationis daturus erat:* Acutè etiam in hanc rem eſt illud à Cyrillo Alexandrino dictum in cap. 13. Ioannis lib. 9. *Veroſimile*, inquit, *mihi videtur, non potuiſſe carnem Chriſti motum, quo iam expreſſiùs atque manifeſtiùs diſcipulos proditionis odium efferebatur, ita ſufferre, vt aliquantiſper non exhorruerit*. Horrendum plane eſt & maxime formidandum, quòd Dominus Ieſus adſtantibus Angelorum choris, & iuſtorum cætu, contra impios prolaturus ſit damnationis ſententiam; vnde mallent impij Tartari flammis inuolui, quàm irati Iudicis faciem intueri. Hinc eſt illa Iobi ad c. 14. num. 13. comprecatio: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Quid? Ipſe Redemptor ac Iudex hominum, in cruce pendulus, ac Iudicij imaginem ibi moriturus repræſentans, fixis neutiquam in cælum oculis Patrem ſuſpiciens, ſed inclinato verſus terram capite obire maluit, iuxta illud Ioannis cap. 19. *Inclinato capite tradidit ſpiritum*: Quia Patris aduerſus homicidas irati faciem contẽplatus, improbis in Chriſticidij pœnam, tale ſupplicium cenſuit reſer-

Ioan. 13.

D. Auguſt.

D. Cyril.

Iob. 14.

Ioan. 19.

reſeruandum: quia ſoli reprobi faciem indignantis Dei in peccatorum pœnam aſpicient, cùm ſingulis delicta ſua ob oculos proponat: quod teſte Dauid Pſalm. 49. terribile ſupplicij genus eſt, & valde formidandum. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*; vel ſecundum S. Hieronymi lectionẽ, *Proponam te ante oculos tuos*. Clariùs tranſtulit Ambroſius, *Statuã contra faciem tuam peccata tua*: quoniam peccator in vita præſenti crimina ſua, eorumque grauitatem, & fœditatem non inſpicit: vnde inſtante Iudicio neceſſe eſt, vt teterrima eorum facie conſpecta torqueatur. Quod adeo verum eſt, vt S. Baſilius oratione 3. de Iudicio, pœnam hanc Tartari ſupplicijs grauiorem exiſtimet. Quin etiam D. Anſelmus lib. de Similitudinibus cap. 190. fatetur quòd data ſibi optione, potius in Tartarum mitti, quàm criminum ſuorum fœditatem intueri eligeret. *Si hinc peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem; & vni eorum neceſſariò haberem immergi; potius me in gehennam immergerem*.

Pſal. 49. *D. Hier.* *D. Ambr.* *D. Baſil.* *D. Anſel.*

Quacunque igitur facie extremi Iudicij formidanda tibi occurret imago, ſemper horrorem incutiet: ſiue culpa maculatum, ſiue innocentia decorum occupet. Egregiè timorem hunc, ſiue iuſtos ſiue peccatores inuaſurum (teſte ſancto Auguſtino) præſignificauit ſãctus Abraham Geneſ. 15. Cùm enim ibi ex Dei præcepto animalium carnes offerret in holocauſtum: *Sume*, inquit, *vaccam triennem, & capram trimem, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam: tollens vniuerſa hæc diuiſit ea per mediũ, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit, aues autẽ nõ diuiſit*. Ecce tibi ſole occumbente ſub primis tenebris Abraham timore horribili cępit agitari. *Cùmque ſol*, inquit, *occumberet ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus, inuaſit eũ*. Quænam inſoliti horroris cauſa? Cur modò timet, qui antea nihil formidabat? Attende quid facer dicat hiſtoricus. *Cùm ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa: & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas*. Vidit Abrahã futuri Iudicij imaginem, Solis obſcurationem, conflagrationis ignem, qui Iudicem præcedet, orbis tenebras contẽplatus; hinc impios in carnibus animalium deſignatos inſpexit; inde pios vidit in auibus turture & columba, hoc eſt innocentes, & pœnitentes repræſentatos: ignem per medium tranſeuntem, & carnes ab auibus ſeparantem intuitus, mente præuolauit, infælicisſimamque reproborum à iuſtis ſeparationem meditatus, cùm illis à Iudice dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum*: his verò: *Venite benedicti, poſſidete Regnum*; quid ni ingenti

D. Aug. *Geneſ. 15* *Matth. c. 25.*

pauore quateretur? Ita enim formidanda eſt futuri Iudicij repræſentatio, vt iuſtis etiam timorem incutiat. Quid igitur erit de peccatoribus exiſtimandum? Quòd ſi imago ſic territat; quid faciet veritas? Meditandum hoc potiùs quàm dicendum. Sed iam do Auguſtinum lib. 16. Retractat. c. 24. vbi ſic: *Quòd in occaſu Solis viſa ſit Abrahæ fornax fumibunda, & lampas ignis tranſiens per medium diuiſorum animalium ſignificatum eſſe, in fine ſæculi per ignem iudicandos eſſe carnales.* & ſtatim ſubijcit: *Tenebroſo timore Abrahæ circa Solis occaſum, ideſt, propinquãte iam fine ſæculi: ſic ad Solis occaſum, ideſt, ad ipſum iam mundi finem ſignificatur iſto igne dies Iudicij dirimens carnales per ignem ſaluandos, & igne damnãdos.* Sic Auguſtinus: vbi vides, timorem illum, qui Abrahamum occumbente Sole concuſſit, ex futuri Iudicij repręſẽtatione proueniſſe.

D. Aug.

Eſt autem Iudicij memoria, & frequens meditatio, animæ ægrotantis antidorum, & ſalubre medicamentum, quo venenum culpæ expectorat: Nec quoquam alio Deus ad iracundiam fortiùs prouocatur, quàm ſi peccator Iudicium contemnat, obliuioneque ſepeliat: iuxta illud Pſalmographi: *Propter quod irritauit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo, Non requiret.* Pſalm. 9. Ac ſi Regius Vates inquireret, quo nam facto peccator Deum contra ſe amplius ad iram commoueret? Et reſpondet: obliuione id fieri, extremæque diſcuſsionis contẽptu: cùm ſcilicet in corde ſuo dicit Deum à peccatoribus vitæ rationem non exacturum; vel ſi forte exigat, non ſic ſtrictè & ſeuerè id faciet; *Non requiret.* Ita exponit Bernardus ſerm. 2 ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia. Propter quid, ait, irritauit impius Deum, exacerbauit Dominum peccator, vt ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quærat? Num propter fornicationes, inceſtus, an ſacrilegia? Nihil horum propheta memorat, ſed quòd in corde ſuo dixerit, Non requiret.* Perditorum opinatio iſthæc eſt, quos nunquam reddendæ in Iudicio rationis ſolicitudo compungit. Quales fas erit huiuſmodi nũcupare? fatuos, & amentes, an infideles?

Pſal. 9.

D. Bern.

Prudenter iactabat olim vir ſpiritu præditus, duos tantùm carceres in orbe conſtituendos: alterum pro inſanis: alterum pro infidelibus. In primo conijciẽdos aſſerebat omnes, qui futurum credentes Iudicium & rationem in eo reddendam expectantes, nequaquam reſipiſcebant: ſed tanquam amentes in deterius quotidie præcipitabantur. Quis enim amentiæ genus eſſe non cernit, vt pœnam credens ſic deprauatè viuat, ac ſi ob vitæ improbitatem æterno pœnarum ſupplicio mancipan-

cipandus non eſſet? In ſecundo infideles à fidei quæſitoribus concludi deberent, ac ſi Deum non agnoſcerent, & Sardanapali mores inſtitutaque ſectarentur. Et fallar, niſi in hunc etiam detrudendi omnes, quotquot indignãtis Dei comminationes quotidie experti, temporalia ſuſtinentes ſupplicia, & frequentiſsima experti mortis pericula, in quę, mortiferis irretiti culpis incurrunt; nec tamen aduertunt, aut ſibi perſuadent, hæc omnia Dei expectantis eſſe monita, vt niſi reſipiant, acerbiùs torqueantur. Proh miſeri, Philiſthæo ſimiles: in quē acutè & feſtiuè ſanctus Chryſoſtomus iocatur verba ipſius 1. Reg. cap. 17. retorquens: *Quaſi ad canem exiſti cum lapidibus, & virga*. Siccine velut canem fuſte lapidibusque excipere decernis? Quid ais ò Philiſthęe, quęrit Chryſoſtomus homil. de Dauid & Goliath. Falleris, non canis naturam æmularis: *Si canis fuiſſes, nunquam dimicãtem contra te Dominum prouocaſſes, ſed vt canis interitum futurum, & dignum ſupplicium metuiſſes. Peior es cane, qui nec virgam metuis, nec lapidem, quo moriturus es, extimeſcis*. Heu quot huius notę peccatores reperiũtur, quos Dei comminationes minimè terrent, quin potius ridentes audiũt mortem impendentem, Orcique tormenta nunquam moritura deſpiciunt: vnde perditè viuunt, & infeliciſſimè moriuntur. Quod vt caueant, Petrum & Latronem imitentur: Siquidem alter in Thabor, in cruce alter, monito ſimul & pœna compulſus, futuri Iudicij imaginem inſpiciens; Petrus timore conſternatus cecidit, quouſque blanda & amica Iudicis voce vna cum Socijs recreatus erigeretur: *Surgite, & nolite timere.* Matth. c. 17. Latro pœnas formidauit æternas, Iudicijque rigorē expauit; quouſque à Saluatore promeruit audire: *Hodie mecum eris in Paradiſo*.

1 Reg 17.

D. Chryſ.

CAPVT V.

In eo Petrum ignoraſſe Timotheus Antiochenus exiſtimauit, quòd è piſcatore fieri voluit architectus, vocationis ſuæ rationem immutans, in qua vnumquemque noſtrum ſe tenere, Dei ſanctio eſt.

NOua prorſus & ſingularis mihi viſa eſt Timothei Antiocheni ſententia, quamuis ingenio & venuſtate commendabilis. Etenim oratione de Cruce & transfiguratione, Petri ignorantiam in eo ſtetiſſe affirmat, quòd piſcator cùm eſſet, architectonicæ magiſter fieri ſtuduit; & qui antea retia texere & reficere conſueuerat, tabernacula ſtruere meditabatur: vnde, vt refert Matthæus c. 17. Chriſto dicebat: *Faciamus hic tria tabernacula*. Timoth.

Quo-

Quocirca Timotheus cum ipſo expoſtulans, ita fatur: *Quid tibi in mentem venit Petre? quæ non didiciſti facere aggrederis? retia didiciſti contexere; num etiam tabernacula ea ædificare?* Quaſi diceret: Quænam iſthæc, ò Petre, temeritas tanta eſt; aut quænam præſumptio ignorantiæ tuæ præconium? Nonne ars tua & exercitium in retibus, & piſcatione verſatur, quod humile planè eſt, & inter mechanicas artes infimum locum obtinet? vt quid igitur ab infimis ad ſuperiora tranſire repēte contendis; ac in ijs, quæ profeſſionem tuam excedunt, tãquam multiſcius ſuffragari, & veluti Magiſter tabernaculorũ ſubſtructiones promittis? Quid retia cum aſcijs & runcinis commune habent, vt qui in retibus erat totus, nunc circinnos & ſecures meditetur? Moriar, niſi error iſte & ignorantia eſt, quæ omnem ſuperat dicendi rationem. Nec multus in hac redargutione mihi viſus eſt Timotheus: & fortè ſanctum Dei Spiritum ducem habuit, & patronum, qui Eccleſiaſtici c. 3. hoc ignorantiæ genus non leuiter ſuggillat. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*. Naturæ affectus hic eſt ab ignorantia progenitus, vt quiſque in ijs quæ mentis ſuæ captum excedunt, ſuffragari contendat; quin etiam in arte, quam nuſquã exercuit, magiſtrum ſe exhibere, alioſque excellere vanus artifex præſumat, moniti illius Ouidiani immemor.

Timoth.

Eccleſ. 3.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator: Ouid.
Enumerat miles vulnera, paſtor oues, &c.

Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat: Paſtor oues, Nauta ventos, Medicus morbos, Theologus difficiles quæſtiones; tractent fabrilia fabri. Fugiat ignarus cenſuram: euitet ſutor picturæ iudicium, nec eâdem manu ſubulam, & penicillum tractare aggrediatur. Piſcator Architectus fieri non ſtudeat, Petri æmulus; ne eandem ignorantiæ cenſuram incurrat.

Perbellè in hanc rem retulit venerabilis Beda illa Matthęi verba cap. 4. quibus Dominus Ieſus Petrum, & Andream ad Apoſtolatum vocauit, dicens: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominũ*; vt qui antea piſcandis piſcibus addicti erant, poſtea ad piſcandos homines transferrentur, arte in melius commutata. *Nomen*, inquit, *mutauit*, *officium non abſtulit*. Itaque manente priori officio, materiam mutauit: vt eandem, & multo maiorem in piſcandis hominibus, quàm antea in piſcandis piſcibus induſtriam collocarent, vòluit vt ſua cuique ars deſeruiret, ac illa vtendo perfectionem acquireret, mundoque ſuperato palmam adipiſceretur: hac ratione admonens, vt ſinguli in profeſſione creſcant, victo-

Matth. 4.

Beda

ctoriamque obtineant: periculoſa enim eſt profeſſionis immutatio, præſertim cùm Dei vocationi congruit; & fortè profectus inde impeditur, & retro agitur, qui ad anteriora ſe extendere, & victorioſus mundi contemptor palmam conſequi debuiſſet.

Animaduerſione digna eſt, & rem hanc ob oculos proponit admiranda Dauidis victoria, quam de Philiſthæo populi Iſraelitici contemptore reportauit: Proh ſuperi, quãta Gigantis elatio! *Nunquid*, inquit, *ego non ſum Philiſthæus, & vos ſerui Saul? eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamẽ: ſi quiuerit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem ego præualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis.* 1.Reg. c. 17. quibus auditis, vniuerſus Iſrael ingenti pauore conſternatus deſcribitur: ibid. *Audiẽs autem Saul, & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſthæi huiuſmodi, ſtupebant & metuebant nimis.* At quis hanc à Dei populo iniuriam propulſauit? Quis à timore exemit? Fortè imperator, ac dux ſtrenuiſsimus, & præliandi arte præcellens? Ita congruum pro negotij difficultate videbatur. Cæterùm aliud fuit Dei conſilium, qui hac ratione propoſitæ doctrinæ fidem quærere intendebat: & ideo humilis paſtor, armorumque ignarus Dauid ad proſternendum Gigantem eligitur, & ipſi paratur victoria. Sed quibus armis hoſtem ſuperauit? An Saulis? Nequaquam: licèt enim ijs indueretur, vbi primùm in hoſtem pergere cępit certaturus, aduertit ſe inexpertum ac impeditum; & victoriam armatus deſperans, arma proijcit, dicens: *Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo: & depoſuit ea:* & ad ſibi nota & conſueta recurrit; fundam, lapides, & baculum arma reſumpſit paſtoritia. *Tulit*, inquit ibi textus, *baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinque limpidiſsimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum; & fundam manu tulit, & proceſſit aduerſum Philiſthæum.* Vt paſtor proceſſit ad pugnam, non bellica portans arma, ſed paſtoritia deferens inſtrumenta, quæ vſu tractare nouerat, & ijs victoriam præſumebat adipiſci; artem retinens, & artis inſtrumenta reſumens. Non latuit hoc Dauidis conſilium Abbatem Franconium tom. 5. de gratia, vbi ita: *Bellica autem arma non requirit: baculum paſtoralem vt paſtor accepit, & quinque limpidiſſimos lapides.* Nouerat optimè Dauid, quàm gratum Deo erat, vt quiſque in vocatione ſua permanẽs, & quod profitetur officium retinens, ipſi placere ſtudeat: fructus item vberrimos virtutum proferre, & profligatis animi aduerſarijs, Dæmoneque ſuperato victoriam aſpiret: quam

1.Reg.17 | 1.Reg.17 | Francon.

quam ille de Gigante triumphus adumbrabat.

Percommodè etiam cadit in rem præſentem alterius paſtoris conſilium, ſimiliſque euentus; Moyſem dico, qui paſcebat oues, & baculũ aſsiduò portabat, vt paſtoris inſigne: quinimo Iſraelitici populi dux, & Pharaonis Deus conſtitutus, adhuc baculum ſeu virgam referuat: Nuſquam ſine virga Moyſes. Percutitur Ægyptus, virgam eleuat Moyſes: ſcinditur Mare, virga erigitur: aquæ vertuntur in ſanguinem, virgæ miniſterium apparet: ranas & cyniphes educit, virgam adhibet: Et quidquid miraculorum, prodigiorumque patraturus aggreditur, id ſine virga non audet, nec peragit. Vt quid frequens adeo virgæ vſus? Non poterat Ægyptios non adhibito baculo profligare? Poterat certè: noluit tamen paſtoritium inſtrumentum, & artis, quam exercuerat, inſigne relinquere; eo enim præclariſsimas de proſtrato hoſte victorias non vanus augur conſequi ſperabat, vt egregiè meditatus eſt Baſilius Seleuciæ Epiſcop. orat. 16. *Neque*, inquit, *cùm ab ouibus oculos Moyſes amouiſſet, artem paſtoritiam deſijt: ſed comprehenſa virga elementis imperabat*. Dũ enim quiſque intra artis ſuæ limites ſe continet, innumera Dei beneficia cõſequitur. Tantum apud ipſum valet animi moderatio, qua vocationem ſuam amplectẽs, in ea perfici ſtudet; nec arrogans alienæ profeſsionis inſtituta rimatur.

Baſil Seleuc.

Hinc laudanda mihi venit optimi Latronis prudentia: quippe cùm furandi artem exercuerit viuens, eandem moriturus ſtuduit retinere; & Chriſti in cruce pendentis lateri adhærens, cum ipſo ſalutis ſuæ negotiũ peregit, æternamque beatitudinem furto abſtulit clariſsimo: vt egregiè ponderauit ſanctus Gregorius Nyſſenus orat. de ſanctis Quadraginta Martyribus. *Quamquam*, inquit, *non ſponte ſua Latro ad crucem acceſsit, ſed poſtquam prope ſalutem fuit, animaduertit acutus & ingenioſus fur theſaurum; & nactus occaſionem, vitam rapuit, arte furandi pulchrè & ſolerter abuſus*. Hæc ille: Et quidem magnam habent emphaſim illa verba, *Vitam rapuit, arte furandi pulchrè & ſolerter abuſus*. Noluit diſertus Latro noua tentare officia: ſolet enim profeſſores nouitios fallere non aſſuetum artis experimentum: ideo ad veterem artem, cuius normas perfectè callebat, ingenioſus recurrit, occaſionem, quam nactus fuerat, minimè negligens. Mirâ ſolertia, ait Gregorius, furtum commiſit inuidendum: *Et nactus occaſionem vitam rapuit arte furandi*.

D. Greg. Nyſſen.

Vidiſti aliquando pueros mira rapacitate, & furandi ſolertia prędítos, in foro circumcurſantes, Cauponarum tectorijs prædæ inhiantes

hiantes

Digitized by Google

hiantes aſſidere. Illæ caniſtris omnipomorũ genere refertis circunſeptæ in omnes partes excubant, & furunculos, adhuc ad prędam immotos propellunt: expulſi ſecedunt paulisper, ac inter ſextam & nonam horam cùm ſomnus Cauponarum oculos furtim irrepit, caputque demittit, proſiliunt ipſi, & nacta occaſi. pulchriora poma ſagaciter deprędantur. Talem ſe præbuit Dymas. *Et nactus occaſionem vitam rapuit arte furandi*. Aderat ille, & æternæ vitæ pomum deprędaturus inhiabat: cùmque inter ſextam, & nonam horam Chriſtum inclinato capite, & oculis mortis ſomno preſſis inſpexiſſet; mira ſolertia occaſione vtens, animæ ſalutem furto abſtulit. *Et nactus occaſionem vitam rapuit, arte furandi pulchrè & ſolerter abuſus*. Quapropter non immerito dictum ab Auguſtino ſerm. 120. de tempore: *Quem ſaluti culpa perdiderat, perditio inuenit, cruciatus abſoluit, damnatio conſecrauit: ſed non ſine cauſa tantum meruit*. (D. Aug.) Quodnam iſtud fuit Dymæ artificium promerendi? Non aliud, ait Auguſtinus, quàm furandi officium. Quanto plagata humanitas inter probra & iniurias Diuinitatem amplius occultabat; tanto acutiùs Dymas & artis ſolertia & fidei lumine illam intuebatur. (D. Aug.) *Feruebat*, inquit, *impietas perſequentium, exultabat impietas blaſphemantium; Contritio, liuores, & vulnera Chriſtum ſolum hominem demonſtrabãt*. Et infra ſubijcit: *Illiſa per latus lanceæ tremenda percuſsio, quantum oſtendebat hominem, tantum abſcondebat Deum. Apoſtolis poſt Diuina miracula deſperantibus, ſolus hic nõ acquieſcit ſcandalo crucis & mortis: ſolus hic teſtis eſt maieſtatis, qui ſocius probatur doloris: & ideo adhuc in latrocinijs poſitus, inuiſibilem Deum Angelicis iam oculis videt*. Expendẽdum eſt illud, *Et ideo adhuc in latrocinijs poſitus*, maximè verbum, *adhuc*; quo etiam vtitur S. Lucas, Sauli in perſequenda Eccleſia cõtumaciam (Chryſoſtomo teſte) monſtraturus: *Saulus adhuc, &c.* Vt verò Auguſtinus perſeuerantiam, quam in ipſa morte Dymas retinebat in arte furandi, paradiſum fæliciter deprędatus, exprimeret; eodem vſus eſt verbo: *Adhuc in latrocinijs poſitus:* noluit enim moriẽs artem deſerere, quam viuens exercuerat; & qua furandi quondam calliditate valebat, eodemmet officio, quo ſe perdiderat, fælicisſimè reſtituit.

Quin etiam Magdalis eadem inſtrumenta, quibus perditionem ſibi conflauerat, ad comparandam ſalutem, prudenter conuertit: oculos, capillos, manus, os, per quæ, veluti feneſtras intrauerat culpa, in ſcalam conſtruxit, qua ad cælum parauit aſcenſum. Proh laudabile priſtinæ artis in-

me-

melius commutandæ mulieris ingenium! Cerne oculos laſciuiam primum, & libidinem ſpirantes; nunc vberrimo lacrymarum profluuio irriguos. Inſpice capillos, turpia quondam decoris inſignia, & Dæmonis ad luxuriam incitamenta, ac animarum retia, in linteum verſos, quo Chriſti pedes abſterſit: Manus, & os, quibus ad turpitudinem vtebatur, iam mutatis vicibus in Saluatoris ſui, & veri ſponſi Ieſu obſequiũ contulit.
Luc.7. *Lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Luc.7.
Gregor. Audi Magnum Gregorium in Catena; vbi felicem hanc mutationem breuiſſimè connectit. *Quot*, inquit, *in ſe habuit oblectamenta, tot in ſe inuenit holocauſta.* Et verò rationi conſentaneum, vt 6. ad Rom. 16 hortabatur Apoſtolus, vt ea quæ in vſum prauitatis contulimus, ad virtutis exercitium conuertamus: atque in arma iuſtitiæ adaptemus, quæ quondam peccati arma extiterant.
Ad Roman.6. *Sicut enim*, ait, *exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* At verò qua ratione hoc fieri poſſit, ad hũc locum docuit ſanctus Hieronymus
D.Hier. dicens: *Vt oculus qui ante videbat ad concupiſcendum, nunc videat ad veſtiendum pauperem.* Quaſi dicat: Oculi, qui antea fœminam aſpicientes auro gemmiſque ornatam, cor ad libidinis concupiſcentiã excitabant: nunc pauperis nudi membra cernentes operimentũ quærere perſuadeant. *Sic de reliquis membris aduerte*, concludit ſanctus Pater. Ita quod eadem inſtrumenta, ſenſus iidem, ars, & officium, quibus Dæmonis quiſquam deſeruijt, ad Dei ſeruitium conuertat; & quæ admittendis ſceleribus immundus adhibuit, ad mundandam conſciẽtiam, & abſtergendas animi labes, pœnitens conferat.

Mirum eſt, huiuſmodique inſtituto aptiſſimum, quod tribus Magis accidiſſe memorat Euangeliſta. Ex Oriente profecti, Chriſtum recens natum adoraturi, ſtellam ſequuntur, atque ad ipſius motum viam dirigunt: Quinimo non aliunde, noui Regis natiuitatem ſe agnoſcere profitentur, quàm quòd exorta ſtella inſolito ſplendore, & fulgentibus radijs, itineris facta ſit dux, & natiuitatis magiſtra. *Vbi eſt qui natus eſt* Matth.2. *Rex Iudæorum? vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum:* Matth. c. 2. Quis hoc crederet? & ſydus illud Magis ad ſuperſtitionem potiùs ſeruiturum, quàm ad veritatem & ſalutem animæ conquirendam non exiſtimaret? Vt enim erãt Aſtrologię cultores, & incurſibus aſtrorum ac influxibus contemplandis verſabantur; vbi non minùs errat humanus intellectus, quã ſydera

ſint

ſint errantia: vbi nihil certum rerum exitus edocet; vbi tam mendax prædictio, quàm vana eſt obſeruatio; Quomodo fieri poterat, vt illic veritatem reperirent, ſtellæque ducatu vterentur? At voluit Deus, vt ſolito acumine vidit ſanctus Chryſologus, Magorum exemplo doctrinam hanc ſtabilire: vt eâdem arte qua primùm in errorẽ inciderant, deſertâ erroris viâ ſequerentur veritatem (vt etiam Latroni contigit) & aſtrorum contemplatio, quæ fuerat erroris occaſio, Magiſtra fieret veritatis. *D.Chryſ.* *Et quia ſe in cælo*, inquit, *diu cùm aſtris errantibus videt erraſſe, gaudet in terra ſe ad Deum ducatu vnici ſyderis perueniſſe*. Ita ille ſerm. 160. Poterat, fateor, Omnipotens hos Reges Aſtrologiæ peritos, alio ductore, citra ipſorum artẽ pertrahere vel aliter abſque ſyderis ductu in Bethleem perducere: noluit tamen, vt innueret quàm gratum ſibi eſſet, vt quiſquam in ſuo permaneret officio, & vocationem immobilis amplecteretur, aliò neutiquam diuertens: ſiquidem arte, qua Dæmonem conquiſiuit, Deum quærere poteſt; & ſcalam, qua verſus infernum præceps agebatur, ſurſum inuertere, vt in cælum properet aſcenſurus.

Mirabilis planè eſt fœminæ Samaritidis conuerſio: Quippe cùm humilis eſſet mulier & abiecta, ſicut eius denotat officium, & quotidie ad puteum pergeret aquam portatura: Fallor, niſi hoc mihi innuit hora, qua pergebat, & qua Dominus Ieſus animarum feruidus auceps illam ſupra fontem ſedens expectabat. Audi Ioannem cap. 4. *Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem, erat autem hora quaſi ſexta. Venit autem mulier de Samaria haurire aquã.* *Ioan.4.* Nec fruſtra ſextæ horæ meminit Euangeliſta; ſed innuens nullam fœminam eo tempore, cùm vrgeret æſtus, ad puteum venturam eſſe, niſi id parandi victus, & proprij officij cauſa agere conſueuiſſet; quid ergo mirum, vt ſolitum exequens officium, in eodem fonte aquam ſalientem in vitam æternam inueniret, quæ vt temporalem hauriret, hydriam deferebat; & Chriſtum ibi expectantem inueniret? *Sedebat ſic ſupra fontem*. Vt verò aquam viuam audiuit, ex aqua ſibi propter officium nota coniecit, quanti illa facienda erat; & promptior facta, reſtinguendæ perpetuò ſitis, & leuandi laboris cupida, aquam poſtulat dicens: *Da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire*. Vides vt aqua & fonte, quæ ſibi familiaria erant, nominatis, *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; illico mente euolauit altiora præſumens. Er quamuis, vt notat Chryſoſtomus homil. 31. in Ioan. Chriſtum de materiali aqua primò lo-

cutum

cutum exiſtimaret, ſubitò ſpiritualem aquam meditata cognouit ſalutem ſibi in aqua parari;vt quæ tractando aquam, temporalis vitæ quærebat remedium,in eodem exercitio ſalutis eternæ beneficiũ
D. Chryſ. inueniret. *Audita*, inquit, *aqua viua, ſenſu perceptibilem exiſtimauit:tandem ſpiritualem intelligens,credidit huiuſmodi aqua poſſe tollere ſitis neceſſitatem, non tamen adhuc quænam eſſet intelligens ambigebat*. Hæc Dei voluntas, hoc conſilium, vt quiſque in ea arte exercitioque perſeueret, ad quod ſuperna vocatione fuit deſtinatus. Neque enim omnia poſſumus omnes. Norit quiſque donum à Deo conceſſum,& quantum ſibi natura indulſerit, metiatur, nec ei violentiam inferat, ſed genium ſecutus perficere ſtudeat quod accepit: Nam, vt optime adnotauit Lipomanus ad cap.36.
Lipoman. in Exod. cap.36. Exod. *Rarus eſt qui non inſigni aliqua gratia, præter alios donatus inueniatur, qua maxime & Eccleſiam iuuare poſſit, & miniſtrare Chriſto*. Quod mulierum firmat exemplo, quas Moyſes ad tabernaculi fabricam vocauit, vt pilos caprarum nerent, indeque ipſius tabernaculi operiměta contexerent. Et verò hac ratione variæ vt plurimum dotes in ſingulis reperiuntur: hos enim eloquentia, alios ingenio, hos gerendorum prudentia, adminiſtrationeque præcellentes videbis: rurſum hos Philoſophia inſignes, alios Iuris prudentia claros, in fabrili nonnullos, in pictura alios,in piſtoria plurimos excelluiſſe deprehendes. Quin etiam in vna eademque arte,verbi gratia ſculptoria, quidam in hoc, alij in alio ſculpturæ genere præſtiterunt: & idem de cæteris artibus eſto iudicium. Iam verò gratia in virtutibus, & ſupernaturalibus animarum dotibus ſuum etiam ordinem ſeruat. Hinc Dei ſeruos oratione quoſdam,humilitate alios,hos charitate, alios rectitudine videmus excelluiſſe. In his floruit caſtitas, in illis virginitas ſicut liliũ germinauit. Tandem mortalium corda, vt ſolerter aduertit S. Gregorius homil.10. in Ezechiel.telluris regiones æmulantur, quæ non eoſdem fructus progenerat: vnde eſt illud ſatis tritum: *Non* D. Greg.
omnis fert omnia tellus. *Hoc itaque*, inquit,*omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque vnicuilibet regioni omnes fructus tribuere; ſed ſi vna quælibet regio alterius regionis fructu non indigeret,communionem cum altera non habuiſſet. Vnde fit vt huic vini, alteri verò olei abundantiam tribuat; hanc multitudine pecudum, illam vero vbertate fructuum abundare; vt cùm illa deſert quod iſta non habet,& iſta reddit quod illa non detulit, per communionem gratiæ ſibi inuicem etiam diuiſæ terræ coniunctæ ſint. Sicut ergo regiones terrarum, ita*

ſunt

ſunt mentes Sanctorũ, quæ dñ viciſſim ſibi conſerũt quod acceperũt quaſi fructus ſuos regiones regionibus impẽdũt, vt in vna omnes charitate iungantur. Hactenus ille.

§. PRIMVM.

Vocationis ſuæ rationẽ vnuſquiſque attendat, in eaque perſeueret: vbi Petrus aliud quoad ſpeciem agens defenditur.

ATtendat vnuſquiſque vocationis ſuæ rationem, & an liberalibus diſciplinis, vel potius mechanicis artibus deſtinetur. Quòd ſi virtutes reſpiciat, ad cuiuſnam virtutis exercitiũ propendere ſe ſentiat vigilanter diſcutiat; omnemque animi conatum illuc transferat, animi terram excolens; vt fructus, quos ſponte, vel ſupernæ vocationis beneficio protulerat, maiori feracitate producat: certus omnino Dei gratiam, cæleſteque auxilium non defuturum; quinimo germinãtes virtutum fructus, infuſo deſuper cæli rore, fouebit, & difficultatum obſtaculis generosè conculcandis vires ſuppeditabit.

Illud autem Dei vocationem ſequentibus incredibile affert ſolatium, quòd neminem Deus vocat, quem in ipſo vocationis articulo non corroboret: quin etiam ipſamet Dei vocatio noſtrarum actionum eſt firmamentum. Quapropter nemo cùm ad obeundum munus aliquod à Deo accerſitur, vires ſibi defuturas exiſtimet, vt illud impigrè viriliterque exequatur. Memorat Eſaias cap. 6. ſe à Deo vocatum, vt legatione fungeretur: quam Prophetæ, quaſi cum alio ageret, proponẽs, *Quem*, inquit, *mittam, & quis ibit nobis?* *Iſai. 6.* Vix interrogationem hanc audierat Eſaias; cùm ſubito animoſior factus, & robuſtior, obeundæ legationi habilem ſe reputans, iuxta Septuaginta verſionem, reſpõdit: *Ecce ego ſum, mitte me*. Emphaſim habet illud, *Ego ſum*; quod proprium eſt Diuinæ ſtabilitatis & firmitudinis argumentum. Et verò quoties Deus creaturam vocat, vt ea tanquam inſtrumento ad magnarum rerum operationem vtatur; hoc ipſi firmamẽtum ac ſtabilitatem quodammodo impertit, infractam reddens ac immobilem, vt diſertiſsimè D. Hieronymus expẽdit epiſt. 144. *D. Hier.* *Deus*, inquit, *qui vocat ea quæ non ſunt, quaſi ſint: & qui dicit, Ego ſum qui ſum, quoſcunque vocauerit, ſtatim facit ſubſiſtere*. Vnde qui antea humana fragilitate & inconſtantia mobiles ad ſubſiſtendum, & infirmi erant ad operandum: cùm primùm vocantur, vt vocationis metas contingant, ſoliditatem, ac Dei æmulam recipiunt ſubſiſtentiam. Diſcat igitur creatura vocanti ſe Creatori obtemperare, nec propriãm imbecillitatem cauſetur: ſiquidem ab eo vt ſtabilis, & firma ſit, in ipſa vocatione largiſsimè recipit.

Digitized by Google

Admiranda prorſus mihi videtur, & notatu dignißima Sponſi adiuratio, qua Sponſę ſodales obnixè rogat ne dormientem Sponſam excitent, aut præ ægritudine laſſeſcentem prouocent ad laborem. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* Cantic. 2. Vidiſti Spõſum de dilectæ ſomno quieteque ſolicitum: cerne modò contrarium: nam cùm amicas dudum adhortaretur, vt quieſcentem ſomno frui ad ſatietatem vſque permitteret, ipſe exſuſcitat, atque ad laborandi exercitium compellat, & prouocat; nec itineri conficiẽdo moras opponere, aut ęgritudinis, vel infirmitatis obſtaculum permittit obijcere. *Surge, propera amica mea, colũba mea, formoſa mea, & veni.* Mirabetis cur modò, vt ſurgat hortatur, *Surge*, qui antea amicas ne ſuſcitarent obteſtabatur? & quomodo prouocet ad laborẽ, *Veni*, quam molli ſomno quieſcentem & laſsã excitari minime patiebatur? Audi Bernardum ſerm. 58. in Cant. non tam verba quàm mella fundẽtem. *Non parũ*, inquit, *confortat, quod audit, Surge & veni. Quid enim difficile illo comite ſibi reputet? Pone me, inquit, iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* Vides quãtum roboris languenti animæ tribuat diuina vocatio, quam tibi verba illa proponũt, *Surge, & veni.* Siquidem vocari ſe ſentiens, atque ad properandũ adhortari, nõ dubitat: ſed ſpreta lectuli quiete montium iuga tranſire, & colliũ aſperitates calcare, generoſa pariter, & laboris ſtudioſa, contendit.

Cant. 2. *D. Bern.*

Cæterùm illud Diuinæ vocationis vires oculis clarius obijcit, quod ſolito acumine S. Chryſologus inſpexit, verba illa Saluatoris expendens, quibus apud Ioan. 11. Lazarum è tumulo reuocauit. *Lazare veni foras.* Tantum namque virtutis collocauit in verbis, vt nõ ſolum mortuo vitam reſtituerent, ſed Tartarum vniuerſum pauore concuterent, ne audita Chriſti voce mortuum reddere cunctaretur, timens ne in moræ, quam Chriſti imperio oppoſuerat, pœnã, reliquis mortuis ſpoliaretur. *Tunc Tartarus*, inquit, *ligatis manibus & pedibus, Lazarum retulit ad ſuperna: timens & tremens, ne dũ ſoluit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert vnum, omnes cogeretur afferre: ſic factus eſt viuorũ relator, qui raptor eſſe conſueuerat mortuorum.* Hæc ille ſermon. 65. Itaque dum vides Lazarum funebribus inuolutum adhuc & ligatũ, vitæ redditũ, Dæmonis ingenium agnoſce, qui diuinæ vocationis vim ſentiẽs, immorari nõ audet, ne vinculorũ laxatio Diuini imperij renitentia videatur; & qui Lazarũ voce potentißima compellatum non illico reddiderat; *Lazare veni foras*; reluctantiæ pœnam ſuſtinens, quos apud ſe mortuos retinebat, ſtatim redderet. En dum

Ioan. 11. *Chryſol.*

mor-

Digitized by Google

mortuum reſtituit Tartarus viuis, Dei vocationi obtemperandi documentum inſtillat. Audiat & ſequatur Chriſtianus illud Pauli ex 2. ad Corinth.cap.6.n.1.recolens: *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Gratia quidem eſt Dei vocatio, quam fruſtra nòn accipere nos admonet:hoc eſt,ait,S.Anſelmus, vt illa accepta laboremus, nec vacuam in nobis eſſe permittamus;aliter fruſtra recepiſſe iudicabimur. Quinimo fieri poteſt, vt in pœnam vſuræ non redditæ, inutiles &.infructuoſi, ac ad pœdum obdurati inueniamur, iuxta illud Dauidicū ex Pſal.94. n.8. *Hodie ſi vocem eius audieritis,nolite obdurare corda veſtra.* Quid igitur? Deum hodie non audijſſe, tantūdem eſt,ac in duritiē abijſſe? Tantundem plane. Proh tremendum iudicium,non tamē nouum; quoniam illud iam Dei vindicta contra Pharaonē exercuit. Secundò Moyſi præcepit Deus vt Pharaoni loqueretur: dicens,*Ego indurabo cor eius.* Exod.7.n.3.Hoc eſt, te verba faciente,ego indurationem immittam: & ita factū refert illico ſacer textus: *Induratumque eſt cor Pharaonis & non audiuit eos.* At dices:Quî fieri poteſt,vt quia primò Deo per Moyſem loquente non paruit, ſecūdò cùm audit,omnino lapideſcat?Ita planè. Sed cur iterum Miniſtros Regem alloqui iubet, quos nouerat non audiendos? Fallar, niſi vt Regis obſtinatio magis innoteſcat, & cor illud induratum ad aliorum eruditionem inſeruiat: vt quātum adſit periculi cognoſcāt, cùm Deo primò vocanti non obtemperāt, fruſtra Dei gratiam recipientes & Apoſtolicæ adhortationis contemptores, *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Huc vſque Petri ignorātia prouecti appulimus,qui Timothei Antiocheni iudicio, piſcatoris gratiā videtur fruſtrarecepiſſe,dū de piſcatore architecti obſequiū,priſtinæ artis deſertor,& ignarus, pollicebatur. *Neſciebat Petrus quid diceret.*

Corinth. 6.n.1.

Pſal. 94.

Exod. 7. num. 3.

Luca 9.

Non poſſumus tamen non Petrū etiam in hac parte defēdere: quāuis iam in primis huius Archielogij capitibus communem cauillis omnibus defēſionem oppoſuerimus. Peculiare eſt ab omnibus, quod Timothei ſententia Petro impingit,videlicet, ex piſcatore architectū fieri voluiſſe: vbi altius quàm verba ſonant mihi videtur locutus,Abrahamo non abſimilis, cùm de victima rogatus à filio,reſpondit: *Dominus prouidebit ſibi victimam.* Geneſ.21. Admiranda eſt reſponſi profūditas. Quis queſo, Abraham Diuinæ huius prouidentiæ rationem te edocuit?vnde nam hauſiſti ſapientiam adeo profundam?Dei Spiritus,inquit, S.Ephræm in Ionam, Patriarchæ linguā mouit,vt quæ ignorabat verbis proderet,& vētura prędiceret. *Lingua Abrahæ plus nouerat quā cor: manebatq.mens eius otioſa & lingua vaticinabatur.Os cū ſoleat*

Geneſ.21

S. Ephr.

à corde addiſcere; hic cor edocetur ab ore myſteria futura. Pari ratione Petrus, etſi in Thabor, *neſciẽs quid diceret,* de tabernaculis locutus fuerit; attamen ſublimia protulit, & valde profunda, vt ex eo conijcies, quòd non de vno tãtum, ſed de pluribus dixit, *Faciamus:* etenim diuinus Amor, ac ſapientia Petrum erudiuit, Chriſtũ vt verum Architectum, Orbiſq. conditorẽ haud difficulter tabernacula poſſe conſtruere; cui tanquam ſarcinarij materiæ deferẽdæ Petrus & alij deſeruirent; Et, ni fallor, hoc præcauens, Præceptoris beneplacitũ requiſiuit dicens: *Domine, ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Et quidem, vt aduertit Abulenſ. quæſt. 72. in Matth. Tabernaculorum diuerſitas, præmiorum differentias denotabat. *Tot,* inquit, *ſunt tabernacula, quot ſunt differentiæ Beatorum: Vnde Chriſtus dixit Ioan. 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Dum ergo Petrus tria requirit tabernacula, multiplices pro beatis manſiones in cælo futuras prædicit. Vel, vt optimè S. Antonius de Padua ſerm. 1. de transfigur. ſententiam Apoſtoli exaltans ait: *Vide ò Petre quam profundè locutus es: nã Deo tria ſunt tabernacula facienda: vnum in memoria; & hoc eſt tabernaculum legis Moyſis: aliud in intelligentia; & hic eſt Elias Propheta: tertium per voluntatem & amorem: & hoc eſt triplex tabernaculum; vt ſibi præparet totam animam per deſiderium, totam mentem per deuotionem, totum cor per amorem.* Atque adeo poſtulatio illa vaticiniũ fuit. Vnde licet in corde neſciret quid ore prompſit; *Neſciens quid diceret:* ſublime tamen fuit locutus. Quapropter ipſius linguæ adaptari poteſt elogium, quod de Abrahami lingua ſcripſit Ephræm. *Lingua Petri plus nouerat quàm cor, manebatque mens eius otioſa, at lingua vaticinabatur.* Et ideo tria tantùm popoſcit tabernacula, Chriſto, Moyſi, & Eliæ, poſthabitis Iacobo & Ioanne, quin etiam ſui immemor, quibus totidem petere potuiſſet: Senarius enim erat illius Theatri numerus. At verò Petrus in ea poſtulatione illos tantùm reſpexit, quibus iam ſecura erat in cælis habitatio, Chriſtum videlicet, & Moyſem, quem mors Deo gratum abſtulerat: & Eliam inter viatores neutiquam numerandum, atque adeo de remuneratione ſecurũ. Longè alia ſociorum, & Petri ſors erat: quippe cùm in via adhuc eſſent, euentũ ignorabãt & an cæleſtibus digni forent tabernaculis neſciebant. Igitur quaſi vaticinata Petri lingua, in ternarium tabernaculorum numerũ impegit: *Faciamus hic tria tabernacula,* Matth. 17.

Luca 9. — Matth. c. 17. — Abulenſ. — Ioan. 14. — S. Anton. de Padua — Luca 9. — S. Ephr. — Matth. cap. 17.

Niſi fortè velis, quod arriſit Carthuſiano ad c. 17. Matth. prædicta verba expendenti, videlicet

Petrum tabernaculorũ numerum augere noluiſſe, quia apud ſe ſtatuerat vt bini & bini in tabernaculis morarentur, ita quòd Iacobus & Ioannes cum Moyſe & Elia, & ipſe cum dilectiſsimo ſibi Præceptore in vno tabernaculo ſe teneret. *Quare*, inquit, *non dixit, faciamus hic ſex tabernacula?* Reſpondit; *quia putauit in illis tribus tabernaculis, ſe & duos diſcipulos recipi poſſe, ac commorari: ſic tamen, vt ipſe eſſet in tabernaculo ſui Magiſtri chariſſimi.* Eadem eſt etiam Lyrani ſententia ad eum locum. *Non loquitur*, inquit, *de tabernaculo faciendo pro ſe & ſocijs ſuis: quia volebat cum Chriſto eſſe in ſuo tabernaculo, & ſocij ſui cum alijs duobus*. Et fortè in præcellentiſsimæ charitatis remunerationem Petri votis annuit Chriſtus, tabernaculorũ ſtructuram aliter concedens, atque in aliud tempus reijciens. Siquidem, vt notauit Abulenſis q.64. in cap.17. Matthæi, poſtera ætate tria in eo loco exædificata ſunt tabernacula, ſeu delubra, & Monachorum Cœnobia, in Apoſtolicæ petitionis monumẽtum: quæ diu permanſiſſe refert Brocardus Theutonicus: ſed poſtea temporum iniuria communi ſubſtructionum interitu euerſa corruerunt. *Tamen poſtea*, inquit, *factum eſt in eodem mõte id, quod Petrus voluit: nam tria clauſtra Monachorum facta fuerunt ibi, quæ diu manſerunt, ſed poſtea omnia corruerũt, vt ait frater Brocardus Theutonicus libro ſuo de ſitu Terræ ſanctæ*.

Carthuſ. *Lyran.* *Abulen.* *Brocard.*

CAPVT VI.

In eo errat Petrus, iuxta Remigij ſententiam, quòd cùm ex ipſa Transfiguratione de rerum breuitate edoceretur, ipſe ibi ſine morte manere diu volebat, cùm ocyſſimè & mundi gloria, & Pontificum vita finiatur.

Mirificè ludit in hac materia Patrum calamus, multiplicique rerum varietate amænior ſolito luxuriat, etſi nullus, vt reor, nec etiam ex Neotericis, quiſquam aſſumptum huiuſmodi ex profeſſo tractauerit. At verò in hoc florũ faſciculo, ſeu catena aurea, quã adnectere conamur, pulchriùs floret, nitidiùſque irradiat S. Remigij ſentẽtia, quam D. Thomas in cap.17. Matthæi catenæ aureæ à ſe fabrefactæ eleganter inſeruit. *Errauit Petrus*, inquit, *quia oblitus eſt ſe, & ſocios ſuos eſſe mortales, & abſque guſtu mortis voluit ſubire æternam fælicitatem*. Petrum cepit mortis obliuio, in eoque eius ignorantia ſtetit, quòd ſine morte vellet apud Thabor perpetim fælicitatem illam intueri, *Neſciens quid diceret*. Et quidem, ſi Remigio credendum, grauis error iſte duabus potiſsimum de cauſis cenſeri debet. Prima, quia in illo gloriæ theatro, (qualem Thabor dixit

D.Thom.

Damaſc. S. Damaſcenus in oratione de Transfiguratione: *Tunc*, inquit, *cum cælo mons certauit; fuit enim quoddam cæleſtis gloriæ theatrum*; nihil Petrus inſpexit, quod interitum, rerum finem, & vitæ breuitatem non clamitaret: verba loquentium auſculta; transfigurati Domini faciem, & veſtes inſpice; & quidquid in ea actione apparuit meditare; ac mortis imaginẽ intueberis. Verba Chriſti mortem reſonabãt, de qua Moyſes & Elias cum Ieſu ſermonem habebant. *Loquebantur de exceſſu*. Facies Soli ſimilis mortem etiam referebat: *Reſplenduit facies eius ſicut Sol*; qui quotidie occidens inſignis moriendi pręceptor efficitur: vt enim homines moriendo viuere perdoceat, ipſe quotidie moriens, occaſus ſui ſepulchro feſtinus abſconditur *Sol*, inquit Di-
D. Zeno. uus Zeno hom. de reſurrect) *quotidie naſcitur, eademque die, qua naſcitur emoritur, nec tamen inſtantis finis ſorte terretur, vt ſuos retardet curſus: ſed fidelis ſemper intrepidus ad ſepulchrum noctis contendit, ſciens in ipſo ſe habere quod viuat*. Hinc Domino Ieſu de morte colloquenti facies in ſolem vertitur, vt ſol in facie nitens pectoris affectum prodat: & ſicut feſtinus & velox properat in occaſum, ita Dominus ad ſubeundam mortem feſtinabat, renuens in Thabor inter gloriç ſplẽdores detineri: *Intrepidus ad ſepulchrum noctis contendit*. Ideo Hieroſolymam moriturus aſcendens, ita alacer & generoſus reliquos prætergrediebatur, vt admirarentur: *Præcedebat illos Ieſus & ſtupebant*, ſicut ait Marcus Marc. 10. cap. 10. num. 31. Vnde tam noua, & inſolens feſtinatio? Spiritus ad moriendum promptè & hilariter impellebat. Et ideo inter duos latrones poſtea in crucem actus prior illis animum exhalauit, ſicut Eſaias cap. 53. prædixit his verbis, *Deſpectum & nouiſsimum virorum*; Iſai. 53. quæ ſeptuaginta ſic reddunt: *Et deficiens præter filios hominum*. Quod Eutymius in ſua Panoplia par. 1. tit. 8. de feſtinatione interpretatur, quia obijt ante quàm latrones, qui cum ipſo crucifixi fuerant, morerentur; vt ipſa moriendi celeritas feſtinationi reſponderet, qua ad moriendum Solis inſtat, ferebatur: & Solis interitus magiſtri, quem ore præferebat, feſtinatio, dum cum Moyſe & Elia de morte loquitur, inter duos latrones prius illis moriẽs, compleatur, ad occaſum ſepulchri celerrimus decurrens. *Intrepidus ad ſepulchrum noctis contendit*.

Chriſti etiam veſtimenta ex niue candicantia mortem & finem celerrimum prædicabant. *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*. Matth. 17. Matth. c. 17. Nix autem Soli proxima ſtatim diſſoluitur & contabeſcit. Atque adeo ſi Chriſtus Solem portat in facie, & veſtes nunc candicãt; quis ita hębes,

vt

vt non videat, iuxta naturæ legis niuem in illa Solis vicinitate ſtatim diſſoluendam? At verò Petrus Solem inter & niuem, moriẽdi documenta clariſsima, inter Eliæ Moyſiſque ſermones, qui mortem reſonant, & magnam illius gloriæ futuram breuitatem prænuntiant; mortem euadere, ac in Thabor gloria perpetuò frui meditatur, dicendo, *Bonum eſt nos hic eſſe*, vt aduertit Remigius; fallitur plane in deſiderio ſuo, & grauiter errat in verbis: vnde ab Euãgeliſtis damnatur, *Neſciens quid diceret*.

Secunda erroris cauſa eſt, quòd Petrus Pontifex cùm eſſet, mortẽ effugere, ac in eo mõte illius gloriæ commoditatibus perfrui exoptabat, Dei prouidentiam regimenque oblitus, quo mundi huius res omnes ita diſponit, vt Pontifices parum viuant, ac vt experimento diſcimus, breuiori vitę curſu quàm cæteri ſæculi Principes moriantur. Quod Petrus antiquæ legis Pontificum exemplo edoceri potuerat (quorum dignitas Põtificia ipſius Petri dignitatem figurabat) Et quidem, ſi Auguſtino fides eſt adhibenda quæſt. 82. & 83. in Leuit. breui moriebantur; nec vlla eos infirmitas plerunque ſuperabat; ſed repentinus interitus diſſoluebat. Quòd ſi in illa nouæ legis Pontificum vmbra mors ita præpropera graſſabatur; quid Petrus, vbi veritas aderat de celeritate moriẽdi timere debuerat, ne vitam in æternum producere, ac in monte beatitudine perfrui concupiſceret? Et quidem ipſamet Transfigurationis actio breuitate ſua Petrum edocuit, quàm breui ipſe & fortè ſucceſſores, vita fruituri eſſent: Et idem Petrus ſenſiſſe videtur, dũ epiſt. 2. cap. 1. num. 14. ita ſcripſit: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecũdum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi.* Hanc ex propria ignorantia Petrus vtilitatem decerpſit: dum enim mori recuſat, & in Thabor permanere ſtatuit, dicens, *Bonum eſt nos hic eſſe*; à Chriſto eruditur de vitæ breuitate; & quàm parum Pontificia dignitate fruiturus ſit, admonetur, vt diximus: & propterea correctionem accepit, ac in eo quod poſtulat, ignorantiæ damnatur, *Neſciens quid diceret*.

Quòd autem breuis futura eſſet Pontificum vita, in ipſa primi Eccleſiæ monarchæ vita ſignificatum eſt: nam Petrus, qui plus cæteris vixit, parum in ea ſede vixiſſe deprehenditur. Reliqui mirum eſt quàm breui obierint. Rogauit aliquando S. Petrum Damiani Alexander Papa II. cur tam breui Põtifices morerentur? *Aliquando*, ait, lib. 1. epiſt. 17. *à me requiſiſti, quæ mihi cauſa videretur, cur Apoſtolicæ Sedis Antiſtes nunquã diutius viuat, ſed intra breue temporis ſpatium diem claudat extremum; adeo vt poſt D. Petrum Apoſtolum, qui per quinque circiter*

Marginal notes: D. Aug. — 2. Petri cap. 1. — Matth. c. 17. — Lucæ 9. — D. Petrus Damian.

ter annorum luſtra præſedit, nemo poſtea Romanorum Pontificum præſulatus æquauerit. Modernis immo temporibus vix quiſquam in prædictæ ſedis culmẽ euehitur, qui metam quatuor vel vt multum quinque tranſcẽdat annorum; quod conſiderantibus nobis prodigialis, vt ita loquar, ſtupor oboritur. Ita Damian. lib. 1. epiſt. 17. & paulo poſt huius prouidentiæ rationem aſſignans ſubiungit. D. Dam. *Idcirco hoc iudicij cæleſtis ordo diſponit, vt humano generi metum mortis incutiat, & quàm deſpicienda ſit temporalis vitæ gloria, in ipſo gloriæ principatu euidenter oſtendat: quatenus dum præcipuus hominũ tam anguſti temporis compendio moritur, tremefactus quiſque ad præſtolandi ſui obitus cuſtodiam prouocetur, & arbor humani generis, dum cacumen, ac verticem ſuum tam facilè corruiſſe conſiderat, flatu concuſſa formidinis in ſuis vndique ramuſculis contremiſcat.*

Breues quidem in anguſtias Pontificum vitas concluſit Damianus, fateor, dum vltra quatuor quinque ve annos nõ extendit: in breuiores tamen mihi videntur coarctatæ, ſi Pontificum hiſtoriæ conſulantur. Antiquam memoriam replicemus, inueniemus procul dubio veteres aliquos Pontifices Anteros, Lucios, Xiſtos, Euſebios, Anaſtaſios, Bonifacios, Adrianos, Gelaſios, aliosque vix integrum annũ ſuo in Pontificatu expleuiſſe. Quid annum memoro, cùm ad breuiores periodos nonnulli contrahantur, qui nõ annos, ſed menſes attigerunt? Agapitus I. & Lucius II. menſes vndecim. Leo II. & Benedictus II. & Alexander V. menſes decem. Clemens II. & Bonifacius III. menſes nouem. Marcus huius nominis vnicus, & Ioannes XIV. & Ioannes XX. menſes octo. Stephanus X. menſes ſeptem. Stephanus IV. & Leo VI. menſes ſex: Celeſtinus II. & Innocentius V. & Celeſtinus V. menſes quinque. Ioannes XVI. & Ioannes XVII. menſes quatuor. Innocentius IX. noſtris temporibus, non multis ab hinc annis, menſes duos. Valẽtinus vnicùs, & Leo V. & Adrianus V. & Gregorius VIII. menſem vnum. Proh, quæ anguſtiæ tam amplo in Principatu! ſed alij tamen anguſtiores ad terminos coacti, non annos, aut menſes; ſed pauculos dies in Pontificatu impleuerunt. Leo XI. noſtro ſæculo, dies 27. Pius III. dies 26. Damaſus II. dies 23. Marcellus II. dies 21. Siſinius vnicus, dies 20. Celeſtinus IV. dies 17. Bonifacius IV. dies 15. Vrbanus VII. noſtra ætate, dies 7. Stephanus II. dies 4. O termini dominandi! qui etiam in extrema miſeria videri poſsẽt anguſti, quidni in ſuprema gloria anguſtiſsimi videantur?

Rectiſſimè igitur D. Bernard. in epiſtol. 237. Eugenium Papam

ad-

Digitized by Google

adhortatur, vt ex breuiſſimo ſuorum prædeceſſorũ dominatu ſuũ quoque ſimilem fore non vanus augur meditetur. *In omnibus*, inquit, *operibus tuis memento te eſſe hominem: & timor eius, qui aufert ſpiritum Principum, ſemper ſit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes aſpexiſti, ipſi te prædeceſſores tui tuæ certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant: & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum nuntiet tibi. Iugi proinde meditatione inter huius tranſeuntis gloriæ blãdimenta, memorare nouiſſima tua: quia quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequèris ad mortem.* Deſipuit ergo Petrus, qui inter tot moriendi documenta, quot audierat, & inter multiplices acceleratæ mortis imagines, quas in Thabor inſpexerat, quaſi ſe putaret immortalem, inibi ſemper aſſiſtere, & gloria frui precabatur, dicens: *Bonum eſt nos hic eſſe:* quapropter ab Euangeliſtis neſcius appellatur, *Neſciens quid diceret*. Et licèt ſucceſſores ſuos breuiſſimo temporis ſpatio adhuc non inſpexerat morientes; vidit tamen antiquæ legis Pontifices, in quorum vita tamquam in ſpeculo, ſuam cernere poterat breuiſſimè extinguendam: & ſicut illos inopina mors & feſtina inuaſit, ita etiam ipſum pari celeritate aggrederetur. Erras ò Petre, nec ſapis vitream eſſe humanæ vitæ conditiònem, quæ dũ ſplendet, frangitur, & inter ipſos ſplendores euaneſcit. Vt quid ergo ocyſſimè volantem, atque ad occaſum feſtinantem retardare contendis? Et tu quaſi adamantinus nõ luteus eſſes, mortis malleo non perfringi meditaris? Audi quid de te Marcus & tuus diſcipulus dicat: *Neſciebat Petrus quid diceret*. Marc. 9.

D. Bern.

Matth. cap. 17.

Luc 9.

Verùm, ne ſibi Imperatores & reliqui ſæculi Principes blandiantur, quòd ſolis Pontificibus & Eccleſiæ Monarchis citiſſimus immineat interitus, illos adhortatur idem Damianus lib. 1. epiſtol. 17. decumanis turbationum fluctibus magis obnoxios fore conteſtatus. *Sæculares*, inquit, *Principes, qui turbis popularibus præsũt, ſæpe gladijs perimuntur: nam, vt de multis paucos adhibeã, Caius, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, omnes iſti Imperatores per continuam ſunt ſeriem vnus poſt alterum principati, & excepto Claudio, cuncti ſunt vel hoſtilibus gladijs interempti: poſtmodũ quoque, ſicut Romana narrat hiſtoria, Marcianus, Antonius, Alexander, Maximus, Gordianus, Decius, Gallus Voluſianus, omnes hi ſeriatim ſibimet per continuum ordinem ſuccedentes gladio trucidante proſtrati ſunt.* Et lib. 7. epiſt. 5. multo plures commemorat Imperatores, qui improuiſa morte ſublati ſunt: quin etiam addit, ex Romanorum monu-

Marc. 9.

D. Petrus Damian.

monumentis cõſtare pauciſſimos Reipub. illius principes communi morte periiſſe. Tandem Romani Imperij lumina, & Martis fulmina, Cæſarem & Pompeium producit in medium, & commemoratis vtriuſque victorijs, infælici exitu vitam concluſiſſe teſtatur. *Pompeius*, inquit, *duobus & viginti Regibus in Oriente ſuperatis, tandem vilis Achillæ gladio detrũcatus occubuit: Cæſar etiam, quem victoriæ cupidum totus occiduus orbis ſatiare non poterat, cui velut quidã contradictionis obex, vt ita loquar, importunus & arrogans Oceanus obſiſtebat; cuius ora flammantia innumerabilium ſtrages gentium non complebant; Senatorios intra Curiam gladios pertulit, à quibus vtique viginti duabus plagis confoſſus perijt.* Deinde commemoratis pluribus exemplis Imperatorum, ac etiam Imperatricũ, Cleopatræ, Semiramidis, addit: *Cùm ergo fallax huiuſmodi fælicitas tot calamitatibus ſit obnoxia: cùm potentia temporalis tot caſibus varianda ſubiaceat, & rerum ordo ſeſe, velut ſcœnicæ vertiginis alternitate, confundat; Quis ſanæ mentis à rebus tam friuolis tamque fugacibus animum non auertat?* Quapropter, rebus prudenti æſtimatione perpenſis, nihil regno infelicius ſtatuendũ. Maximè laudandũ arbitror illud Adriani VI. epitaphium, in cuius ſepulchro, referente Pãuinio in Vitis Pontificum, hæc paſſim legenda viſebantur.

Panuin. poſt Platinam.

HADRIANVS VI.
HIC SITVS EST.
QVI NIHIL SIBI INFELICIVS
IN VITA
QVAM QVOD IMPERARET
DVXIT.

De Leone verò XI. compertum eſt, iam iam moriturum non ſine doloris ſenſu confeſſario dixiſſe: O quàm mihi ſatius foret Monaſterij oſtiarium egiſſe, quàm cæli claues tenuiſſe. His & alijs Põtificibus Franciſcum Quignones ab Angelis, tituli S. Crucis Cardinalem, non minus Galero quàm Thyara virtutibus dignum, & Seraphici Ordinis Protectorem annumero. Is Angelorum Prouinciæ in Hiſpania alumnus cùm eſſet, totius Ordinis Generalis Miniſter communi ſuffragantium aſſenſu fuit renuntiatus: In quo munere rara & Superioribus æmulanda præbuit virtutum exempla. Nam recollectionis domos in vnaquaque Prouincia inſtituit: Vnde Angelorum Prouinciæ recollectiones ſuas Seraphicum Ordinem debere, quis neget? Vniuerſum Ordinem nudis pedibus ambulando inuiſit; ac omnibus virtute magis quàm dignitate ſtuduit anteire. Apud magnos Principes, ſummoſque Pontifices magnarum merito virtutum gratiæ plurimum & authoritatis cõciliauit. Vnde in Hiſpania apud Cæ-

ſarem:

ſarem: in Italia apud Clementem VII. de rebus grauiſſimis legatione præclariſsimè functus eſt. Tẽpore quo à Cæſaris exercitu capta Vrbe & direpta, Clemens VII. apud Adriani molem tenebatur, Quignones Pontificẽ inuiſit, qui eo inſpecto Angelum ſe vidiſſe teſtatus, (quidni talis Angelorum Prouinciæ alumnus appareret?) ad Cæſarem Legatum miſit. Cùmque per mare iter arriperet, à Pœnis captus, magna ſuſtinuit tormenta, donec mirabiliter ereptus Romam regreditur: Cardinalis creatur, iterumque pro eadẽ legatione in Hiſpaniam remittitur: qua fęliciſſimè peracta in Vrbem ſe contulit, vbi vſque ad Pauli III. tempora, à quo etiam in Germaniam miſſus, vitam protraxit, omnibus virtutũ omnium factus ſpeculũ, ad quod conuerterentur. Quidni Franciſci vita reliquarum perpetua cenſura, & linea foret, ad quam dirigerentur? quoniam in aſsidua mortis meditatione, æternitatiſque expectatione agebatur, vt prodit epitaphium, quod viuens adhuc ſepulchro inſcripſerat.

FRANCISCVS QVIGNONES
CARDINALIS S. CRVCIS
DE MORTE ET RESVRRECTIONE
COGITANS
VIVENS SIBI POSVIT.

Expecto donec veniat immutatio mea.

Imminentis interitus expectatione dolens mærensque, galerum & purpuram geſtabat, ipſam vitam reputans faſtidioſam: è qua cùm decederet, Frater Bernardinus de Haredo, eiuſdem Prouinciæ alumnus, virtute clarus, ipſius animam inter orandum magno circunfuſam ſplendore ad cælum euolantem conſpexit; ſicut in Vitis iconibuſque Pontificum memorat Victorellus. Quid? plures alij tum Pontifices, tum etiam Catholici Reges, inſtante morte, Thiaræ grauitatem, & Coronæ pondus agnouerunt. An ſerò ſapuerint, videt iſta Deus. Illud tamen homines aduertant, ſpecioſam hanc mundi pompam & ſæcularem illecebrã nihil aliud eſſe quàm inſipientium deceptionem: Vnde ſicut monet Damianus, *Quis ſanæ mentis à rebus tã friuolis tamque fugacibus animum non auertat?* *Victorell.* *Petrus Damian.*

Nec ſolos Pontifices, aut Gentilium Imperatores, violentus repentinuſque interitus præoccupauit: Principes etiam Catholicos huiuſmodi tyrannis inuaſit. Ita perierunt Federicus Imperator anno 1189. vt ſcribit Æmilius lib. 6. Philippus Princeps Galliæ, vt ſcribit Ritius lib. 2. Alexander III. Scotiæ Rex anno 1290. vt ſcribit Polydorus lib. 17. Caſimirus II. Poloniæ Rex anno 1370. vt ſcribit Crometus lib. 12. Alfonſus Infans filius Ioannis II. Regis Luſitaniæ, vt ſcribit Oſor lib. 1.

lib. 1. hiſtor. Regis Emmanuelis. Ioannes I. Caſtellæ Rex, vt ſcribit Mariana lib. 18. c. 13. & alij, quorum feſtina & improuiſa mors Regibus, Principibuſque ſuadet illud Oſee ex cap. 11. num. 1. identidẽ repetere: *Sicut manè tranſit, pertranſijt Rex Iſrael.* Et quidem Populi huius Reges, ac Principes funeſtiſsima violentæ, & præproperæ mortis exempla ad poſteros tranſmiſerunt.

Oſee 11.

Primũ edidit Saul Rex I. qui in monte Gelboe proprijs manibus confoſſus interijt. 1. Reg. 31. n. 4. Rex Ela à ſeruo ſuo occiſus 3. Regum 16. nu. 10. Rex Zambri cum domo Regia à ſe ipſo incenſus ibid. num. 18. Rex Syriæ Benadad à ſeruo ſuo ſtrangulatus 4 Reg. 8. num. 15. Rex Ioas à duobus ſeruis interfectus 4. Reg. 11. nu. 21. Rex Zacharias à Sellum filio Iabes percuſſus 4. Reg. 15. nu. 10. Rex Sellum talionem paſſus à Manahẽ filio Gadi ibid. nu. 14. Rex Phaceia filius Manahẽ à Phacee filio Romeliæ ſubito oppreſſus ibid. num. 25. Rex Phacee pari talione ab Oſee obtruncatus ibid nu. 30. Rex Amon à ſeruis ſuis in domo ſuà confoſſus 2. Paralip. 33. n. 24. Rex Ioſias à ſagittarijs vulneratus 2. Paralipom. 35. num. 24. & alij, in quos mortis furor licentioſe debacchatus oſtendit, mortalium nemini magis quam Regibus, ac Principibus violentam & inopinatam mortem eſſe formidãdam: cùm vt plurimum Regum palatia eorum ſanguine purpurentur. Talis enim eorum conditio eſt: *Feriuntque ſummos fulgura mõtes.*

§. PRIMVM.

Breuiſſima fuit apud Thabor gloriæ prælibatio: vnde vanus dãnabiliterque ignarus cenſetur, qui mundi huius gloriam ſtabilem fore arbitratur.

CLariſſimum Transfigurationis myſterium, non ideo præcipuè & primò à Domino Ieſu peractum fuit, vt corpori ſuo tantiſper indulgeret, ac animæ gloriam ipſi communicaret: nec ſeipſum tali actione reſpexit, quoniam remotis arbitris, & alibi, quã in Thabor, nemine inſpectante transfigurari potuiſſet: Minus etiã Moyſen, Eliamque attendit: ſiquidem, vt cenſuit D. Chryſoſtom. homil. 57. in Matth. idcirco in Thabor adducuntur, vt teſtes ſint, & Iudæos conuincant Chriſtum blaſphemiæ reum & Legis violatorem inſimulantes, cùm Moyſes legiſlator, & Elias latæ legis ardentiſsimus obſeruator & cuſtos ibi adſtiterint, & vterque omnium Domino famulatum, & clariſsimum integritatis innocentiæque præbuerit teſtimonium. Chryſoſtomi verba ſunt: *Quia enim continuè Ieſum accuſabant Iudæi tanquam trangreſſorem legis, & blaſphemum, Patris ſibi gloriam vſurpantem, vt oſtendatur ab* D. Chryſ.

vtraque accuſatione innoxius, eos qui in vtroque fulſerunt in mediũ adducit: etenim Moyſes legem dedit, & Elias pro gloria æmulator fuit. Quin etiam Transfigurationis ſpectatores Moyſem & Eliam, alterum adhuc viuum, alterum qui iam è viuis deceſſerat, idcirco elegit, vt ſe mortis ac vitæ dominum teſtaretur. Iterum do Chryſoſtomum. *Vt diſcãt,* inquit, *quoniam mortis & vitæ poteſtatem habet, propter hoc & Moyſem qui morte defecerat, & Eliam qui nondum mortem paſſus fuerat, in medium ducit*. Quærendus igitur finis præcipuus, & inueſtigandus eſt ſcopus, in quem Transfigurationis actio collimauit. Planè inuenit, & loco ſupracitato vidit Chryſoſtomus. Petrum, ait, D.Chryſ. Iacobum & Ioannem Chriſtus ſe transfigurans attendit: hos in fide ſtabiles atque ad ſuſtinẽdam paſſionem, & orituram inde gloriam amplectendam, de quibus Moyſes & Elias loquebantur, intrepidos & animoſos reddere deſtinauit: vt amoto poſtmodum mortis timore Chriſti Diuinitatem, quem ibi mortis & vitæ dominatorem inſpexerant, audaciſsimè prædicarent. *Vt*, inquit, *crucis gloriam oſtendat, & tam Petrum quàm reliquos, qui paſſionem formidabant conſolaretur & ad ſublimius erigeret. Non enim tacebant, inquit Euangeliſta, ſed loquebantur pro gloria quam completurus erat in Hieruſalem, de cruce videlicet ac paſſione: ſic enim ipſam ſemper appellabant*. Idem Chryſoſtomi placitũ tenuit D. Hieronymus in commentarijs ad illa Matth. verba ex cap. 17. *Et ecce apparuerunt Moyſes & Elias*: Matth. 17. vbi adijcit in vtroque editum fuiſſe geminum illud ſignum, è cælo, & è terra, quod Dominus Ieſus Iudæis petentibus denegauerat, modòque tribus inter cæteros diſcipulis amplius dilectis ad maiorem in fide ſtabilitatem augmentumque oſtendit. *Conſiderandum eſt etiam,* ait, *quòd Scribis & Phariſeis de* D.Hier. *cælo ſigna poſcentibus dare noluit: hic vero vt Apoſtolorum augeat fidem, dat ſignum de cælo, Elia inde deſcendẽte, quo conſcenderat; & Moyſe ab inferis reſurgente. Quod & Achaz per Eſaiam præcipitur, vt petat ſibi ſignum de inferno, vel de excelſo*. Ita ille.

Hinc iam coniectaberis qua de cauſa Virgo Sanctiſsima Transfigurationis ſpectatrix non adfuerit: Nam licet propterea Petrum, Iacobum & Ioannem ſpeciatim elegit, vtpote familiariores, in quibuſque præcipuarum virtutum fidei, ſpei & charitatis, ſine quibus ad Dei viſionem aditus obſeratur, firmamentum relinquere deſtinabat, vt à D. Antonio Paduano ſolerter excogitatum reperio S. Anton. de Pad. ſerm. 1. Domin. 2. Quadrageſ. vbi hunc in modum ſciſcitatur, & reſpondet. *Quare autem iſti determinatè? Reſpondetur, quòd ob maiorem familiaritatem cum*

Chri-

Chriſto ; ſpecialiter verò ad deſignandum quòd non niſi per ſoliditatem fidei,quæ in Petro : longanimitatē ſpei, quæ erat in Iacobo, & ſeruorem charitatis,quæ erat in Ioanne,ad diuinam viſionem perueniri poteſt. Quodſi hæc D. Antonij ratio cōſtat,iam cernes Deiparam præ cæteris deligendam, ſiquidem, & illis familiarior erat, & amore coniunctior, & praeterea fide, ſpe, & charitate longè præſtantior. Cæterùm cùm in perducendis ad transfigurationē Diſcipulis Chriſti conſilium fuerit gloriæ illius cōſpectu illos obarmare, & firmiſsimos reddere, vt abiecta formidine, nec de ipſius paſsione ſcandalum ſumerēt ; nec pro ipſo mortem oppetere vererentur: At verò ſanctiſsima Deipara hoc firmitatis ſubſidio non indigebat, quoniam mira ipſius fides, certiſsima ſpes, & ardentiſsima charitas fuit, quibus ad omnia generosè ſuſtinenda firmabatur. Vnde non oportuit vt prius in Thabor filiū gloria transfiguratum inſpectura duceretur ; quò poſtea cruci adſtans morte defiguratum immobilis intueretur filio commoritura, niſi ipſe, qui ſolus tunc mori decreuerat, matris vitā ſeruaret: & quamuis corporeo obtutu transfigurationem non inſpexerit, non dubito quòd oculis mentis myſterium illud viderit, eſto id nullus ſcripſerit; nec quemquam reperi,qui in quęſtionem vocarit, An Deipara transfigurationi adfuerit? nec Abulēſis,qui omnia penè ſcripturæ verba quæſtionibus diſcuſsit. Verùm non proinde tanti myſterij ſpectaculo caruiſſe arbitror. Vidit, credo,mente quod corporeis oculis non aſpexit: nec vana præſumptio iſta eſt,ſed pia credulitas, & maternæ dignitati debita pietas; Et cum Auguſt. ſerm. 32. de Sanct. tom. 10. *Maiorem affectum ibi debeo, vbi credulitatem meam cogit contemplatio,quàm vbi fidem hortatur opinio.* Quis autem Mariæ ſanctiſsimę pietati, contemplationi,magnitudini hoc deneget? Vt quoniam ob transfigurationis finem à Chriſto intentum,ſicut Petrus,Iacobus,& Ioānes, qui eo indigebant ſubſidio, non adſtitit: aliter tamen, & ſublimiori fòrs modo ea viſione frueretur: in qua nec alij nec Petro, claritatis dos, vt iam olim per mare ambulāti agilitatis dos, fuerat communicata; quoniam in eo ſpectaculo pręcipuas acturi nō erant perſonas, ſed tanquam nouitij adhuc tyrones adfuturi, vt ſtrenuitatem, patientiamque addiſcerent, ac inter paſsionis opprobria Chriſtum Dei filium faterentur, ſicut ibi teſtatum à Patre audierant: *Hic eſt filius meus dilectus,* Matth. 17. Non ita de beatiſsima Virgine philoſophandum: nam, vt plurimorum opinio eſt, quos refert Abulenſ. q. 35. in c. 17. Matth. quædam in ipſius vultu, à conceptu vſque ad partum Chriſti clari-

D. Aug.

Matth. 14.

Matth. 17.

Abulenſ.

Digitized by Google

claritas radiabat: quæ tamen alia quàm in Chriſti ſe transfigurantis facie ſplenduit, exiſtimanda eſt, & fortaſſe ei aſsimilis, quã in vultu Moyſes præferebat. Adduũt præterea huius opinionis authores, ſãctiſsimam Deiparam incredibilem adeo è vultu ſplendorem emittere, vt beatiſſimus ſpõſus Ioſeph tantæ claritatis repercuſſu detentus, nec eam directo obtutu cernere, nec de facie agnoſcere potuerit, quouſque filium peperit: atque in hoc ſenſu plurimi verba illa Matth. ex
Matth 1. num. 25. cap. 1. nu. 25. exponunt: *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum.*

Cùm igitur, vt iam liquet, Chriſtus Dominus propter Petrum, Iacobum, & Ioannem ſe transfigurauerit; eorumque vtilitatem in eo myſterio intenderit; mirum eſt, quàm breui totum illud ſpectaculum tranſierit. Euãgeliſtas cõſule, & ſolùm inuenies momentum, in quo gloriæ illius voluptate frui ſpectatoribus datum eſt; vt iam ſupra nouimus, & inferiùs de primatu Petri agẽtes adnotabimus. In promptu erat exiſtimare, vt cùm Dominus Ieſus prædiuitem gloriæ ſuæ ſupellectilem, & infinitam theſaurorum opulentiam, ac ineffabilẽ cæleſtis conuiuij lautitiem oſtentare decreuiſſet, in longius ſpatium ſcænam illam prorogaturũ; ita quòd menſis, ſeptimanæ, vel minimùm diei durationem adimpleret: vt Petrus, & alij qui ſpectatores aderant, lentiùs & voluptuoſiùs menſæ illius epulas reguſtarent, & Paradiſi delectationibus fruerentur. Adde quòd in Thabor montem nimis excelſum, valdeque remotum, teſte Euangeliſta, eos perduxit, *In montem excelſum ſeorſum*, Matth. 17. Et Matth. c. 17. verò montis aſcenſus aſper admodum eſt & accliuis, tria continens milliaria, vt Seraphici P. N. Franciſci tradunt Religioſi, qui multis ab hinc annis, Dei indulgentia vrbis ſanctæ Hieruſalem loca poſſident, religioſèque obſeruant, & crebertimè frequentant; vt penes Euangelicos pauperes ſint ea loca, in quibus Chriſtus pauper natus eſt, & obijt. Vnde neceſſe erat, vt diſcipuli in montis aſcenſu, propter accliuitatem & aſperitatem difficili, laſsitudinem paterentur: idcirco vt labori præmium, & quies laſsitudini aliqualiter reſponderet, cõſentaneum videbatur, vt ſaltem diei, vel minimùm horæ vnius ſpatio viſione illa fruerentur: nihilominus breuiſsimè diſparuit, & temporis momento euanuit: planè, vt Petrus & alij edocerentur, omnia præſentis vitæ bona tempori ſubiecta, quale tunc erat illud ſpectaculum, ocyſsimè tranſitura: proindeque mundi huius gloriam ſomnij inſtar, & vmbræ ſubito volaturam. Vnde ad Petri verba, *Bonum eſt nos hic eſſe*, exclamauit egregie Nazianzenus

epiſt.

Nazian. epiſt. 125. *O graue detrimentum! Quid bonum capere attinebat, ſi permanſurum non erat? nec enim res vlla iucunda tãtum voluptatis affert, cùm adeſt, quantum mæroris cùm abſcedit.* Vnde libet hic terrenarũ rerũ imaginem ob oculos proponere, vt ea inſpecta innoteſcat quàm parui facienda ſint Orbis Imperia, ſæculi dignitates, Pontificum thyaræ, Regum diademata, quorum cupiditate mortalium pectora validiùs pertrahuntur.

Vidit olim Ezechiel quadrigam admodum mirabilẽ quatuor animalibus, homine, boue, leone & aquila conuectam. Et verò prædicta animalia, vt affirmat ad eum Theodor. locum Theodoretus, non ſolum portandæ quadrigæ miniſterio, ſed ſignificationis myſterio ſeruiebant. Nam Homo naturam deſignabat humanam: Leo animalium Rex fortiſsimus, ad cuius rugitum omnia expaueſcunt, Imperia, Regna, diademata, principatus, dominationes, & ſæculi huius poteſtates repræſentabat. In Aquila, quæ volatu cæteris auibus altior effertur, Scientia, Magiſteria, Doctrinæ, Gradus, Cathedræ, Iudicium, & Doctorum qua ceruleo, qua viridi, qua puniceo, qua niueo, ſeu croceo colore pathagia viſebãtur adumbrata. Bos Sacerdotum Hieroglyphicum, Thiaras, Diademata, Galeros, Eccleſiæ dignitates, & Prælaturas portendebat. Itaque his veluti baſibus præſens vita fulcitur; ſeu, vt verius dicam, his axibus circumrotatur, aſsiduo ſemper motu inquieta, nuſquam ſecura, ſolâque mobilitate conſtans: ita vt nihil in ea magis certum aſpexeris, quàm mutationem, vt ipſamet rotarum figura, aſpectuſque deſignabat. *Aſpectus*, ait Propheta, *rotarum, & viſio earum, quaſi viſio maris*. Ezech. 1. Seu vt tranſtulit Simmacus: *Sicut viſio hyacinthi*. Cùm autem oculos iterum in rotas reflexiſſet, non iam maris, aut hyacinthi ſimilitudinem, ſed carbonum in illis agnouit; Quemadmodum Septuaginta tranſtulerunt. *Species autem rotarũ quaſi viſio carbonũ:* Quoties mouebatur quadriga, toties alia atque alia cernebatur: ita vt prope eſſes eandẽ negare, memor qualem antea inſpexeras. Vidit iterum Propheta, nec iam quatuor, ſed vnum tantummodo animal conſpexit. *Ipſum*, inquit, *eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar*. Quin etiam pro boue vidit Cherubinũ; & cùm antea quatuor alas in eo aſpexerit, modò octo alis inſignitum commemorat. At inquiro, quidnam ſibi velit tam noua inſolensque mutatio? Qua ratione tot formæ ita contrariæ in vnum cogi poſſunt & cohærere? Cur vnum tantummodo animal videt, qui antea quatuor inſpexerat? Nonne rotas, maris ſimilitudinem referre teſtatus eſt? Vt

quid

quid hyacinthinas appellat? Quod ſi hyacintho ſimiles: cur ex carbone aſpicit nigrantes? Bouem vidit: & iam Cherubini aſpectu recreatur. Cur antea quaternis, modo alis octo præditum videt? Ah teneo: nihil aliud hæc figuratum varietas, quàm vitæ huius mobilitatem & inconſtantiam ſignificabat; in qua nihil firmum & ſtabile, nihil verum & ſolidum, ſed totum vanum & fucatum reperitur. Perbellè Theodoret. *Vt ex hoc diſcere poſſimus, non videre eaſdem naturas rerũ, quæ cerni nequeunt; ſed ſimilitudines quaſdam.* Itaque orbis Regna & imperia minime vera ſunt, ſed mentita. Sicut ibi nec bos, nec Cherubinus, nec mare, nec hyacinthus, aut carbo vera erant, ſed ſpecie tenus Prophetæ oculis obiecta. Vnde falluntur quotquot ſibi Regno frui perſuadent: quia inani vmbra, fucataque rerum imagine illuſi detinentur. Hinc illud B. Thomæ de Villanoua: *O vita mortalis; & quid eſt: tota niſi perpetua & inopinata deluſio? omnia quæ tam auidè quærimus, tam ardenter amamus, tã ſollicitè proſequimur, non vtique bona ſunt, ſed vmbræ, imagineſque bonorum.*

Theodor.

Ser. fm.

Quod ſi quadrigam hanc aliunde circumſpicias; humanæ inſtabilitatis imaginem tibi oſtendet, ac omnia furſum deorſum ferri, quod magnæ eſt mutabilitatis argumentum, edocebit. Conſule Iuſtinum Martyrem quæſt. 44 vbi acutè adnotauit, ſub vno iugo hominẽ cum leone, ſub altero aquilam cum boue ferri. *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies bouis, & facies aquilæ, &c.* Ezechiel c. 1. Vt quid iſta animalium inſolens coniunctio; vt leo & homo ſimul; bos & aquila ab illis ſeparata, & ad inuicem coniuncta incederent? homo miris, leo ferox: bos grauis, aquila præpes. Planè vt conſtet, in præſenti vita nihil diſtare inter rerum exiſtentiam, earumq. deſitionem; cùm eodem quo incipiunt momento deſinant: manſuetum & ferox, graue & præpes alterna viciſſitudine aliud in aliud tranſit, indeque feſtino interitu aboletur; vt in ijs cernere eſt, quæ contraria patiuntur: nam contrariorum potentiore vi conficiuntur, & pereunt: vnde nemo prudẽs & egregiè cordatus homo orbis imperia diu permãſura cogitabit, etſi leonis ferocitatem æmulentur. Iuſtini verba ſunt: *Cicur animal eſt homo, ferũ leo, graue vitulus, volatile & leue Aquila. Illis ergò Regni, ex fero in manſuetum tranſlationem ſignificat: his autem ſeruitutis in libertatem mutationem: iugum enim fert vitulus, aquila iugi expers eſt.* Vides igitur quàm proxima ſint proſpera & aduerſa, libertas & ſeruitus; quàmque feſtino curſu ſceptra & diademata in occaſum rapiantur, & quæ nuper exorta magnitudinẽ oſtentabãt, repẽtino abſceſſu euaneſcant,

Ezech. 1.

D. Iuſtin.

P neſcant,

neſcant, & in nihilum redigantur. Repetat hæc ſæpe Chriſtianus, & ſapiet; ac dum humanarum rerum contemplatur interitum, ſuum fructuoſè & vtiliter meditetur. Ponderauit egregiè S. Chryſoſtomus vtilitatem, quam Dauid ex Saulis ſomno perceperat, cùm Regem in tentorio dormientem inuênit, & facilè poſſet occidere, ſi vellet. *Inuenit Saul iacentem & dormientem in tentorio.* Mirum eſt quòd Saule interempto nouerat Dauid Regnum ſibi obuenturum; hoſteque occiſo & vitæ conſulebat, & Regnum parabat: nihilominus iuſtâ cohibuit iram, & dormienti pepercit, quem non timuiſſet vigilantē inuadere. Cæterùm ſopor ille Saulis ipſum velut mortuum reddiderat; eſt enim ſomnus quædam mortis imago: hac autem imagine inſpecta Dauid ſe breui moriturum cogitabat; vnde à cæde abſtinuit, & Regnum mox obtinendum, tanquam breuiſſime duraturum non expetiuit. Do Chryſoſtomum. *Dauid intuitus inimici dormientis faciem, hinc maximè ſumpſit animum philoſophicum. Cùm enim videret illum manere immobilem, neque quidquam poſſe facere, ſic loquutus eſt Dauid: Vbi nunc ille furor? Vbi tot technæ, tot inſidiæ? Abierunt omnia illa, perieruntque exigui ſomni incurſu. Conſpiciebat illum dormientem, & de morte omnibus communi philoſophabatur.* O pulchram philoſophiam, quam

1. Reg. num. 26.

Homil. de Dauid, et Saul.

ſi Petrus in Thabor tot mortis imaginibus admonitus amplecteretur, nuſquā audiret à diſcipulo, *Neſciebat quid diceret.*

Marc. 9.

Eſt autem valde neceſſarium mortem aſſiduò præ oculis habere, & ipſius meditatione frequentiſsimè detineri: quippe quę prauos animi affectus interimit, & virtutibus calcaria ſubdit, ſuũque animæ reſtituit candorem: idcirco ſolito acumine expendit Tertull. lib. de anima cap. 43. homini ſomnũ à Deo conceſſũ, vt fatigato corpori leuamen, & animæ antidotum medicinãque præberet, dum homo viuam mortis imaginē in corpore ſomno pene mortuo inſpiceret. Vnde monuit Poeta: *Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*

Et quidem ſomno oppreſſus anima carere videtur, aliorſumque tendiſſe iterum reuerſuram. *Sed & anima*, inquit, *ſic patitur, vt alibi agere videatur.* In corpore tamen eſt, quamuis id diſſimulet ſub ſomno latitans: vt dum abſentem ſe ſimulat, & ſomno præſentiā occultat, extremum è corpore diſceſſum, quem ingruente morte ſuſtinebit, iam pati condiſcat. *Diſſimulatione præſentiæ futuram abſentiam ediſcens.* Ideo cùm Adamo mortē minitaretur Deus, ſi pomum ederet vetitum, *In quacumque die comederis, morte morieris:* hominem ſopore opprimi antea diſpoſuit, vt qui neminem antea morientem viderat,

Tertull.

Geneſ. 2. num. 17.

quid

quid mors eſſet ignorans, illam non timeret, & præcepti fieret tranſgreſſor. Quid igitur? mortis imaginẽ proponit; *Immiſit Deus ſoporem in Adam*; vt viſa in imagine mors à tranſgreſſione retardaret. Verbum illud, *Immiſit*, ſomnum violenter quodammodo intruſum ſignificat, vt in ipſa qua opprimebatur violentia, ediſceret quid de morte ſibi intentata cogitare deberet. Ita ab Anaſtaſio Synaita in quęſt.anagog. de ſopore Adam excogitatum reperio. *Vt mortem*, inquit, *quam nondum experientia didicerat, quia neminem mori viderat, ſomni ſui imagine, & repræſentatione cognoſceret*. Fælix Adam, ſi in ſeipſo dormiente mortẽ in imagine cerneret; & è dormiente ſe moriturũ præſumeret, niſi legẽ cuſtodiret. Nec immortalitatẽ amiſiſſet; nec poſteris mortis autor extitiſſet.

Anaſt. Synaita.

Cæterùm quod pater improuidus non precauit, filij caueant, & frequenter meditentur. Solet enim mortis recordatio prauos animi affectus corrigere, & moderari. Mirabilis planè eſt Sponſæ mutatio: nam cùm ad ipſius oſtia ſponſus identidem pulſaret, ſibiq. aperiri precaretur; illa cauſatur, ſe exutis iam veſtibus lecto compoſitam. *Expoliaui*, inquit, *me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Vix hæc dixerat, cũ ſubito dixiſſe pęnitẽs è lecto proſilit, & oſtium aperit. *Surrexi*, inquit, *vt aperirem dilecto meo*. ibid. Vnde tam repẽtina mutatio? modò ne ſurgat, ſponſum abire permittit: rurſum è lecto ſe proripit, vt apertis foribus abeũtem compellet? Ipſam iuuat audire, mutationis ſuæ cauſam reddens certiſſimam: *Manus meæ diſtillauerũt myrrham. Myrrha*, ait Gregorius Nyſſenus, *mortis ſymbolum eſt*. Dum verò ſponſæ mentem tetigit mortis meditatio, & myrrha è manibus profluens mortem ipſi impendentem retulit, ſtatim mutauit affectus, excuſſoque torpore ſurrexit vt aperiret ſponſo, ac ad vitæ perfectionem alacrior contenderet. *Anima*, inquit, *per mortem è morte reſurgit: nam ſi non moriatur, ſemper manet mortua, neque vitæ capax eſt. At moriendo vitam conſequitur omni mortalitate depoſita*. Et licèt Gregorius ibi de carnis mortificatione loquatur, per quam ad perfectionis culmen aſcenditur: hoc tamẽ non obſtat quominus de mortis contẽplatione, qua ad æternã vitã paratur aſcenſus, intelligi poſſit.

Cantic. 5

Nyſſen.

Et verò adeo potẽs eſt ad corrigẽdos hominũ mores mortis meditatio; vt qui mortem meditatus vitam non immutet, atque ad animæ ſalutem, & perfectionem ſtudioſiùs quærendam nõ excitetur, tanquã reprobus, & conclamatæ iniquitatis reus damnari debeat. Hinc eſt Magni Chryſoſtomi in Iudam proditorem iuſtiſsima indignatio. Quippequi mortis commora-

memoratione factus eſt peior, ſumens de remedio venenum, & de medicina ſibi parans interitum. Audi Saluatorẽ apud Matth. c. 26. cum Apoſtolis expoſtulantem, eo quòd in effundendo vnguento Magdalis largitatem carperent. *Vt quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt in me, ad ſepulturam meam hoc fecit. Tunc profectus vnus ex duodecim, qui dicebatur Iudas.* Cernis quo tempore proditionem exequi machinatur, cùm iniecta ſepulturæ memoria de morte admonetur. O profligatiſsimum proditorem, quem mortis recordatio à culpa non reuocat. O animum nulla medicina ſanandum, qui ſumpto antidoto, quaſi veneno, rabie accenditur, atque ad patrandum facinus rapitur violentiùs. Elegantiſsimè Chryſoſtomus homil. 2. *Tunc iſtud, ad quod tempus relatum eſt? quando iſta locutus eſſet, quando ad ſepulturã dixit: atque nequehinc compunctus eſt.* Miratur iure optimò Chryſoſtom. animum Iudæ immedicabilem, & deploratos mores lamentatur. Ego tamen non miror: nam cur audita ſemel ſepultura reſipiſceret, qui frequenti mortis memoria, quam ſuo nomine præferebat (Iſcariotes enim memoriam mortis ſonat.) animo callum abduxerat, ne ſentiret ſtimulum, & à præcipitio reuocaretur. Vidit hoc S. Paſchaſius lib. 6. in Matth. *Porro Iſcariotis*, inquit, *memoriã mortis ſonat, vt ſit inexcuſabilis: quod nõ caſu, ſed ex meditatione mortis Dominum prodiderit.* Timeant futuram damnationem, qui Iudæ imitantur ingeniũ, nec mortis meditatione, quaſi pactum cum ipſa iam inierint, à vitæ prauitate reuocãtur: eſt enim poſtremum ad vitę correctionem, & potentiſſimum hoc remedium: à quo qui abutũtur, eodem quo periit Iudas, exitu vitam concludere expaueſcant.

Matth. c. 26.

D. Chryſ.

S. Paſch.

§. SECVNDVM.

Non fuit Petri de euitanda morte conſilium; nec apud Thabor voluit immorari, ſed turbas illuc adducturus deſcendere intendebat; vt inter Moyſẽ & Eliam Chriſtum aſpicerent transfiguratum; in eoque ſors ignorans deprehenditur; quia pauciſſimi ſalute & cælo digni reperiẽtur.

VEhemẽs planè in Chriſtum Petri affectus, ardẽtiſſimuſq. ipſius amor ſemper extitit: vnde ſicut iam ex Chryſoſtomo didicimus, promptiùs erit exiſtimare, Apoſtoli conſilium fuiſſe, quandiu Chriſtus inter Moyſẽ & Eliã trãſfiguratus aderat, montẽ relinquere, vt turbas accerſiret, (quod fœminã Samaritidẽ cum ſuis oppidani egiſſe memorat Ioannes) quò Ioan. 4. proprijs oculis Chriſtũ gloriæ Regẽ inauguratũ, vniuerſorũ Dominatorem, æterniq. Parẽtis naturalẽ filiũ aſpicerẽt; ſicut ante ſex octoue dies præclariſſima confeſſione

Pe-

Digitized by Google

Petrus euulgarat: vnde certi omnino redderētur ſpectatores Chriſtum nec Moyſem eſſe, nec Eliam, aut ex Prophetis quemlibet, ſicut antea ſuſpicabantur. Quidni de ardentiſſimo Petri amore ſpondebis, quòd eo fine montem & gloriæ illius ſpectaculum relinquere ſuaſerit? conſulto prꝫſertim Chryſoſtomo homil. 57. in Matth. vbi propter corrigendum turbarum errorem, Moyſem & Eliam Transfigurationis ſpectatores adfuiſſe teſtatur. *Quia*, inquit, *turbæ diſcebant eum eſſe Eliam, vel Hieremiam, aut vnum ex Prophetis; idcirco Moyſem, & Eliam cæterorum Prophetarum vertices producit, vt quàm magnum ſit inter ſeruos, & Dominum diſcrimen oculis cernerent; vtque rectè laudatum crederent Petrum, qui filium Dei eum confeſſus eſt.* Hæc ille; quaſi dixerit: glorioſa Chriſti inter Moyſem & Eliam manifeſtatio, quoddam Petri encomiū, & præclariſsimæ ipſius confeſsionis cenſenda eſt approbatio: cùm videlicet, vt refert Matth. cap. 16. exiſtimāte vulgo Chriſtum Eliam eſſe, aut ex Prophetis quemlibet, Petrus ab alijs ſegregans, præclariſſimam Diuinitatis ipſius confeſsionem extulit, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Cùm autem oculis corporeis cerneret, quod iam fide tenebat, quantumque inter Chriſtum cæli Regem & ſeruos eſſet diſcrimen intelligeret; incredibili (ne dubita) incenſus deſiderio vt omnes illud idem agnoſcerent, montem deſerere cupiebat; vt totum, ſi fieri poſſet, orbem illuc perducens, cōfeſſioni ſuæ fidem quæreret, & turbæ Chriſtum crederēt Dei Filium, qui inter Moyſem & Eliam, tanquam Dominus, immenſæ claritatis ſplendore renitens viſebatur.

D. Chryſ.

Matth. cap. 17.

Nec Petri ſtudio verba quæ protulit reluctantur: nam dum ait; *Domine bonum eſt nos hic eſſe*; Matth. 17. non montis ſtationem cum cæteris ambit, vt docuit Remigius; ſed præ ingenti voluptate inaduertenter loquitur: vnde ab Euangeliſtis dictum, *Neſciens quid diceret*. Quod autem illico adiecit: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*, ponderosè, & eo fine dictū puta, vt Moyſes & Elias cum Chriſto traſfigurato in monte ſe tenerent, nec inde diſcederent, quouſque Petrus vna cum ſocijs deſcendens turbas conuocaret, vt Chriſti gloriam videntes, ipſum verè Dei Filium faterentur: & ideo non ſex, ſed *tria tabernacula* popoſcit. Et verò quid è Petri pectore amor ipſius non extunderet? cùm, teſte Diuo Hieronymo, ſemper, & vbique feruentiſsimus extiterit; & fors ignorantiæ proditor, cuius Petrus arguitur, quia non aduertit tres tantùm in mōtem conuectos gloriæ ſpectatores, vt numerus fieret documentū pauciſſimos fore,

Matth. c. 17.

D. Hier. in c. 14. Matth.

quos Dei electio futuræ gloriæ poſſeſſores deſtinauerat; quod Rabanus in cap. 17. Matth. adnotauit. *Tres*, inquit, *diſcipulos ſecum duxit: quia multi ſunt vocati, pauci verò electi*. Ex eodem ternario prædeſtinatorum paucitatem elicit D.Hilarius canone 17. in Matthæum: vbi aduertit ideo tres electos, qui tribus Noe filijs orbis propagatoribus reſponderent; vt qui ex tam numeroſa prole, vnum tantum pro vnaquaque familia eligi aduerteret, perexiguum fore beatorum numerũ doceretur. *Tribusq. aſſũptis*, inquit, *de triũ origine Sem, Cham, & Iaphet, futura electio populi oſtenditur*. Significantiùs, credo, in eadem numeri exiguitate D. Ambroſius ad c.9. Luc. de Transfiguratione loquutus, paucitatem eorum, quos æterna beatura eſſet fælicitas, expreſſit. *In eo*, inquit, *quòd Dominus paucos ſecum detulit ad intuẽdam gloriam Transfigurationis, per paucos oſtendit eſſe eos, qui cæleſtem gloriam ſunt adepturi*. Huc etiam refero, quòd duo tantùm, Ioſue, & Caleb terram promiſſionis, cæli figuram, ingreſſi referantur; cùm ſexcenta hominum millia vltra fœminas & pueros ex Ægypto, mundi imagine, prodierint. Quin etiam mundo inundatione ſubmerſo, octo ſolùm in arca excepti cataclyſmum euaſerũt; vt D. Petrus epiſt. 1. cap. 3. nu. 20. aduertit: *In qua pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt*. Et verò

Rabanus. D.Hilar. D.Ambr. 1. Petri 3.n.2.

Apoſtolus ſolam hic ſalutem corpoream reſpexit: nam de ſpirituali ambigitur, an illam omnes Noe filij fuerint aſſecuti: quia D. Auguſtinus epiſt. 99. (Lorino teſte in 1. Petri cap. 3.) addubitat, an Cham fidem in Deum amiſerit, & poſtea fuerit reprobatus.

D.Aug. Lorinus.

Hinc rogatus à quodam Dominus Ieſus apud Lucam c.13. nu. 23. *Domine ſi pauci ſunt qui ſaluantur*? Reſpondit: *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi quærent intrare, & non poterunt*. Et apud Matthæum cap. 7. nu. 13. hortabatur: *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam!* Quæ tantumdem mihi ſonant, ac illa Chriſti clauſula apud Matth. c. 22. nu. 14. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*: cuius memoria D. Gregorium territabat; Vnde homil. 83. in Euang. ita ait: *Tremendum valde fratres chariſſimi, Multi ſunt vocati pauci verò electi*. Hinc forſan D.Chryſoſtomus formidoloſam in plebem Antiochenam comminationem protulit, niſi velis dicere vaticinium. *Quot eſſe putatis*, inquit, *in ciuitate noſtra qui ſalui fiant*? & quaſi veritatem detegere formidaret, ſubdidit: *Infeſtum quidem eſt quod dicturus ſum: dicam tamen; nõ*

Luca 13. n.23. Matth.7. nu 13. Matth. 22.n.14. D.Greg. D.Chryſoſt.

poſſunt

Digitized by Google

poſſunt in tot millibus, centum inueniri qui ſaluentur: quin & de his dubito. Quis nõ expaueſcat in vrbe adeo opulenta, in tam numeroſa ciuiũ multitudine vix centum repeteri, qui cælo, repoſitaque ibi corona digni haberentur?

Errauit igitur Petrus, & aſſertam veritatem errore ſuo non leuiter offendit. Primò, quia turbas in mõtem adducere ſtudebat, vt myſterij teſtes eſſent: cùm tamen Deus magnorum myſteriorum celebrationem ſecretò perficere, & plurimorum oculis eripere conſueſcat: & præterea tres tantùm illuc adducuntur, clariſſimo ſanè præſagio, quòd pauci cæleſte Regnum obtinebunt, ac in beatitudinis Thabor diuinæ Eſſentiæ viſione perfruentur. At etiam nunc laudãda mihi videtur huius erroris ignorantia; quippe quæ magnum tenerrimi patris, & veri paſtoris affectum repręſentat, dum omnes ſalutis, & gloriæ participes fieri ſtudet, ac neceſſaria ad eandem ſalutem fide imbuere contendit: & Chriſtus naturalis Dei filius agnoſcatur, vt paulo ante prædicauerat. Et verò in laudandi affectus remunerationem, & zeli præmium (credo) Pater æternus Chriſtum filiũ ſummè dilectum prodidit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus*, Petri confeſſionem approbans, & confirmans, qui dudum Patre reuelante, iuxta illud Matth. 16. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*, Chiſtum Dei filiũ prædicauerat. Cùm autem Petrus audientibus plurimis, & ſocijs, qui in Thabor aderant, inſpirante Patre, Chriſti Diuinitatem nuperrime confeſſus fuiſſet, neceſſariũ minimè videbatur, vt iterum à Patre proferretur; maxime quia ipſius transfigurati gloria, & maieſtas ſatis ſuperque ipſũ ab alijs diſcriminabat, Diuinitateque celſiorem oſtendebat. Cæterùm voluit Pater è cælo in montem deſcendens, iterata quodammodo Petri confeſſione, dicens, *Hic eſt filius meus dilectus*, Apoſtoli affectum remunerare, quo è monte deſcendere cupiebat, vt accerſitas illuc turbas prolatę à ſe confeſſionis veritatem ipſo aſpectu edoceret. Plus autem ad finem à Petro intentum illa Patris declaratio conduxit, quàm ſi turbæ Chriſtũ in monte trãsfiguratum inſpexiſſent: Chriſti namque Diuinitatis fides Patris voce dicentis, *Hic eſt filius meus dilectus*, fortius quàm turbarum aſpectu & teſtimonio firmabatur.

Matth. cap. 17.

Matth. cap. 16.

Vides vt Petri affectus minimè infructuoſus abierit: non enim patitur Deus ſeruorum ſuorum affectus & ſtudia præmij compenſatione fraudari. Domeſticis & familiaribus exemplis fidem cõparo. Sub extremum vitæ diſceſſum erat S. Bonauentura, vt in Annalibus Seraphici Ordinis refertur ad annum 67. eiuſdem Ordinis num. 17. cùmque agitante

Tom. 2. Annaliũ anno 67. relig. Minor. n. 17

vomitu, Angelorum pane ſe reficere, & ſacram Synaxim pro viatico ſumere non poſſet, quamuis id Chriſtiano more, & Seraphico amore cupijſſet; vt tamen leniret deſiderium, & videndo quē edere non poterat, reficeretur, ſacrã pixidem ſibi afferri iuſsit, in qua Chriſti corpus claudebatur; allatam reuerenter, & amanter exoſculatur: interimque dum ad pectus & latus apprimit (mirum dictu) Bonauenturæ latus rubenti hiatu aperitur, & illico reſerata pixide Chriſti corpus, auro contempto, pluſquam aureum charitate Bonauenturæ cor penetrat. Quidni pretioſiſsima Euchariſtiæ margarita tale aurum quæreret, in quo includeretur? O tu qui inuides, & rectè tantam inuidebis fælicitatem, *Eſto aurum optimum, vt poſſit in te Chriſtus margarita ſpiritualis includi*, ſicut D. Ambroſius ad cap. 13. Lucæ adhortatur: & vide quàm largè ſuorum affectus Dominus remuneret. D.Ambr.

Omni calamo & lingua maior eſt amoris affectus, & tam magna ipſius vis ac potentia, vt Deum moueat, & quodammodo immutare videatur: quin etiam is qui eiuſmodi amoris æſtu incenditur, quandã patitur metamophorſim, & in alium tranſit. Feruentia teſtor aquarum ſtagna, in quæ Seraphici Ordinis Valẽtinum Sydus Nicolaus Factot (cuius canonizationis cauſam apud ſanctiſſimum Vrbanum VIII. ago) identidem ſe immergens, vt amoris incendium reſtingueret, cùm antea gelu glacieque concreta obrigerent, ſubitò ſolui, feruere cerneres, & ebullire. Fr. Nicolaus Factor.

Hæc potuit in filijs amor, quid in Seraphico parente potuerit videamus. Proh boni ſuperi! rapiebatur in aëra Franciſcus amore æſtuans, in igneamque ſphæram tendens ſupra montis Aluerni arborum cacumina ferebatur. D.Franc. Cõtingit aliquando vt frater Maſeus, Seraphici Parentis ſocius, ipſum inter amoris flammas ſurſum euehi conſpiciens; accurreret vt complexũ detineret. Sed proh incredibilẽ Seraphici amoris potentiam! vterque ſurſum ferri cœpit, pater intus ardebat, & ſe complectentem filium eodem incendebat ardore, & pluſquam igneo incendio rapiebat. Sic fortem in patientes amor potentiam exercet.

Nec minus erga Deum potens inuenitur: nam dilectis quodammodo ſubijcit, & ad eorum obſequium & nutum inflectit attemperatque. Venit tibi in mentem aliquando, cur in ſacris litteris Deus ſuper Cherubim ſedere memorerut? Exod. 25. à num. 16. Pſalm. 79. num. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubim*. Et Pſalm. 98. num. 7. *Qui ſedes ſuper Cherubim, moueatur terra*. Et Iſai. c. 37. n. 16. *Qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus*; & paſſim alibi; cùm Exod. 25 Pſal. 79. num. 2. Pſal. 98. num. 7. Iſai. 37. num. 16.

tamen

tamen ſuper Seraphinos nunquã ſedere dicatur, vt tenet D. Hieronymus epiſt. 143. ad Damaſum, vbi imperitam ac indiſertam plurimorum deuotionem coarguit, qui in publicis precationibus cãtabãt: *Qui ſedes ſuper Cherubim, & Seraphim*. Hieronymi igitur

D. Hier. cenſura eſt: *Illorum pius licèt, attamen coarguendus error, qui in orationibus & oblationibus ſuis audent dicere, Qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim: nam & ſuper Cherubim ſedere Deum, ſcriptum eſt: Super Seraphim verò, nulla ſcriptura commemorat.* Eſt verò huius diſcriminis ratio: quia Cherubim ſcientiam, & Seraphim amorem adſignificant: Deus autem ſuper Cherubim ſedet; quia tanquam ſcientiarum Dominus cunctos ſapientes imperio premit, & omnibus ſcientijs dominatur. Verùm feruentiſſima Dei feruorum charitas, qualem Seraphini referunt, Deum quodammodo ſibi ſubijcit, pattoque de Diuinitate triumpho in obſequiũ pertrahit, & captiuat. Hinc ad

Pſal 17. num. 11. illa verba Pſalm. 17. nu. 11. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit*,

D. Aug. dixit disertè Auguſtinus: *Exaltatus eſt ſuper plenitudinẽ ſcientiæ, vt nemo ad eum perueniret niſi per charitatem*. Sola charitas volatu ſuo Deum aſſequitur, ſola trahit, ſubijcit, potitur. Ideo Cherubini ſedenti Deo ſubſternuntur, ac ſuper eos Diuinitatis ſuæ magnitudinem oſtentat. Cũ tamen Seraphim deſuper adſtent, alarumque oppanſo Dei faciem contegant, & ipſius magnitudinem occultent; quaſi amor Deum à maieſtate deturbet, deque ipſius magnitudine triumphum agat. *Seraphim ſtabant ſuper illum, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Iſaiæ 6. num. 2. Iſai. 6. num. 2.

Rogabis vt quid iſta oppanſis alis cõtectio, & ſubinde volatus exercetur? *Et duabus volabant*. Plane contegunt; vt iam ob amorem ſibi ſubiectum, & quaſi obnoxium manifeſtent: volant, triumpho applaudentes; Victorum inſtar, qui è ſumma arce ſignum extollunt, identidem vibrant, & tremente ſerico aërem diuerberant, & *duabus volabant*. Sed quid vltra? Dominum Regem ſupremum, ac exercituum dominatorem inclamant: *Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius*. O quale Sacramentũ! Quaſi dicant: Is qui magnitudinis ſuæ mole omnia premit, ſplendore hæbetat, ſapientia vincit, fortitudine ſuperat, noſtræ, qui amore incendimur, ditioni ſubditur, noſtris alis contegitur, noſtro amore quodammodo vincitur; & quem Cherubini ſedentem ſuſtinent, Seraphini quaſi victum detriumphant. Quapropter Petrus ſtudio incenſus, & montem deſerendi cupidus, vt conuocata turba ChriſtiDiuinitatem edoceretur,

retur, Patrem ſuo deſiderio votiſque obſecundantem reperit; & longè præſtātiùs magnifica ipſius voce dicentis, *Hic eſt filius meus dilectus*, Chriſti Diuinitas probata eſt, quàm ſi inter Moyſem & Eliā trāsfiguratus à turbis cerneretur.

Matth. cap.17.

CAPVT VII.

Origenes, Chryſoſtomus, & Cyrillus, in eo Petri ignorantiam conſtituunt, quòd Chriſti mortem prætenta apud Thabor manſione nixus fuerit impedire.

MVltorum Patrū tenuit ſententia, in eo ſtetiſſe Petri ignorantiam, quòd Chriſti mortem, etſi non affectu & intentione; opere tamen & exercitio nixus fuerit impedire, paſſioni contraria ſuadēs, videlicet, vt apud Thabor perpetuò maneret, dicens: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*. Matth. 17. vnde ſi ibi Dominus ſe teneret, nequaquam Hieroſolymam moriturus aſcenderet; nec Prophetarum oracula, in quibus mors ipſius erat vaticinata, adimpleret, ac humani generis redemptionem hominumque ſalutem operaretur. Primus huius ſententiæ author inuenitur Origenes homil. 3. in cap. 17. Matth. quin etiā & poſtremus; nullus enim rigidiori cenſura, hanc Petri poſtulationē caſtigauit. Quippequi Petrum à Dæmone inſtigatum, non à Spiritu ſancto ductum, in verba illa prorupiſſe teſtatur: Ita quòd idēmet ſpiritus malignus, qui Petro ſuggeſſerat apud Matth. 16. n. 22. vt Chriſtum à ſubeunda pro hominibus morte tentaret auertere; quocirca Satanas dici promeruit; idem in Thabor manſiones petere inſtigauit. *Alieno*, inquit, *ſpiritu motus loquebatur, qui neſciebat quid loquebatur. Nec dum enim principatus & poteſtates traducti, & triumphati erāt in ligno: & iſte forſan ſpiritus erat, quem ſupra ſcandalum ſibi pronunciauerat Chriſtus, & Satanam dicens; Vade poſt me Satana, ſcandalum mihi es.* Et paulo inferiùs ſubdit: *Ipſe etiam operans hic ſeductoriè vult auellere Chriſtum ſub colore boni, vt non condeſcendat hominibus, nec veniat ad eos, nec ſuſcipiat mortem pro eis, ſed remaneat in monte excelſo cum Moyſe & Elia.*

Matth. c. 17.

Origen.

Cæterùm ſæpiùs iam monuimus ex plurium Sanctorum doctrina, Petrum verba illa non ex diaboli ſuggeſtione, ſed ſancti Spiritus afflatu protuliſſe, vt cæleſtium bonorum magnitudinem extolleret: in quo profunda, & abditiſsima vaticinata eſt lingua ipſius myſteria. Et licèt ſpiritus malus Petrum ad hæc proferenda compelleret (quod tamen Origenes conſtanter non affirmat, imo dubitans id ſcribit: *Et iſte forſan ſpiritus erat, quem ſupra ſcandalū ſibi prorūciauerat Chriſtus, & Satanam dicens*; Non

Origen.

pro-

proinde ſequitur, Petrum in eo deliquiſſe, ipſiusque affectum & intentionem damnandam: quia vt ſæpius admonuimus, ab amore ortum habuit. Quinimo ipſemet Origenes, veritus ne parum docti ex ipſius verbis occaſionem arriperent, vt in ea ſuaſione peccatũ admiſiſſe arbitrarentur, diligenter præcauit, dicens: *Scio autem quòd hæc quæ dico, multis legentibus, & non ſapienter iudicantibus, contraria & aſpera videbũtur, quaſi in blaſphemiam Petri dicta.* Ita ille, omnem tollens ambiguitatem: Quaſi his verbis innueret, illud tantum hic intendiſſe, nimirum, quòd ſpiritus malus, non praua Petri intentio affectusque ipſius erga Magiſtrum amore abuſus, ſuggeſſit, vt tabernacula in Thabor expoſceret, mortemq. Hieroſolymis ſuſtinendam euitaret: quemadmodum eâdem intentione, amoreque abutens apud Matth. 16. cùm de morte ageret, mori diſſuaſit: *Abſit*, inquit, *à te Domine, non erit tibi hoc.* Longè aliter ſentiendũ arbitror rem apud Thabor iudicãdam: vbi ſancti Patres in ampliſſimo gloriæ illius theatro, cùm Dominus Ieſus æterni Patris filius, & gloriæ Rex pronunciabatur, malignum ſpiritum obrepſiſſe nequaquam exiſtimant, vt Petrum praua ſuggeſtione ad poſtulanda tabernacula impelleret.

Orig.

Matth. c. 16.

Illud tamen indubitatum mihi eſt, Petri verba, ipſiuſque poſtulationem, Chriſti paſſionem impeditura, ſi effectum, quem optabat conſequerentur, & ideo non poteſt non ipſius inaduertentia hac in parte ſuggillari: ignorauit enim quod dixit: præſertim, quia ſæculi finis nondum aduenerat, cùm animæ ſimul cum corporibus apud Thabor gloria fruituræ eſſẽt: quod Petrus innuiſſe videtur, dum in monte ſtatus illius beatitudine perfrui exoptabat: in quo D. Cyrillus in catena ad c. 9. Luc. Apoſtoli ignorantiam deprehendit. *Neſciebat*, inquit, *quid diceret; neque enim aderat tẽpus finis ſæculi, nec participandæ à Sanctis promiſſæ ſpei: & cùm iam ſumeret exordium diſpenſatio, quo pacto Chriſtum oportebat deſiſtere à mundi dilectione volentem pati pro eo?* Ita ille. At verò S. Chryſoſtomus hom. 57. in Matth. in hac ignorantia Petrum non mediocriter extollit, eo quòd amore incẽſus, indeliberatoque iudicio, Magiſtri ſecuritatem procuraret; ex montis ſolitudine, Moyſiſque & Eliæ præſentia nactus occaſionem, vt Chriſtum à ſuſtinendis probroſæ mortis iniurijs eriperet. *Nam cùm montem*, inquit, *& ſolitudinem videret, exiſtimauit quòd multam haberet à loco ſecuritatem: nec ſolum propter locum, verũ etiam propterea quòd ipſe ampliùs Hieroſolymam non accederet: volebat enim ipſe ibi perpetuò manere; quocirca & tabernaculorum mentionem fecit.*

D. Cyril.

D. Chryſ.

Cogi-

Cogitabat enim, ſi non aſcenderet Hieruſalem, non moriturum Chriſtum: quia ibi audiuit Scribas eum aggreſſuros. Hæc cùm dicere nō auderet apertè, occultiùs adſtruit dicens, Bonum eſt nos hic eſſe; vbi Moyſes & Elias quoque adſunt: Elias, qui de cælo fecit ignē deſcendere: Moyſes, qui ingreſſus in caliginem, cum Deo colloqutus eſt. Præterea nullus ſciat hic nos eſſe. Vides quanto Chriſti ardore incendebatur: non enim quærere debes quàm prudenter hortabatur, ſed quàm feruens charitate Chriſti, quàmque inflammatus eſſet. Hactenus ille. Vbi vides quā bellè Petrum nunc erroris accuſatione ferit, nunc amoris clypeo protegit, nunc errantem coarguit, nunc laudat amantem. Nec tantum nocuit Petro ſuggillatus error, quantum gloriæ ipſi peperit laudatus amor. Hic enim oculatiſſimus aliunde, Petrum quodammodo obcæcauit, ne quidquā aliud videret, præter Magiſtrum, quem à Iudæorum opprobrijs cupiebat immunem: vnde quò magis hic ſerpit ignorantia, errorque diffunditur, eò ſplendidiùs amor irradiat, & charitatis præſtantia vberiùs commendatur. Quapropter, non tam carpi debet inaduertētia, quàm ardentiſſima Petri charitas extolli; qui mente & affectu cætera oblitus, ſolam dilectiſſimi Ieſu ſecuritatem, & gloriam meditabatur.

Illud verò hunc Petri affectum ampliùs extollit, quòd, vt aliqui ſentiunt, rogatus primum tabernacula expetiuit, vt Matthæus innuiſſe videtur cap. 17. *Reſpondens autem Petrus dixit, Domine bonum eſt nos hic eſſe, &c.* At quò tendit iſta Petri reſponſio; niſi quia de aliquo fuit requiſitus? Ita plane. Aderant in ampliſsimo mōtis illius theatro Moyſes, & Elias Regni Magnates: aderat Rex ipſe Dominus Ieſus; deque grauiſsimo ſubeundæ paſsionis negotio in ijs velut comitijs agebatur; *Loquebantur de exceſſu*. Et quidem concertationis ſpeciem præſeferre ſermo ille videbatur. Moyſem inter & Eliam medius præerat Chriſtus, tanquā legis & Prophetarum ſcopus. Aderant etiam Apoſtoli, iudices poſtea futuri: opprobria, iniurias, verbera, crucem Hieroſolymis ſuſtinendam Chriſtus proponit, ſingulorumque ſuffragia expectat. Primus antiquitate, & dignitate præſtantior rogatur Moyſes: Quid, inquit, ſentis, ò Moyſes Hebræorum legiſlator, qui mortem meā non ſemel in ipſa lege figuratam inſpexiſti? Expedit ne, vt hinc emigrans Hieroſolymam moriturus accedam? Morere, ait ille, Domine Ieſu: ſic enim nobis, & orbi vniuerſo, qui te Redemptorem expectat, conuenientiſsimum, imò neceſſarium arbitror. Moyſi ſuccedit. Elias, Prophetarum gerens perſonas, qui ſeruandæ legis ſtudio & zelo feruentiſſimo æſtuabat. Hic etiā ro-

Stell. in c. 9. Luc.

Luc. 9.

rogatur. Quodnam tuum eſt, ò Elia ſuffragiũ? Oportet ne vt Prophetarũ de paſſione mea impleãtur oracula, & omnia quæ de filio hominis ſcripta ſunt, conſummẽtur? Reſpondit Elias: Oportet. Tu verò, ò Petre, quodnam inter hæc mittis ſuffragium? Reſpondet: A Moyſe & Elia diſſentio: Mors tibi Domine Ieſu euitanda eſt, opprobria, verbera, crux ipſa fugienda: idcirco montis ſtationem cõſulo, & nos hìc perpetuo manſuros exhortor. Matth. c. 17. *Reſpondens autem Petrus, dixit: Domine bonum eſt nos hic eſſe*. Quaſi dicat: Hic à calumnijs liberi, ab iniurijs immunes, mortis ſecuri, non Hieroſolymis, vbi ſputa, funes, claui, ſpinæ, lancea, crucis dedecus te expectat. Proh quam diuerſa ſunt mortuorum, & viuentiũ iudicia! Moyſes mortuus, Elias cũ huius ſæculi viuentibus iam non agens pro Chriſti morte calculum ferunt, ipſumque ad moriendum exhortantur: Petrus viuens illum à morte conatur auertere: ſed ideo ab Euangeliſtis tanquam neſciens, & incautus reprehenditur, Luc. 9. *Neſciens quid diceret*. Fateor Petri reſponſionem ab amore Chriſti profectam, quo ſic erat accenſus, vt non aduerteret quot damna emergerent, quot bona abſcinderentur, niſi Chriſtus pro hominum ſalute moreretur. Hinc D. Ephræm orat. de transfigurat. cum Petro ſic expoſtulat, Chriſti D. Ephr. nomine. *O Simon quid dicis? Si hìc manſerimus, quis implebit verba Prophetarũ? Quis obſignabit verba præconum? Quis peraget myſteria iuſtorum? Si hìc manſerimus, vbi illud, Foderunt manus meas? Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, cui adaptabitur? Si manſerimus hìc, Adæ Chirographum quis ſcindet? eius debitum quis exoluet? indumentum gloriæ eius quis reſtituet? Si manſerimus hìc, quæ dixi tibi quomodo fient? Eccleſia quomodo ædificabitur? Claues Regni cælorum quomodo accipies? quem ligabis? quem ſolues? Si hìc manſerimus, ceſſabunt omnia, &c.*

Alij, in quibus Maldonatus, ad eum locum, verbum *reſpondens* ad Hebraiſmum aptiùs referunt: Vnde Petrus, nulla facta interrogatione locutus eſt. Quoquo tamen modo id acciderit, magnam circa Saluatoris paſſionem inaduertentiam, & ignorantiam oſtẽdit; vel minimùm ſuggillandus videtur, eo quòd, vt S. Damaſcenus Oratione de transfiguratione adnotauit, quantũ ipſius verba ſonant, diuinæ Incarnationis fructum inter eos tantùm, qui in monte erant, concludere nitebatur. *Decebat etiam*, inquit, *non* Matth. 17. *ſolum perſtringere fructũ Incarnationis ad opus exiſtentium in monte, ſed diffundi ad omnes credentes, quod per crucem & paſſionem erat conſummandum*. Damaſc.

Singularis planè eſt D. Antonij Paduani in hanc rem cogitatus,

nec

nec ab alijs Eccleſiæ Patribus, & Doctoribus, quos legerim, proditus (forte Dei Verbum, Patris ſapientia, ſub tenella pueri amabilique figura Antonio aſsiſtens, plus cæteris ipſi hac in parte detexit) Igitur duo Lyſiacus Pater ille, patriæ ſplendor, ex ſe ipſo ſciſcitatur: Primum, an in illis comitijs apud Thabor habitis vltra Moyſem & Eliam, qui pro naturali, & ſcripta lege adſtiterant, Petrumque, Iacobum & Ioannem, qui legis gratiæ vices fungebantur, pro cæleſtium ſpirituum parte Angelus quiſquam adſtiterit, vt reuera conueniens videbatur: ſiquidem Chriſti mors comitiorum materies erat; & in ijs, an mori deberet, vel non, ab

Luc. 9. adſtantibus tractabatur. *Loquebatur de exceſſu*; Quod Angelorum pariter atque hominum, cæli & terræ reparationi conducebat. Et quidem Angelum ibi adfuiſſe

1. Antonius de Padua. reſpondet Antonius: *Quantum ad primum*, inquit, *rationabiliter & piè creditur quòd tanta determinatio, in qua de recuperatione Angelica tractabatur, ſine ipſius Angeli præſentia facta non fuerit; maximè cùm de omni parte ad eam aliqui conueniſſent*. Ita ille ſerm. 1. Domin. 2. Quadrageſ. vbi inſuper addit, Angelum qui ibi adfuit, eundem eſſe, qui Chriſtum in agonia poſitum confortauit (ſiue ſit Michael, ſiue Gabriel) *Piè tamen poſſumus credere, quòd ille idem Angelus fuit, qui Chriſtum tempore paſſionis in agonia poſitum confortauit*.

Secundum ab Antonio quæſitum eſt, an omnes qui in comitijs aderant, pro Chriſti morte, de qua ibi agebatur, ſua ferrent ſuffragia, necne? *Secundum*, inquit, *eſt, vtrum loquentes de Chriſti paſſione, & pœna eius exceſſiua, pro hac proferenda allegarent & ſupplicarent, an non?* Omnes vnanimi conſenſu (reſpõdet) Chriſtum minimè ſuſtinebãt moriturum: ſolus ipſe ſubeũdæ morti ſe obijciebat. *Quantum ad ſecundum*, inquit, *dicunt aliqui*, 2. Antonius Padua. *quòd omnes hi Chriſtum Dei filiũ paſſurum determinabãt, & poſtulabant à Patre: Ego autem puto quòd omnes contrariũ allegabant, & ſolus Chriſtus erat qui ſeipſum elucidabat paſſurũ*. Nouum planè & peregrinitate inſolens Antonij iudicium iſtud eſt, in quo recenſitis Angeli, Moyſis, & Eliæ, aliorumque comitialium ſententijs, Petri ſuffragium fuiſſe autumat, quod Matthæus c. 17. prodidit dicens: *Reſpondens autem* Matth. c. 17. *Petrus dixit, Domine, bonum eſt nos hic eſſe*. Nullus autem ex Euangeliſtis aliorum, qui adſtiterant, ſententias commemorat, nec an Angelus adfuerit meminit. Illud tantum ſcribit Lucas cap. 9. quòd *loquebantur de exceſſu*: Luca 9. quid verò locuti fuerint, non enarrat: & fortè eodem aſpectu (ſi vera eſt D. Antonij ſententia) præſentiã Angeli eo in loco præ-

termi-

Digitized by Google

termiſit. Sed iam inquiro: Petri reſponſum, hac ſuppoſita ſententia, rectum iudicari debet? Planè rectum, reſpondet ibidem Antonius, *Sancta*, inquit, *ſiue deuota ſupplicatio ex pura ſimplicitate*. Et infra Petro colloquens, reſpõſi ipſius profunditatem commendat: *O Petre quàm profundè locutus es!* Nec vana laus: quoniam Petrus cæteris in reſpondendo ſe geſsit prudentiùs, quia cautiùs & attentiùs videtur locutus: Et fortè Deo dante ſic factum, vt Eccleſiæ Paſtor & caput futurus, quique Conciliorum præſes eſſet deſtinatus, vt ea probaret, improbaréve, ipſiusque diffinitiuæ ſententiæ ſtandum foret, quamuis Angeli contra loqui & ſentire viſi ſint, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 1. num. 8. *Si aliter Angelus de cælo euangelizet vobis, anathema ſit*; iam inde ſuis reſponſis inciperet fidem quęrere, & authoritatem comparare. In eo autem cæteris cautior inuenitur, quia ipſi, vt cenſuit Antonius, aperta contra Chriſti mortem ſuffragia tulerunt: at verò Petrus (vel peculiari Spiritus ſancti afflatu, vel prophetico impulſu pro cæleſtiũ bonorum amplitudine, vt ſupra monuimus) expertus quod ſibi acciderat, cùm paulò ante Satanas dictus fuerit apud Matth. 16. eo quòd Chriſti paſſioni ſe oppoſuerat, hìc apud Thabor non audet cum Moyſe, & Elia, & reliquis apertum ferre ſuffragium, vt tenuit Chryſoſtomus. Quamuis autem affectu conſenſerit, & Chriſtum pati noluerit, id tamen ſapiẽtior occultauit, verborũ ambiguitate vſus: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*. Et ſanè hanc Petri in loquendo prudentiam & cautelã aduertentes Euangeliſtæ ironicôs dixerunt, *Neſciens quid diceret*, vt cap. 2. ex D. Bernardi ſententia retulimus. Et verò prudentiſsima fuit & cautiſsima hæc Petri loquendi ratio, quaque reliquis apud Thabor ſôrs meruit anteferri. Itaque iam ibi Petrus tanquam Chriſti Vicarius, Eccleſiæ caput, Conciliorum præſes, diuinam authoritatem nactus, decreta & ſanctiones edere condiſcebat, quæ Dei Eccleſia cuſtodienda & obſeruanda amplecteretur. Cæterùm licèt hæc Petri ſententia aliarum comparatione cordatior prudentiorque extiterit; quia tamen executioni tradita Chriſti paſsioni obſtaret; ideo neceſſe eſt vt propter eam Petrus ignari cenſura feriatur: & nos ſub ſpeciali titulo de fructibus paſſionis, quos Petrus impediret, differamus.

[Margin: D. Antonius Paduan. — Galat. 1. num. 8. — Matth. c. 16. — Matth. cap. 17. — Lucæ 9.]

§. PRIMVM.

De paſsionis Dominicæ fructibus, quos Petrus ignoranter impedire nitebatur.

PRofectò paſsionis Dominicę fructus, quem Petri ignorantia, ſi permitteretur, impediret,

ret, adeò ingens fuit, vt omnem mentis humanæ ponderationem euincat. Primum enim & magnificum, quod Chriſti paſsio nobis peperit, donatiuum, fuit vitæ Deificæ largitio; quam vt nobis impertiret, teſte D. Paulo ad Corinth. 2. cap. 5. mortem obire, crucemque aſcendere feſtinauit. 2. Cor. 5. *Vt qui viuunt*, inquit, *iam non ſibi viuãt, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*. Deinde, vt nos à criminum noſtrorum fœditate ablueret, iuxta illud Apoc. 1. Ioan. cap. 1. Apocal. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Nec id ſola ſanguinis effuſione præſtitit, ſed ob eundem finem acutiſsimis paſſus eſt ſpinis coronari, vt peccatorum noſtrorum ſpinas doloribus ſuis abſumeret. Hinc eſt, vt affirmauit Origenes, ſpineam Chriſti coronam, in qua peccata noſtra cõtinebantur, in Ieſu capite fuiſſe conſumptam: & nouam ſingularemque ſententiam probaturus, acutè expendit in cap. 27. Matth. quòd milites, vt Chriſtum crucifigerent, ipſum coccinea veſte & regia exuerunt; cùm tamen coronam minime detraxerint (nõ enim id Euãgeliſtę meminerunt): & tamen vtrumque, illudentes, pro Regijs inſignibus abhibuerãt. Quapropter cùm ventum eſſet ad crucem, non ſolùm veſtem regiã, ſed etiam coronam, qua per ludibrium Rex fuerat inauguratus, detrahi oportebat. Noluit autem Dominus Ieſus, vt ex ipſius capite auferrentur ſpinæ: quippe cùm iuxta illud Geneſ. Geneſ. 3. num. 17. *Maledicta terra in opere tuo. Spinas & tribulos germinabit tibi*, peccata noſtra ſignificarent; in capite ſuo voluit abſumere, ſignificãs, quòd dum ſpinas dolorẽ ſuſtinens acerbiſsimum abſumebat, omnia generis humani peccata delebat. Origen. tract. 35 in Matth. *In ſpinea illa corona* (inquit Origenes) *ſuſcepit ſpinas peccatorum noſtrorum intextas in capite ſuo. Et de chlamyde ſcriptum eſt, quoniã ſpoliauerunt eum denuo chlamydem coccineam: de corona autem ſpinea nihil tale Euangeliſtæ ſcripſerunt*. At quænam huius diſcriminis cauſa? illam ſtatim reddit Origenes. *Ego arbitror*, inquit, *quoniam ſpinea illa corona ibi cõſumpta eſt à capite Ieſu; vt iam non ſint ſpinæ noſtræ antiquæ, poſtquam ſemel eas à nobis abſtulit Ieſus ſuper venerabile caput ſuum*.

Habuit autem hæc Saluatoris noſtri corona, vt fertur, ſeptuagintã ſpinas è marino iunco, quæ frontem ipſius acerbiſsimè terebrabant, vt totidem Orbis nationibus reſponderent: in quas, vt ſcribit Moyſes c. 32. Deuteronom. vniuerſum genus humanum partitus eſt Omnipotens. Theſaur. ſcriptur. Deut. 32 num. 8. *Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quãdo ſeparabat filios Adam: conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael*. Dei oculis huiuſmodi partitionem

medi-

meditantis Domus Iacob ſe obiecit,& cùm ſeptuaginta filijs ac nepotibus coronatã inſpiceret (totidẽ namque in Ægyptum Patriarcha detulerat) eundem nationibus Orbis numerum præſcripſit: Et cùm pro omnibus poſtea moriturus coronaretur, ſeptuaginta ſpinas elegit ad coronæ materiam, vt ſingulæ ſpinę nationibus ſingulis,& numero numerus ęquaretur. Quod mihi videtur innuiſſe Tertullianus lib. aduerſus Iudæos, cap. 13. dum propterea Chriſtum capite ſpinis impexo & terebrato obire voluiſſe teſtatur, quia pretioſiſſima amoris victima in ara crucis pro omnibus mundi nationibus offerebatur. *Corona*, inquit, *ſpinea in capite eius circundata: hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri ſacrificium*. Tertull.

Expediebat vt Dominus Ieſus, pro omnibus nationibus victima caderet ſpinis coronata, quibus omniũ peccata deſignarẽtur. Speciatim verò credit Ter. c. 23. lib. 3. cõtra Marcionẽ, Iudæorum peccata in illis ſpinis ſignificata:& ideo in hãc rem verba illa ex c. 5. Iſaię n. 6. detorquet; vbi Vates ſub vineæ metaphora, peccatorũ ſpinis & vepretibus horridam fore domum Iacob vaticinatur. *Non ſodietur,& aſcendent vepres & ſpinæ*, Iſai. c. 5. Meritò ſpinas & vepres dicta eſt germinare. *Fecerat enim*, ait Tertull. *ſpinas, quibus Dominum coronauerat, & nõ iuſtitiam, ſed clamorem, quo in crucem eum extorſerat*. Itaq. huius coronæ vepres, & ſpinæ ſunt peccata, & totidẽ numero, quot peccantiũ nationes extiterunt. Vnde iam neminem mihi dabis ex filijs Adam, qui ſuam in capite Ieſu ſpinam non infixerit: omnium & ſingulorum peccata ipſum in illis coronæ ſpinis lancinabãt. Huc, ni fallor, reſpicit illa apud Dauidem conqueſtio Pſal. 68. v. 12. *Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni*. Meritò ſe conſolatore deſtitutum conqueritur; quoniam ipſamet doloris cauſa ſolatium afferre non poterat. Quinimo nec mater innocentiſſima doloris acerbitatem valuit auferre: Siquidem dolor ille, extremaque deſolatio, maternæ fuit innocentiæ pretium: & vnde filius acerbè doluit, mater ne originali culpa moreretur, obtinuit. Non minus neceſſarium fuit vt filius pateretur, quò matrem, vt Adami filiam, à propagationis culpa originali eximeret, quàm vt reliquum genus hominum à peccato redimeret, quod ab eodem parente hæreditauerat.

Iſai. c. 5. Tertull. Pſal. 68.

Igitur in hac doloris acerbitate nullum in toto hominum genere, Chriſtus ſolamen inuẽnit: quia dolor ille pro omniũ liberatione tamquam pretiũ rependebatur. Vnde omnes coronæ ſpinæ mirificè cruciabant Redemptorem: qui nihilominus, vt in ijs hominum peccata deleret, in capite

ſuo voluit abſumere, vt ſpinarum punctiones acerbiſſimæ in filijs Adam culpas omnes extinguerent. *Spinea illa corona ibi conſumpta eſt à capite Ieſu; vt iam non ſint ſpinæ noſtræ antiquæ, poſtquã ſemel eas à nobis abſtulit Ieſus ſuper venerabile caput ſuum.* Quod quàm magnum ſit, & quãti faciendum, mens humana non capit: Siquidem veteres peccatorũ noſtrorum ſpinas extinxit, ſpineæ coronæ cuſpides exacuẽs, vt acerbiùs ipſum cruciarent. Et fortè glorioſior, tantoq. triũphatore dignior extitit corona illa, qua in Caluariæ monte redimitus apparuit, quàm illa in Thabor transfigurati maieſtas, Solis ſplendorem, niuis candorem exuperans, cùm ad ipſius conſpectum Petrus extra ſe raptus, paſſionis fructum inaduertenter impedire nitebatur.

Origen. tract. 35 in Matth.

Neque hic tantùm Dominicæ paſſionis fœcunditas ſtetit: alios edidit fructus: noſtrã enim ſitim reſtinxit, & vt dulciùs biberemus, ipſe amaritudine fuit epotus. Hinc eſt, vt non ſine myſterij ſacramento dixerit Ioan. c. 19. *Et cùm accepiſſet acetum, dixit: Cõſummatum eſt.* Quaſi dicat: Vbi primùm aceti potionem ſumpſit, omnia quæ perficienda erant abſoluit: *Conſummatum eſt:* quoniã exinde, quod paſsionis acerbitatem ſuſtinuit, & poſtremò expertus eſt aceti aſperitatem, nulla ſitis iam ſupererat, nulla relinquebatur amaritudo, quæ hominibus moleſtiã afferre potuiſſet. Ita mihi videtur piè meditatus D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. vltimo: *Bibit*, inquit, *Ieſus calicem, hoc eſt Paſſionem illam tuorum criminum redemptricem, vt ſic ſitim iſtius mundi ſacri potus cruore reſtinguas.* At qua ratione Chriſti paſsionem dixit potum, cùm à Prophetis mare amaritudinis, & caliginoſa tempeſtas nominetur? Audi Hieremiam Thren. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua:* Concinit Dauid Pſal. 68. *Veni in altitudinẽ maris, & tempeſtas demerſit me.* Reſpõdet Theophilactus, tam incredibili voluptate Saluatorem noſtrũ omnia ſubijſſe tormenta, vt hominũ peccata deleret; adeoq. plura patiendi ſiti æſtuaſſe, vt non mare, amaritudinibus inundans, ſed calicem dulcedine & ſuauitate plenum reputauerit. *Poculũ dicit Dominus ſuam mortem, ſimul oſtendens quòd leue ſit; & declarans quòd ipſe ſuauiter accedat ad mortem.* Et hûc reſpiciẽs D. Paulus ad Hebr. 2. dixit: *Videmus Ieſum propter paſſionẽ mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortẽ.* Expendendũ eſt cum S. Anſelmo verbum illud *Guſtaret*, quod incredibilẽ Chriſti in patiendo voluptatem declarat. Etenim amor, quo omnia ſuſtinebat, ita facilem & leuem reddidit tormentorum inundationem, vt poſtquam verberum & iniuriarum tempeſtate de-

Ioan. 19 | D. Ambr. | Thren. 2. | Pſal. 68. | Theophil. | Hebr. 2.

demerſum fuerit contemplatus, quaſi primis tantũ labijs acerbitatem illam guſtauerit, non contentus dixiſſe quòd mortem ſuſtinuerit, verbo vſus eſt, quod moriendi voluptatem, patiendique delectationẽ ſignificabat: *Guſtaret mortem*. Anſelmi verba ſunt: *Dico quia minoratus eſt, & hoc ideo vt guſtaret mortẽ, ideſt, horariam, & non longã; quaſi aliquid guſtando tranſiret pro omnibus*. D. Anſel.

Propterea Spiritus ſanctus in Cãticis Salomonis c. 3. n. 11. Spineam coronam appellauit diadema, & diem illam, in qua cæleſtis ſponſus acutiſsimis ſpinis coronatus, & cruentatus ad necem ferebatur, lætiſsimam dixit & fauſtiſſimam. *Videte*, inquit, *Regẽ Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die lætitiæ cordis eius*. Quo in loco tres Patres, Canticorũ interpretes hęc habent: *Lætatus eſt ſpiritu, licèt carnis cruciatibus vexaretur*. Acerbiſsimi dolores, ingensq; triſtitia gaudium & voluptatem afferebant: Vnde quò fortiùs vrgebat dolor, eò fæliciùs triumphabat voluptas; & inter ſpiſſas triſtitiæ nubes, gaudij lux & ſplẽdor iucundiùs enitebant: Non aliter quàm ignis ille, de quo Sapientiæ 19. num. 19. dicitur in medijs aquis fortiùs exarſiſſe: *Ignis in aqua valebat cõtra ſuam naturã*. Non aliter ignis, quo Elię victimę comburebantur, aquas ſuperiniectas corripuit, & in flammas conuertit, ac ſi in tædas piceas, & aretia ligna irrueret. Pari ratione ingens voluptas, qua Dominus ad patiendũ ferebatur, vbi primũ in vincula, flagella, probra, & tormenta irruit, ita dulcia reddidit, & iucunda; vt lætitiæ iucunditatiſque fomẽta potius dixeris, quã tormenta. Hinc eſt, vt tormentorum cruciatus in iucũditatis materiam Chriſto Domino verterentur; ſicut apud Dauid teſtatur dicens: *Propter hoc lætatum eſt cor meum*: Pſal. 15. v. 9. Porro quid eſt, *Propter hoc*, niſi quia tormẽta, ſpinę, flagella, patiẽti Domino voluptatis materiam ſuppeditabãt? Cùm enim illa omnia ex amore ſuſtinuerit, non tantũ valuit tormentorum acerbitas ad triſtitiam & dolorem, quantũ amoris præſtantia ad lætitiam voluptatemq. patiendam. Et verò Dominus Ieſus tormenta illa, vt generis humani commoda reſpiciebat: vnde plus de noſtris commodis lętabatur, quàm de ſuis afflictionibus triſtabatur. Itaque vt nobis potus dulcis efficeretur, quo peccatorum indulgentiam obtinebamus, dulcem ipſe paſsionis & fellis amaritudinem putauit: idcirco omnia dixit conſummata; nec quidquam homini iam expetendum ſupereſſe, poſtquam ipſe potatus aceto, peccatorum noſtrorum acorem, & acerbitatem dulcorauit. *Et cùm accepiſſet acetum, dixit: Conſummatum eſt*. Ioan. 19. Ioan. 19.

Cant. 3. — Sap. 19. — Pſal. 15.

§. SECVNDVM.

Chriſti paſsio aſpera & iniucunda, nobis dulcia & guſtui gratiſsima reddidit.

NOn ſolùm Chriſti paſsio potum nobis tribuit, ſed etiam cibum omni ambroſia dulciorem: quinimo in delicatiſsima vertit obſonia, quæ aliter edi non poterant. Petrum appello teſtem; cui, vt refert S. Luc. Act. 10. Sindon quatuor angulis appēſa, quadrupedibus, immundisq. animalibus plena è cælo ſubmittitur; & ipſe famelicus admonetur, vt ſurgens occidat, comedat, faméq.
Act. 10. extinguat. *Et vidit cælum apertũ, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli: & facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.* Act. 10. v. 11. 12. 13. Quid interim Petrus? Etſi fame premeretur, cibi ſpurcitia detentus, & animalium pauore deterritus, reſpondit: *Abſit Domine: quia nũquam manducaui omne commune & immundũ.* Ibid. v. 14. Cõmonetur iterum; & animalia quæ monſtrabantur, omnẽ exuiſſe immunditiam, ac in cibum adhiberi poſſe, edocetur. *Et vox iterùm ſecundò ad eũ: Quod Deus purificauit, tu cõmune ne dixeris.* Ibid. v. 15. Duo hic inueſtiganda ſunt. Primum, quid animalia hæc ſignificent? Secundũ, quale erat linteũ, quo deferebantur? Caſsianus 3. de inſtit. renunt. cap. 31. in prædictis animalibus, peccata, quibus infecta erat gentilitas, ſignificari exiſtimat: *Omnes gentes,* Caſsian. c. 3. de inſtit. renũciat. c. 31 inquit, *quæ quondam extra legis obſeruantiam poſitæ habebantur immundæ, per credulitatem fidei conſtituentes, vt ab idolorum cultu ſalubriter immolẽtur, atque ad ſalutarem eſcam proficiant, Petro purificãte, voce Dominica deferri.* Idem etiam tenuit S. Hieron. in cap. 3. Thren. *Macta,* inquit, *& manduca, id eſt, vetuſtatem earum contere, & in corpus Eccleſiæ videlicet, & tua membra conuerte.* Hæc de animalibus. D. Hier.

Iam ſindonem deplicemus, & quid in ea nobis ſignificatum ſit, inſpiciamus. Gloſſa interlinearis ad eũ locum, in eo linteo, Chriſti mortui corpus agnoſcit. *Vas,* inquit, *corpus Chriſti, quod eſt vt linteum, quoniam ſine ſemine conceptum candorem caſtitatis cuſtodit, & quia mortuum: magnum verò propter Deitatis conſortium, & quia reſurrexit.* Gloſſ. interlin. Caſsianus loco citato Chriſti paſsionem linteum illud deſignare arbitratur. *Non ait linteum,* inquit, *ſed quaſi linteum: linteum quippe mortificationis indicium eſt. Quoniam igitur mors Dominica paſsionis non humanæ naturæ lege, ſed propriæ voluntatis tribuitur arbitrio, quaſi linteũ dicitur. Mortuus enim ſecundùm carnem, non eſt ſecundùm ſpiritum mortuus:* Caſsian.

Quia

Digitized by Google

Quia nec derelicta eſt anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Hæc metaphoræ adhærens Caſſianus. At verò Diuus Ambroſius lib. 10. in Lucam, vas illud, ſiue linteum, minimè metaphoricum, ſed reale, verumque extitiſſe aſſeuerat. D.Ambr. *Bonum linteum*, inquit, *miſit Ioſeph, ille iuſtus: & fortaſſe fuit illud, quod Petrus vidit de cælo ad ſe miſſum, in quo erant genera quadrupedium, atque ferarum*. Ambroſio adſtipulatur S.Hilarius canone 33. in Matth. vbi non addubitans, ſed aſſeueranter, id aſfirmat. D.Hilar. *Ioſeph*, inquit, *munda ſindone corpus inuoluit: & quidem in hoc eodemque linteo reperio de cælo ad Petrum vniuerſorum animalium genera ſubmiſſa*.

Cæterùm ſeu linteũ iſtud Chriſti mortui corpus, ſeu paſſionem ipſius adumbrauerit; ſeù, vt hic Ambroſius & Hilarius affirmant, eademmet ſindon extiterit, qua Ioſeph Chriſti corpus inuoluerat; non abs re Petrus admonetur, vt animalia ibi contenta manducet. *Petre occide, & manduca:* Quoniam, ſi quæ præcipitur manducare, cum D. Hieronymo & Caſſiano, Gentilium peccata intelligas: cùm in linteo, hoc eſt, Chriſto mortuo, vel ſindone, qua fuit corpus eius inuolutum, proponantur edenda, non iam peccata, ſed iuſtificationes reputari debẽt. Tantum lintei illius cõtactu profecerunt. Vnde iam non faſtidioſè tamquam immunda reijcere, ſed veluti ſanctificata par erat auidiſſimè deuorare. Quoniam paſſio Saluatoris filiorum Adam iniquitates diſſoluit, immunditiam abſtulit, ac ex immundis animalibus, in putificata, & immolatione digna immutauit: & ideo Petro dicitur: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*. Act. 10. Ac ſi ipſi diceretur: Ne vereatis ò Petre his veſci quadrupedibus: vbi enim tam munda candidaque mãtilia contigerunt, omnem immũditiam credenda ſunt amiſiſſe? Quid ni? Chriſti paſsio, linteo ſignificata, vel ipſummet linteum, quo mortuus ſepelitur, peccatorum ſpurcitiam mundaret: & quæ faſtidium afferre potuiſſent, ita dulcia redderet, & iucunda, vt auidiſſimè manducari debuiſſent: *Occide, & manduca*. Hinc certè Chriſtus in cruce mortuus fideliũ animabus pulchrior viſus eſt, quàm in Paradiſo primæ fœminæ pomum vetitum apparuit, in quo ſuam & noſtrum omnium mortes deuorauit. *Pulchrum oculis, aſpectuique delectabile:* Geneſ. 3. Mortem illa in mali pulchritudine inuênit. Meliori forte Chriſtiani, ait Auguſtinus in Pſalm. 44. in Saluatoris crucifixi decore vitam inueniunt. *Chriſtus crucifixus, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitia: nobis credentibus vbique ſponſus pulcher occurrat: pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero: pulcher in manibus parentum,* D. Aug.

pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro, pulcher in intellectu. Oppoſuit, ni fallor, Auguſtinus arboris vetitæ pomũ; vnde mors in hominum genus profluxit, fructui, qui in cruce pendens vitam nobis reddidit: & ideo libranda ſunt verba: *Pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro.* Item; *nobis credentibus vbique ſponſus pulcher occurrat.* Quaſi diceret: Nobis credentibus pulchrior apparuit Chriſtus morte, flagellis, ſputis deformatus, quàm Euæ pomum vetitum, quod comêdit: & ideo huius differentiæ aſpectu Petro fidelium omnium capiti dicitur: *Occide, & manduca.* Quod perinde fuit, ac ſi diceretur: Nullatenus peccata gentilium turpia, & deteſtanda reputes: quoniam tibi in Chriſti demortui pulchritudine poſita, vel in linteo, quo inuoluta eſt eadem pulchritudo, vel in ipſomet paſsionis, & mortis decore, præſentata offeruntur: vnde non iam veluti fœda reijcere, ſed vt pulcherrima & delectabilia comedere poteris. *Occide, & manduca.*

Poſſumus etiam prædicta verba de peccatorum indulgentia interpretari, quam Petrus peccantibus impertire iubebatur. Vnde *Occide, & manduca*; hoc eſt, indulge, & venia comedens, in Eccleſię corpus & membra cõuerte; vt iam ex D. Hieronymo adnotatum ſupra reliquimus. *Macta* D.Hier.

& manduca, ideſt, vetuſtatem earum contere; & in corpus, Eccleſiæ videlicet, & tua membra conuerte. Fallar, niſi, quæ hic Petro ſuggeruntur, euentum illum reſpiciunt, de quo Matthæus cap.18. num.21. meminit: cùm Petrus Chriſtum interrogauit; An peccāti ſepties veniam indulgere debuiſſet: *Domine, dimittam ei vſque ſepties?* Cui Dominus reſpondit: *Non dico, vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Nimis largum in condonandis peccatis ſe reputabat Apoſtolus, ſi veniam vſque ad ſeptenarium numerum protraheret. *Magnum quid*, inquit Chryſoſtomus, homil.62. in Matth. *ſe allaturum Petrus putauit: idcirco quaſi gloriabundus vſque ſepties intulit.* Verùm Dominus Petri parcitatẽ, & animum ad indulgentiam non perfectè pronum ſuggillans, veniā ad ſeptuagies ſepties extendit: quo numero, vt cenſuit Chryſoſtomus, omnem ab indulgentia numerum excluſit. *Qua quidem oratione*, inquit, *nullum omnino numerum poſuit, ſed indefinitè, continuè, ac ſemper ſignificauit.* & infra: *Non ergo certo numero indulgentiam concluſit, ſed continuò atque ſemper indulgendum eſſe denotauit.*

Matth. cap.18. D.Chryſ.

Magnum in vtroque numero, Chriſti videlicet, & Petri myſterium Tertullianus inuenit lib. de orat. c.7. quoniam ſupplicij, & vindictæ lexijs numeris ſolita fuit exerceri:

vt

vt videre licuit in Cain, à quo ſepties, & Lamech, à quo ſeptuagies ſepties delicti pœna dicitur expetita. Geneſ.4.n.4. *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Voluit autem Chriſtus, ad prædictos numeros & vltra veniam extendens legem in melius reformare. Vnde, vt monuit Tertullianus, ſicut in Cain & Lamech per eoſdem numeros ſupplicij rigor, diſtrictaq. vindictæ ſeueritas decurrerat, veniæ miſericordiæque decretum non ſolùm tales numeros expleret, ſed etiam tranſcéderet; atque adeo nō ſolùm ſepties aut ſeptuagies ſepties, ſed vltra omnem numerum venia peccantibus donaretur. *Vt Legem*, inquit, *in melius reformaret, quòd de Cain ſepties, de Lamech ſeptuagies ſepties vltio reputata eſt.* Quòd ſi Legem dixit in numero reformatam, *Vt Legem in melius reformaret*; planè innuit, indulgentiæ legi nullum eſſe numerum præfigendum. Et verò (vt conijcio) Legem propterea in omnibus reformatam dixit Tertullianus, vt vbique indulgentiæ lex, vltionis legem ſuperaret. Et eſto in vindicta numeri ratio habita fuerit, vt in Cain, de quo in ſeptima generatione punitum fuiſſe nonnulli tradiderunt: & in Lamech, qui ob Cain homicidiū, in ſeptuaginta filijs (tot enim habuiſſe ſcribit Ioſephus lib. 1. antiquitatum,) vltionem ſenſit, ipſis diluuio pereuntibus. At verò gratiæ & indulgentiæ lex numeros omnes tranſcendere; imò ad infinitum excurrere oportebat, vt ſic in melius reformata cenſeri potuiſſet: *Vt Legem in melius reformaret.* Itaque dum Chriſtus Petrum admonet, vt non ſolùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties peccanti veniam indulgeat; perinde eſt, ac ſi dicat, vltra omnem numerum, ac menſuram peccata remitti oportere: & ideo licet in infinitum crimina augerentur, nunquam venia negaretur; *Non dico ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.*

Geneſ. 4. / Tertull. / Perer. in Gen to 1. lib. 7. Ioſeph. / Tertull. / Matth. c. 18.

5 D. Auguſtinus in vtriuſque numeri ſupputatione hanc interminatæ indulgentiæ conditionem ſubtiliter inuēnit: vnde ſerm. 15. de verbis Domini ita ratiocinatur: *Non tamen ſine cauſa Dominus ſeptuagies ſepties dixit: nā Lex decem præceptis commendatur. Lex enim per decem, peccatū per vndecim ſignificatur: quia tranſgreſſio denarij eſt: ſeptem autem ſolet pro toto computari, quia ſeptem diebus voluitur tempus. Duc autem ſepties vndecim, fiunt ſeptuagies ſepties. Omnia ergo peccata dimitti voluit, quia ea ſeptuageſimo ſeptimo numero præſignauit.* Ita ille. D. Hieronymus eoſdē numeros aliter ſupputans, eandem veniæ largitatem adinuēnit ad caput 18. Matth. *Vel*, inquit, *intelligendum eſt: ſeptuagies ſepties, id eſt quadringentis nonaginta vicibus, vt toties peccanti fratri dimitteret; quoties ille*

D. Aug. / D. Hier.

peccare poſſet. Verùm quacunque ratione prædictorum numerorum ſupputationem, ſeu cum Auguſtino, ſeu cum Hieronymo conficias; illud tibi velim perſuadeas, quòd vterque ex ſua numerandi ratione interminatam criminum indulgentiam elicuit. Ita quod Chriſti ſententia fuerit non pluries peccatum admittendum, quàm venia largienda eſſet: vnde Petrus infinities peccantibus infinities remittere ſub numero ſeptuagenario admonetur.

Cæterùm inquiramus, vt quid tanta indulgendi largitas commẽdatur: ita quòd nullus veniæ terminus præfigatur, ſed peccata omnia, etſi infinita ſint, pœnitenti remittantur? Ratio eſt: quia cùm Dei miſericordia ſit infinita, & Chriſti paſſio valorem contineat infinitum; quicunque ipſius virtute peccanti veniam tribuit, nullo numerorum termino coarctari debet: vult enim Dominus, vt non tot ſint crimina, quin plures veniæ. Quapropter diuerſa animalium immundorum genera, peccatorũ ſimulacra, Petro oſtẽdens, ipſum admonuit, vt ea, prius indulgentia perimens, manducet. Act.10. *Occide, & manduca*. Cùm enim in linteo, vbi Chriſti paſſio valore inæſtimabilis figurabatur, edẽda proponerentur; *Omne peccatorum genus*, licet numero eſſent infinita, largiter remittere poterat. *Occide, & manduca*. Quod tantundem valet ac illud Matth. c.18. vbi indulgentia vltra omnẽ numerum impendi ſuadetur. *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*. Matth. 18. Hoc eſt, infinitus peccatorum numerus te minimè deterreat; ſed omnia largiter remitte.

Nec dubito quòd ad huiuſmodi veniæ largitatem ſignificãdam ſub Solis occaſum languidi omnes, & infirmi ſanitatem recepturi ad Chriſtum adducuntur. *Veſpere autem facto, cùm occidiſſet Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes*. Matth. 8. At cur omnes infirmi, & eo tempore, nimirum cadente Sole, adducuntur? Cur potiùs ſub auroram vel meridiem non veniunt ſanitatem recepturi? Sola occaſus hora recipiendæ ſanitati commoda reputatur? *Cùm occidiſſet Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes*. Meritò Solis occaſus eligitur, reſpondet D. Hieronymus in cap. 8. Matth. quia Sol ille Chriſtum iuſtitiæ Solẽm in paſſionis ſuę occaſu conſtitutum ſignificabat. Ibi enim moriens omnes animarum ægritudines curauit, omniaque filiorum Adam peccata ſanguinis ſui pretio, quo ad ſufficentiam remiſit. *Omnes*, inquit, *non mane, non meridie, ſed ad veſperam curantur, quando Sol occubiturus eſt, quando granũ tritici in terra moritur, vt multos fructus afferat*. D. Hier. Nec ſolis animabus medelam adhibuiſſe contentus, corporum etiam infirmitates repulit, hac ratione paſſionis

ſionis ſuæ pretium valoremque ſignificans: ſiquidem ea peccatorum omnium, quamuis infinita extitiſſent, veniam nobis promeruit.

Cùm autem tot tantaque bona Chriſti paſsio nobis allatura eſſet, & noſtrorum criminum largiſſimã indulgentiam paritura; nihilominus apud Thabor Petrus eam viſus eſt impedire voluiſſe, fructuſque inde orituros præcidere; in quo, vt ſupra ex citatis Patribus docuimus, illius ignorantia conſtitit. Verùm ob intentionis rectitudinem venia, & excuſatione dignus à S. Gregorio reputatur ad c. 2. lib. 1. Regum cuius hæc ſunt:

D. Greg. *Euangeliſta quippe non affectum Petri, ſed rationem reprehendit: quia cum Domino aſſumptus in gloria ſeorſum, ſic eſſe ſemper cupiebat, & pro redemptione communi, eum ad ignominiam crucis deſcendere nolebat. Neſciebat ergo quid diceret, ſed ardenter quod videbat amabat: quia profectò tantum bonum videbat, quod ſic non amari nullatenus poterat.* Ita ille. Et eodem loco ad illa verba,

1. Reg. 2. *Ait ergo Samuel: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*, Petri affectum apud Thabor Samuelis hęc verba proferẽtis affectui æquiparat.

D. Greg. *Quem profectò*, ait, *affectũ bene Petrus inſinuat: qui cùm transformato Domino in monte aſſiſteret, refulgentemque faciem eius ſicut Sol cerneret, & ad inſtar niuis albentia veſtimẽta eius conſpexiſſet, ait: Bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Qui enim dicit: Bonum eſt nos hic eſſe; ſi poſſet, ab illa viſione tantæ gloriæ nunquam deponi voluiſſet. Dum enim dicit Petrus: Domine, bonum eſt nos hic eſſe; & Samuel dicit: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus; voces quidem diuerſæ ſunt, affectiones æquales.*

§. TERTIVM.

Mirum nõ fuit Petrum apud Thabor Dominicæ paſſionis ignorantia premi; cùm idem Chriſtus paſsionem ſuam præ nimia illius acerbitate, & crudelitate viſus ſit ignoraſſe.

INcredibilis planè fuit Chriſti paſsionis acerbitas, acutiſsimi dolores, & cruciatus immaniſsimi extiterunt: tam dira à perſecutoribus ſuis Dominus Ieſus tormenta ſuſtinuit & flagella, ſic vltra barbaræ crudelitatis menſuram ab hoſtibus fuit exceptus, vt ore Dauidico locutus Pſalm. 34. nu. 15. verberum & flagellorum ignorantiam habuiſſe teſtetur: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*. Pſal. 34. Multipliciter quidẽ, inſpectâ paſsionis indignitate, torméterúmque rigore ac immanitate, potuit Dominus Ieſus ſuæ innocentiam reſpiciens, & quàm ſine cauſa à perſecutoribus ſuis

ita

ita crudeliter exciperetur animaduertens, ignorantiã profiteri: *Et ignoraui*. Verũ nullibi aptiùs, quàm in flagellis propter eorum ſæuitiem & impietatem dicere potuit; *Et ignoraui*: Pilatus enim, cuius imperio flagellabatur, ipſi fauere ſtudebat, nec vt torqueretur, ſed vt morti eriperet, verberandũ præceperat; ſedata interim flagellis rabie perſequentium, vt cenſuit D. Auguſtin. in Pſalm. 66.
D. Aug. *Non perſequendo*, inquit, *flagellauit Dominum Pilatus, ſed Iudæorum furori ſatisfacere volens, vt vel ſic miteſcerent*. Verùm nõ proinde à morte exemit, ſed, fruſtrata, quã habuit, intentione, multiplicatis doloribus acerbiorem reddidit, & magis difficilem toleratu: Quinimo iudicis fauor, qui vt plurimùm reis prodeſt, innocenti maximo fuit nocumento: & ideo forſan dixit, *Et ignoraui*. Hinc etiam eſt, vt Lucas cap. 18. num. 32. ſola cum morte verbera, poſthabitis alijs iniurijs, copulauerit, vtrumque
Luc. 18. conſequenter adnectens. *Traditur enim gentibus*, inquit, *& illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: Et poſtquam flagellauerint, occident eum:* Expendenda ſunt verba, *Et poſtquam flagellauerint, occident eum*. Vt quid poſt flagella ſtatim occidendum commemorat? Planè, vt oſtendat, quòd licèt Pilatus cruci ſubtrahere intendens flagellauerit; non liberationi, ſed damnationi flagellationem illam conduxiſſe: vnde ſatiùs foret, ſi Iudæorum furori obſecundans, abſque flagellis crucifigendum tradidiſſet.

Accidit tamen hic (vt monet Auguſtinus) quod viatori vſu venit, qui ne tranſuadando flumini cum vitæ periculo ſe committat, circuit pontem inuenturus: cùmque diſsipatum aſpiciat, non ſine fatigatione regreditur, rediitque viam, & tandem aquis ſe cõmittit tranſiturus; cùm longè ſatius eſſet, vt citra laborioſos inutilesq; circuitus flumen illico tranſuadaret. Non aliter Chriſtus flagellatus eſt ne moreretur, & poſt flagella occidendus extrahitur: *Et poſtquam flagellauerint, occident eum:* Idcirco flagellorum causã & atrocitatem ignoraſſe fatetur: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*: D. Auguſtinus loci huius expoſitionem huc referẽs, legit: *& ignorauerunt*. Tam ſæua D. Aug. verberum grandinauit tempeſtas, vt etiam tortores lateret, quòd tuendæ vitæ cauſa verberarent: vnde ita immaniter cæciderunt, vt inter flagella vitam poſſet amittere. Quin etiam, & Pilatus mortem viſus eſt accelerare, dũ ab ea liberare nitebatur; & ideo ignorans etiam dici poterit, ſi pluraliter cum Auguſtino legere placebit ex Græco; *& ignorauerunt*. Hebræum enim, vt tranſtulit vulgatus, ſingulariter loquitur, *& ignoraui:* Non quia vnus tantum illius crudelitatis fuerit executor;

plu-

plures enim extiterunt Dominum flagellantes: ideo Symmacus pro *Symmac.* *flagellis* trãſtulit *percuſſores*. Quaſi dicat; non vnus, ſed plures ad flagellandũ conuenerunt, viciſſim ad æmulationem ferientes; vel ſimul, ne alij crudelitate ab alijs ſuperari viderentur. Et quidem ſex robuſtiſſimos iuuenes, viribus & crudelitate pares, ad flagellandũ deſtinatos fuiſſe ſentit D. Hie- *Gloſſ. ord.* ronymus, vt refert Gloſſa ordinaria, qui bini & bini Dominum verberarunt. D. Chryſoſtomus homil. 23. in Matth. & Euſebius Cæſarienſis verba illa Iſaiæ c. 53. *Iſai. 53.* exponens, *Diſciplina pacis ſuper eum*; tria flagellorum genera fuiſſe commemorat, quibus carnificinam illam milites exercuerunt; nimirum virgis, funiculis, & ferreis catenis. Alij de mente Hieronymi, bis flagellatum fuiſſe Dominum exiſtimant: ſemel antequàm Iudæis à Pilato oſtenderetur, vt tali ſpectaculo ad commi- *Ioan. 19* ſerationem moueret, dicens, *Ecce homo*. Quò videtur reſpexiſſe *D. Aug.* Auguſtinus, dum ait: *Non perſequendo flagellauit Dominum Pilatus; ſed Iudæorum furori ſatiſfacere volens, vt vel ſic miteſcerent*. Iterum, poſtquam capite damnatus fuit, iuxta Romanorum conſuetudinem, qui reos flagellabant antequàm ad moriendum extraherent.

Cæterùm, quomodolibet id acciderit, indubitatum mihi eſt, plurima fuiſſe verbera. Quinque millia enumerat S. Bonauentura *S. Bonau.* de Paſſione Domini; quæ totidẽ ſupra ſeptuaginta ſex plagas in ſacratiſſimo Saluatoris corpore impreſſerunt. At verò Beata Gel- *B. Gelt.* trudes lib. 4. Diuinarum inſinuationum cap. 35. aſſerit, ſibi reuelatum, quatuor centum ſupra quinque millia fuiſſe verbera Saluatoris. Aquilanus ſermone de *Aquilan.* amara Chriſti paſſione, tenet Diuum Bernardum reuelatione accepiſſe, Chriſtum Dominum ſex mille ſexagintaq. verberibus fuiſſe percuſſum. Nec exiguus fuit numerus flagellantium (nonnulli ſenarium exceſſiſſe credunt.) Alij ab integra militum cohorte, quæ mille iuxta veriorem ſententiam continebat, verberatum autumant. Quod diuinæ Legi apud Deuteronom. cap. 14. ſtatutæ videtur congruere: ibi enim ſtatuebatur vt blaſphemiæ reus omniũ audientium manibus plecteretur. *Educ blaſphemum & ponant om-* *Deut 14.* *nes qui audierunt, manum ſuam ſuper eum*. Et certè Dominus balſphemiæ crimen admiſiſſe credebatur, eo quòd ſe filiũ Dei eſſe affirmauerat. Ideo forſan omnes cohortis milites in ipſum verberibus ſæuierunt, vnuſquiſque vires expertus, rabiemque ferinã exaturatus. Et fortè quia plurimi, quos nunquam de facie viderat Dominus, ſacratiſsimo ipſius tergo vulnera vulneribus iunxerãt, Dauidis nomine potuit dicere: *Congregata ſunt ſuper me flagella*, *Pſal. 34.* &

& ignoraui. Hinc etiam Pſal. 37.
Pſal. 37. ait, *Ego in flagella paratus ſum*.
Pſal. 72. & Pſalm. 72. *Fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis*. Non quòd dies integra flagellando tereretur, ſed quia tot & tam dira multiplicata ſunt verbera, ac ſi per diei ſpatiũ flagellaretur. Vnde ſic crudeliter lacerum reddiderunt, vt leproſi ſpeciem retulerit; hoc enim verbum *Flagella* ex Pſalm. 34. indicat, quod Angel. (vt doctus quidam interpretatur) lepram ſignificat, forte ob leproſi, & flagellati ſimilitudinem.

Nec verò quolibet modo, ſed immaniſsimè percuſsũ exiſtimes, quia milites crebri vtrâque manu virgas, funiculos, catenas, ingeminabant: vnde ſulcatis carnibus oſſa detegebantur, ſicut ſanctiſsima Deipara B. Brigittæ reuelauit.
L. 1. Reuel. c. 10. *Vidi*, inquit, *corpus eius verberatum, & flagellatum vſque ad coſtas, ita vt coſtæ eius viderentur: Et, quod amariùs erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur*. Hinc vberrimo ſanguinis profluuio totum corpus manabat & locus columnæ vicinus ſanguine inundabat: vnde poſtea cedentem ex ſanguinea veſtigiorum impreſſione Filium ſuum Mater Beatiſsima teſtatur agnouiſſe. *Locum, vbi ſtabant pedes Filij mei, totum repletũ vidi ſanguine, & ex veſtigijs Filij mei cognoſcebam inceſſum eius*. Adde flagellorũ ſæuitiẽ eo maiorem reputandam, quo tenerior erat & delicatior Domini caro; cuius tam mollis, & tenera cutis erat, vt vel leuiter tacta ſanguine rubeſceret. *Cutis eius*, inquit, *ſic tenera & gracilis erat, quòd nunquã ita leuiter flagellabatur, quin ſtatim exiret ſanguis*. Quid ergo mirum, vt in tanta flagellorum ſæuitie, tortorum immanitate, plagarum numero ſupra numerũ, ſanguinis inundatione, lacerato vndique corpore ſe Dominus circumſpiciens diceret; *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui?*

Solet aliquando in ſacris litteris, quod valde extraneum eſt, atque ab omni menſura, & regula exorbitat, vel non ſicut oportebat, ordinatur, ignotum appellari: quod monuit S. Auguſtinus epiſtol. 47. verba Chriſti diſcutiens Matth. 7.
apud Matth. 7. n. 23. *Nunquam* D. Aug.
noui vos. Vbi ita quærit: *Quid eſt autem quod ille non nouit, qui vtique nouit omnia, ſiue bona hominum, ſiue mala?* Et reſpondet: *Sed quid eſt, non noui vos, niſi, tales vos ego non feci?* Ac ſi diceret, ſemper vos vt incognitos, extraneos & alienos reputaui, quia non tales inuêni, quales eſſe debuiſtis: vel quales feci, ſed longè alios peccatis criminibuſque oppletos & deformes, ex leges, rationiſque expertes; hinc eſt, vt tanquam alienos, & à domo mea peregrinos non agnoſcam. *Nunquam noui vos*. Eodẽ etiam ſenſu verba illa Pauli ad Corinth. 2. c. 5. n. 21. 2. Cor. 5.

Qui

Qui non nouerat peccatum, exponit, quia peccatum nō admiſerat; vtpote quod à Dei Filio valde alienum & abhorrens cenſebatur. Pari ratione de flagellis philoſophādum eſt. Cùm enim adeo crudelia fuerint, & inhumana, vt mēſuras omnes, & leges tranſgrederentur; idcirco ea ſe dicit ignorare. *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*. Cùm audis verberum ignorantiam, doloris ſenſum abfuiſſe ne credas: non enim ideo dicit, *ignoraui*, quia non ſenſerit, imò quia impensè, & ſupra omnem cogitatum doluit. Et quidem tam inhumana ferìtas, efferataque immanitas credi nō poterat, etiam cùm ſenſu oculiſque perciperetur.

Acutum & elegans in hanc rem profecto Ruperti cogitatum. Is enim lib. 13. in Ioannem expendens, qua ratione Chriſtus poſt orationem, in hortum venienti. bus vt comprehenderent, prudēs, ſcienſque obuiā proceſſit, vt Ioānes 18. num. 4. teſtatur. *Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit*: Et illico armata cohortex in ipſum protinus capiendum irruente ſciſcitatur: *Quem quæritis?* Vide, inquit Rupertus: *Non dixit, ecce ego, quia me quæritis; ſed, Quē quæritis?* Certè ſatiùs hoc videri potuit dicturus, qui quæri ſe nouerat, quàm, *Quem quæritis?* At in promptu cauſa eſt: nonnulla ſunt adeo extranea & peregrina, vt credi non capiant, etiam cùm videntur. Crudelis ita perſecutio, tot armati milites, tam maledictus furor, rabieſque ferina capiēdo agno innocentiſſimo, gladijs, & fuſtibus armata; cui non ignota & peregrina? Certè Chriſtus, ſumma veritas & innocentia, hoc viſus eſt ignoraſſe. Cùm enim eſſet innocentiſsimus, & omnium ſalus, mirum non eſt, vt nocentes abſolui, reos liberari, ſeipſum capi & damnari videns, ignorare ſe dicat: *Quia reuera*, ait, *talem perſecutionis modum veritas neſcit, ſalus ignorat*. Vnde non in ſolis flagellis, ſed in quibuſuis paſſionis ſuæ tormentis dicere potuit: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*.

Io. 18.

Rupert.

Cæterùm, qua ratione flagella potuiſſet agnoſcere, illaque ſuſtinendo diſcernere, quàm impiè, quàmque crudeliter, & ingratè ab hoſtibus exciperetur? cùm aliquando templum ingrediens, vt in reos ac profanos animaduerteret, & flagellis caſtigaret; quanquam præ manibus ſumpſit quaſi flagellum, inſuperque domus ſuæ reuerentia, & æterni Parentis honor vrgebat, in maioris clementiæ argumentum, zelum quo ardebat cauſatur, illud Pſalm. 66. verſ. 10. reſpiciens, *Zelus domus tuæ comedit me*. Et verò diſcipuli, vbi primum præceptorē flagella portantem, profanoſque eijcientem inſpexerunt, vt refert Ioan. cap. 2. illud idem Pſalmographi in memoriam Pſal. 66.

Ioan. 2. moriam renocarunt: *Recordati ſunt verò diſcipuli eius quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* Sed videamus quo flagello ſacrilegos percutere molitur. Nō bene dixeris flagellum, quod ex columbarum ligaturis confecerat: cautiùs Euangeliſta, quaſi flagellum dicere voluit, non flagellum; quod non vt percuteret, ſed vt corrigeret & terreret, miſertus potiùs, quàm indignatus, Ioan. 2. confecerat. *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* Vbi perbellè Eutim. Eutimius: *Scire oportet*, inquit, *quòd homines facto flagello non verberauit; ſed ipſos quidem exterruit, ac expulit.* Et verò notat Auguſtinus tract. 10. in Ioannem, Dominum Ieſum, facto de funiculis flagello impios exterrētem, eò miſericorditer reſpexiſſe, ne poſtmodum manibus ligatis & pedibus in Tartarum detruderentur, hac flagellorum minitatione D.Aug. perterriti. *Fecit*, inquit, *Flagellum de reſticulis, & ad hoc admonet eos, vt mutent ſe, & ne ſint negotiatores; nam ſi ſe non mutauerint, audient in fine: Ligate illis manus & pedes, & proijcite in tenebras exteriores.*

Nec verò tantùm flagella reſumpſit, vt timorē veluti ſeruis incuteret, quātùm vt filios ad amorem & reuerentiam benignitate & manſuetudine prouocaret. Hinc exiſtimat D. Hieronymus interim dum iſta perageret, è vultu ſuo quoſdam maieſtatis Diuinę radios emiſiſſe fulgentiſsimos. *Igneum* D.Hier. *quoddam*, ait, *ac ſydereum radiabat ex oculis eius & Diuinitatis maieſtas lucebat in facie.* Nec alio credo, ſine ſplendor ille erupit, quàm vt faciliùs, minorique dolore corrigeret quos amore & reuerentiâ ſtudebat trahere, non timore. Cur ergo qui ita mitem ſe præbet ac manſuetum, de rigore apud Patrem zeli excuſationem prætexit? *Zelus domus tuæ comedit me.* Ideo certè, quia tàm mira eſt ipſius benignitas, vt ſumpto vix flagello rigidum ſe & nimis rigoroſum exhibuiſſe videatur. Ergo fieri poteſt vt zelus, quem in pectore Chriſti Dei honor accenderat, & manſuetudinis ſuæ limites tranſcendere coegerat, vt plurimùm, quaſi mentito, vt ita loquar, flagello, non verberet, ſed verbera minitetur? Ita planè: quia potentior eſt Chriſti benignitas, vt ipſum leniat, quàm zelus, vt in iram commoueat, & accendat. Sed proh boni ſuperi! quis non miretur, vt hæc eadem admiranda Saluatoris manſuetudo, raraque benignitas, tam ſine cauſa ab ijſdem, quibus nunc parcit, flagellis cæſa ſit: parum eſt ſcorpionibus diſcerpta, & lacerata, nuſquā tamen indignata. Scorpionibus dixi: O immanitatem inauditam! non his contenta eſt humana crudelitas: hamatos loros, catenas ferreas, nodoſas innocenti flagellando virgas adhibuit. Ita ne? Quis credat? At dubitare non

non licet. Verùm idemmet doloris ſenſus, qui verberum crudelitatem ignorare non ſinit, in cauſa eſt, vt tam immaniter flagellari innocuus vix arbitretur. *Et ignoraui.*

§. QVARTVM.

Mortem crucis, & ignominiam nuditatis, quam ibi pertulit Chriſtus, à ſe quoque dicere potuit ignoratam.

POtuit etiam Diuinus Saluator mortem crucis, quam ſubibat innocuus, dicere ignoratam: ſiquidem ob aliena crimina, non ob propria, ad mortem ducebatur. Animaduerſione digna eſt optio, quam Pilatus fecerat Iudæis, Ieſum agnum innocentiſsimum, & Barabbam latronem famoſum proponens; vt quẽ vellent, iuxta Paſchalis feſti conſuetudinem liberandum, eligerẽt; Chriſti innocentiam & Barabbæ delicta recenſens: *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* Ipſi verò reſponderunt, *Barabbam*; cùm iterum ex ipſis quæreret, quid de Chriſto futurum. *Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus?* Vnà omnes crucifigendum eſſe inclamarunt. *Dicunt omnes: Crucifigatur:* Replicat identidem Pilatus, quam ob cauſam immerentem damnent, ſciſcitatus: *Quid enim mali fecit?* Illi verò nihil de cauſa, ſed ingeminatis clamoribus ad crucem deferendum obſecrabant. *At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur.* Admirandum verò fuit, quòd cùm flagellorum atrocitas Dominum Ieſum in dolorum omnium & plagarum verterit ſimulacrũ, nullius ex ſpectantibus commiſerationem elicuit: nullus ad tale ſpectaculum ingemuit: quinimo cùm tot ibi adeſſent, qui non ita pridem Regem acclamauerant, quos in deſerto ſaturauerat, quibus ſalutem reſtituerat, (niſi teſtantibus Euangeliſtis hoc credi non poſſet) nemo fuit, qui tot beneficiorum vicem rependens doleret benefactorem ita crudeliter lacerum, inhoneſtiſque vulneribus deformẽ, vt vix à ſuis agnoſci potuiſſet; ſed pro miſeratione à Sacerdotibus inducti Præſidem exorabant, vt illum omnium aſpectui ſubtraheret, & cruci dederet. *Tolle, tolle crucifige eum.*

Matth. c. 27.

Ioan. 19.

Animaduerſione tamen dignum arbitror, quòd hic primum crucis patibulum Domino occidendo eligerent; cùm alibi occidere cogitantes ad lapides confugerint; quo ſupplicij genere iuxta legis decretum, blaſphemiæ rei plectebantur. Et quidem Chriſtum blaſphemiæ accuſabant: vnde de domo Pontificis lata iam ſententia propter blaſphemiam ad Pilatum moriturus abducitur. Audi Pontificem apud Matthæum cap. 26. num. 65. dicentem: *Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus?*

Matth. cap. 26.

ſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Reſpondent illico omnes: *Reus eſt mortis.* Et verò eam mortem cogitabant, quam pro blaſphemis lex ſanciuerat. Hinc eſt, vt cùm Præſidem ad damnãdum cunctantem intuerentur, dixerint: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Ioan. 19. num. 7 Hoc blaſphemiæ genus opponebant: propter hoc, non in cruce ſuſpenſum, ſed lapidibus obrutum volebant, iuxta quod à lege erat ſtatutum. Et verò tunc blaſphemaſſe arbitrati ſunt, cùm apud Ioan. 8 n. 58. dicentem audierunt: *Amen, amen dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego ſum*: vbi ſe Deum facere exiſtimabant. Et ideo, inquit Euangeliſta: *Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum.* Item cùm alibi dixerit: *Ego & Pater vnum ſumus*, Ioan. 10. num. 30. Quia blaſphemiæ reum putabant, ſtatim ipſum plectere ſtatuerunt, legalis pœnæ executores facti. *Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.*

Ioan. 19.

Ioan. 8.

Io. 10.

Cùm igitur culpa, ob quam damnandus ad iudicium euocatur, blaſphemia fuerit, quia ſe Dei Filium faciebat; planum eſt, iuxta legis diſpoſitionem lapidibus occidendum. Vt quid igitur proponente Pilato Ieſum, & Barabbam latrocinijs infamem, optione facta liberandi quem vellent, ipſi ex improuiſo in clamores erumpunt dicentes, *Tolle, tolle, crucifige eum?* Quid agitis impij? Latronem potiùs ad crucem expetite: hæc enim latronibus pœna à lege deſtinatur (hinc duos latrones cum Chriſto videmus in cruce morientes) aliud blaſphemis imponitur mortis genus. Vt quid ergo latronem à cruce liberatis, & cruci deditis Saluatorem? Et cùm reum abſoluitis, innocentem damnatis? Planè vt toti orbi innoteſcat, Dominum Ieſum, non ob ſua peccata, ſed aliena ad mortem extrahi: ſiquidem morte mulctatur, qua latro perire debuiſſet. Vnde Chriſtus ipſius loco moriens, veritas ſumma cùm eſſet, & rectitudo, talem ſe neſcire iniuſtitiam dicere potuiſſet: *Et ignoraui.* Quin etiam ignotum ſibi eſſe non abs re diceret, quòd, cùm illi geminatis clamoribus mortẽ ei imprecarentur, ipſe pro illorum vita clamabat. Quam ob cauſam aduertit egregiè Rupertus lib. 13. in Ioannem, plagas omnes, quas in Chriſti corpore flagella impreſſerant, in totidem ora reſolutas fuiſſe; quibus edita voce potentiſſima cælorum abdita penetrarent, & interfectoribus veniam conſequerentur & vitam; quinimo & iuſtificationis meritum. *Singulæ*, inquit, *plagæ, vel percuſſiones grandem vocem habuerunt, & omnia pro nobis iuſta locuta ſunt.* Rupert. Emphaſim habet illud: *Grandem vocem habuerunt.* Hoc eſt, ora illa flagellorum percuſsionibus aper-

aperta, ingentem adeo vocem emittebant, vt cæli culmina penetrarit; atque ad Patris aures perueniens, quàm ab ipſo veniam poſtulabat, obtinuerit, longè melius quàm Lazari plagæ apud diuitem auarum præſtiterunt. (licet teſte Chryſologo ſerm. 121 mendicus tot linguis locutus fuerit, quot in corpore plagas habuit: *Vt in admonendo diuite tot eſſent* Chryſol. *pauperis ora, quot vulnera.*) Quin etiam Iudæorum voces ſuperabant; etſi illi valentiſsimè clamantes, *Crucifige eum*, Pilatum damnare renitentem, & Chriſtum liberare cupientem, importunis clamoribus inflexerint, vt tandem morti traderet. Itaque dum Chriſtus plagarum ſuarū quaſi linguis & vocibus vitam & veniā Iudæis poſtulabat, ipſi alijs vocibus ipſius mortem & damnationē requirebant. Planè impexum eſt huiuſmodi conſilium, & mentis captum effugit hæc vocum diſparitas. Iure ergo dixerit: *Et ignoraui*.

Potuit enim Dominus Ieſus nuditatem, quam in cruce ſuſtinuit, inter alia ignota & peregrina recenſere, cùm nudatis veſtibus, & inimicorum conſpectui datus, non potuerit non maximā perpeti verecundiam. Et quidem hæc denudati corporis ignominia, reliqua mihi videtur tormenta ſuperaſſe, & neſcio quid maioris acerbitatis habuiſſe: non ſolùm quia dum crucifigendus nudaretur, plagarum dolor renouabatur, eo quod concreto ſanguine veſtimenta carnibus adhæſerant: verùm etiam propter ipſius nuditatis erubeſcentiam & pudorē, quam antea bis ſuſtinuerat: primò, cùm flagellandus columnæ illigaretur, de quo Sanctiſſima Deipara in reuelationibus B. Brigittam fecit certiorem: *Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat; ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ.* lib. 1. reuelat. cap. 10. S. Brigit. in reuel. Secundò, cùm poſt flagella Pilatus eum Iudæis oſtendit dicens, *Ecce homo*. Ioan. 19. Licèt verò hic de nuditate plurimùm erubuerit; nullibi tamen acerbiùs, quàm in cruce, viſus eſt eam ſenſiſſe, ob loci publicitatem, in quo diutiùs viuus mortuuſque ſtetit. Hinc eſt, vt ore Dauidico in Pſalmo 21. omnia quæ vſque ad crucē perpeſſus fuerat, enarrans, nuſquam de nuditate conqueratur, quouſque circumſpicientibus vndique militibus, & veſtes inter ſe diuidentibus, nudum ſe inſpexit, abſciſſa interim ſpe veſtes obtinēdi, quibus tam inſigni erubeſcendaque iniuria fuerat ſpoliatus. Pſal. 21. num. 19. *Ipſi vero*, inquit, *conſiderauerūt, & inſpexerunt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meā miſerunt ſortem*. Quin etiam elata voce, vt Deipara teſtis oculata Brigittæ retulit eodem lib. 1. reuelat. cap. 10. iuxta crucem S. Brigit. milites dicebant: *Hæc veſtimenta noſtra ſunt, nec ea rehabebit, quia*

R dam-

damnatus eſt ad mortem. Cùm igitur Dominus Ieſus in Cruce ſuſpenſus & nudus, magnâque hoſtium multitudine circũfuſus appareret, & veſtes ſuas nõ ampliùs reddendas à militibus diuidi intueretur; quis dubitet acerbiſſimũ dolorem, & vltra quam dici poteſt immaniſſimũ ſubiiſſe cruciatum?

Vt autem hoc faciliùs percipiatur, expendenda ſunt S. Chryſologi verba ex ſerm. 3. quibus affectum feſtinationéque exaggerat, cùm Prodigi pater apud Lucam
Luc. 15. 15. ſeruis præcepit, vt reduci filio indumenta deferrent. *Citò proferte ſtolam primam, & induite illũ.*
Chryſol. Vt quid ita feſtinat operire redeũtem? Accipe Chryſologum: *Suſtulit filij crimina, qui non ſuſtulit nuditatem: hinc eſt quòd à ſeruis ante veſtiri voluit filium, quàm videri; vt ſoli patri nota eſſet filij nuditas.* Quaſi dixerit: tam incredibili pater ille concuſſus eſt dolore, filij nuditatem aſpiciẽs, vt noluerit ita nudum à ſeruis etiam videri, ne tot oculorum datus cõſpectui, doloris acerbitatẽ cumularet. Vnde filij peccata diſſimulans tolerat: *Suſtulit filij crimina;* ſilentioque præteriens, nequaquã cum ipſo expoſtulat, vt notat ibidem Chryſolog. *Non dixit, vnde venis? fuiſti vbi? vbi ſunt, quæ tuliſti? Quare tantam gloriam, tantã turpitudine commutaſti?* Illud tantũ meminit, illud repetit. *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum.* Licèt enim peccantem ob crimina nõ arguerit, in culpis, quę eò miſeriarũ detulerant errantem, conticeſcens; attamen in nuditate, vbi omnes ſimul videbat, ſibi temperare non potuit, quia faciliùs peccatorẽ ſuſtinere poterat quàm nudum. *Suſtulit filij crimina, qui* Luc. 15.
non ſuſtulit nuditatem. Et ideo vt refert S. Lucas, *Cecidit ſuper collũ eius.* Nec dubitat Chryſologus idcirco ſuper illũ ſic irruiſſe, vt nuditatem tegeret, peccataque occultaret: *Clauſit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filiũ ne fœdaret.* Tantũ apud ipſum valuit doloris ſenſus de filij nuditate ſuſceptus, vt hęc omnia obiecerit: quia *Suſtulit filij crimina, qui non ſuſtulit nuditatem.*

Verùm profundiùs adhuc rimãda ſunt Chryſologi verba, quia magnum in ipſis latet ſacramentum, ſi ad illud, quod Prodigi ſignificabat parabola, referatur: videlicet, qua ratione Chriſtus hominis pater verus, apud Caluariã expanſis in cruce brachijs ipſum expectat: perditũque, & fugitiuũ, ac gratiæ veſtimento nudatũ recipit, & amplectitur. Quidquid autẽ Chriſtus in cruce ſuſtinuit, tribus verbis concluſit Chryſologus: *Suſtulit filij crimina,* quę ex c. 2. n. 14. epiſt. 1. Petri mutuatus videtur. 1. Petr. 2.
Qui peccata, inquit, *noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Hoc eſt, ſuper corpus ſuum cruci affixum peccata noſtra impoſuit. Quidquid enim iniuriarũ, ac dolorum ibi ſuſtinuit, culparũ noſtrarum

rum onus eſt reputandum: noſtra delicta ipſum denudarunt, cruci affixerunt, felle potarunt, lanceâ percuſſerunt. Tantumdem valet, *Suſtulit crimina*. Nunc ergo philoſophatur egregiè Chryſologus, quòd cùm benigniſsimus Parens noſter Ieſus in cruce pendens filiũ deſpiceret venientem, ac pro tot bonis, quę è paterna domo ſuſtulerat, peccatis oneratũ reuerti; paulisper conſtitit apud ſe recolẽs, an ſupra ſe peccatorũ onus ſuſciperet? filium reciperet, nudumque operiret; vel potius, ne tot ſubiret cruciatus, dimitteret, vt nudus & oneratus, ſicut venerat, reuerteretur? Vicit tandẽ miſeri compaſſio, patique decreuit: quia toleratu faciliores viſi ſunt acerbiſſimæ mortis dolores, quàm filij nuditas. *Suſtulit filij crimina, qui non ſuſtulit nuditatem.*

Cùm igitur Chriſtus tam acerbè propter hominis peccatoris nuditatem doluerit, vt dolor ille reliquis paſſionis ſuæ doloribus ponderatus, ampliùs cruciaret, & necotneret nudũ; omnia libenter ſuſtinuerit; quis mẽte aſſequi poterit, quo affectus fuerit dolore, cũ animarum noſtrarum nuditatẽ in corpus ſuum transferens, ſe ipſum in cruce pendentem, nudumq. inſpexit? vbi ab omnibus, qui ad ſpectaculum mortis concurrerãt,
Pſal. 21. lente, lateq. circũſpiciebatur. *Ipſi verò conſiderauerũt, & inſpexerũt me.* Et verò nuditatis illius erubeſcentia, ſic acerbè cor eius cõpunxit, vt ſemel atque iterum oculos flectere in veſtimenta coegerit: quaſi cuperet, vt antequam ſepulturæ traderetur, à militibus ſibi redderentur. Nec parum dolorem auxit, quòd diſcerpi, & diuidi veſtes ſuas vidit, & conſutilẽ ſortibus ſubijci, vt cuiq. ex militibus cederet; vt in Pſal. 2 1. non ſine dolore recolit. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Ac veluti ſi quiſquã ex eo quęreret: vt quid veſtium curã tangeretur, diſcerpique & ſortibus partiri doleret; cùm manus & pedes clauis rumpi, caput ſpinis terebrari non curaret? Reſpondit: *Ipſi verò conſiderauerũt, & inſpexerunt me.* Hoc eſt: ab omnibus vndique circũſpicior, ſinguli nudũ curioſiùs perſcrutãtur: ſicq. pudore afficior, vt nõ poſſim nõ, quãdo aliter nequeo, veſtes oculis quęrere: nec minùs doleo, quòd ſcindantur, & ab extraneis rapiantur, quàm quòd nunc claui, manus pedesq. confodiant, & ante in totum corpus flagellorũ tempeſtas grãdinarit: plùs enim hæc nuditas, Pſal. 21.
quàm reliqua tormẽta, diſcruciat. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea: ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me.* Hoc eſt manus, pedes, caput, clauis, ſpinis perfoſſa fateor, & corpus ita flagellis laceratum, vt oſſa numerari poſſint. At ipſi me interim inſpexerunt. Sed

quid ſibi vult illud, *Ipſi verò?* Non enim ſic dicendum videbatur: ſed plana connexione ſequentia antecedētibus iungēda in hunc modū; *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea: & cōſiderauerūt & inſpexerunt me.* Verùm nō placuit ita dicere: quoniam nuditatis dolorē, vt alijs acerbiorē, ab ipſis voluit ſeiungere, & expreſsiùs declarare; quod particula *verò* graphicè exprimit; quāto acerbiùs nuditatem, quam reliqua tormenta ſenſerit, manifeſtās. Pedes, ait, & manus clauorū fixionibus ruptas ſētio: at illud extremè doleo, quòd me nudū inſpexerint, & tanquā ſpectaculum curioſiùs intuiti fuerint. *Ipſi verò conſiderauerūt, & inſpexerūt me.* Non latuit Ioannē doloris acerbitas, qua Chriſti cor ex illa nuditate cruciabātur; vnde c. 19. poſt quam multis recenſuit, quæ in dilectiſsimum ſibi præceptorem milites egerant; quo pacto veſtes diuiſerāt, ſuper inconſutilem ſortes iecerant, & ſinguli partes ſuas tulerant, num. 25. concluſit dicens.

Ioan. 19. *Et milites quidē hæc fecerunt.* Superuacanea quidem talis adiectio videtur; quoniā ex proximè dictis nu. 23. iam conſtabat, milites earū rerum, quæ dicebantur, autores extitiſſe. *Milites ergo*, ait, *cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerūt quatuor partes, vnicuique militi partem.* Et illico tunicam inconſutilē meminit, ludum, & partitionem adijciēs, & tandem concludit: *Et milites quidem hæc fecerunt.* Ad quid iſta aſſeueratio? nonne ſcriptum iam de militibus reliquerat? & ſatis notū, cuncta milites peregiſſe? ipſi flagellarūt; ab ipſis ſpinis coronatus, ipſi ad crucifigendum detulerunt, ab ipſis cruci affixus, in altumq. ſuſpenſus; ipſi felle potarūt & aceto, ab ipſis lancea perforatus deſcribitur: quidquid denique Dei filius a Iudæis traditus pertulit, militibus imputari debet tanquā actoribus. Vt quid ergo ſola denudatio, veſtiūq. partitio ipſis attribuitur? *Et milites quidem hæc fecerunt.* Ratio eſt, quia Euāgeliſta Ioannes, in his commemorandis, non tam militum geſta, quàm Magiſtri tormenta & dolores ſtuduit recenſere. Cùm autem Chriſti pectus optimè noſſet, in eoq. doloris acerbitatem ex nuditate profectā cęteris maiorem perlegiſſet, ſemel dixiſſe non contētus, iterum repetiuit: *Et milites, quidē hæc fecerūt.* Emphaticum eſt, quod dicit: quoniam nuditatis erubeſcentia, doloriq; inde exortus, omnia paſſionis tormenta ſuperauit. Illa veſtiū denudatio, partitio, ſortes, ludus, ſpem omnem iterum reſumendi præciderunt. Quod quàm acerbum eſſet, & dolendum, aptiùs exprimi non poſſe iudicauit Ioannes, quàm iterum conteſtatus: *Et milites quidem hæc fecerunt.*

Verùm non hoc tantùm loco,

ſed paulò inferiùs in eodem c. 19. num. 32. & 33. eius doloris magnitudinem declarauit, quem Dei Filius in cruce pendens, omnibus ipſum contemplantibus, ex nudi-
Ioan. 19. tate concepit. *Venerunt ergo*, ait, *milites: & primi quidem fregerũt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* Quòd autem perfractis aliorum cruribus Chriſto pepercerint, non caſu, aut militum indulgentia factum eſt ſed Diuino conſilio, ad Scripturæ complementum
Exod. 12 num. 39. n. 12. 90. Zach 12. num. 10. dicentis, os ex ipſius corpore non frangendum. *Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Quæramus nunc ex Ioanne, quo aſpectu ſecundam producit Scripturam? etenim, vt probet milites mortui corpus intactum reliquiſſe, extra rem videtur: non enim ideo pepercerunt, vt Scriptura hæc impleretur, quæ huius rei non meminit, ſed illa alia Exodi, quam, vt vidimus, primo produxerat. Quòd ſi Zachariæ locum affert, vt probet Chriſtum cruci affigendum eſſe, ſupra id fieri oportuit, cùm ad Caluariæ locum acceſſiſſe commemorat: vbi milites in cruce diſtentum clauis confixerant: non autem modò: quia extra rem factum videtur. At, ni fallor, Ioan-
Zach. 12. num. 10. nes prophetiã Zachariæ, *Videbũt in quem transfixerunt*, aptiſsimò tempori reſeruauit. Nullum verò aptius illo eſt, in quo vaticiniũ retulit: quoniam in mentem cuiquam venire potuiſſet, Chriſtum Dominum mortem acceleraſſe, vt dolorem, qui ex crurium fractione naſceretur, effugeret: atque adeo militum acceſſum morte præueniſſe: ſubindeque viſus eſſet mortis dolore alium voluiſſe propulſare dolorem, qui adeo vehemens erat, vt latrones, qui adhuc crucifixi viuebant, fractis cruribus illico expirarint. Vt igitur huic ſuſpicioni obuiaret Ioannes, Prophetæ oraculum opponit: quaſi dicat: Etſi vnum vaticinium à frãgendis cruribus eximit, & dolor inde oriturus morte præuenitur; aliud extat, quod acerbiori longè dolori morientem ſubijcit: quia licet crura non fregerint, nudum tamen in cruce ſuſpenſum, quod magis doluit, inſpexerunt. *Videbunt in quem transfixerunt.* Vnde vltra quod hic latet ſacramentum, propterea reor Ioannem vtrumque iunxiſſe oraculum, vt inſpectionem illam grauiorem morienti dolorem, quàm crurium fractionem attuliſſe demonſtraret. Siquidem non pati-fugiens, ſed prophetię complemento ſtudens, crura ſibi perfringi noluit, qui alioquin ita auidè patiendi occaſionem quærebat; vt nudum ſe à crucifigentibus inſpici & conſiderari permiſerit: in quo propter nuditatis erubeſcentiam, grauiùs

torquebatur, quàm ſi adhuc viuenti crura frangerentur.

Sed iam pulcherrima S. Chryſoſtomi gemma totam hanc de Chriſti nuditate meditationem conſigno. Igitur homil. 29. in Geneſ. Noe plurimum gratatur, eo quòd à vino denudatus non palam in foro, aut platea, ſed domi id contigerit, *Bibensque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo*, Geneſ. c.9.n.21. *Conſidera*, inquit, *quòd hoc non foris illi accidit, ſed in domo ſua*; vbi parietibus erat circunſeptus, & extraneorum aſpectui minimè peruius: quod innuit textus dicens: *Nudatus eſt in tabernaculo ſuo*; Vel, vt hac ratione illius inuerecundiam grauiùs carperet, qui ſecretã nuditatem auſus fuerit propalare. Iterum Chryſoſtomus: *Vt malitiæ vehementis ſtudium videas, eius, qui nuditatem euulgare fuerit auſus*.

Geneſ.9. D. Chryſ.

Excuſſo Noe ſomno, poſtquã dormierat crapulam, excitatur & certior fit, quo pacto præ ebrietate in nuditatem inciderit, quam filius ipſius Cham domi occultã in publicum extulit. *Nunciauit duobus fratribus ſuis foras*, Gen.9. num. 22. Eoque audito Sem, & Iapheth, patrem nudum aſpicere noluerunt: quinimo oculos aliò vertentes illũ pallio contexerunt: *At verò Sem, & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis: & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui*. Cùm igitur hæc accepiſſet Noe, in ſeipſo, & facto illo præluſit, quod in Dei filio euenturum erat, cùm amoris ſui vino ebrius, mortis ſomno opprimendus eſſet, & nuditatis ignominiã ſubiturus. Vnde propriæ nuditatis dolorem excutiẽs, totum ſe ad præcauendam Saluatoris nuditatem conuertit, dicẽs: *Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem*, ibid. nu. 27. Quaſi dicat: O vtinam Saluatoris mei nuditas, quam præuideo, non ei, vbi à Cham inſpici poſſit, eueniat: ſed in latitudine tabernaculorum Iapheth, qui teſte Pererio in Geneſ. c.9. lib. 14. v. 26. latitudinem deſignat; & in tentorijs Sem nudus appareat: quia ab his ipſius nuditas contegetur. Propheticè (ait Chryſoſtomus) Noe mihi locutus videtur. *Non errabit quis, ſi dixerit benedictiones Iuſti, prophetias eſſe*. Hinc eſt, vt Deus apud Hebræos ex Sem oriundos, in Synagoga habitauerit; & nunc in Eccleſia maiori latitudine inter gentiles ex Iapheth progenitos inhabitet, vt ſentit D. Hieronym. in tradit. Hebræis in Geneſ. *De Sem*, inquit, *Hebræi, de Iapheth populus gentiũ naſcitur: quia igitur lata eſt multitudo credentium, à latitudine, quæ Iapheth dicitur, nomen inuenit*. Attamen deſiderium illud, quo tangebatur Noe, vt ipſius poſteri cum Dei filio ſe gererent, ſicut filij erga parentem, nudum operientes ſe geſſerant, ſuo fraudatum

Geneſ.9. Gen. 19. Perer. Chryſoſt. D. Hier.

datum eſt effectu: Quoniam Chriſtus in Caluariæ loco in crucem actus, & ſuſpéſus apparuit nudus, omnium conſpectui datus. Vnde de Sem & Iapheth, hoc, eſt Hebræis, & Gentilibus, qui vt ex Hieronymo adnotauimus, ab vtroque patente deſcendetant, grauiſſimè conqueritur, eo quòd nudatum aſpiciant in cruce pendẽtem. *Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me*, Pſalm. 21. Et verò verbum illud, *Ipſi verò*, ad crucifigentes relatum, attentiùsque auſcultatum, grauiſsimam continet querelam: Quia videlicet illi, quibus Noe nuditatis aſpectus diſplicuit, nunc ſumma cum voluptate nuditatem ipſius videant, & contemplentur. *ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me*. Quod tantumdem mihi eſt, ac ſi dixerit: Noe veſtibus ſpoliatum aſpicere noluerunt; in me autem, cùm nudus in cruce pendetem, oculos, & curioſè admodum cōiecerunt. Conqueritur ergo; vt in dolore, qui in Noe præceſsit, ob detectam, & manifeſtatam à filio Cham nuditatem, videamus, quàm ingens fuerit dolor, quo torquebatur, cùm caſtiſſimum corpus ſuum in aula virginali, ſancti Spiritus opere fabricatū, impuriſſimis oculis obiectū cerneret; vt in cruce pendens veſtibus ſpoliatum contemplarentur: *Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt*.

Pſal. 21.

Cur igitur in tāta doloris acerbitate Dominus, vt paulo ante dicebamus, peregrinū ſe & ignarum non reputaret, extremam illam nuditatis ignominiam ſuſtinens; &, quod magis dolorem augebat, creaturarum ſuarum manibus procuratam, quibus ipſe operimenti beneficium elargitur, Nam & aues plumis, & animalia pellibus contegit: prata veſtit: cælos ſtellis diſtinguit: homines gratia decorat: Angelos gloria fælicitat: Quin etiam creaturarū omnium ipſe eſt operimentum. Nihilominus in cruce nudus apparuit, vt hominem immortalitatis ſtola veſtiret. Cur, inquam, in tanta rerum inæqualitate, hominumque ingratitudine, non quereretur, & inauditæ ignominiæ cauſas ſe ignorare non affirmaret? *Et ignoraui*. Similiter qua ratione Petrus apud Thabor poſſet nō ignorare tormenti genus acerbiſſimi? Cur etiam crucem, flagella, ſpineam coronam, & reliquas paſſionis iniurias nō ignoraret? præceptorem ſuum ab illis eximere contendens; cùm ipſemet Præceptor, illa omnia ſuſtinens, crudelitatis menſuram ſuperaſſe iudicauerit: Vnde velut ignorans quā ob cauſā ita crudeliter à ſuis exciperetur, dixerit, *Et ignoraui*. Quæ quidem Chriſti ignorantia, ſicut hactenus expoſuimus, Petri ipſius Vicarij ignorantiam extollit, & clariſsimis laudum præconijs exornandam, non autem cauillantium ſuggillationibus deprimendam manifeſtat.

CAPVT VIII.

Petrus tria poſtulans tabernacula, Moyſem, & Eliam à Chriſto diuidit; in quo concordiæ politicæ, & prudentiæ legum tranſgreſſor, ac ex D. Ambroſij, Paſchaſijque iudicio, neſcius conuincitur.

PLurimorum ſanctio eſt, in eo Petri ignorantiam ſtetiſſe, quòd tria popoſcerit tabernacula, vt Chriſtum à Moyſe, Eliaque ſeiungeret. Quoniam verò ſub D. Ambroſij & Paſchaſij patrocinio authores alij in hãc ſententiã abierunt, ſub vtriusq. nomine illã proponere mihi viſum eſt. Igitur Petri error fuit, vt ſentiunt Patres iſti, quòd tria poſtulans tabernacula, diuiſionem inter Chriſtum & Prophetas, inter caput & mẽbra, induxiſſe videtur: quem errorem è cælo correctum aduertit Ambroſius ad cap. 9. Luc. cùm remanẽte Chriſto, Moyſes Eliasq. euanuerunt. *Tres enim*, inquit, *in principio videtur, vnus in fine, perfectæ enim fidei vnum ſunt: ergo & illi quaſi recipiuntur in Chriſti corpus; quia & nos vnum erimus in Chriſto Ieſu.* Quaſi dicat: Errat Petrus, quia Chriſtus & Prophetæ, fidei vnitate iunguntur, & tamquam caput ac mẽbra viciſsim cohærent: vnde error erat, petito tabernaculorum ternario diuidere, quos fidei & charitatis vnio capiti ſuo Chriſto iũctos coherentesq. reddiderat. Accinit Paſchaſius lib. 8. in Marth. *Error tamen*, inquit, *in cauſa eſt, quòd tria ſe repromittit facere tabernacula, vnũ ſcilicet, ac ſi priuatim Ieſu, alterũ Moyſi, & alterũ Eliæ; quaſi non eos caperet vnum tabernaculum.* Vtriuſque ſentẽtiã complexus eſt elegãter Chryſoſtomus homil. 10. in Marc. vbi inſuper addit, Petrum non ſolùm charitatis & vnitatis leges, ſed comitatis etiam, ac politiæ normas violaſſe: quia ſeruos Domino, Prophetas pluſquàm Prophetæ, imò Prophetarum omnium Deo, voluit exæquare, dum pro vnoquoque tabernaculi ſubſtructionem æqualiter pollicetur. *Non enim*, inquit, *ſciebat quid diceret, cùm Dominum cum ſeruis æqualiter honoraret. Vnum ſiquidem eſt tabernaculum Euangelio, & Legi, & Prophetis: niſi ſimul habitauerint, non poſſunt habere concordiam.* Origenes, vt iam ſupra monuimus, reſeruata Petri innocentia, hanc tabernaculorum petitionẽ ad diaboli ſuggeſtionẽ retulit homil. 3. in Matth. Nam vt ſciſſuras, diuiſionesque efficeret, plurium tabernaculorum ſtructuram inſufflauit. Origenis verba ſunt: *Promittit autem & facere tria tabernacula, vnum priuatim Ieſu, alterum Moyſi, aliud Eliæ; quaſi non eos capiente tabernaculo vno, in quo omnes ſimul conſiſtere deberent. Forſitan & in hoc malitioſè operabatur diabolus,*

D. Ambr. Paſchaſ. D. Chryſ. Orig.

bolus, per eum, qui neſciebat quid loquebatur, nolens eſſe ſimul Ieſum, & Moyſem & Eliam; ſed ſeparare eos ab inuicem trium tabernaculorum obtentu: quod fieri non poterat.

Verùm quòd tabernaculorum petitio ex diaboli ſuaſione prouenerit, peculiare eſt Origenis iudicium; licèt non ita firmiter id ſenſerit, vt ſuperiori capite notauimus; cui reliqui Patres non aſſentiuntur: quinimò Petrum dictante Spiritu ſancto locutum autumant; quod apparet probabilius. Quòd ſi ex trium tabernaculorum fabrica ſciſſuræ, diuiſioneſque orirentur, vt propoſita tradit ſententia, planum fit Petrum materialiter minimùm concordiæ ac vnitatis, itemque politicæ & comitatis legum tranſgreſſorem reputandum, quia inter Dominũ & ſeruos æqualitatem cõſtituere, ac de tabernaculorũ oppanſo claritatem & ſplendorem, quo fruebantur, auferre moliebatur: Et ideo nubes claritate cõſpicua ſtatim deſcendens, adſtantibus vmbram, & Petro errati correctionẽ attulit. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Matth. 17. vbi Chryſoſtomus homil. 10. in Marc. *O Petre*, ait, *qui vis tria facere tabernacula, reſpice vnum tabernaculum Spiritus ſancti; qui nos pariter protegit. Si feciſſes tabernacula, vtique feciſſes humana, & vtique illa feciſſes, quæ lucem excluderent, & vmbram includerent. Nubes autem ipſa lucida & obumbrans, hoc eſt vnum tabernaculum, non excludit Solem iuſtitiæ, ſed includit.* Chryſoſtomo præiuit Origenes homil. 3. in Matth. vbi hæc: *Deus prohibens Petrum facere tabernacula tria, in quibus habitarent ſecundùm voluntatem illius, oſtendit vnum, & melius, & multò præclarius tabernaculum, quàm ille facere cupiebat. Tabernaculi enim hoc eſt proprium opus, obumbrare aliquos ſub ſe: lucida autem nubes obumbrans eos, diuiniorem, & ſplendidiorem recompenſationẽ exemplo ſuo demonſtrabat eis futuram, quæ protegeret eos ſimul, & illuminaret.*

Matth. cap. 17. D. Chryſ. Orig.

Itaque præcipuus Petri error, trium tabernaculorum poſtulatio cenſetur: quoniam inde inter Præceptorem, ac diſcipulos; caput & membra, diuiſio & diſſenſio naſcebatur: quod Chriſti doctrinæ, perfectiſſimoque dilectionis præcepto à ſe tradito magnoperè repugnabat. Hinc eſt, vt vix abſoluente Petro tabernaculorum petitionem, illico referente Marco cap. 9. num. 6. Patris vox inſonuerit: *Hic eſt filius meus chariſſimus, audite illum.* Quæ tantumdem apud Chryſoſtomum loco citato valuit, ac ſi dixiſſet: *O Petre quid dicis? faciam vobis tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum: nolo vt facias tria tabernacula. Ecce ego tibi dedi tabernaculum, quod vos* pro-

Marci 9. D. Chryſ.

protegat. Noli æqualiter Domino & ſeruis facere tabernacula: Hic eſt filius meus chariſsimus, ipſum audite. Hic eſt filius meus, non Moyſes, non Elias. Iſti ſerui ſunt, hic filius meus, de mea natura, de mea ſubſtantia, in me manens, & totus quod ego ſum. Hic eſt filius meus chariſsimus: & illi quidem chari ſunt, ſed iſte chariſſimus eſt, hunc igitur audite. Chariſsimum vocat, & audiri præcepit, quod in idem recidit.

Duplici verò de cauſa Pater æternus Chriſtum dixit chariſſimũ; quia verus, & naturalis ipſius eſt filius: item quia præſtantiſsimam amoris legem Deo magnopere charam mundo attulit, omnibus mutuum præcipiens amorem, ſicut apud Ioannem cap. 13. num. 34. inuenimus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos; vt & vos diligatis inuicem.* Ipſum verò audiri præcepit: *Ipſum audite:* quia ſolus in tantum charitatis legem prouexit, vt ad inimicorum dilectionem extenderit. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Perbellè igitur Petro tria tabernacula exigente, quæ ſciſſuram diuiſionemque denotabant, Chriſtus à Patre chariſsimus dicitur, & auſcultari præcipitur, vt amoris & pacis neceſſitas & præſtantia commendetur. Et ne Petrus ambigeret, ad quem Patris vox illa eſſet dirigenda (monet Chryſoſtomus,) Moyſes & Elias manente Chriſto euanuerunt. *Dum quærit quem eligat, vnum reſpicit: & ſtatim circumſpicientes, dum tres quærunt, vnum inueniunt: imò tres perdentes, vnum inueniunt: imò, vt amplius dicam, in vno tres reperiunt.* Attende Petre quę profers: cerne Chriſtum amori deditum, ac in ferenda charitatis lege totum occupatum. Vnum cole, vbi vnitas & amor: ternarium fuge, in quo eſt diuiſio: quòque has amoris leges faciliùs teneas, Chriſtum vt iuueris, auſculta; *Ipſum audite.*

Ioan. 13. num. 34.

Marc. 9.

Matth. 5. nu. 44.

D. Chryſ. homil. 10. in Marc.

Egregium propoſitæ doctrinæ fulcimentũ ſuppeditant Seraphim, qui Dei ſolio adſtabant, Iſai. 6. itemque duo Cherubim Sanctuario impoſiti, qui vt aduertit Auguſtinus quæſt. 105. in eodem binario numero charitatem & vnionem prædicabant. *Ideo*, inquit, *duo ſunt, vt ſocietatem charitatis commendent.* Quod etiam inſpexit Bernardus in Seraphinis Dei thronum ambientibus: Nam, vt ſermon. 5. de verbis Iſaiæ adnotauit, mutuo volatu, & alatum complexu ſe inuicem aſpicientes pronocabant. *Et duabus volabant.* Itaque externo volatu, & complexu, charitatis, & amoris nexũ, quo mutuò attingebantur, oſtendebant. Hinc eſt illud Gregorij Nazianzeni in carmine de laude virginitatis, vbi de Angelis locutus hæc panxit.

Iſai. 6.

Auguſt.

Bernar.

Iſai 6.

His

Gregor. Nazian. *His non connubium, non curæ, agrique dolores,*
Non motus turbas miſeras in corde cientes,
Non etiam membris dirimuntur, & ædibus: omnes
Inter ſe miro iungit concordia nexu.

Duo igitur Seraphini Dei ſolio adſtantes, ex ipſius diſciplinatu & ſchola, charitatis concordiæque præceptores agebant: vnde tanquam ſerui ſupremo Regi amoris applaudẽtes, totos ſe ad amorem componebant, memores illum eſſe proprium Regis ſui ſtemma, quo ſeruos ab alijs diſcerni potiſſimum volebat; ſicut habes apud Ioan. 13. nu. 35. Ioan.cap.13.num.35. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem:* quod interprete Ruperto lib. 11. comment. in Ioannem in idem recidit, ac ſi dixiſſet: Rupert. *Igitur verum erit experimentum, verum, certumque diſcipulatus mei teſtimonium, ſi dilectionem habueritis ad inuicem; ita ut qui in circuitu veſtro ſunt, bono odore delectati dicant: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.*

Hoc charitatis documentum à Redemptore noſtro Adamo ſecundo traditũ, in primo omnium parente delineatũ Deus ipſe propoſuit, vt iam inde in primis humani generis ſatoribus, charitatis vnioniſque præceptum dedicaret: & ideo Euam, futurã Adami ſponſam, de ipſius coſta extraxit. *Aedificauitque Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Genes. 2. nu. 22. Geneſ.2.n.22. Numquid non poterat Deus fœminam aliunde efformare, ac ex alia materia conditam tradere in ſponsã? Sanè poterat: noluit tamen, ait Theodoretus quæſt.43.in Geneſ. quia non ſolum inter primos parentes, ſed etiam inter omnes eorum poſteros charitatem, & concordiam ſtabilire decreuit; vt ab eodem trunco ſati, eandemque reſpicientes originem, validiori charitatis nexu & pacis vinculo conſtricti tenerentur. Theod. *Voluit*, inquit, *Deus ex vno viro, & vna muliere, ſubſiſtere vniuerſas hominum gentes; vt in concordiam coirent, tanquam ex vna radice florentes. Nam ſi cùm Deus hæc omnia adminiſtrat, multæ tamen cædes admittũtur; quid nõ perpetraſſent, ſi è diuerſis patribus ortos ſe eſſe exiſtimaſſent? Huius rei gratia vnum quidem virum è terra formauit, & ex eo vnam creauit mulierem, & ex eorum genere repleuit vniuerſam terram.* Sic amoris legem, iactis altè radicibus, firmam & inconcuſſam fore ſtatuit; & iam inde firmitatem quæſiuit præcepto ſuo, quod in lege gratiæ, tanquam nouum, & à ſe primò editum promulgaturus erat. *Mandatum nouum do vobis:* Ioan.13. quò vtrinque ſtabilitum, ab antiquis, & nouis legis cultoribus inuiolatè ſeruaretur.

Hinc

Hinc eſt vt Chriſtus Dominus, quò amoris concordiæque radices firmiores redderet, primæ Eccleſiæ ſuæ fundamenta iecit, duos fratres, Petrum & Andream, quos primò in Apoſtolatum aſciuit: ſicut antea Deus, vt obſeruauit D. Chryſoſtom. homil. 7. oper. imperfecti in Matth. Synagogam ſuper duos fratres Moyſem & Aaronem erexerat. *Super fraternitatem*, inquit, *charitatis, Eccleſiæ rectè poſuit fundamenta, vt ex radicibus charitatis exuberans, quaſi humor aſcendat in ramos: & hoc ſuper naturalem charitatem, vt non ſolùm per gratiam, ſed etiam per naturam, ipſa charitas firmior habeatur: ſic enim fecit Deus & in veteri Teſtamento, ſuper Moyſem & Aaronem ponens ædificationis initium*. Notat inſuper eodem loco Chryſoſtomus, quòd vocatis ad diſciplinatum Petro & Andrea, ſtatim Chriſtus alios duos, Iacobum ſcilicet, & Ioannem fratres delegit; vt geminata fraternitas pro legis gratiæ fundamento iaceretur, & Eccleſia Synagogam anteiret, quæ vnica tantùm & ſimplici fraternitate fundata fuerat, in Moyſe videlicet, & Aarone; atque adeo maior & firmior nouæ legis, quàm veteris vnitas & pax futura monſtraretur. *Quoniam*, inquit, *abundantior eſt gratia noui Teſtamenti, quàm veteris; ideo primum populum ædificauit ſuper vnam fraternitatem, hunc autem ſuper duas*. Sic impensè ad ſtabiliendam in vtraque lege charitatem Deus attẽdit, vt vtrobique pro ſtatus conuenientia ſeruaretur.

Chryſ.

D. Chryſ.

Hinc eſt, vt in primis nouæ legis cultoribus ob ampliorem radicũ vbertatem, effundente ſe in ramos charitatis virore, vnitas & concordia latiùs & fœcundiùs germinaret. Vnde Luc. in Actis Apoſtolorum cap. 4. nu. 32. ait: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*. Primi etiam Euangelij præcones, teſte D. Paulo Roman. 10. num. 15. pacem annunciabant: *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem*! Locus autem Eſaiæ, quem Apoſtolus ex cap. 52. nu. 7. tranſcripſit, ita habet: *Quàm pulchri pedes euangelizantis pacem*! vbi quod Propheta in ſingulari poſuit, *Euangelizantis*, Apoſtolus retulit in plurali, *Euangelizantium*. Aptiſſimè quidem: nam legis gratiæ præcones & Euangelici operarij, quamuis plures numero ſint, charitate tamẽ & vnione velut vnus reputantur.

Act. 4. nu. 32.

Rom. 10. num. 15.

Iſai. 52. num. 7.

In Moyſe etiam & Aarone, primis Synagogæ fundatoribus, idem charitatis vnioniſque ſplendor enituit: vnde etſi duo eſſent, ſic amore iungebantur, vt vnus tantùm crederetur. Quod ſatis indicat loquendi ratio, qua vtitur Scriptura, dum Iſraelitici populi egreſſum ex Ægypto deſcribit: *In manu Moyſi, & Aaron*.

Nu-

Numer. 33. num. 1. Vbi diſertè philoſophatur Origenes hom. 27.
Nu. 33. num. 1. Orig. *In manu Moyſi, & Aaron eduxit eos Dominus, & non in manibus: Vnum enim opus vtriuſque manus eſt, atque vna perfectionis expletio.* Sic gemini fratres illi, Synagogæ ductores & ſigniferi, charitatis vinculo conſtringebantur: Sic in vnum idemque opus amoris impulſu conſpirabant, vt ea quæ edebant, non à duobus, non duplici manu, ſed vna tantũ edita cenſerentur; quaſi non alia eſſet Moyſis manus quàm Aaronis, & è contra: ideoque ſicut vna manus vtriuſque, ſic etiam opus & actio vna putabatur. Quin etiã eâdem virga, dignitatis, & poteſtatis inſigni, ſine diſcrimine vtebantur: Vnde eſt illud Moyſis ad
Exod. 7. num. 9. Aaronem Exod. 7. num. 9. *Tolle virgam tuam.* Cur non dixit, *Tolle virgam meam?* Cùm Moyſi, non Aaroni, virga tradita memoretur, Exod. 4. num. 7. Reſpondet Auguſtinus queſt. 20. in Exod.
August. *Erat vtique illa virga communis, vt cuiuſlibet eorum diceretur, verè diceretur.* Tanta itaque concordia fratres illi coaluerant, vt non ſolùm cor vnum, anima vna, & vtriuſque ſpiritus eſſet vnus; ſed etiam manus, virga, opus, vnum idemque vtrique commune cenſeretur.

Cùm autem Moyſis ſpiritus ſic eſſet ad charitatem vnionemque propenſus, congruum valde fuit, vt Deus, nouos populi adminiſtratores, quos tunc inſtituebat, eodem Moyſis ſpiritu informaret, quò in eandẽ concreſcerent charitatis vnionem. *Auferam*, inquit, *de ſpiritu tuo, tradamque* *Nu. 11. num. 17.*
eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non ſolus graueris. Vt quid recens creatis gubernatoribus ablatum à Moyſe ſpiritum impertitur, cùm Dominus ſpiritũum ſit, & de prædiuite gratiarũ ſuarum penu, & theſaurorum opulentia ſpiritus mille, totidemque dona depromere poſſet, quibus nouiter conſtitutos cumularet? Periucunda & elegans eſt Petri Damiani reſponſio, quam ex libello gratiſſimo cap. 14. extractam repono. *De ſpiritu Moyſis* *Petrus*
vires dediſſe Dominus dicitur, vt *Damian.*
& ordinatores, & ordinatos vnum debere ſpiritum habere, perſpicuũ doceatur: Quatenus Rectores Eccleſiæ nequaquam inter ſe diuerſa ſentiant; vnde ſchiſmata, aut hæreſes peſtilenter emergant; ſed vnũ omnes concorditer doceant, atque in vnitate ſpiritus vnanimiter viuant. Dummodo ſuperiores mutuo charitatis nexu copulentur, adminiſtrando imperio mediocris ſpiritus ſat habetur. At verò omnium paſtor Chriſtus, cui maximè notum erat, quantum ad conquirendã ſpiritus perfectionem, pax & amor conducerent, vtrumque vt nouas in orbem fruges deportauit: quò ſuperiores ac ſubditi, amore inuicem colligati, Deo famulentur.

Hinc

Hinc eſt illa D.Pauli ad omnes ex- Epheſ.4. hortatio: *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Ad Epheſ. 4. nu. 1. Expendendum eſt illud, *in vinculo pacis*, ab Apoſtolo vinculis detento ſcriptum; quibus ita impensè delectabatur, vt ad eorum ſonitum, tamquam citharæ mira dexteritate pulſatæ, cordis ſui lætitiam occineret, iuxta illud Vatis: *Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus*. Et ideo ſuam ita exorſus eſt adhortationem: *Ego vinctus in Domino*. Quaſi dixerit: ferreis catenis conſtrictus in carcere detineor, & tamen in ferro miram ſuauitatē reperio, ac ipſemet carceris horror & pędor, paradiſi odorem & ſuauitatem ſpirare mihi videtur. Quid igitur ſentietis, cùm vos charitatis vinculo conſtrictos inſpexeritis? *In vinculo pacis*. Qua voluptate perfruemini, cùm amoris incendio vri, & charitatis flammis ſuccendi contigerit? longè præſtantior iſthæc eſt voluptas, quàm quæ à nobis præcipitur, dum ob ipſius amorem in vincula coniecti Epheſ.4. num.1. detinemur, *In vinculo pacis*.

Tantùm apud Deum valet pax & amor, vt à contrario ſuo veniā obtinere ſoleat, etſi ob aduenientes culpæ circunſtantias maior euadat. Ex eadem Scriptura huic aſſertioni fulcimentum quæro. Parentis ſui Iacob pacem, vnionemque dirupit filius natu maior Ruben; & ipſius vxorem infando violauit inceſtu: Quapropter Iacob filium maledictione percuſſit, ac vt non ampliùs creſceret, fuit imprecatus, Geneſ. cap. 49. num. 3. & 4. *Ruben primogenitus meus, & principium doloris mei: effuſus es ſicut aqua; non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius*. Gen. 49. n.3. & 4. Magna certè diffidij cauſa iſthæc eſt, nec alia maior inueniri poſſe videtur, quàm vt filius, patris thorum maculet, cumque ipſius vxore turpiter miſceatur. Quod ſcelus Iacob maledictionis ſupplicio affecit dicēs: *Nō creſcas*. Quaſi vellet vt Rubenitarum familia extingueretur, nec edita ſucceſſorum propagine in Dei populo ſuccreſceret. Animaduerſione tamen dignum eſt, quòd Moyſes Deuteronomij 33. Iacob maledictionem contraria omnino benedictione diremit, ipſi, ſucceſſoribusq. vitam & incrementum comprecatus. *Viuat Ruben, & non moriatur*. Deut 33. num.6. Quid igitur cauſæ eſt, vt Moyſes benedictione afficerit; & ſucceſſionis amplam propagationem ei poſtulauerit, quem Iacob maledictione percuſſerat, & infœcunditatis pœna extinguendum pronunciauerat? Planè pax & amor, quo fratrem Ioſeph fuerat proſecutus. Ita cō-

ſuit

ſuit in catena Græca Diodorus. Ergo plus valuit in fratrem charitas, quàm in parentem offenſa? Certè valuit, quoniã fratris charitas, patris offenſam deleuit. *Nõ poterat*, inquit iſte Author, *Iacob non maledicere intemperanti filio, ad poſteros deterrendos: debuit autem Moyſes criminis illum culpa liberare, quia fratri Ioſeph ſemper pepercerat*. Videntur itaque erga fratrem amor, & aduerſùs patrem delictum, inuicem contendiſſe: pluſque valuit ad reſcindendam maledictionem amoris prærogatiua, quã delicti enormitas ad illam firmandam, & impoſterum dilatandam potuerat. Tantùm apud Deum pax & amor promeretur, vt Deum emolliat, contrarium ſuum euincat, quamuis inceſtus fœditate ſit deteſtandus. Ad principium ergo regredientes, ſtatuimus Petrum in eo deliquiſſe, quòd trium tabernaculorum petitione, præcellentiſſimæ charitatis, concordiæque virtuti viſus eſt aduerſari: Vnde mirum non fuit, ſi ab Euangeliſtis neſcius diceretur: *Neſciens quid diceret*. Verùm quia tunc aduertenter ac ex myſterio mihi videtur locutus, & probè nouit quid vellet, tria expoſcens tabernacula; idcirco ſequenti §. defenſionis vmbone protegendus.

Diodor. — *Luc. 9.*

§. PRIMVM.

Petrus tria popoſcit tabernacula, non vt Moyſem, & Eliam à Chriſto ſepararet, ſed deliberatè; ac prudenter vtriuſque virtutes montis ſtatione voluit honorare.

Commendabilis in trium tabernaculorum poſtulatione Petri comitas prudentiæ aſſociata enituit: dum enim Moyſi, & Eliæ ſtationes fabrefacturum pollicetur: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*; non vtique ſeparationem duorũ à Chriſto meditatur, quia vtrumque Prophetam charitate, & amore Præceptori ſuo coniunctiſſimum agnouerat; & ſatis ſuperque charitatis præſtantia ex ipſamet trãſfigurationis actione cernebatur, ad quam vt præcipuo amore digni fuerant perducti; quò maieſtate etiam & gloria viſendi illuſtrius illud redderent ſpectaculũ. Vnde aduertens Petrus quanto in honore à Chriſto haberentur, voluit etiam conſtructis ſeparatim tabernaculis, honorem vtrique impendere; tum vt Magiſtro ſuo indulgeret; tum vt in vtroque virtutum, quibus claruerant, dignitatem præmiaret. Et verò, vt notat Abulenſis quæſt. 50. in cap. 17. Matth. Moyſes, & Elias ſimili pene gloria in Thabor ſpectandi appaſuerunt. *Ipſi*, inquit, Ve-

Matth. cap. 17. — *Abulen.*

Ve-

Luc. 9. *veniebant quaſi in ſimili gloria: nam dicitur* Luc. 9. *de Moyſe & Elia, quòd viſi ſunt in maieſtate, id eſt, habentes fulgorem, & apparatum aliquem glorioſum, ſicut Chriſtus habuit*. Congruum igitur videbatur; imò honore inſpecto, quo vterque fulgebat, ex comitate & vrbanitate debitum, vt Petrus Chriſti affectui indulgens, Matth. cap. 17. poſtularet; *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*: quo ſicut ſpeciali gloria à Chriſto honorati apparebant, ſeparata tabernaculorum ſubſtructione à Petro etiã honorarentur.

Et quidem vltra maieſtatem, qua in eo theatro viſebantur, vtriuſque dignitas & præſtantia Petro ſe obiecit; nam Moyſes & Elias inter omnes veteris Teſtamenti patres, præcellentiſſimi extiterunt. Moyſes plurima edidit miracula, facieque ad faciem cũ Deo locutus memoratur; & Deuteronom. 34. nu. 10. clariſſimum prophetiæ ipſius & gratiæ apud Deut. 34 Deum extat elogium. *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eũ*. Quin etiam Pharaonis Deum inſpicio factum; Exod. 7. numer. 1. Exod. 7. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. Quod certè D. Ambroſio magnum quid & præclariſsimum viſum eſt: ideoq. ſer. 8. in Pſal. 118. ob ſpretas à Moyſe Ægypti diuitias, & Regni vanitatem, promeritum affirmat, D. Pauli authoritate ſuffultus, qui in Epiſtola ad Hebræos cap. 11 de Moyſe locutus hæc habet. *Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti*. Hebr. 11. Hæc Apoſtolus. Ambroſium audiamus. *Fugiendo*, inquit, *potentiam, potentior factus eſt. Factus eſt enim in Deum Regi Pharaoni: Rex erat Pharao, ſed Deus non erat: Moyſes factus eſt illi Deus*. D. Ambr. Elias etiam fama ingens & virtutibus ingentior fuit: nam omnium primus, teſte Abulenſi quæſt. 51. in cap. 17. Matth. mortuum ſuſcitauit, 3. Reg. cap. 17. 3. Reg. 17. diutiùs à coruis mirabiliter paſtus quotidie cibum deferentibus, vt ibidem refertur. Quin etiam Dei vice elementis imperabat; vnde ſacrificia comburentẽ ignẽ è cælo fecit deſcendere, 3. Reg. 3. Reg. cap. 18. cap. 18. ipſoque precante, quinquagenarios flamma deſcendens ambuſsit, 4. Reg. c. 1. 4. Reg. 1. Et paſſim plurima prorſus admiranda ab Elia edita inuenies. Illud tamen pluris mihi eſt, quòd tum ipſe, tum Moyſes, pro tuendo Dei honore in apertam ſe capitis dimicationem coniecerunt: quod fortaſse, vt citato loco cenſuit Abulenſ. meritum vtrique contulit, vt in Thabor ſimili pene Chriſti gloria ſpectandi apparerent, & cum eo de ipſius paſſione loquerētur.

Ideo,

Digitized by Google

Abulenſ. *Ideo*, inquit, *inducti fuerunt illi, qui pro Deo ad mortem ſe expoſuerunt, nihil formidantes: Moyſes enim Pharaoni ſe oppoſuit; Elias autem Regi Acab: Etiam Moyſes Deo ſe oppoſuit, vt eum deleret de libro viuentium, ne vaſtaret populum: iſti enim conuenientes ſuadere poterant Chriſto de paſſione ſua, cùm ipſi ſe pro Deo expoſuiſſent.* Ita ille: quam ſen-
Chryſoſt. tentiam ex Chryſoſtomo deſumpſit, nam hom. 57. in Matth. expreſſe illam tenet.

Comiter ergo, & vrbanè Petrus, nec minùs prudēter, Moyſis Eliæque dignitatē inſpiciens; & quāto in eo ſpectaculo ſplendore radiarent, aduertens (ſiquidem Chriſti ſimilitudinem prope referebant) ſe conſtringi cenſuit, vt niſi inurbanus, & parum comis iudicari vellet, præclariſſimos hoſpites tabernaculis à ſe fabrefactis exciperet: & ideo tum, vt hoſpitibus præberet obſequium, tum vt Chriſto ſic ipſos honoranti blandiretur, tria popoſcit tabernacula, dicēs:
Matth. cap. 17. *Faciamus hìc tria tabernacula*, vt cuique ſuum pro dignitatis ordine deſeruiret: & numerali quadam diſtributione vſus, dixit: *Tibi vnū, Moyſi vnum, & Eliæ vnū.* Matth. 17. Ex quo apparet ſeparationē illam tabernaculorum nequaquam ex ignorantia dignitatis qua Dominus Ieſus cæteros anteibat, proueniſſe. Nec verò Petrus ſuum cuique tabernaculum deſignans, eos Chriſto adæquare contendit: illud ſolùm curat, vt honorē impendat, ſicut illos honorari conſpiciebat. Quia tamen (ait Abulenſ. quæſt. 64. in c. 17. Matth.) etſi inferiores Chriſto eſſent, nuſquam tamen eius familiaritate vſos conſpexerat; ideo vnicuique tabernaculum ſtruere pollicetur. *Petrus conſiderauit,* Abulen. *quòd licèt Moyſes, & Elias eſſent minores Chriſto, & velut ſerui eius, tamen nunquam fuerant cum eo familiariter conuerſati ſicut diſcipuli: ideo dedit eis diuerſa domicilia à Chriſto.* Quin etiam, addidit ibidem Abulenſis, eos ab inuicem ſeparauit, quia vtrumque contemplatus eſt parum ſocietatis amantem, & ſolitudinis valde ſtudioſum, ſicut orandi amore viuentes conſueuerant. *Conſiderauit* Abulenſ. *fortè Petrus quòd Elias, & Moyſes nunquam duxerant vitā familiarem.* Vnde Petrum omnibus modis comem & vrbanum, quin etiam amore plenum, ſe exhibuiſſe deprehendes: Siquidem eos honore proſequi ſtuduit, quos à Præceptore ſuo ſpeciali honoris prærogatiua affici conſpexit. Niſi fortè velis quòd vtrumque vt magiſtrum, ac doctorem contemplabatur: quaſi aduerterit, quod poſtea notauit Chryſoſtomus homil. 57. in Matth. ideo in montem perductos, vt diſcipuli ex ipſis zelum, iuſtitiam, miſericordiam manſuetudinemque perdiſcerent. *Pro-* Chryſoſt. *duxit igitur*, inquit, *illos etiam*

S *pro-*

propter hoc in medium , vt eos, qui maximè populares fuerunt, imitarentur, & animi robur atque conſtantiam ſequerentur ; fierent mites vt Moyſes ; zelotæ vt Elias ; & de alijs ſimiliter ſoliciti.

Præcipua tamen cauſa, ob quã Chriſtus Moyſem, & Eliam tranſfigurationis ſocios delegit (vnde etiam illa Petri tabernaculorum contentio capit excuſari) cenſenda eſt, quòd ob ieiuniorum ſimilitudinem Dominus Ieſus, vtrumque illum ieiunij ſui collegam, gloria & maieſtate, qua tunc fulgebat, ſibi voluit exæquare. Sublimis namque eſt ieiunij virtus, qua homines diuini quodammodo efficiuntur. Et quemadmodum Chriſtus quadraginta diebus ieiunauit, Matth. cap. 4. Sic Moyſes totidem ieiunio tranſegerat, Exod. cap. 32. & Deuteron. c. 9. Eoſdem etiam Elias ieiunando compleuit, 3. Regum cap. 19. Vterque ieiunio ſuo quandam Redemptoris ſimilitudinem, Diuinitatisque ipſius potentiam quadragenaria abſtinentia præludens, quaſi diuinam nacti eſſent naturam, vt ſine victu poſſent vitam tandiu protrahere. Ideoque non ſolùm propter honorandum matrimonium in Moyſe, quem vxoratum, & ob virginitatis honorem in Elia, quem cælibem agnouimus ; vterque transfigurationis ſpectator, & gloriæ conſors eligitur ; ſed etiam ob ieiuniorum æqualitatem, & ſimilitudinem, vt notauit ſanctus Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum. *Dominus noſter*, inquit, *atque Saluator, non ob differentiam virginitatis, & nuptiarum, vt quidam putant ; ſed ob ieiuniorum conſortia, Moyſem & Eliam transfiguratus in monte ſecum oſtendit in gloria.* Vnde cernes quàm magna ſit ieiunij prærogatiua : Siquidem propter circunſcripti victus præſtantiam, Moyſes, & Elias beatitudinis prælibatione frui meruerunt.

Matth. 4. Exod. 32. Deut. 9. 3. Reg. cap. 19. D. Hier.

Nullus tamen, quem viderim, hanc ieiunij prærogatiuam vberiùs commendauit, quàm Tertullianus : nam lib. aduerſus Pſychicos cap. 6. ob ieiunij virtutem Moyſem & Eliam ſupra homines reputat, & quandam in vtroque veluti Diuinitatem agnoſcit : quin etiam Moyſem ieiunij merito Dei gloriam conſpexiſſe teſtatur. *Moyſes*, inquit, *quadraginta diebus, totidemque noctibus ſupra humanæ naturæ facultatem ieiunũs perennauit, ſpirituali fide virtutem ſubminiſtrãte : & vidit oculis Dei gloriam, & audiuit auribus Dei vocem, & corde conieeit Dei legem.* Hæc de Moyſe magnus Afer. Nec minùs ponderosè familiaritatem deſcribit, qua Deus cum Elia ob ieiunij meritum vtebatur. Audi quid ad Prophetam Dominus, cùm in antro latitantem con-

Tertull.

Digitized by Google

3.Reg. cap.19. conuenit. *Quid*, inquit, *hic agis Elia?* Audiſti? libra modò quàm diuerſimode primo parenti Adam fuerit locutus, poſtquam vxore Geneſ.3. ſuadente comederat. *Adam vbi es?* Geneſ. c.3. nu.9. Proh quanta diuerſitas! Eliæ vt ieiunanti blanditur: Adamum vt comedentem ſupplicij comminationibus terret. Tertullianum auſculta: Tertull. *Cùm Elias in ſpelunca diuertiſſet, quàm familiari congreſſu Dei exceptus eſt! Quid tu Elias hic? Multo amicior iſta vox, quàm, Adam vbi es? Illa enim paſto homini minabatur: iſta ieiuno blandiebatur. Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem reuera pari.* Notatu digna eſt vltima ſententiæ clauſula; *Vt Deum præſtet homini contubernalem, parem reuera pari:* adeo enim ſublimis eſt ieiunij virtus, vt homines ad quandam æqualitatem cum Deo euehat. Et ſanè hæc Moyſi Eliæque obtigiſſe videtur, quos Dominus Ieſus ſui ieiunij collegas habuit: Vterque enim quadragenarium ieiunium, ſicut ipſe in deſerto peregit. Vnde quid mirum vt à Petro in Thabor digni haberentur, qui tali gloria maieſtateque viſendi apparerent: atque adeo tabernaculorum pollicita- Matth. cap.17. tione honorare ſtatueret? *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.*

Cæterùm non eſt cur ieiunij potentiam in hac parte admiremur: Siquidem longè maior neceſſum eſt ab eo edita fateamur. Quid? Ipſemet Dei filius in deſerto ieiunans, quòd talis ſit ieiunij virtute monſtratur. Inquirit acutè Chryſologus ſermone 11. cur poſt quadragenarium ieiunium Dominus Ieſus famem voluit perpeti. *Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit;* Matth.4. vt famelicus appareret homo, qui antea ſine victu viuens, nec famem ſentiens, Deus tantummodo à dæmone putabatur. *Eſuriuit Chriſtus*, reſpondet, Chryſol. *vt tentandi materiam diabolus inueniret, quia ad ieiunum non audebat accedere: quia ſic ieiunantem, Deum non hominem ſentiebat. Tunc ſenſit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putauit poſſe tentari, quando eum eſurire callidus explorator inſpexit.*

Anxius itaque, & ſuſpenſus hærebat diabolus: hinc Saluatoris ieiunium, inde fames agitabant; nec quid de ieiuno famelicoque ſentiret, determinabat: Sed quem comedentem viderat & bibentem, hominem credidit; ieiunantem verò, Deum reputauit. Perbellè Chryſologus ſermone 12. ad illa verba: Matth. *Si filius* Chryſoſ. *Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Diabolus namque*, ait, *qui manducantem contempſerat*

Chriſtum, bibentem velut hominem computarat: vbi ieiunantem vidit, ſuſpicatus Deum, Dei filium confitetur. Et ſerm. 13. in eadem verba; *Si filius Dei es. Videtis*, inquit, *quia iam non hominem, ſed Dei filium credit, quem liberum à vetris conſpexerat ſeruitute. Senſit, ſenſit Diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Ioannem viderat, vrbium delicias ſqualentis eremi habitatione mutaſſe; mollitiem carnis veſtis aſperitate calcaſſe; agreſti cibo mundi totam frænaſſe luxuriam: Et, quod ſolum Deitatis inſigne eſt, hominibus dimiſiſſe peccata. Et tamen non ei dixit, Si filius Dei es. At vbi Dominum vidit ieiunantem, proclamat, Si filius Dei es.* Itaque ieiunium Chriſtum Dei filium oſtentat: puros homines ad diuinitatem quodammodo euehit, Deoque exæquat: Quin etiam Moyſem, & Eliam pene pari Chriſto gloria in Thabor ſpectandos conuexit: & ideo Petrus ſuum vnicuique tabernaculum inædificare moliebatur. Vnde planum fit pro ieiunantibus, & pœnitentibus, in cælo tabernacula præueniri, in quibus omni abundantia perfruētur, nam Angelis miniſtrantibus Dei menſæ participes fient: quod iam olim in Chriſto præmonſtratum, cùm poſt quadragenarium ieiunium *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Matth. 4.

§. SECVNDVM.

Moyſes & Elias, ieiunio & corporea puritate alati, in Thabor conuolarunt; vbi Petrus earum virtutum amator, pro ſe, & virginibus ſocijs, tabernaculorum obſequio honorare promittit.

NVſquam & numquam ternarium numerum myſterijs vacuū in ſacris reperies monumentis, vt planè fateberis, ſi cum D. Chryſologo ſerm. 102. verba illa Cēturionis apud Matthæum cap. 8. num. 9. *Dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit*; diligenter expendas, & è cortice tranſeas in medullam: in qua ternarium illum cæleſtibus inuenies Sacramentis refertum. Nam, teſte Chryſologo, ſeruorū primi Iudæos denotabant, in quibus fides deliquit, & à Chriſto receſſerunt. Secundi gentiles adūbrabant, qui fidem recipientes Chriſti diuinitatem agnouerunt. Tertij repręſētabant Chriſtianos; qui recepta iam fide Chriſti, dicto imperioque audientes reddebantur. *Iudæorum*, inquit, *repulſam, vocationem gentium, Chriſtiani populi obedientiam ſic demonſtrat. Dico huic, hoc eſt, Iudæo, qui non credidit: Vade, & vadit; & alij, hoc eſt Gentili, quia credidit: Veni, & venit; & ſeruo meo, hoc eſt Chriſtiano: Fac hoc,* Matth. 8. D. Chryſ.

Digitized by Google

hoc, & facit. Quòd ſi vbi ternarius fortuitò poſitus videtur, myſteria deteguntur; quid de Thabor ſentiendum, in quo ternarium videmus, humana & diuina prouidentia triplicatum? Quot in illo Sacramenta deliteſcent? Primum & nobiliſſimum ternarium, in eo gloriæ theatro conſtituit Chriſtus, ſplendenti Solis inſtar vultu, & veſtibus de niueo candore albicantibus transfiguratus: *Et transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*: Cui Moyſes & Elias ſuppari pene oris, veſtiumque ſplendore & maieſtate, vt refert Lucas, adſtiterunt. *Erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate*, cap. 9. nu. 31. Potiſſima huius celebritatis myſteria primũ claudit ternarium, vt ex dictis in hoc Archielogio cernes, & infra dicendis deprehendes. In ſecundo ternario Petrum videbis, Iacobum, & Ioannem, ſcenæ illius teſtes & ſpectatores; qui numero ſuo & nomine, ſicut iam ſignauimus, plurima continent Sacramenta: Vnde adſpirante Dei prouidentia, ex duodenario Apoſtolorum numero tres tantùm, & non ampliùs, in theatro adfuturi deliguntur. S. Bernardinus Senenſis ſerm. 16. qui eſt de ſacra Religione, in eo Apoſtolorum ternario trium Religionis votorũ, obedientiæ nimirum, caſtitatis, & paupertatis vicem, imaginemque repræſentatam agnouit. *In hunc montẽ*, inquit, *aſſumit Dominus tres diſcipulos ſuos; hoc eſt tria Euangelica vota & Domini perfecta conſilia. Primum eſt Obedientia, quæ in Petro demonſtratur: Petrus enim Simon nuncupatur; Simon nempe, obediens interpretatur. Secundum Caſtitas in Ioanne virgine indicatur. Tertium verò Paupertas, quæ deſignatur in Iacobo, qui ſupplantans feſtinantem interpretatur*.

Matth. cap. 17.

Luc. 9.

D. Bern. Senen.

Tertium ternarium dedit Petri poſtulatio: inſpecta enim gloriæ repræſentatione, loci ſtationem commendans, tria popoſcit tabernacula. *Bonum eſt nos hic eſſe; faciamus hic tria tabernacula*. Duo, monente Bernardino, hic à Petro innuuntur. Primum Religioſi ſtatus commendatio; quẽ Thabor referebat, vbi in votorũ obſeruantia degitur: *Reſpondẽs autem Petrus; Ideſt*, inquit, *obediens, vere dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe, ſcilicet in Religione*. Secundum ipſamet tabernaculorum poſtulatio continet, ex quibus tergeminus ternarij numerus coaleſcit, & nouem ibi inuenies ſibi inuicem mirificè reſpondentes, & totidẽ Religionis prærogatiuas exequãt, quibus floret Religio: vnde meliùs in ea quam in ſæculo viuitur; vt ibidem S. Bernardinus adnotauit, ac ex melliſluo S. Bernardi ore reſumpſit. *Bonum eſt*, inquit, *nos hic eſſe; videlicet in Re-*

Matth. cap. 17.

D. Bern.

D. Bern.

ligione: quia in ea homo viuit purius, cadit rarius, reſurgit velociùs, incedit cautiùs, quieſcit ſecuriùs, irroratur frequentiùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, & præmiatur copioſiùs. Hæ Religionis dotes, quæ ſtatum ipſius beant, & ſæculari reddunt præſtantiorem.

Ne verò quidquam apud Thabor deeſſet, vt mons ille Religionis vicem imaginemque repræſentaret; Petrus cubicula ſtruere meditatur: ideo ait; *Faciamus hic tria tabernacula*. (Matth.c. 17.) Tres itaque diſcipuli tria vota; tabernacula tria, ſtationes; Chriſtus, Moyſes & Elias, ſtatus Religioſi profeſſores adumbrabāt: Chriſtus duorum medius, virtutum omnium, præcipuè caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis exemplar, ac præceptor aderat: ideoque ab æterno Parente fôrs dicitur, *Ipſum audite*. (Matth.c. 17.) Et quidem facto & verbis paupertatis doctorem ſe præbuit: Nā de ipſo eſt illud: *Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* (Matth.8. num.20. Luc.9. num.58.) Quin etiam ad commendationem paupertatis alium admonuit dicens: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*. (Matth.c. 19.) Matth. 19. nu. 21. & apud eundem cap. 5. propoſito Regni cæleſtis præmio ad paupertatis ſequelam prouocat: *Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*. (Matth.5)

Quemadmodum paupertatis, ſic etiam obedientiæ documenta ſuggeſtum iuit: etenim Adami inobedientiam ſuā obediētiā reſarciuit, & fœdifragi parentis filios iuſtitiæ reddidit; vt D. Paulus ad Romanos 1.num.19.teſtatur. (Rom. 1.) *Sicut enim*, inquit, *per inobedientiā vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obediētiam iuſti conſtituti ſunt multi*. Eandem Chriſti obedientiam ad mortem vſque prouectam commendat Apoſtolus ad Philip. 2. num. 8. *Factus obediens vſque ad mortem*. (Philip.2.) Et ſanè Dominus Ieſus altiſsimæ obedientiæ ſuaſu nihil ſibi proprię voluntatis referuauit, ſed totum in æternum reiecit Parentem, cuius nutui ſe perfectiſſimè ſubdidit: vnde inter orandū dicebat: *Non mea voluntas, ſed tua fiat*. (Luca 22.) Luc. 22. num. 42.

Caſtitatis etiam doctorē Mundus habuit Dei filium: quippe qui non ſolùm virgo, ſed virginum pater extitit: vnde naſci de virgine voluit, & naſcens virgineū florem reliquit illibatum; morienſque virginem matrem Ioanni virgini cuſtodiēdam tradidit: Quin etiam Ioannes, in monte Sion virginibus vndique ſeptum inſpexit. *Vidi ſupra montem Sion agnum, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnū quocumque ierit*. (Apoc.14) Apocal. 14. n. 1. Hic eſt Ieſu diſciplinatus, hæc doctrina: cui tradendæ mons Sion pro cathedra inſeruit, auditores habet virgines. Nec ſolùm ibi,

ſed

ſed hic etiam in Thabor virginitatis profeſſoribus, corporeæque integritatis amatoribus ſtipatum inuenies: transfiguratum intuere, & videbis Eliam virgineo candore nitentem: videbis Moyſem corporeæ integritatis amantem, & vtrumque hoſtem infenſiſſimum turpitudinis. Quod vno eodemque tempore (ſi vera eſt Petri Damiani ſententia) præſtiterunt.

D. Petr. Damian. Num. 25. Sentit igitur Damianus epiſtol. 12. c. 2. Eliam fuiſſe Phineem illum, qui num. 25. turpiter commixtos pugione trãsfodiſſe enarratur. Et verò nomen Phinees ei à Parentibus dicit impoſitum, & eò vſque retentũ, quò ad duas tribus & dimidiam legationem obijt ſuper altari, quod erexerãt; vt cernere eſt in hiſt. Ioſue c. 22. Cùm autem Phinees idoli cultores redargueret, ipſi reſponderũt: *Ioſue 22.* *Fortiſſimus Deus Dominus, ipſe nouit*. Ioſue 22. n. 22. vnde (ait Damianus) Eliç nomen; quod tantumdem valet, ac Dominus Deus *Damian.* ſibi vſurpauit: ita, *Vt illorum reſponſum huius videatur eſſe vocabulum*. Atque adeo, ſtante Damiani iudicio, idem eſt Phinees ac Elias. Vnde iam non miror quòd virginum amor Ieſus, & virginitatis flos, Eliam inter & Moyſem, de niue candicans, & de Sole rubens transfiguratus apparuerit: quoniã vtriuſque animum vno eodemque tempore puritatis zelus inflãmauit, atque ad libidinoſos acerrimè perſequendos commouit.

Cùm enim plebs Iſraelitica fœminis Moabitis turpiter cõmiſceretur, Dominus Moyſi præcepit, vt cunctos populi principes ligno ſuſpenderet. Ille verò antequam Dei præceptũ exequeretur, Iſraelitis iudicibus iniunxit, vt arreptis gladijs vnuſquiſque in delinquentes irrueret, ac omnes ſine delectu, etiam fratres, trucidaret. *Dixitque Moyſes ad Iudices* *Num. 25.* *Iſrael: Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor*; Numer. 25. n. 5. quod non præcipiente Deo, ſed honeſtatis amore impellente, Moyſes peregit. Interim Phinees militem ex primoribus, cum Madianitide turpiter commixtum aſpiciens, zelo accẽſus vtrumque interemit. *Cùmque vidiſſet Phinees, ſurrexit* *Num. 25* *de medio multitudinis; & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet, & mulierem, in locis genitalibus*. Ibid. n. 8. itaque Moyſes, & Elias, hic libidinoſos perimens, ille iubens occidi; vterque honeſtatis amore, non Dei præcepto, libidinis perſecutores ſe præſtiterunt, & caſtiratis amatores.

Cæterùm, quamuis Phinees (vt credit Damianus) non idem fuerit ac Elias, de quo eſt illud Diui Ambroſij elogium lib. 2. de virgin. *Elias nullius corporei coitus fuiſſe* *D. Ambr.* *permixtus cupiditatibus inuenitur*; exinde fas erit cernere, quàm acerrimus turpitudinis inſectator

extiterit, quòd impia & impudica Iezabel illum fuerit perſecuta.

Hanc igitur ob cauſam tranſfigurationis ſocij, & ſpectatores à Chriſto eliguntur; Et cùm inter antiquioris æui homines, vbi Elias aderat viuus, etiam Enoch degebat, ac vbi Moyſes vita functus morabatur, etiam Abraham, Iſaac, & Iacob, & plures alij Patriarchæ ſe tenebant; ſoli tamen Moyſes, & Elias in Thabor euocantur; vt ſicut ieiunio, vt iam vidimus, alati illuc iuerant, ita etiam puritatis corporeæ alis eòdem veherentur. Sic agnum ſequentibus in mõte Sion Apoc.14. alas ſuppeditauit virginitas, cuius prærogatiua eſt, vt nihil illi ſit inacceſſum: quod diſertè expendit S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum; vbi altiſsimum Ioannis volatum contemplatus, quo hnmana tranſcendens in Dei pectore conquieuit, & ignorata retrò myſteria cognouit, ita fatur:

D.Hier. *Alatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum, qui in ſecreta diuinæ ſe natiuitatis immergens, auſus eſt dicere quod cuncta ſæcula neſciebant: In principio erat verbum, &c.*

Hiſce virginitatis alis præditi Elias, & Moyſes, vt honeſtatis amatores feruentiſſimi, Chriſti lateri in Thabor ſe transfigurantis aſſiſtunt. Nec dubito quòd ob honorandas huiuſmodi virtutes, illuc eos perduxerit, ſuum referens ingenium, quo ſemper virginitatem honorare conſueuit. Et ideo ait S.Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum: *A Domino virgine, Mater virgo, virgini diſcipulo commendatur.* D.Hier. Et quidem Dominus Ieſus, vtriuſque medius, non ſolum Diuinitatem oſtentauit, vt lib.3. carm. Paſchal. cecinit Sedulius.

Vt maior ſit noſtra fides, hunc eſſe per Orbem Sedulius.
Principium, ac finem, hunc ſimul alpha videret,
Quem medium tales circunfulſere Prophetæ.

Verùm etiam puritatem ſuam, quantùmque ipſius amatores haberet in amore, propalauit.

Fòrs autem, vt ſicut virginitatis honoratorem ſe oſtentauerat Dominus Ieſus, ita etiã eiuſdem conſeruatorem ſe exhiberet, propellendo libidinis veneno parauit antidotum, videlicet paſſionis ſuæ memoriam, de qua Moyſes loquebatur, & Elias. *Loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem*, Luc.9. Luc.9. Nullum enim, ait Auguſtin. in manuali cap.32. præſentius remedium eſt Chriſti paſsione ad perimendam carnis libidinem. *Nullum tam potens eſt, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, ſicut mors Redemptoris mei.* D.Aug. Nec dixiſſe ſemel ſatis habuit, iterum replicat: *In omnibus rebus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti: in illis dormio ſecurus, &*

requi-

Digitized by Google

reuiuiſco intrepidus. Vt autem Saluatoris paſsio proficiat, meditanda eſt, iuxta D. Bernardi traditionem in formula vitæ honeſtę, vbi ita: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Congruum verò fuit, vt in virginitatis magiſterio, quale primus ſcenæ huius ternarius præferebat, Chriſtus flos virgineus, cum virgine Elia, & Moyſe libidinis inimico, de paſsione ſua loqueretur; vt inter illos gloriæ ſplendores non ſolùm virginitatis decus, exemplumque appareret; ſed etiam perimendo libidinis veneno remediũ pararetur.

D. Ber.

Petrus igitur, & ſocij, corporeæ integritatis prærogatiua inſignes, ſpectaculo adſiſtunt. Nam Iacobus & Ioannes, ſicut Elias, virginitatem coluerunt: Petrus ſecundi ternarij caput, Moyſis caſtitatem æmulabatur. Etenim, ſicut ille ex Dei colloquio in rubo, vxori, & coniugij voluptatibus vale dixit, vnde ad Dei familiaritatem aſcitus: quod fortaſſe Aaronis inuidiam excitauit, vt Sephoræ obtentu aduerſus Moyſem obmurmurans, ad coniugales iterum congreſſus impelleret, ſicq. diuinos amitteret fauores, & minùs apud eũ gratia poſtmodum valeret: ſolos enim puritate conſpicuos ad Dei colloquium admitti videmus. Ita cenſuit Hieronymus ad cap. 5. Epiſt. ad Galat. Ex cuius placito etiam addo, quòd Petrus ab Apoſtolatu vxori nunciũ remiſit, factus deinceps caſtitatis cultor. *Petrus*, inquit, *& cæteri Apoſtoli (vt ex ſuperfluo interim concedam) habuerunt quidem vxores, ſed quas eo tempore acceperunt, quo Euangelium neſciebant; qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum relinquunt officium coniugale*. Ita ille lib. 1. contra Iouinian. Nec verò Petrum, & reliquos (eſto habuerint vxores, quod Hieronymus aduerſario gratis largitur) vtcumque eis nuncium remiſiſſe credas; ſed ita exactè, vt nuſquam Petrus à nobis coniugatus agnoſceretur, niſi ſocrus ſanitati ex miraculo reddita, ipſi miniſtraret: Vnde eſt illud Tertulliani. *Agnoſco Petrum maritũ per ſocrum*. Tantùm apud ipſum valuit caſtitatis ſtudium, vt illius ergò coniugij debitum poſthabuerit. Verùm de Petri continentia, mirabilique parſimonia lib. 2. plura congeram.

D. Hier.

Tertull.

Illud nunc mihi perſuadeo, harum virtutum amorem, (quas ipſe coluit, in Moyſeque, & Elia enituiſſe aduerterat) Petri animũ commouiſſe, vt ſuo & ſociorum nomine, ad Moyſis, & Eliæ honorem, quos à Chriſto honorari cernebat, tria poſceret tabernacula. *Faciamus hìc tria tabernacula*. Et fòrs tabernaculorum ſtructuram ſic in mente partitus eſt, vt Ioannes, & Iacobus virgines, pro Chriſto & Elia Virginibus tabernacula exædificarent.

Matth. cap. 17.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe verò coniugatus, & caſtitatis cultor, pro Moyſe eâdem virtute claro tabernaculum ſtrueret, *Tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Nec mirum ſit hæc à Petro meditata, præſertim cui illud D. Antonij de Padua ſerm. 1. de transfigur. innotuerit. *O Petre quàm profundè locutus es!* Et preterea acutiſsimi ſunt oculi virginitatis, cui ſuppar eſt caſtitas: idcirco diſcipulis ad mare Tiberiadis piſcantibus apparēte Ieſu, à ſolo Ioanne in littore adſtans cognoſcitur, ſicut ipſe c.21.nu.7. refert. Et benè infert Hieronymus: *Solus virgo virginem agnoſcit*.

Matth. c. 17.

D. Anton. Paduan.

D. Hier.

Hic autem in Thabor omnes aut virginitate, aut caſtimonia inſignes videbis; ſola enim in Dei ſocietatē cooptatur. Quinimò propterea nunc Chriſtus à patre dilectus filius nuncupatur, quia ipſe totius virginitatis, diuinæ pariter ac humanæ, de patre ſine matre, & de matre ſine patre, filius habetur. Cùm autem apud Ioannem cap. 1. ad filiorum Dei honorem aſcenſum nobis pollicetur, *Dedit eis poteſtatē filios Dei fieri*; hanc adhibuit conditionem, vt nequaquam ex fęminæ marisq. commixtione enaſcamur. *Qui non ex voluntate carnis (ideſt fœminæ) neque ex voluntate viri*: ſed quemadmodum Chriſtus ex Deo, & vna virgine natus, qualem puta Eccleſiam (ait Auguſtinus) quæ quotidie Chriſtū in ſuis fidelibus, partu edit fælciſsimo; & tamen ipſa, virgo perſeuerat: *Sed ex Deo nati ſunt*.

Ioan. 1.

Auguſt. ſerm. 21. de temp.

Quòd autem Petri mens fuerit pro Moyſe tabernaculum fabricare, ſi Iacobus, & Ioānes pro Chriſto, & Elia virginibus ſua tabernacula molirentur, non ſine reprehenſione præteriri poſſe viſum eſt doctiſſimo Petro Caſtillejo, Angelorum Prouinciæ alumno, lib. centur. manuſcripto, centur. 2. in Matth. cap. 6. vnde hæc transfero. *Fuerat enim Moyſes Synagogæ fundamentum; & quaſi Petri vmbra & imago: multò enim perfectius fuit Petrus Eccleſiæ fundamentum, quàm Moyſes Synagogæ. Quid ergo eſt ò bone Petre, quòd deſeruire vis in cæmentarium ei qui tibi deſeruiuit in typum?* Et licet idem author hunc Petri conatum obtenta mentis alienatione, præ gloriæ magnitudine excuſet: *Si corruptibilis*, inquit, *vini meri potatio tollit ſenſum, & rapit mentem; quid tantæ gloriæ aſpectus, quomodo mentes non ſopiret, & quaſi præfocaret?* Ego tamen hic conſideratè locutum arbitror, non ſolùm ob typicam vmbram, ſed ob caſtitatis prærogatiuam, quam in Moyſe intuebatur, ſicut Eliam virginem eſſe deprehenderat, ſubindeque typi ſui caſtitatem, vrbanum & comem vnumquemque tabernaculo ſuo honorare voluiſſe, vt tandem citatus author fatetur. *Porro*, inquit, *non ſic potuit timor rationem Petri turbare, vt in ordi-*

Caſtillej. in cētur. centur. 2 in Matth. cap. 6.

ordine tabernaculorum prudẽs & vrbanus non eſſet: non enim confundit ordinem, non præpoſterè loquitur, ſed ordinatè, dicens: Tibi vnũ, Moyſi vnum, & Eliæ vnũ. Et ſicut Domini tabernaculum poſuit ordine primum, ita & excellentia, magnitudine, & maieſtate faceret præſtantiſsimum. Sed iam ad alterius tabernaculi molitionẽ, Eccleſiæ nimirum principatum, & Monarchiam accedamus: de qua Petrus hic apud Thabor, iuxta Diui Hieronymi ſententiam admonet.

CAPVT IX.

Ignorantem reputat Hieronymus D. Petrum, eò quòd in Thabor contra ſuam Monarchiam loquutus fuerit, tria expoſcens tabernacula: vbi Petri principatus ſtatuitur, & illuſtratur.

PEtrum in eo errantem, & ignarum agnouit S. Hieronymus, eo quòd tria tabernacula, hoc eſt, tres Eccleſias extruere contenderit, cùm vna tantùm ſit Eccleſia Dei ſponſa, & vnus paſtor ipſius ac ſponſus: alios puta ſeruos, in Eccleſiæ adminiſtratione nullatenus adæquandos. Igitur cum Petro ſic expoſtulat D. Hieronymus in comment. in cap. 17. Matth. *Erras Petre, ſicut & alius Euangeliſta teſtatur: neſcis quid dicas: noli tria tabernacula quærere; cùm vnum ſit tabernaculum Euangelij, in quo lex & Prophetæ recapitulanda ſunt. Si autem quæris tria tabernacula, nequaquam ſeruos cum Domino conferas.* Quaſi diceret: ſolus Dominus Ieſus, Eccleſiæ paſtor eſt, & caput vnicum, in quo lex & Prophetæ, per Moyſem & Eliam ſignificata, coniunctim implentur: atque adeo grauis error eſt, & ignorantia non temerè ſuggillanda, quòd tria tabernacula, ſeu tres ſedes, in vna Eccleſia & pro vno mediteris paſtore, qualem te Chriſtus ſui Vicarium, & Romæ in Pontificem futurum deſignauit: qua in Vrbe ſedem figes, & ſolium collocabis, non amplius amouendum: & quãtùm hæc inter alias caput extulit vrbes, tantùm, & ſupra ſedes tua: & ſicut dies ſæculi, thronus ſuper alios ſe extollet. Vnde nec Antiochena, aut Conſtantinopolitana, vel quælibet alia ſedes, tuæ veniet exæquãda: tuo ſubſunt Imperio: omnes tuæ ditioni tanquã inferiores & famulę ſubſternuntur. Vt quid igitur ignarus & tibi contrarius loqueris? vt quid tabernaculum, quod tibi ſoli tanquam ſupremo capiti, & paſtori, datur cũ alijs optas habere commune? quinimo cùm vnũ tantum futurum ſit tabernaculum, ſedes vnica, ſolium ſingulare tibi & Romanis Pontificibus deſignatum, alia pro alijs tabernacula ſtruere meditaris? Fallar, niſi ita ſenſit Gloſſ. ordinaria in cap. 9. Luc. *Sic errat*, inquit, *quia tria taberna-*

D. Hier. Luc. 9.

Gloſ. ordinar. in Luc. 9.

cula

cula legi & Prophetis,& Euangelio facere deſiderat,cùm hæc ab inuicem non diſcrepent; non tria, ſed vnum habentia tabernaculum, ideſt, Eccleſiam Dei. Ita ibi. Damaſcenum addo oratione de trāſfigurat. in qua Petrum dicentem, Matth. c. 17. *Bonum eſt nos hic eſſe*, ignorantię damnat; eiuſdemque arguit in eo quod addidit: *Faciamus hic tria tabernacula*. Vbique enim contra Pontificatus ſui iura,& monarchiæ ſublimitatem locutus videtur. Damaſc. *Non eſt autem bonum, Petre, tibi, quòd Chriſtus ibi moretur; quoniam ſi manſiſſet, nequaquam tibi facta promiſſio conſequeretur effectum: neque enim claues obtinuiſſes Regni*. Et ſtatim ad poſteriora Petri verba ſupponit: *Non autem te Dominus tabernaculorum, ſed vniuerſalis Eccleſiæ conſtructorem conſtituit: Verba tua, tui diſcipuli, oues tuæ mandauerunt effectui, Chriſto tabernaculū conſtruentes*. Iſtæ, ni fallor, Damaſceni redargutiones eò tendunt, vt obliuionis Petrum inſimulēt:& meritò nam ſex ab hinc diebus Pontificatum ſibi à Chriſto datum inſpexit, vel ſaltem promittentem audiuit, ipſum Eccleſiæ paſtorem vnicum,& ſuum ſucceſſorem futurum; in cuius ſignum pro vtroque ſimul tributū ſoluere pręcepit & hic, Matth. 16. Matth. c. 16. *Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam; & tibi dabo claues Regni cælorum:& quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Promiſsionem hanc ſex diebus ante Transfigurationem inuenio factam apud Matthæum, qui enarrata promiſſione cap. 17. addidit: *Et poſt dies ſex aſſumens Ieſus Petrum, &c.* Matth. c. 17. Luc. 9. num. 28. Nec obeſt quòd Lucas ad octauum diem reijciat Transfigurationem. Nam, interprete D. Hieronymo in cap. 17. Matthæi, hic ſolos dies interiacentes commemorat: Lucas verò primum recenſet & poſtremum; videlicet in quibus celebrata fuit promiſsio, & peractū Transfigurationis myſterium. *Facilis*, inquit, *reſponſio eſt: quia hic medij ponuntur dies, ibi primus additur & extremus: non dicitur, poſt dies octo aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem; ſed, die octaua*. D. Hier.

Dum verò Petrus die ſexto poſtquam facta ſibi fuerat Pontificatus promiſsio, de tabernaculis conſtruēdis ſciſcitatur, dicens, *Si vis faciamus hic tria tabernacula*; plane videtur polliciti oblitus,& obtinendi Pontificatus parum ſecurus. Notauit hanc obliuionem S. Hieronymus; & propterea Petrum tamquam ignorātem, & illius reum reprehendit. *Quia imprudenter interrogauerat, propterea reſponſionem Domini non meretur. Sed Pater reſpondet pro filio, vt verbum Domini compleretur*. Ita ille. Et quidem Pater æternus, quaſi fa-

ctæ

Digitized by Google

ctę à Chriſto promiſsionis fideiuſſor, ipſum filij titulo condecorat, vt Petrus agnoſcat certã ſibi ob
Matth. 16. confeſsionem, qua dixerat, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, retributionem ſeruari;nec minùs certam Pontificatus largitionem futurã, cùm is qui promiſerat,dicens, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, filius Dei eſſet:cuius veritatẽ integram eſſe oportebat, & incorruptam. Quo ſenſu,ni fallor,ab Hieronymo dictum, *Vt verbum Domini compleretur*. Erat inſuper Chriſtus, tabernaculi Eccleſiæ dominus & poſſeſſor: ideoque ſucceſſorem, & ſui Vicarium,quem vellet, inſtituere poterat; vt reuera Petrum inſtituit; per quẽ,ſicut ipſe à Patre edoctus,alios viciſſim, tanquã ſupremus paſtor, & caput, erudiret. Hieronymi additamentum
D.Hier. repono. *Vox quoque*,ait, *de cælo Patris loquentis auditur, quæ & teſtimonium perhibeat filio, & Petri errore ſublato doceat veritatem; imo per Petrum cæteros Apoſtolos: Hic eſt*, ait, *filius meus dilectus: huic figendum eſt tabernaculum, huic obtemperandum: hic eſt filius, illi ſerui ſunt*. Quaſi dicat: Chriſtus vnicus & naturalis Dei filius, Eccleſiæ Paſtor & caput eſt;quem vel ipſi hoſtes vineæ
[illegible] hæredem agnouerunt: vnde; *Hic eſt hæres*, etiam inuiti dicebant: ipſi conſtructa eſt Eccleſia, ipſi vt Domino parabatur obedientia: *Huic figendum eſt tabernaculum, huic obtemperandum*: Poſt ipſum vicaria ſucceſſione Petrus ibit,tãquam ſupremus eiuſdem Eccleſiæ Paſtor; cui promiſſum eſt, vt Regni cælorum clauiger ampliſsima aperiendi, & obſerandi poteſtate ſubſtitueretur. *Tibi dabo claues Regni cælorum*.

Solito acumine perſpexit Origenes, cælum hoc loco non ſingulari numero efferri, ſed plurali; *Regni cælorum*; cùm tamen alijs Apoſtolis locutus, cælum dixerit
Matth. 18. *Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*: Matth. 18. n. 18.
Vbi iam cernis, quantum inter alios & Petrum,ſit diſcrimẽ: cui idcirco dicitur, *Tibi dabo claues Regni cælorum*; Vt appareat quòd alij vni tantùm cælo,hoc eſt vni Eccleſiæ, & Epiſcopatui præficiantur: At verò Petrus non in vnum tantummodo cælum, videlicet vnam Eccleſiam; ſed in omnes vniuerſim, tanquam Dei Vicarius, Chriſti ſucceſſor, Eccleſiæ caput, ampliſsimam poteſtatẽ accepit. Verba Origenis ex homil.6. in Matth.profero. *Non* Origen.
modica,inquit,*differentia eſt,quòd Petro datæ ſunt claues non vnius cæli, ſed multorum cælorum, vt quæcũque ligauerit ſuper terram, ſciant ligata non tantùm vno cælo ſed in omnibus cælis. Ad eos autem, qui multi ſunt ligatores & ſolutores in terra, ſic dicit, vt ſoluant, vt alligent; non in cælis, ſicut Petrus, ſed in vno cælo; quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alli-*

Digitized by Google

alligent, & ſoluant in omnibus cælis. Hæc Origenes: quæ licèt de Petro ſint dicta, in ipſius ſucceſſores Romanos Pontifices aptiſsimè quadrant.

Vnde D. Bernard. lib. 2. de conſiderat. ad Eugenium Papam, ipſũ hac ratione ſciſcitando alloquitur: D. Bern. *Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex: tu princeps Epiſcoporum: tu hæres Apoſtolorum: tu primatu Abel: tu gubernatu Noe: Patriarchatu Abrahã: Ordine Melchiſedech: dignitate Aaron: auctoritate Moyſes: iudicatu Samuel: poteſtate Petrus: vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum paſtores: ſed tu tanto glorioſius, quanto & differẽtius vtrũque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, ſed paſtorum omnium tu vnus paſtor:* Hæc Bernardus: quem dum loquentem audio, non tam verba, quàm liquatum ex ore mellifluo mihi videtur aurum effluxiſſe. Expenderat ille Chriſti verba ad Petrum apud Ioannẽ 21. *Paſce oues meas:* & quaſi ab Eugenio quæſitus, vndenam probaret illum talem eſſe, qualem hactenus depinxerat, ad Chriſti ſententiam conſequenter ſubiunxit: *Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini: Cur enim dico Epiſcoporum? ſed etiam Apoſtolorum: ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues. Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? illius, aut illius populi, ciuitatis aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes?* Hæc ille.

In idem placitum mihi videtur conſpiraſſe Euſebius Emiſſenus ſerm. de Natiuit. Ioan. Euang. vbi animaduertit Chriſtum Dominum antequam Petro diceret: *Paſce oues meas*, bis præmiſiſſe, *Paſce agnos meos*. Ioan. 21. Oues itaque, & agnos paſcere iubetur; nec ſine myſterij ſacramento; ſed vt ſubditorum ſimul ac Prælatorum paſtorem ſe, & caput inſtitui cogitaret. Emiſſeni verba ſunt. *Prius agnos, deinde oues ei commiſit: quia non ſolùm paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos; paſcit oues: paſcit filios, paſcit & matres, regit & ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos & oues, in Eccleſia nihil eſt.* Greg. Emiſſen. Et verò cùm maior ſit eorum numerus, qui ſub paſtorum obedientia degunt, & ab ipſis ſpiritu reguntur, quàm qui paſtores agunt & præſides; idcirco bis, *Paſce agnos meos*, & ſemel tantum, *Paſce oues meas*, adhortatur: niſi fortè, Theophilacto interprete, & Rupertò, per agnos, in fide teneros adhuc & imbecilles intellexit; Theophil. Rupert. iuxta illud Pauli ad Hebræos c. 5. num. 12. Hebr. 5. *Cùm deberetis magiſtri*

eſſe

eſſe propter tempus, rurſum indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei; & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Per oues autem, qui fidei ſoliditatem & perfectionem aſſecuti, perfectorum cibis ſpiritualibus nutriuntur. Iterum
Hebr. 14. do Apoſtolum num. 14. *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus eorũ, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus*. Omnibus tamen, agnis & ouibus, teneris & adultis, perfectis iam & proficientibus, ſubditis & paſtoribus, Petrus, vt communis & vniuerſalis paſtor, præficitur. Addo Emiſſeni clau-
Emiſſen. ſulam. *Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt*.

§. PRIMVM.

Mirificè reſpondet amor & affectus, quem Petrus habuit, cùm in Thabor tria tabernacula poſtulauit, affectui & amori, quo meruit Eccleſiæ Principatum, cùm Chriſtus eum ter interrogauit, an ſe diligeret.

VIgilanter adnotandum mihi videtur, & præſenti inſtituto plurimum deſeruit, quòd Dominus Ieſus, antequam Petrũ Eccleſiæ ſuæ caput, & paſtorem præponeret, ter ex eo quæſiuit, an ſe diligeret; & totidem gregis præfecturam commiſit; vt Ioan.
Ioan. 21. cap. 21. diligenter enarrat. *Cùm ergo, ait prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannes diligis me plus his? dicit ei, Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi, etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus: quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei. Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oues meas*. Recole Saluatoris promiſſionem Matth. c. 16.
apud Matth. 16. ſupra memoratã, in qua Eccleſiæ Principatum Petro ſe traditurum declarauit; & polliciti fidem hoc in loco ſoluiſſe deprehendes; fremant licet, & diſcrucientur Caluiniſtæ, alijq. ex Lutheranorum grege, & quotquot è tartari ſentina prodeũtes, Petrum negant Eccleſiaſticæ Monarchiæ principem, & ſupremum caput, ac Chriſtiani gregis paſtorem vniuerſalem inficiantur. O nimium cæci, amouete paulisper ab oculis, ignorantiæ velum: (ni iam pertinax errandi ſtudium eſt) ſubintranteque veritatis ſplendore, locus iſte clariſsimus certè Petri Monarchiam luce clariorem vobis demonſtrabit: nihil enim in eo eſt, quod Petri non reſonet principatum. Singula minutatim non expendo, quia Archielologi, non expoſitoris munere perfungor: quæ præſtantiora ſunt, inſtituto magis apta, atque ad Petri lau-

laudem conducunt, prælibabo.

Igitur interrogationum numerus ille ternarius, & ternũ amoris examen, quo Dominus Ieſus, Petri charitatem tentauit, & probauit, antequam illum Eccleſiaſtici Principatus laurea coronaret; non ſuperuacaneum, ſed doctore Bernardo ſerm. 76. in Cantic. magnis grauidum ſacramentis exiſtimo.

D. Bern. *Non otioſè*, inquit ille, *repetitum eſt toties; Petre amas me? in commiſſione ouium. Et ego quidem id ſignificatum perinde puto, ac ſi Petro dixiſſet Dominus: niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientia, quòd me ames, & valde, perfectèque ames, hoc eſt; pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam & te; vt huius repetitionis meæ numerus impleatur; nequaquam ſuſcipias curam hanc, neque te intromittas de ouibus meis, pro quibus ſanguis vtique meus effuſus eſt*. Itaque priuſquam Dominici gregis paſtor creetur, de amore ternis interrogationibus examinatur, vt conſtet pluſquam ſua, pluſquam ſuos, & pluſquam ſe diligere Saluatorem: aliter Eccleſiæ principatu indignus iudicatur.

Sed proh dolor! triplicatus iſte Petri amor, ſeu triplex charitatis funiculus, difficillimè rumpendus, quo præceptori ſuo ſe fortiter illigauerat, in tentationibus fractus inuenitur, & diſruptus; &, quod magis dolendum, in negatione tentatus amiſit, quod gloriæ viſione in Thabor recreatus oſtenderat & probauerat. Quapropter dixit egregiè D. Antonius de Padua ſermon. 1. Dominicæ 2. Quadrageſimæ. *Nam ter Dominum negauit, & ita tria tabernacula conſtructa ſubuertit.* D. Anton. de Pad.

At dices: quando triplicem in Transfiguratione amorem Petrus oſtendit? cùm, videlicet à Magiſtro tria ædificare tabernacula, ignoranter expoſcit; ſi vt par eſt, Chryſoſtomo credendum, & Auguſtino: hic enim, vt iam retulimus ex cap. 22. Soliloquiorum, Petrum tam incredibili amoris æſtu ad gloriæ conſpectũ exarſiſſe teſtatur, vt in illo amoris deliquio præceptorem ſuum pluſquam ſua, & pluſquam ſuos diligere cõprobaret. *Omnium inferiorum oblitus clamauit quaſi ebrius dicens: Domine bonũ eſt nos hic eſſe. faciamus hic tria tabernacula.* Chryſoſt. Sin minus rogo quid ſit, *Omnium inferiorum oblitus*, niſi quòd Petrus omnia præter Ieſum obliuione ſepeliuit? Quòd autem & ipſũ pluſquam ſe diligeret, teſtatur D. Chryſoſt. homil. 57. in cap. 17. Matth. ad illa verba; *Bonum eſt nos hic eſſe*; quibus Petrus amore percitus præceptoris ſui incolumitati conſulebat, & vitæ ipſius conſeruandæ ſtudio conſtructis à ſe in monte tabernaculis morari hortabatur; ne ignominioſam ab hoſtibus mortẽ perferret, ſui oblitus; & Magiſtri ſalutem inhians: Vnde ex amore quàm bellè errat, dum tabernaculorum ſtructuræ ſe offert.

Digitized by Google

offert: idcirco D. Chryſoſtomus errorem excuſans, quòd promiſsi principatus oblitus, tabernacula erigere poſtulauerit; & affectum laudans, quo ſeipſum Chriſti vitæ opponens, abſque principatu in monte degere cupiebat, ita prudenter lectorem adhortatur: *Chryſoſt.* *Non enim quærere debes quàm prudenter hortabatur, ſed quàm feruens charitate Chriſti, quàmque inflãmatus eſſet. Nam quòd non pro ſe tantùm, quantùm pro Chriſto timeret, quando mortem & inſidias Chriſtus prædicabat, ipſum audias* *Marc. 14.* *dicentem: Animam meam pro te ponam: & ſi oportuerit me tecum mori, non te negabo. Vnde factum eſt vt in medio periculo conſtitutus, tam ingenti caterua circunfuſus, non modò nõ fugerit, verùm etiam gladio arrepto, Sacerdotis ſerui aurem abſciderit. Non ita pro ſe, quã pro Magiſtro expaueſcebat.* Vides igitur Petrum pluſquàm ſe ipſum Præceptorem dilexiſſe, non ſolùm quòd de ipſius vita ſolicitus, promiſſæ Monarchiæ ſolicitudine nullatenus tangebatur; ſed quia ſoli Chriſto, Moyſi, & Eliæ tabernacula extruere pollicebatur, ſui ſodaliumque oblitus: quia Dominum Ieſum nõ tantùm pluſquàm ſuos & pluſquàm ſe diligebat, ſed etiam omnes alios ad ipſius amorem pertrahere conabatur. Vnde ne Moyſes & Elias habitationis incommoditatem fortè peroſi à Chriſto diſcederent, tabernacula promittit, vt detineret, ipſiq. detenti Chriſtum à ſubeũda morte dehortarentur. Fallar, niſi hoc S. Lucas cap. 9. inſinuauit, dum Moyſem & Eliam primùm diſcedentes ſcribit, quàm Petrum tabernaculorum opus promiſiſſe commemoret. *Et factum eſt, cùm* *Luc. 9.* *diſcederent ab illo, ait Petrus ad Ieſum; Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe; & faciamus tria tabernacula; vnum tibi, vnum Moyſi, & vnũ Eliæ.* Ibi nu. 33. Ac ſi diceret: Eia Domine Ieſu, ſi tua magni intereſt, hìc Moyſi & Elia comitantibus immorari, nihil eſt quòd de ſtationibus fabricandis ſolicitus ſis. Meus erit iſte labor: iam tria tabernacula, cuiq. ſuũ, te annuẽte comparo. Itaque Præceptorem ſuum diſcipulus pluſquàm ſua, pluſquàm ſuos, & pluſquàm ſeipſũ diligere oſtendit. Mirus profectò amor, & Saluatori gratiſsimus: hunc his prærogatiuis illuſtrem quærebat in Petro, antequàm ad ſupremum illud dignitatis faſtigiũ extolleret, tertiò interrogans, vt ſenſit Bernardus, *Simon Ioannis amas me?*

Dices verò, quid cauſæ eſt, vt, cognito Petri amore, ibi Dominus illum non conſtituerit Eccleſiæ paſtorem, & ſuum in terris Vicariũ? ſicuti apud Matth. 16. promiſſum reperitur; & qua ratione cum Moyſe, & Elia de ſubſtinenda Hieroſolymis nece tractauit; *Loquebantur de exceſſu*; *Luc. 9.* non ita de ſucceſſore egit, & caput Eccleſiæ inſtituit, à quo, ipſo è viuis diſceden-

T ſceden-

Digitized by Google

ſcedente regetur? præſertim quia in Thabor amorem illum cæteris rebus ſuperiorem,& futuræ dignitatis pretium oſtendit, vt cernere eſt in traditione Pontificatus, in qua apud Ioan.21. de amore ter interrogatur. Adde, quòd ſicut Dominus Ieſus, ibi Æterni Patris filius, cælorum hæres, æternitatis maioratus, Eccleſiæ Dominus, Paſtor, & Sponſus vnicus declaratur; non abs re eſſet vt coram Moyſe & Elia teſtibus probatiſsimis Petrum Eccleſiæ Pontificem, ſucceſſorẽ ſuum, & ſacri Imperij Monarcham inauguraret. Ioan.21.

Quid igitur cauſæ eſt, vt creationem hanc in aliud tempus diſtulerit? Multa ſuppetunt reſpondenda. Illud interim noſtro inſtituto congruentiùs ſuggero: Petrus errore ſuo materiali,& ignorantia, vt iam ex D. Hieronymo, Damaſceno & Gloſſa Ordinaria retulimus, futuræ forſan promotioni obſtitit tria expoſcens tabernacula; quaſi Chriſti Monarchia, cui præficiendus erat, in plures ſtationes partiri debuiſſet, nec vnus totius gregis Eccleſiaſtici moderator futurus & princeps, vt vnum ouile, & vnus paſtor foret;& ideo tanquam ignarus exploditur, *Neſciens quid diceret:* Tandiuque promotio in principatum, & paſtoris inſtitutio differtur, quouſque erroris ſui, etſi materialis tantùm, labem abſtergeret.

Cæterùm, Petrus, etſi Pontifex creatur, veritatem quam ignorabat, edocetur: ſiquidem vix ipſi tria tabernacula meditãti, vno tãtùm opus eſſe demonſtratur; eo quòd Eccleſia non Ariſtocraticũ, nec Democraticum habitura eſſet regimen; ſed Monarchicum, quod cæteris præſtãtius habetur; vt eruditè probat Bellarminus lib.1. de Romano Pontifice c.2. & in idem placitũ Authores probatiſsimi ex Græcis, Latinis,& Hebræis, necnõ Theologorum ſchola, Sophiæ Doctores, Oratorum Lycæa, Hiſtoricorum gymnaſia, & Poëtarũ chorus vnanimiter conſpirarunt. Hinc euẽnit vt Petrus vnà cum Ioanne, & Iacobo in terram deiectus, *Ceciderunt in faciem ſuam*; ſtatimq. reſurgens ſolum inſpexit Saluatorem: nam Moyſes,& Elias, quibus tabernacula ſtruere promiſit, iam diſparuerant. *Leuãtes autem oculos ſuos neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum.* Quod ideo factũ exiſtimo, vt error amputaretur, & Patris vox, quæ Dominũ Ieſum filiũ ipſius vnicum, Eccleſiæ Spõſum & paſtorem deſignauerat, indubitanter ad illum referretur: cui ſolũ, vt dicebat Hieronymus ſupracitatus, *Figendum eſt tabernaculum, & obtemperandum:* Et ideo quaſi tabernaculum ſibi ſoli debitum,& obſequentiã erigens, ſolus remanet. Iterum in c.17. Matth. *Rationabiliter poſtquã ſurrexerunt, non viderũt niſi ſolum Ieſũ: ne ſi Moyſes & Elias perſeueraſſent cũ Domino, Patris vox videretur incerta cui potiſſimùm daret teſtimonium:* Bellarm. Luc.9. D.Hier. D.Hier.

Vi-

Vident ergo Ieſum ſtantem, ablata nube; & Moyſem & Eliam euanuiſſe: quia poſtquam legis & Prophetarum vmbra diſceſſerit, quæ velamento ſuo Apoſtolos texerat, vtrumque in Euangelio reperitur. Accinit Beda in Marcum cap. 37.

Beda. *Vbi enim cœpit filius deſignari, mox ſerui diſceſſerunt, ne ad illos paterna vox emiſſa putaretur.*

Aptiùs in rem noſtram de Moyſi, & Eliæ diſceſſu loquitur S. Ambro-

D. Ambr. ſius in cap. 9. Luc. *Receſſerunt ergo*, inquit, *illi, vbi cœperat Dominus deſignari: tres enim in principiò videntur, vnus in fine; perfectæ enim fidei vnum ſunt: ergo & illi quaſi recipiuntur in Chriſti corpus, quia & nos vnum erimus in Chriſto Ieſu*; Quo cum fideles omnes vnum corpus conſtituunt.

Monet autem Cyrill. in Catena ad c. 9. Luc. diſcipulis præceptum, vt quem filium à ſe dilectum profitebatur, audirent; quò intelligerent, ipſum ſolum eſſe, cui tanquã Dei filio, Eccleſiæ Sponſo, ac Do-

Cyrill. mino, parendum eſſet. *Illi ergo*, ait, *iuſſit obedire, cùm ſubdit, Ipſum audite.* Atque adeo Petri error per hoc corrigi videbatur, cùm tria quærens tabernacula quoad ſpeciem, (nam alter in eo vigebat affectus) Moyſem & Eliam Chriſto exæquabat. Idcirco D. Chryſoſto-

D. chryſ. mus hom. 57. in Matth. cum eo ſic expoſtulat. *Quid facis Petre? non nè paulo ante à ſeruis eũ ſeparaſti, cum ſeruis modo cõnumeras?* Hoc eſt, meminetis Petre, quòd ab hinc octo diebus rogatis à Saluatore diſcipulis, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Matth. 16. & reſpondentibus vulgi opinione circumferri, ipſum Moyſem eſſe, aut Eliam, vel quemlibet ex Prophetis: at tu quaſi aliorum errorẽ corrigens, opinionumque falſitatem refellens, reſpondiſti. *Tu es Chriſtus filius Dei viui:* Cuius præclariſsimæ confeſsionis vicem rependens Diuinus Saluator, Eccleſiæ regimen & principatũ tibi tradidit. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Vt quid ergo confeſſionis tuæ, & Chriſti remunerationis oblitus, & in Pontificatus præiudicium, tria quæris tabernacula; Moyſen & Eliam Dei filio exæquans? Oculos ſurſum eleua, & accipies Moyſem & Eliam euanuiſſe, & ſolum Ieſum Dei filiũ ſupereſſe, cui nullus exæquari debet. *Neminem viderunt niſi ſolum Ieſum.* Itaque aſpectus ille correxit errorem, & Petrum edocuit, vnum tantummodo futurum tabernaculum, hoc eſt vnam Eccleſiam, & Pontificem vnum paſtorẽ ipſius vniuerſalem.

Matth. 16.

Fallar igitur, niſi Petrus hunc reſpiciens epiſt. 2. cap. 1. nu. 13. Supremi paſtoris dignitatem, qua fruebatur, tabernaculum appellauit. *Iuſtum autem arbitror*, inquit, *quandiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in cõmonitione; cer-* 2. Petr. 1

T 2 tus

tus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quòd & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mibi. Vbi vigilanter adnotandum, quòd ideo pigritantes, & torpore marceſcentes adhortari, & ſtimulare ſe dicit, quia ad id ratione pontificij muneris aſtringebatur. Ita enim mihi ſonant illa verba, *Quandiu ſum in hoc tabernaculo:* & tantò ampliùs ait, ad vos commonendos compellor, quantò certiùs mihi notum eſt, pontificiam dignitatem vnà cum vita ocyſſimè amittendam. *Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei*. Sed vnde nam, ò Petre, deponendi tabernaculi certitudo tibi prouênit? *Secundùm*, ais, *quòd & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi*. Subobſcura mihi reſponſio apparet: vnde tria videntur diligenter hic examinanda. Primum qua ratione Petrus ſupremam, ſacri Imperij dignitatem ſuum dixerit tabernaculum? Et quidem eademmet certitudo celerrimæ depoſitionis; *Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei*, de nomenclatura edocuit Apoſtolum, vt tabernaculum diceret, quod citò amouendum cognouerat Principatum: egregiè ſanè, & venuſtiſsimo dicendi genere vſus rem expoſuit. Cùm enim paſtoris dignitas, & ſacra Pontificis maieſtas, humana vita tanquam baſi innitatur, hæc autem vitrea ſit, quæ cùm magis ſplendet frangitur; vel fœno ſimilis, quod repêtina ariditate emarceſcit, flammiſque abſumptum & in fauillas redactum, ventorum ludibrio euaneſcit; quod aptius nomen excogitare potuiſſet Apoſtolus, vt vitam & dignitatem citò auolaturam ſignificaret, quàm tabernaculum? Certe nullum.

Secundò inquirendum: quiſnam Petrum edocuit, tabernaculum iſtud velociter amouendum? A Chriſto ſe edoctum reſpondebit. *Secundùm quòd & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi:* Hoc eſt, non apertè, clarèque detexit, ſed quibuſdam ſignis & indicijs quaſi diuinandum propoſuit: *Significauit mihi*. Tertiò ſciſcitaberis, quando talis deponendi tabernaculi ſignificatio facta fuerit? Fallar niſi hoc in monte Thabor acciderit: nec leuis eſt iudicij coniectura. Nam Petrus ſuæ ſententiæ reddens rationem, Transfigurationis ſpectaculum depinxit, & auditam teſtatus eſt Patris vocem, qua Dominum Ieſum, filium vnicum, & ſummè dilectum, ac ab omnibus vt ſupremum Eccleſiæ principem & paſtorem auſcultandum, ſignificauit; vt cernere eſt verſ. 16. 17. & 18. capitis ſupracitati. *Nõ enim doctas fabulas ſecuti notã fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiã; ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis*.

2. Petr. 1.

2. Petr. 1.

Acci-

Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipſum audite: & hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto. Hæc ibi.

Supponendum tamen eſt, vt faciliùs Apoſtoli mentem aſſequamur, & noſtræ excurſionis ſeries innoteſcat, perinde fuiſſe, Patrem Æternum Chriſtum Dominum declaraſſe filium ſuum, & Deum verum, ac ſi Eccleſiæ, totiuſque Chriſtiani gregis paſtorem vnicũ, & ſummè bonum declararet; iuxta

Ioan. 10. illud eiuſdẽ Saluatoris apud Ioan. cap. 10. num. 11. *Ego ſum paſtor bonus.* Quod interprete Ruperto lib. 9. comment. in Ioan. tantumdem valuit, ac ſi diceret: Dei filius ego ſum, & verus Deus; quẽadmodum apud Marcum cap. 10.

Marc. 10. cuidam de bonitate adulanti, & dicenti; *Magiſter bone*: reſpondit: *Nemo bonus, niſi vnus Deus.* ibi num. 17. quæ diſertè conne-

Rupert. ctens Rupertus, aptiſsimè infert: *Sicut Magiſter bonus, nõ niſi quia Deus eſt, ſic paſtor bonus, non aliunde, niſi quia Deus eſt: paſtor inquam, bonus, & non ex accidenti dono; ſed eſſentialiter bonus.*

Huc etiam reſpiciens Africanus Victor, in profeſſione fidei ad Humericum Regem, & Idacius Clarus lib. 3. aduerſus Varimadum,

Ioan. vt Chriſtum verum probet Deum eſſe, verba ipſius adducit: *Ego ſum paſtor bonus.* Aſſerit igitur Petrus ſe vnà cum alijs Æterni Patris vocem audiſſe, qua & Dominum Ieſum filiũ declarauit, ipſique obediendum præcepit. *Ipſum audite.* Affirmat inſuper non commentitium eſſe & fabuloſum, aut ſomnij illuſione dormienti obiectum, quod enarrat; ſed verum & 2. Petr. 1

planè certum. *Non enim*, ait, *doctas fabulas ſecuti*: Mendoſa Poëtarum figmenta reſpexit, qui fabuloſis mutationibus Deos ſuos multiplices viciſſim figuras induere commenti ſunt. Hinc aureos Iouis imbres, hinc nefandas tauri, cycni, & ſimilium metamorphorſes effinxerunt: quod Chriſto ſe transfiguranti longe aliter euenit. Dum enim ipſius facies Solis claritatem, & veſtimenta niuis candorem referrent, non mentita claritas, nec falſus ille candor, vt Iouis imber, taurus, cycnus, aliæque non minus falſæ, quàm ridendæ transformationes extiterunt; vt iam verum ſit illud Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 2. videlicet, Poëtarum fabuloſitatem non tantùm ſe extuliſſe mentiendo, quantùm Saluatoris noſtri poteſtas vera operando ſe extulit. *Denique* D. Ambr.

ait, *minus eſt quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit: maior ambitioſo eloquentiæ mendacio, ſimplex veritatis fides.* Vera igitur ſunt, & indubitata quæ Petrus de magnifica Saluatoris gloria, vultus claritate, veſtium candore, Patris vo-

ce filij Diuinitatem teſtantis, affirmat. Quòd ſi clariſsimo hoc teſtimonio infideles non reuincantur, audiant quod Apoſtolus n. 19. adiungit. *Et habemus firmiorem* 2. Petr. 1 *propheticum ſermonem: cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

Non parum inijcit admirationis, quòd ad Chriſti Diuinitatem comprobandam firmiora dixerit Prohetarum teſtimonia, quàm Patris vocem in Thabor auditam. Verùm qua ratione id intelligi debeat, Auguſt. ſermon. 27. de verbis Domini disertè explicat. D. Aug. *Quis enim*, ait, *noſtrum non miretur delata voce de cælo certiorem propheticum ſermonem ab Apoſtolo dictum eſſe? Certiorem ſanè dixit: certiorem, non meliorem, non veriorem: tam verus enim ille ſermo de cælo, quàm ſermo propheticus, tam bonus, tam vtilis. Quid eſt ergo, certiorem, niſi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? Quoniam ſunt homines infideles, qui ſic detrahunt Chriſto, vt dicant eum magicis artibus feciſſe quæ fecit. Poſſent ergo infideles etiam iſtam vocem delatam de cælo per coniecturas humanas, & illicitas curioſitates ad magicas artes referre.* (Sic quidam de alia Ioan. 12. num. 29. voce facta de Chriſto dixerunt tonitruum eſſe) *Sed Prophetæ antea fuerunt: non dico antea, ante iſtam vocem, ſed ante Chriſti carnem: nondum erat homo Chriſtus, quando miſit Prophetas. Quiſquis eum dicit magum fuiſſe? ſi ergo magicis artibus fecit vt coleretur & mortuus; numquid magus erat antequam natus? ecce quare ait Apoſtolus Petrus: Habemus certiorem propheticum ſermonem: vox de cælo, qua fideles admoneantur: propheticus ſermo, quo infideles conuincantur.* Hucuſque Auguſtinus; legendus etiam in tract. 35. in Ioannem, diſertiſſimè locutus.

Nec abludit Lactantius lib. 5. cap. 3. dum ait, fideles non tantùm fide tenere, Chriſtum verum eſſe Deum, ob mira quæ perfecit, ſed quia Prophetarum oracula in ipſo adimpleta conſpiciebant. *Non ſolùm*, ait, *idcirco à nobis Deum creditum, quia mirabilia fecit; ſed quia vidimus in eo facta eſſe omnia, quæ nobis annuntiata ſunt vaticinio Prophetarum: quod neque Apollonio, neque Apuleio, neque cuiquam magorum potuit, aut poteſt aliquando contingere.* Lactan. Pergit adhuc Petrus memoratæ viſionis certitudinē amplificare; & ideo nihil in hac vita certius reperiendum teſtatur, quouſque Dominus Ieſus viuorum iudex ac mortuorum, & lucifer clariſsimus, orbem iudicaturus aduenìat, ſuæque beatitudinis ſplendorē oſtendat: quo fiet vt omnia tunc apertiſsimè dignoſcātur. Tantundem namque valent illa verba, *Donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in* 2. Petr. 1

cor-

Digitized by Google

cordibus veſtris; vt D. Proſper lib. dimid. tempor. cap. 12. S. Auguſtin. ſerm. 24. de diuerſ. cap. 5. & tract. 23. & 35. in Ioannem interpretantur: ibi enim ſcripturas, & prophetias, lucernas dicunt ſplendidiſſimas, ad quarum lucem
D. Proſp. veritas cernitur. *Tuncque*, ait, *præſenti tali die lucernæ non erunt neceſſariæ: non legetur nobis Propheta, non aperietur codex Apoſtoli, non requiremus teſtimoniū Ioannis, nō ipſo indigebimus Euāgelio. Omnes ſcripturæ tollentur de medio, quæ nobis in huius ſæculi nocte, tanquam lucernæ accendebantur, ne in tenebris remaneremus.*

Cæterùm accuratè inſpiciamus, in quem ſcopum ſic commendata certitudo collimat? & quod nam illud ſit ab Apoſtolo tam firmiter ſtabilitum? Nihil aliud certè, quàm quòd Pater Æternus Petrū, & ſocios cōteſtatus eſt apud Thabor, Chriſtum Dominum filium ſuum dicens, & vnicum Eccleſiæ
Matth. cap. 17. Sponſum & Paſtorem. *Hic eſt, filius meus dilectus*. At hæc quid ad rem ſuperiùs propoſitam? nimirum Petrum à Domino Ieſu in Thabor coniecturis edoctum, Pontificiam dignitatem dicendam eſſe tabernaculum? Vt propte-
2. Pet. 1. rea dixerit: *Secundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi*. Apertiſſima tamen eſt Apoſtoli ſequela, & valde manifeſta probatio: Quoniam in monte Thabor, poſtquam Petrus dixerat, *Faciamus hic tria tabernacula*, Patris vox dicentis Matth. cap. 17.
inſonuit, *Hic eſt filius meus*. Quaſi dixerit: Non hic tribus, ô Petre, opus eſt tabernaculis: vnum tantùm pro filio vnico æternitatis herede, exindeque vniuerſæ Eccleſiæ Paſtore, & ſupremo Pontifice, ſtatuendum tabernaculum. Quòd ſi Petrus, & ſocij non admodum exactè inſtructionem hanc perceperant; ideo eueniſſe credo, quia *ceciderunt in faciem ſuam*; Moyſesque & Elias, teſte Luca cap. 9. num. 35. diſparuerunt. *Et dum* Luca 9.
fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus: Vt, dum alijs diſcedentibus ſolus ipſe appareret, intelligi daretur, ſicut ex D. Hieronymo an- Hieron. in cap. Matth.
notatum reliquimus, Dominum Ieſum, Eccleſiæ Paſtorem vnicum 17.
eſſe, ac Sponſum: cui in Eccleſia tabernaculum conſtituendū eſſet; eique vt ſupremo ipſius moderatori præſtanda foret obſequentia. Quod poſtmodum Petrus Pontificali ſolio collocatus cùm meminiſſet, ipſummet Pontificis munus, tabernaculum appellauit dicens, *Quandiu ſum in hoc taber-* 2. Pet. 1.
naculo. Et quia ſub vnius tabernaculi figura, quod ſoli Ieſu conſtruendum erat apud Thabor de Pōtificia dignitate eruditur; idcirco dixit: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi*. Quia verò munus illud, etiam breue duraturum oſtendit, conſequenter adiecit: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*.

Digitized by Google

Quòd ſi ambigas apud Thabor Pontificatus breuitatem Petro ſignificatam fuiſſe; quàm breui diſſolutum fuerit tantæ gloriæ ſpectaculum inſpice: Dominum Ieſum Eccleſiæ Paſtorem, & Principem ibi inauguratum cerne: ipſū ſplendore Solis vultu clariorem, & veſtibus niue candidiorem intueberis: Moyſes adſunt & Elias: Æterni Patris vox filium ſummè dilectum, in quo nos gratificauit, teſtantis auditur: Petrum, & ſocios immenſæ gloriæ conſpectus, & Chriſti maieſtas admirabundos in terram proſternit; & ſic proſtrati gloriam illam vnigenitum Dei filium quammaximè decere profitentur, vt Ioannes in ipſo Euangelij ſui veſtibulo profitetur
Ioan. 1. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre*. Cùm autem Petrus ſpectaculum hoc in longius differre ſpatium expeteret, dicens, *Bonum eſt nos hic eſſe*; ex improuiſo gloriæ illius pulchritudo & maieſtas euanuit: nec Petro datum eſt, vt ſaltem vnius horæ ſpatio viſione frueretur. Aduertēs igitur quàm breui Domini Ieſu, æterni Principis, & ſupremi Paſtoris, gloria excideret, ex momentaneo ſpectaculo didicit, Pontificatus ſui maieſtatem, & gloriam breuiſſimè duraturam:
2. Pet. 1. Vnde ait: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei: ſecundum quod Dominus Ieſus ſignificauit mihi*.

§. SECVNDVM.

Quòd Petrus triſtitia, quam habuit, cùm Pontifex creabatur, rectè oſtendit optimè mereri vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem inſtitui.

SEd iam Ioannis locū ex c. 21. repetamus, in quo Dominus Ieſus, antequàm Petrum Eccleſiæ Pontificem crearet, ter ex ipſo ſciſcitatus eſt, an ſe plus cæteris diligeret: & qua ratione Apoſtolus ad tertiam interrogationem mæſtitudine ſit affectus, vt ibidem refert Ioannes, inquiramus. *Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò: Amas me?* Ioan. 21.
Cur ergo triſtitia afficitur? Pulchrè reſpondet Theodorus Heracleotes. Theodor. Heracl. Aduertit ſanè Petrus de amore ſuſpectum ſe haberi, atque adeo neceſſe eſſe vt bis & tertiò rogatus, ſe diligere teſtaretur, vt amori ſuo fidem quæreret. Vnde querulus, dicam, an verecundus, reſpondit: *Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te*. Ioan. 21.
Quaſi cum Saluatore expoſtulans dicat: O Domine Ieſu, nonne omnia nuda & aperta ſunt oculis tuis? nonne tibi ſoli peruia ſunt humani cordis penetralia? Vt quid ergo tanquam ignorans toties interrogas? Deus bone quàm pulchram ex hoc loco doctrinam ad morum inſtructionem elicuit D. Auguſtinus tractatu 123. vnde hæc ſubtiliter dicta

excer-

D. Aug. excerpo. *Sit amoris officiũ paſcere dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem. Qui hoc animo paſcunt oues Chriſti, vt ſua velint eſſe, non Chriſti; ſe conuincuntur amare, non Chriſtum; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & ſubueniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata iſta vox Chriſti, quos Apoſtolus gemit ſua quærere, nõ quæ Ieſu Chriſti. Nam quid eſt aliud, Si diligis me, paſce oues meas; quàm ſi diceretur: ſi me diligis, non te paſcere cogita, ſed oues meas? ſicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; Dominum meum non tuũ; lucra mea non tua: ne ſis in eorum ſocietate, qui pertinent ad tempora periculoſa, ſeipſos amantes, & cætera, quæ huic malorum initio connectuntur*. Hactenus ex Auguſtino.

Phil. 2. 21.

2. ad Timoth. c. 3 n. 12.

Aliam Petri mæſtitudinis cauſam reddit S. Chryſoſt. hom. 87. in cap. 21 Ioannis. Propterea enim Apoſtolum affirmat contriſtatum fuiſſe, quia tertiò repetita Saluatoris interrogatio prȩteritos defectus illi in memoriam reuocauit: & ideo ſe credidit interrogatum, vt recordaretur. *Cùm* Chryſoſt. *ergo*, ait, *ſemel, atque iterum interrogatus, ipſum arcanorum cordis perſcrutatorem teſtem aduocaſſet, & adhuc tertiò interrogaret, perturbatus eſt Petrus, veritus ſuperiora: nam cùm forti animo eſſet, reprehenſus eſt poſtmodum; ideo iterum ad ipſum confugit dicens: Tu omnia ſcis; hoc eſt, præſentia & futura. Vide quanto melior factus eſt, & modeſtior: non ampliùs temere perſtat in ſententia, neque contradicit: Propterea contriſtatus ſum, ne fortè me amare arbitratus non amem; vt antea, cùm me fortem, & conſtantem putarem, poſtmodum inbecillis deprehenſus ſum*. Reſpexit Chryſoſtomus Petri negationes: Nam cùm antea à Saluatore prædiceretur negaturus, fortem ſe, & conſtantẽ exhibuit: poſtea mulierculȩ tentatione pulſatus ſuccubuit, & ter negauit: Cuius rei nunc memor, negationum numerum, & interrogationum conferens, ob vtrumque triſtitia afficiebatur.

Et quidem communis Doctorum ſententia tenet, propterea Petrum amoris examen trinis interrogationibus ſubijſſe, quia quaſi non amans ter negauerit; vt repetita iterum & tertiò amoris confeſſione, labem trinæ negationis abſtergeret; & omnibus palàm fieret Petrum Eccleſiæ Paſtorem creatum, tantam in amore firmitatem exhibuiſſe à Magiſtro rogatum, quantum imbecillitatis à fæmina ſeruiſque Pontificis tentatus oſtenderat. Autorem habeo Cyrill. Leontium, Theophilact. Maximum ſerm. de Pœnit. Petri, Auguſtin. hoc loco, Cyrill. Leont. Theophil Maxim.

&

& ſerm. 149. de Tempore: vnde id mutuatus videtur, vt ſolet, Beda, Nicephor. lib. 1. cap. 35. & alios, teſte D. Ambroſio in Apologia Dauid. cap. 9. ita ſentientes: Pro omnibus Auguſtinū repono. *Redditur*, inquit, *trinæ negationi trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſeruiat, quàm timori: & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens.* Addo, Petrum ad tertiam interrogationem contriſtatum, quia tria meminit tabernacula, quæ quondam apud Thabor ignorans poſtulauerat; & ignorantiæ illius memor, alios caſus in mentem reuocabat, in quibus parum fæliciter ſibi proceſſerat amor præſumptus, & pro laude reprehenſionem inuênit: ac dum fortitudinis, & conſtantiæ præmium cogitat, tanquam deficiens & nutabundus ſuggillatur. Cæterùm in his euentibus emendatior, & magis cautus reddebatur; nec ſic ex animi ſententia, rerum cernebat euentus: Vnde ſimile quid hìc cogitās triſtabatur. Ita ipſius nomine Chryſoſtomus. *Propterea contriſtatus ſum, ne forte me amare arbitratus, non amem.* Primò igitur ſibi perſuaſit Petrus Chriſtū diligere, quia apud Matth. cap. 16. num. 22. ipſum à ſubeunda morte auertere tentauerit, dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* At irritus euaſit inordinati amoris conatus: nam à Magiſtro reprehenditur, & Satanas vocatur. *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Profecit reprehenſione Petrus, & loquendi cautelam perdidicit. Vnde, vt aduertit D. Chryſoſtomus homil. 57. in cap. 17. Matth. apud Thabor cautior inuenitur: quippe cùm de figenda ibi manſione ſuum proderet affectum, *Bonum eſt nos hìc eſſe*; illico reſipuit, & Saluatoris arbitrio ſe ſubiecit, adiungens, *Si vis*; reprehenſionem, vt in alijs euētibus expertus fuerat, pertimeſcens. Verba Chryſoſtomi ſunt. *Deinde quoniam bonum eſt nos hìc eſſe, abſolutè dixerat; timens ne iterum increparetur, emendauit ſeipſum dicens: Si vis, faciamus hìc tria tabernacula.* Sed, proh nouercantis fortunæ improbitatem+ etiam poſt cautelam Petrus collabitur, & tāquam ignarus ab Euangeliſtis caſtigatur; *Neſciens quid diceret*: Quinimo Chriſtus in terram deijciens, facto reprehendit: *Ceciderunt in facies ſuas.*

Beda. Niceph. Ambroſ. Auguſt. tract. 22 Chryſoſt. Matth. cap. 16. Matth. cap. 17. Chryſoſt.

Reſurgens Petrus vires reſumpſit, animum recepit & tam incredibili conſtantia obſirmauit, vt ſe magiſtrum moriētem contempta morte ſecuturum teſtaretur. *Etiā ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Iamque polliciti fidem præſtare occœperat; cùm fugientibus alijs, ipſe finem ſpectaturus, vſque ad Pontificis domum Saluatorem ſequebatur. *Petrus autem ſequebatur, & introiuit videre finem.* Matth. 26. num. 58. Quis ne-

Matth. cap. 26.

neget amorem, hunc ſequendi affectum è Petri corde extudiſſe? Certè non negauit Chryſoſtomus amoris vim apprimè cognoſcens: vnde homil.85. in Matth. ita fatur. *Ingens huius diſcipuli ardor fuit, qui nec cæteris quidem fugientibus territus eſt, ſed ſecutus etiam introiuit: nam etſi Ioannes quoque id fecerat, ſed tamen notus erat Pontifici.* Quis poſt hunc amorem Petrum lapſurum ſuſpicaretur? lapſus tamē, & turpiter, eſtuter enim magiſtrum negauit; & quidquid in memoratis euentibus, fortitudinis amoriſque oſtenderat, infælix amiſit: nec ad primam reſipuit negationem, ſed poſt tertiam; & Chriſti miſerentis aſpectum ingemuit, vt pulchrè à D. Ambroſio notatum inuenio in commētarijs in Luc. lib. 10. *Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non reſpexerat Dominus: negauit ſecundò, non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus: negauit tertiò, & reſpexit Ieſus; & ille amariſſimè fleuit.* Quaſi diceret: Benigniſſimo aſpectus ſui afflatu Dominus Ieſus Petrum ſyderauit, & illico in lacrymas & lamenta diſſoluit, quibus culpam diluit, amore incendit; petræ firmitatem indidit, cui niteretur Eccleſiæ fundamentum; quinimo ipſius Eccleſiæ caput & ſupremus Paſtor crearetur; ſicut iam apud Matth. 16. ipſi promiſerat. Itaque ſolutis fletu negationibus, cùm iam Dominus Ieſus cælos aſcendere deſtinaret, ter ex Petro, an ſe diligat ſciſcitatur, antequam gregi ſuo pręfectum relinquat: vt etiā aduertat quanti oues ſuas æſtimet, qui nonniſi de amore probatus eis præficitur. Egregiè S. Chryſoſt. homil. 87. in Ioan. *Ter autem interrogat, & ſemper idem præcipit; vt demonſtret quāti ouium ſuarum curam faciat, & quòd hoc maximum eſt amoris argumentum.* Attamen Petrus tertiò rogatus mæſtitudinis affectu obnubilatur; veritus, vt ſicut in alijs euentibus amorem firmitatemque ſpondens defecerat, ſic in præſenti, dum tertium amoris ſubibat examen, ponderatus amor minus habens inueniretur: & ideo toties à Chriſto rogari ſuſpicabatur, quia de ipſius amore dubitabat, nec ita vehementer à Petro diligi, vt ipſe credebat, arbitrabatur, vt iam ex Chryſoſtomo dicebamus. *Propterea contriſtatus ſum ne ſortè me amare arbitratus, non amem.*

Chryſoſt. | Ambroſ. | Chryſoſt.

Petro itaque memorati euentus triſtitiæ cauſa extiterunt, tabernaculorum petitio, Magiſtri negatio, quæ ad trinam amoris interrogationem in memoriam reuocantur, & triſtitiam pariunt. Cæterùm, vt egregiè monet Diuus Auguſtinus ſermon. 1. de Petro, & Paulo, iam timor omnis & cauſa timoris abſceſſerat. Chriſto enim mortuo, & reſurgente, Petrus ad amoris ſoliditatem redierat, vt meritiſſimus Eccleſiæ paſtor & princeps crearetur. *Sed* D. Auguſt.

iam

iam, inquit, *timere non debuit: ſi videbat enim in carne viuentem, viderat in ligno pendentem. Reſurgendo Chriſtus abſtulit mortis timorem: & quoniam abſtulerat mortis timorem, meritò interrogabat Petri amorem: ter negauerat timor, ter confeſſus eſt amor. Trinitas negationis, deſertio veritatis: trinitas confeſſionis, teſtimonium dilectionis.* Hæc ille, cui adſtipulatur D. Chryſoſt. hom. 55. in Matth. vbi ſic. *Ipſe Petrus, qui poſt tot tãtaque ſigna adeo imbecillus apparuit, vt ter negauerit, vilem puellam timuerit; poſtea quàm crucis myſterio consũmato claras habuit reſurrectionis demonſtrationes, nec quidquã relinqueretur, quod animum eius cõturbaret atque concuteret, ſic immobilem & fixam doctrinam ſpiritus tenuit, vt veluti leo in populum Iudæorum irrueret, & pericula mille, ac denique ipſam mortem contemneret.* Chryſoſt.

Sed iam coronidem impono, & vltimum loci Ioannis ex c. 21. expoſitioni complementum adijcio. Priora igitur poſtremis connecto, non aliter quàm ſolent enſis cuſpidem versùs capulum retorquere validiùs hoſtẽ petituri; vt ſic Nouatores tranſadigere, & cæcam eorum temeritatem, quæ Petri negant Monarchiam, reſecare poſſim. Ex diſerta initij ac finis complexione cernere erit, Petrum ſolum, & nõn alios de amore interrogatum; quia ſolus Petrus, os erat & caput cæterorum; & vbi ipſe aderat, loquendi facultas alijs non ſuppetere videbatur, Chryſoſtomi opinatio eſt, quem ſequuntur diſcipuli Eutymius & Theophilactus. Igitur homil. 87. in Ioan. ita ediſſerit. *Alijs omiſſis de his dumtaxat Petrum affatur! os erat Apoſtolorum, & princeps, & vertex ipſius cætus: propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit.* Theophilactus verò in cap. vltimo Ioan. ita ait: *Finito prandio præfecturam ouium totius mundi Petro commendabat; non autem alij, ſed huic tradidit.* Hæc Græcanici Patres illi, quorum teſtimonium ideo in hac re plurimi faciendũ eſt. Notat inſuper Theophil. Petri creationem à prandio factam: quod etiam meminit Euãgeliſta. *Cùm ergo prandiſſẽt*, Ioan. 21. num. 15. Noui, Lutheranorum & Caluiniſtarũ gregem nihil myſterij in hoc prandio reperiſſe, quàm quòd Dominus Ieſus hac ratione Petro negationis culpam condonare, ipſumque in priſtinam gratiam reſtitutum ad Apoſtolicam dignitatem extollere deſtinauit, è qua negando ceciderat. Itaque nihil hîc interueniſſe exiſtimant præter Germanicũ morem, quo inter pocula & epulas, ruptæ amicitiæ redintegrantur. Ita notat ibi Maldonatus. Quid ni? hoc ſpirarent hæreticorum popinæ: temulentia iſta eſt, an amentia? vtrumque dixeris non iniurius: nihil iſti niſi carnem & pocula ſapiunt & olent. Altiùs dirigebat

Eutym. Theophil. Galat. 1. Ioan. 21. Maldon.

pran-

prandium illud Dominus Ieſus, qui res magnas, & Sacramentis pleniſſimas à prandio inſtituere conſueuit. Vnde (monuit Theophil.) Euchariſtiam poſt cœnam inſtituit: cum Apoſtolis conueſcens, in ſingulorum ora inſufflãs, ſanctum immiſit Spiritum: Ioan. cap. 20. num. 22. Cùm autem Petri Pontificatus magnum quid & memorabile eſſet, conuenıẽs fuit vt inter prandendum crearetur. Et quemadmodum priuſquàm crucem moriturus ſubiret, cœna facta ſanctiſſimum corpus ſuum nobis ſumendum Sacramento cõfecit; ſic etiam in cælos aſcenſurus, poſt epulas Petrum inſtituit ſuum in terris Vicarium, vt ſcripſit Ambroſ. in cap. vltimo Luc. *Quem*, inquit, *eleuandus in cælum amoris ſui Vicarium relinquebat*. Addendus Leo Magnus ſer. 3 de Aſſumptione ſua ad Põtificatum ita fatus: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.*

Theophil. Ioan. 20. Ambroſ. D. Leo.

Quin etiam Ioan. loci clauſula ex cap. 21. vbi Petro poſt tertium amoris examen Dominus Ieſus gregis ſui curam tertiò commiſit, idem probat inſtitutum. Nam tradito grege & ouili, ſtatim paſtori nouo in cruce moriturum prædixit, vt veri paſtoris, qualem ſe Chriſtus exhibuerat, pro ouibus moriens, imaginem referret: *Amen amen dico tibi, cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis*, ibid. num. 18. Et ne quæ ſub ænigmate prædicta videbantur, cognitionem effugerent, Ioannes expoſuit, Petri mortem illis verbis ſignificatam, teſtatus: *Hoc autem dixit ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deũ*. Et verò poſtquàm Petrus tot argumentis probauerat amoris firmitatem, & traditi ouilis munus ſuſceperat, cõſequenter addendum fuit mortis genus; crucis videlicet, in qua Saluatori aſſimilis verum ſe paſtorem exhiberet. Ita D. Chryſoſt. homil. 87. in Ioannem. *Si amas me, fratrum curam ſuſcipias, & quam in omnibus dilectionem oſtẽdiſti, & qua delector, nunc oſtende; & animam, quam pro me poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade*. Clariſſima certè feruentiſſimæ charitatis indicia, vividæque virtutis profectum Petrus oſtenderat, cùm pro Chriſti amore morti occumbere polliceretur. Sed tunc perfectionis ſummam aſſecuturus edocetur, cùm re ipſa in cruce transfixus animã exhalabit. Huc refero Saluatoris verba, apud eundem Ioannem, myſticè intellecta. *Cùm eſſes iunior,*

Ioan. 21. Chryſoſt.

nior. Item: *Cùm autem ſenueris:* quibus, interprete Chryſoſtomo vbi ſupra, nec iuuenis, nec ſenex, ſed perfectus ætate Petrus ſignificatur. *Quod quidem ſignificat, quòd tunc neque iuuenis eſſet, neque ſenex, ſed vir perfectus.* Nec ſolùm ætatis perfectionem hìc ſignificatam exiſtimo; ſed animæ virtutisque augmentum ſub hac loquendi formula expreſſum agnoſco: ac ſi Petrus iam non eſſet iuuenis, hoc eſt, lubricæ iuuentutis defectus minimè pateretur: ſed vir, nimirum, perfecti hominis laudem obtineret: perfectiſſimus tandem futurus, cùm vt fidiſſimus paſtor, & ouium amantiſſimus, pro ipſis animam ſuam libentiſſimè traderet. Et ideo tantumdem verbis ſuis Dominus Ieſus innuiſſe mihi videtur, ac ſi diceret, vt pulchrè meditatus eſt Auguſtin. ſerm. 149. de tempore. *Quid retribues, quia diligis me? dilectionem oſtende in ouibus. Quid mihi præſtas, quia diligis me; quando ego tibi præſtiti vt me diligeres? Si dilectionem tuam erga me habes: vbi oſtendas habes, vbi exerceas habes, paſce agnos meos. Quatenus autem paſcendi eſſent agni, & Dominicæ oues tanto pretio cõparatæ, quanta eſſent dilectione paſcendæ, in conſequentibus demõſtrat. Poſtquàm enim Petrus numero trinæ reſponſionis profeſſus eſt ſe eſſe Domini dilectorem, commendatis ſibi ouibus eius, audit de ſua futura paſſione. Hic demonſtrauit Dominus, ſic diligẽdas oues ſuas ab iis, quibus eas commendat, vt parati ſint mori pro eis. Sic idem Ioannes in Epiſtola ſua ait; Sicut pro vobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Neque hìc tantùm Auguſtini meditatio ſtetit, ſed vlteriùs progreſſa, reſponſum illud Petro de Ioannis futura morte quærenti, à Saluatore datum, perſcrutatur. Præſcius qua morte Deum clarificaturus eſſet Petrus, & Ioannẽ à magiſtro præ cæteris dilectum inſpiciens ſubſequentem, auidus agnoſcendi, quis vitæ exitus illum maneret, Chriſtum interrogat: *Domine hic autem quid?* Ioan. 21. num. 21. Hoc eſt: Ioannes amoris tui prærogatiua reliquis altior, erit ita fælix, vt in cruce exaltatus te iterum in eãdem affixũ repræſentet? *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Dominus reſpondit. Quaſi dixerit: Ioannes in cruce nequaquã morietur; quia totius gregis mei Paſtor non eſt, & Eccleſiæ Princeps maximus. Hoc mortis genus te decet ò Petre, quem in Paſtorali munere Vicariũ elegi, & in morte ſimilem exopto: & ideo, *Tu me ſequere.* Quod moriendi præceptũ Petro, vt alibi notauimus, his verbis impoſitum, D. Auguſt. ad Pontificatus ipſius fauorem egregiè retulit. *Vt hoc, inquit, ſequere me, ſit, patere pro me:*

pate-

Chryſoſt.

Auguſtin.

1. Ioan. cap. 16.

Ioan. 21.

Auguſt.

patere quod ego : crucifixus eſt enim Chriſtus, crucifixus eſt & Petrus; expertus eſt clauos, expertus eſt cruciatus: Ioannes autē nihil eorum expertus eſt: hoc eſt, hic eum volo manere, ſinè vulnere, ſine cruciatu: dormiat & expectet me: Tu me ſequere. Patere quod ego: ſanguinem ſudi pro te; funde pro me. Tres igitur glorię ſpectatores, quos Dominus Ieſus, transfigurationis ſuæ teſtes in Thabor eduxerat, vitam diſpari exitu concluſerunt. Iacobus poſt diuturnas occidui orbis peregrinationes, poſt luſtratam Hiſpaniam, & fidei Sacramentis imbutam, reuerſus Hieroſolymam, Herodis iuſſu gladio percuſſus occubuit: Ioannes vſque ad effœtam ſenectutem vitam produxit, & ſexageſimo octauo poſt paſſionem Domini anno, fruſtrata eorum ſpe, qui in aduentum Chriſti remanſurum arbitrabantur, ſinè martyrij cruciatu, æternæ gloriæ ſpectator futurus, in Paradiſum tranſmittitur: ni prolixum iuuet martyrium appellare, vehemens moriendi, & Ieſum ſibi dilectum ſpectandi deſiderium; quo, *Apoc. vl.* illud identidem repetens; *Veni Domine Ieſu*, ſummopere angebatur. Solus Petrus cruci deſtinatur, vt Chriſti Vicarius: congruum enim erat, vt in cruce moreretur, qui eccleſiaſticū obtinebat imperiū; quod in cruce partum Dominus Ieſus ipſi reliquerat adminiſtrandum; appenſusque in ſtatera crucis, trina confeſſione probatus amor, Petrum ſenatus Apoſtolici caput, Dominici gregis paſtorem, Eccleſię Pontificem maximum, & Regni eccleſiaſtici Monarcham, teſtaretur.

§. TERTIVM.

Petri in euertendo Principatu ſuo ignorantia, D. Leone, Bernardoque iudicibus, alta premitur ignorantia, qua beatitudinis commune bonum ad priuatos, qui in Thabor aderant, reſtringere nitebatur.

EX multiplici vmbrarum ductu, accedente colorum, & luminis repercuſſu, varius in picturis aſpectus reſultat. Non aliter inter niueos colores, & Solis lumina, quæ apud Thabor Petri oculos præſtrinxerunt, ignorantiæ ipſius vmbra multiformibus luſit imaginibus: atque adeo non ſemper eadem, ſed multiplex & varia contemplantibus viſa eſt; ſicut iam productis ſuper ea, & diſcuſsis Patrum ſententijs inſpeximus. Rurſum inſtant alij, & propterea Petrum ignorantiæ dānandum autumant: quia temerè & inconſultò fuerat locutus, cùm tamen à condiſcipulis Iacobo, & Ioanne ſuper dicendis, petendiſque conſilium captare debuiſſet; Vt vel ex eo edoceri poſſet, quòd Moyſem & Eliam conſilij ergô de ſubeunda morte cum

Chriſto deliberantes acceperat. *Loquebantur de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem.* Luc. 9.
Iure igitur conſilij expers errat, ac errore ſuo proprium Principatum, ipſiusque beatitudinis amplitudinem offendit: idcirco neſcius publicatur: *Neſciēs quid diceret.* Sic D. Paulus Euam principem fœminam velut ignaratam, ſeductamque ſuggillat, eò quòd viro inconſulto ad veſcēdum pomo vetito ſe præcipitauerit; cùm tamen viro comedenti ſeductionis, & ignorantiæ notam non impingat. *Adam non eſt ſeductus: mulier verò ſeducta in præuaricatione fuit.* 1. ad Timoth. c. 2. n. 14. 1. Tim. 2

Et verò, vt monuit S. Auguſt. Eua propriam ignorantiam, ſeductionemque patefecit: rogata enim à Domino, *Quare hoc feciſti?* reſpondit: *Serpēs decepit me, & comedi.* Geneſ. 3. nu. 2. Adamus verò rogatus, non ſe à muliere ſeductum obtendit; illud tantùm opponit: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Et quidē ſupernacanea, ni fallor, videbatur mulieris conſulatio: qui enim comedentem viderat, de aſſenſu & conſilio comedendi certior reddebatur. Fœmina verò ſerpentis ſuaſu, viro inconſulto comedit, vnde in deceptionem incidit: quod D. Paulum mouit, vt ipſam non Adamum, prædicaret deceptam: quippe qui coniugis potiùs amans, quàm mali ignarus, deliquit: Dolus, & ignorantia fœminam, (omnibus commune malum) virum fœminæ amor, molleſque deliciæ fregerunt, ac in præcepti tranſgreſsionem præcipitarunt. *Comedit*, dicitur Geneſ. 3. num. 7. *deditque viro ſuo, & comedit.* D. Aug. Geneſ. 3. num. 2. Gen. c. 3.

Alij Petrum aliunde ignorantem detegunt; nimirum, quia gloriæ fruitionem anticipata ſtuduit petitione præoccupare; Sicut Adam præproperum inceſsit Diuinitatis ſtudium; quam ſi maturo tempore poſtularet, fors, ait Damaſcen. orat. de transfigurat. obtinuiſſet. *Niſi Diuinitatem Adamus* (inquit) *prœmaturè expetiuiſſet, quod cupiebat, conſecutus fuiſſet. Quocirca Petre, ne ea quæ bona ſunt præproperè quæras: erit id aliquando, cùm hoc ſpectaculo in ſempiternum frueris.* Et Sanct. Hilarius Canon. 17. in Matth. propter petitionis immaturitatem Petrum reſponſione fraudatum decernit. *Petro autē*, ait, *vt tria tabernacula fierēt offerenti, nihil reſpondetur: nondum enim vt in hac gloria conſiſteretur, erat tempus.* Damaſc. D. Hilar.

Alij ignorantiam in eo ſtatuūt, quòd Petrus vmbram, & corpus; figuram, & figuratum ſimul coniungere; pariterque conſiſtere ſtuduerit: Vnde Moyſem, & Eliā cū Chriſto in Thabor adeſſe peroptabat: ipſis tamen euaneſcentibus, & Chriſto ibi permanente, edocetur, vt aduertit Gloſſ. Ord.

ad

ad cap.9. Lucæ, neceſſum eſſe vt præſente iuſtitiæ Sole, Prophetarum, & legis vmbrę diſparerent.
Gloſſ.Or. *Ablata nube, & euaneſcentibus Moyſe, & Elia, ſolus cernitur: quia legis & Prophetarum vmbra diſcedente, verum lumen coruſcante Euangelij gratia reperitur.*

Alij ex eo Petrum ignorantiæ inſimulant, quia ante præmium ambiuit, quàm inierit prælium; ante voluit palmam, quàm pugnã: & priùs meditatus eſt coronam, quàm obtinuerit victoriã D. Leonis cenſura eſt in homil. de transfigurat. vbi reddens rationem,
D. Leo. cur ſancti Petro nihil fuerit reſpõſum, talia ſuggerit: *Vt licèt non oporteret de beatitudinis promiſſionibus dubitari; intelligeremus tamen inter tentationes huius vitæ priùs nobis tolerantiam poſtulãdam eſſe, quàm gloriam; quia tempora patiendi, non poteſt fælicitas præuenire regnandi.* Con-
Origen. ſequenter ad hęc Origen. tract.3.
Hieron. in Matth. & poſt ipſum Hieronym. epiſt.140. adnotarunt, Chriſtum non niſi poſt dies ſex Petrum, &
Matth. cap. 17. reliquos in Thabor conduxiſſe; *Poſt ſex dies aſſumpſit Ieſus Petrum, &c.* quia dierum ſenarius, quo Orbis fabrica durauit, huius vitæ labores deſignabat, quibus ad glorię Thabor paratur aſcẽſus. Vnde meritò ignorantię damnandus eſt Petrus, qui poſt aperta adeo documenta, priùs quiete frui, quàm labori voluit indulgere. Et tamen legimus, Deum non niſi ſeptimo ab Orbis molitione die, requiem cepiſſe. *Requie-* Geneſ. 2.
uit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat. Geneſ. cap. 2. num. 2.

In eo itaque Petri error ex Abulenſis iudicio, quæſt.72 in c.17. Matth. ſtetit, quòd transfigurationis finem non agnouit: nõ enim ideo gloriæ illius repræſentatio edita eſt, vt Petrum beearet, ſed vt in ipſius pectore beatitudinis amorem excitaret, quo ad ſuſtinendos pro ea vitæ huius labores accenderetur. *Errauit*, in- Abulenſ.
quit, *quia Chriſtus non transfigurauit ſe nunc in monte addandam gloriam alicui; ſed ad oſtendendũ imaginem illius; ad quod ſufficiebat oſtenſio raptim tranſiens, & non erat conueniẽs fieri habitacula ad manendum.* Illud verò addit S. Leo homil. de transfigurat. præcipuè à Chriſto intentum, vt nimirum crucis ſuæ ſcandalum à diſcipulis auferret, ad laboremq. accingeret. *In qua*, inquit, *transfiguratione illud quidem princi-* D. Leo.
paliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur: nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis.

Aliorum iudicium eſt, erraſſe Petrum, quia electorum præmio in terra perfrui voluit, dicẽs: *Bonum eſt nos hîc eſſe*; cũ Dominus

V Ieſus

Ieſus eis in cęlo reddendum promiſerit. Ita Remigius in catena aurea D. Thomæ: accinit Abulen. Abulenſ. loco ſupra citato, *Errauit*, inquit, *quia voluit vt Regnum conſtitueretur in terra, quod Dominus promiſerat dare in cælis*: Vbi paulùm abiectè de glorię magnitudine ſẽſiſſe videtur, quæ tùm ex ſe ipſa, tùm ex loci, nempe cæli ſublimitate, commendationis vendicat prærogatiuam: vnde in terra nec obſcuram gloriæ ipſius imaginem inſpici fas eſt, vt D. Greg. hom. 8. in Ezechielem ad illa ipſius Prophetæ verba ex cap. 2. adnotauit: Ezech. 2 *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ*: D. Greg. *Non viſio*, inquit, *gloriæ*, *ſed ſimilitudo gloriæ*; *vt oſtẽdatur, quia quantalibet intẽtione mens humana tẽdat, adhuc in corpore mortali poſita, videre gloriam Dei nõ valet, ſicuti eſt*. Aduertens autem quòd neque huiuſmodi ſimilitudinem Propheta inſpicere potuerit; ſed exanimatus in terram corruerit, vt fatetur; *Vidi & cecidi in faciem meam*; ſubijcit: *Quid ergo de hoc viro fieret, ſi ita vt eſt eius gloriam vidiſſet, qui ferre non valens ſimilitudinem gloriæ, cecidit?*

Verùm vndecumque exortus Petri error aſſeratur, ſatis ſuperq. illũ ex dictis in hoc Archielogio excuſatum reliquimus: dum inter referendas plurimorum ſentẽtias, certiſſima inculcauimus documẽta, ex quibus humanarum actionum bonitas, malitiaque aſtruitur: & ideo nihil ſupereſt, quod rectà Petri ignorantiæ contra ipſius principatum opponatur; vnde reſponſioni ſuperſedendum erit.

Sola ignorantia, quam D. Leo, & Bernardus Petro adſcribunt, Principatus ignorantiæ contraria videtur, & ideo à nobis expendenda. Igitur errat Petrus, dum aliorum Apoſtolorum immemor tria poſtulat tabernacula, & poſthabitis alijs Chriſti membris, ſibi ſoli, & duobus, montis ſtationem requirit. Quod à Bernardo ſermone de vita ſolitaria prudenter libratum, tantum ponderis habet, ac ſi commune bonum priuatis limitibus concludere decreuiſſet. *Neſciens*, inquit, D. Bern. *quid diceret: quia viſa Dei maieſtate, commune bonum intra priuatum ſuum viſus eſt contuliſſe; & quo omnes frui debebant, ipſe ſolus frui curabat*. Nec diuerſus abit Leo, qui hom. de Transfigurat. ſpectato fine, quo Chriſtus voluit transfigurari, videlicet, vt cunctis fidelibus futuræ gloriæ ſpem faceret, prudenter intulit, in eo Petri errorem ſtetiſſe, quòd ſibi & alijs tantùm, qui in Thabor aderant, felicitatem illam optabat; quæ tamen omnibus vniuerſim parabatur. *Sed non*, D. Leo. inquit, *minori prouidentia ſpes ſanctæ Eccleſiæ fundabatur, vt totum corpus Chriſti agnoſceret, quali eſſet commutatione donandum, vt eius ſibi honoris conſortium*

tium

tium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet. Cuius promiſſionis obliuio Petrum ceperat; & ideo quod commune futurum erat, priuatum reddere ignoranter ſtuduit. Quod etiam notauit Abulenſis quæſt. 72. in cap. 17. Matth. *Errauit Petrus*, inquit, *quia ab hac ſocietate felicitatis excludebat cæteros diſcipulos; nam ſi in monte illo ſemper manerent, ipſi ſoli fruerentur gloria claritatis Chriſti; & cæteri Apoſtoli nihil viderent*.

Abulenſ.

Quod ſi rectè iudices, nihil aliud dices, quàm Petrum, commune Orbis pretium Dominum Ieſum, & fidelium præmium, cæteris ab eo excluſis, ſibi ſoli prodeſſe, eoque perfrui voluiſſe: in quo planè decipiebatur. Iure optimo conqueſtus eſt de Iuda proditore Rupertus lib. 11. in Ioan. quia Chriſtum omnium Redemptorem quaſi ſuum vendidit, & ipſius pretium ſibi ſoli prodeſſe propoſuit. *O magnifica*, inquit, *ſupplantatoris peruerſitas, qui vniuerſalem noſtræ ſalutis hoſtiam, ſic quaſi ſuum peculium, poſſeſſorem mundi venalem propoſuit!* Deliquit ergo Iudas, dum à participatione boni communis alios excludere ſtuduit; & Dei bonitatem offendit, qui non vnum tantùm, ſed omnes, ſui participes fieri volebat. Hinc eſt illud Angeli Deiparam ſalutantis: *Et regnabit in domo Iacob in æternum*. Luc. cap. 1. numer. 32. Non in domo Abraham, ait, quoniam tenuis erat ipſius hæreditas; vnde non habuit ex quibus duos inſtitueret hæredes: & ideo maioratu domi relicto, cæteros ab ea filios exulare coegit: *Et ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo*. Geneſ. 25. num. 6. Non item in domo Iſaac regnaturum pollicetur: quoniam etiam apud hunc filius natu maior Eſau lacrymabundus querebatur. Geneſis capit. 27. numer. 38. quòd vnius tantùm benedictionis largitor eſſet. *Cui Eſau, num vnã, inquit, tantum benedictionem habes pater?* In ſola ergo domo Iacob, ſceptro potiturum ſpondet; *Et regnabit in domo Iacob in æternum*. Luc. cap. 1. num. 32. Hic enim duodecim filios habuit, omnes hæredes poſt ſe reliquit, & ſingulis benedictiones ſuas impertijt. Meliùs Ieſus noſter, æternitatis Princeps, cohæredes ſuos beatitudinis participatione ditabit: tam ampla namque eſt ipſius hæreditas, vt in plurimos partita, minui neſciat; immo quò plus diuiditur, creſcit, & ab ipſa diuiſione ſumit opes, & maioribus quotidie proficit incrementis. Vidit hæc augmenta D. Ambroſius, & in Pſalm. 108. Octonar. 14. in hunc modum proſequitur: *In alijs hæreditatibus, hæredis eſſe damnum, cohæredis adſcriptionẽ: in hac non minui hæredi, quidquid à cohæredibus vendicatur; ſed eo magis ſingulis creſcere, quò plu-*

Rupert. Luc. c. 1. num. 32. Gen. 25 num. 6. Gen. 27. Luc. c. 1. D. Ambr.

V 2

pluribus fuerit impertitum. Iacob filios omnes conſtituit principes; ita & Chriſtus fideles ſuos in cælesti Regno ad maioratus, principatusque dignitatem extollit; nec quod vnus poſſidendo obtinet, ab alio detrahitur. Audi S. Auguſtinum in Pſal. 83. hac
D.Aug. de re differentem: *Poſſident Hieruſalem cæleſtem, ſinè anguſtia, ſinè preſſura, ſinè diuerſitate, & diuiſione limitum; omnes habent eam, & ſinguli habent totam; non anguſtat frater fratrem.*

Emphatica eſt illa D. Pauli ad Eccleſiæ filios gratulatio, qua ad Hebræos cap. 12. numer. 23. omnibus talem obtinuiſſe parentem gratatur, qui filios omnes poſſit reddere primogenitos.
Hebr.12 num.23. *Acceſſiſti ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, cæleſtem Hieruſalem, Eccleſiam primitiuorum:* Vbi *primitiuorum* loco, Græcus legit, *primogenitorum*; Et verò non de ſolis Apoſtolis, ac Martyribus, qui è vita exceſſerant, ſermo eſt; ſed omnes Dei filios comprehendit, quos ita impensè diligit, ac ſi vnus tantum eſſet; vel primogenituræ gratia frueretur, vt D. Auguſtinus lib. 3. confeſſ. cap. 11. adno-
D.Aug. tauit. *O tu bone omnipotens*, inquit, *qui ſic curas vnumquemque noſtrum, velut ſolum cures; & ſic omnes, tamquam ſingulos curares, & diligeres*. Hùc etiam ſpectat illa paſtoris diuini propter
Cant. 4. num.9. inuentam, quæ perierat, ouem gratulatio, Luc. 15. num. 6. *Congratulamini mihi, quia inueni ouē meam, quæ perierat*. Nec mireris, monet Tertullianus lib. 4. de pœnitentia cap. 8. *Erat, & vna paſtoris ouicula, ſed grex illa charior non erat.* Parapbr. Chald.

Hinc eſt illud ſponſi ad ſponſam dulce colloquium: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Canticor. 4. num. 9. quod Paraphraſtes Chaldæus ſic tranſtulit: *Infixus eſt in tabula cordis mei amor tuus, ſoror mea ſponſa: infixa eſt in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui eſt iuſtus*. Per oculos autem ſponſæ viros intelligit ſanctitatis pręſtãntia inſignes, & virtutum ſublimitate cæteris altiores: per crinem colli alios non ita perfectos ac ſublimes, quin etiam infimi ordinis iuſtos, quique veluti crines deſpiciendi videbantur: quid enim in corpore vilius eſt capillis? Ait igitur ad ſponſam, ſe non ſolùm ſublimium & Magnorum, videlicet, Petri & Pauli, Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ, Ioſephi Deiparæ ſponſi, & Franciſci, amore teneri, nec vnumquemque minùs quàm omnes ſimul diligere; *In vno oculorum tuorum*; ſed etiam ſingulos minorum, & omnes pariter eâdem proſequi dilectione: *Et in vno crine colli tui*. Vtrumque reſpexit Chaldęus, primum dicens: *Infixus eſt in tabula*

cordis mei amor tuus, ſoror mea ſponſa; hoc eſt, tam impensè omnes, ac ſingulos diligo, ſicut te ipſam. Secundum ſubiungens: *Inſixa eſt in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui eſt iuſtus*. Vnde non eſt cur Paulum Eccleſiæ oculum dicentem admireris: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, ad Ga-
Galat. 2. lat. 2. ſiquidem iuſtorum minimus Dei amorem ad ſe trahit, tamque eximiè vnumquemque deamat, ac ſi totum in ipſo tanquam primogenito amorem collocaret.

Hinc eſt illa Dei prærogatiua, quòd omnibus æqualis ſit & communis; vt notante D. Auguſtino
Pſal. 45. in Pſal. 45. verſ. 6. videtur innuiſſe
D. Auguſt. Pſalmographus dicens: *Deus in medio eius. Quid eſt*, inquit, *Deus in medio eius? hoc ſignificat, quòd æquus eſt omnibus Deus, & perſonas non accipit: quomodo enim illud, quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines; ita Deus eſſe dicitur, æqualiter omnibus cõſulens*. Tertullianus lib. aduerſus Iudæos cap. 7. ſequentes de Chri-
Tertull. ſto prærogatiuas recenſet: *Omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus, & Dominus eſt*. D. Bernard. ſerm. 1. de Purificat. verba illa Pſalm. 47.
Pſal. 47. verſ. 10. verſ. 10. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui* exponens, ita loquitur: *In medio enim templi miſericordia eſt, non in angulo, aut diuerſorio: quia non eſt acceptio perſonarum apud Dominum: in communi poſita eſt, offertur omnibus, & nemo illius expers, niſi qui renuit*. Quin etiam humani generis redemptionem in terræ medio Chriſtus perfecit, vt ad omnes æqualiter extenderetur. Huc reſpexit Dauid Pſal. 73.
verſ. 12. dicens: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Vbi inquit Pſal. 73. verſ. 12.
Hilarius: *Locus deinde crucis talis eſt, vt poſitus in medio terræ, & tanquam in vertice huius vniuerſitatis inſiſtens, ad capeſſendam Dei cognitionem vniuerſis gentibus eſſet æqualis*. Hilarius.

Opportuno ſanè tempore incidit illa dilecti reprehenſio. Cùm enim ſponſa ipſum intra cubilis ſui parietes detinere, gratiſsimiſque ipſius amplexibus frui exoptaret, atque adeo floridas lectuli delicias, & laqueata cedro tecta offerret; dicens: *Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina*. Cantic. 1. num. 16. Hoc Cant. 1. num. 16.
eſt, en age dilecte, lectum habes egregiè compoſitum, ſuauiſsimos ſpirans odores, cubile pulcherrimè ſtructum, omnia voluptati apprimè commoda: ne tardaueris, & dilectam amplexuum fruitionẽ inhiantem remoreris. Quid ad hæc ſponſus? *Ego flos campi, & lilium conuallium*. Quod tantum- Cant. 2. num. 1.
dem inſonuit D. Bernardo ſer. 47. in Cantic. ac ſi ſponſus ſuggillaret ſponſam, quòd illum intra domus ſuæ parietes concludere vellet, & quaſi proprium ſola poſſidere, cùm ipſe velut agri flos, omnibus

D.Bern. vellet eſſe communis. *Voluit ipſa,* inquit, *ſeorſum in cubiculo ſui ſponſo: ipſe verò tacitus reprehendit eam, dum florem campi, & lilium conuallium dixit, quòd non vni, ſed omnibus pateat, odorem efflet, pulchritudinem oſtendat.*

Hanc etiam huius lilij prærogatiuam edocuit Angelus, Deiparæ Sanctiſsimæ ipſius exortum prænuncians: nam cùm antea Zachariæ loqueretur, & de Ioannis natiuitate præmoneret; attende Luc. 1. quibus verbis id faciat *Vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium.* Luc. 1. nu. 13. Longè aliter ad Virginem: *Ecce,* inquit, *concipies in vtero, &* Luc. 2. *paries filium:* Non tamen, vt notat Chryſologus ſerm. 142. addidit, *tibi*, ſicut fecerat Zachariæ. Chryſol. *Non dixit*, inquit, *tibi: quare?* & ibidem reſpondet: *Monita ergo per Angelum Virgo, ne præſumas hunc vocare filium tuum; ſed mox vt genueris, inuoca Saluatorem: quia virginitas non ſibi parit filium, ſed parit pignus authoris.* Quaſi dixerit, longè alius eſt, ò Maria, filius tuus à filio Zachariæ: hic enim natus eſt parenti: tuus autem non tibi, ſed toti orbi orietur: Ioannes vt lucerna pro domo paterna accenditur; Ieſus, vt ſol, orbiſque Saluator, & commune remediũ, omnes illuminaturus, & ſanaturus prædicatur.

Hinc fortè eſt quòd D. Auguſtinus ſerm. 133. de tempore, Chriſti ſepulchrum ampliùs extulerit, quàm Virginis vterum: quoniam Virgo conceptum in eo filium non ſtatim orbi reddidit, ſed per nouem menſes incluſum retinuit: quod aliter accidit in ſepulchro: nam poſt tres dies reſurgẽtem emiſit, quem mortuum ſuſceperat: igitur Auguſtinus ſepulchrũ cum vtero conferens, hunc in modum philoſophatur: *Vbique* D. Aug. *beato corpori deſertur ſanctitas, vbique virginitas. Nouus illud venter concepit, nouus tumulus concluſit. Dominica ergo eſt Virgo vulua, & Virgo eſt ſepultura. Quin potiùs ipſam ſepulturam vuluam dixerim: eſt enim ſimilitudo non parua. Sicut enim Dominus de Matris vulua viuus exiuit, ita & de Ioſeph ſepultura viuus ſurrexit: & ſicut de vtero tunc ad prædicandum natus eſt; ita & nunc ad euangelizandum renatus eſt de ſepultura: niſi quòd glorioſior eſt iſta, quàm illa natiuitas.* Et diſcrimen aſſignans adijcit: *Illa enim corpus mortale genuit; totius mundi Dominum nouem menſibus in vtero clauſum tenuit: hæc autem triduo tantùm tumuli gremio cuſtodiuit. Illa cunctorum ſpem tardiùs protulit: hæc omnium ſalutem citiùs excitauit.* Hactenus ille.

Hæc ſumma Dei benignitas eſt, hoc ipſius amor, & ſtudium poſtulat, vt vbique omnibus patens ſit, & erga omnes ſuam beneficentiam expromat: & ideo nihil grauius ſentit, quàm ſi paucis benefacere conſtringatur. Ita mihi ſen-

ſenſiſſe videtur S. Ambroſius lib. de Paradiſo c. 10. ad illa Geneſ. verba, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutoriũ ſimile ſibi*, cap. 2. nu. 18. Vbi cernis fœminã propter viri commodum creatam: Illa tamẽ in coniugem data, cauſa mali fuit, & culpæ author. Vt quid igitur creatur, & comes additur? Nõne fuerat ſatiùs, vt ſolus eſſet Adam? minimè: Quoniam Diuinæ benificentiæ parum erat, ſi vni tantùm benefaceret: ſociã addidit, & talem, ex qua numeroſa hominum progenies creſceret, & plurimos haberet, in quos beneficentiam exprimeret: & plùs valuit hæc benefaciendi occaſio, vt hominẽ ſolum eſſe non diceret bonum, quam culpæ origo ex fœminæ ſocietate procedens, vt malã ipſius ſocietatem reputaret. Ambroſij verba ſunt: *Si igitur viro culpæ author eſt mulier, quemadmodũ pro bono videtur adiecta? Verùm ſi conſideres, quia Deo vniuerſitatis eſt cura, inuenies plùs placere Domino debuiſſe id, in quo erat cauſa vniuerſitatis, quàm condẽnandum fuiſſe illud, in quo eſſet peccati.*

Gen. c. 2. num. 18.

D. Ambr.

Quid igitur mirũm, vt Petrus hanc Dei conditionem ignorans, neſcius dicatur? *Neſciens quid diceret?* Et meritò, quia Saluatoris gloriam plurimis largiendam mõtis ſtatione concludere, ibique relictis alijs, ſolus eãdem frui poſtulabat, dicens; *Bonum eſt, nos hic eſſe.* Errauit Petrus, ſicut etiam Zebedęi filij apud Matthæũ cap. 20. erraſſe dicuntur: *Neſcitis quid petatis*: quoniam Matris ore, ſedes alijs etiam diſcipulis deſtinatas, auſi ſunt poſtulare: Quod S. Ambroſius lib. 3. de fide cap. 2. adnotauit. *Meritò*, inquit, *reprehenditur hæc mulier, quæ ſpeciali quodam priuilegio ab eo Domino poſtulauit, ea quæ Sãctis iudicauit eſſe donanda, non duobus Apoſtolis, ſed omnibus diſcipulis.* Petrus verò, vt Eccleſiæ Paſtor, & Princeps, ouium meminiſſe debuerat, ſine quibus cõgruum non erat, vt montis ſtatione & gloria frui vellet. Nam & Moyſes ne ſine ſuis terrã promiſsionis intraret, Dominum rogabat: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Exod. cap. 32. nu. 32. Quo loco audiendus eſt Bernardus ſer. 12. in Cant. *Nec Moyſes vult ſolus introduci in gaudium Domini ſui. Quid nit gentiſ ſuæ firma charitate robarens illam ſaluauit ſecum.* Quàm aliter Petrus gregis obliтus, propriæ ſtudebat ſaluti; & alijs à monte exulantibus, ſolus ibi gloria frui poſtulat; & quę pluribus futura eſſet communis, illam ſibi peculiarem reddere conabatur: in quo, vt ex Leone, & Bernardo adnotauimus, neſcius deprehenditur; *Neſciens quid diceret.* Quòd ſi hanc ignorantiam cum alia conferas, quam D. Hierony-

Luc. 9.

Matth. cap. 17.

Matth. cap. 20.

D. Ambr.

Exod. 32 num. 32.

D. Bern.

Luca c. 9.

V 4

Digitized by Google

ronymus Petro adſcribit, contrarias planè reperies: Nam hic Petri errorem in triu m tabernaculorum petitione coaſtituit, cùm vnum ſolummodò petere debuiſſet, ne ſuum læderet principatũ, pro quo vnum tantùm exigendũ erat tabernaculum. Illi inde erroris incuſant, quia tria dumtaxat tabernacula expetiuit, & beatitudinis amplitudinem ternario voluit coarctare; & paucos gloriæ participes fieri ſtuduit, quæ ex Dei benignitate foret in plurimos diuidenda. Cæterùm vtrobique Petri ignorãtia defenditur: nam quod D. Hieronymus de triũ tabernaculorum petitione opponit, ita dilues: Verum quidem eſſe, tria tabernacula à Petro expetita; non tamen exinde ſuum læſit principatum; quia non abſolutè & indiſcriminatim, ſed ſub quadam diſtinctione & differentia poſtulauit; Primum videlicet & præcipuum Christo, *Tibi vnum*, cuius Petrus futurus eſſet Vicarius. Hoc autem ideo præſtantius exigebat, vt ſuperiùs probauimus, quò ſignificaret ſedes alias, ſeu Patriarchales, ſeu Epiſcopales ſint, dignitate, & authoritate inferiores eſſe Romana, in qua ſeſſurus erat Petrus Christi Vicarius, & alij poſt eum in eodem munere Pontifices, quibus alij vt capiti obtemperarent, ac ſubijcerentur.

Pro ſecunda ignorantia, quam Leo & Bernardus Petro adſcribũt, quatenus communem multis gloriam, vt ſibi propriam & peculiarem voluit vſurpare; illud coapoſtoli ipſius Pauli ad Roman. 1. n. 8. oppones: *Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis*. Ro. 1. n. 8 Expendendum eſt illud *Deo meo*, vbi Paulus Deum omnibus communẽ viſus eſt ſibi peculiarem effeciſſe: non quia benignitatem ipſius conſtringere, atque intra ſolius hominis priuati limites concludere vellet; ſed vt aduertit Origen. in c. 1. ad Rom. quò affectus ſui magnitudinem exprimeret. *Sed & hoc, Deo meo*, Origin. inquit, *non eſt otioſè accipiendum; non enim vox iſta poteſt eſſe niſi Sanctorum, quorum Deus dicitur, ſicut Deus Abraham, Iſaac, & Iacob. Non poteſt Dominum Deum ſuum dicere is, cui Deus venter eſt; aut cui auaritia Deus eſt; aut cui gloria ſæculi, aut pompa mundi, aut potentia rerum caducarum Deus eſt*. Eadem ſcribit S. Baſilius ad illa verba Thomæ Apoſtoli apud Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus*. Cõcinit D. Hieronymus illud Dauidicum expendens: *Rex meus, & Deus meus*. Pſalm. 5. verſ. 3. *Ille*, ait, *auſus eſt dicere, verè Rex meus & Deus meus, cui non regnat peccatum in mortali corpore. Rex meus, & Deus meus, quia regnas in me, & non regnat peccatum: propterea Deus meus es. Tu es Deus meus, quia non eſt venter Deus meus, quia non eſt* Baſil. Ioan. 21. D. Hier. Pſalm. 5.

libi-

libido Deus meus: quoniã tu virtus es, & ego cupio habere virtutes: propterea tu es Deus meus, hoc eſt virtus mea. Sic igitur Petrus dum ait, *Bonum eſt nos hic eſſe*, noluit gloriam multis communem, inter paucos diuidere, vt ſolus ipſe & ſocij ea fruerentur. Illuc, crede, ipſius poſtulatio tendebat, vt ingentem erga Magiſtrum ſuum exprimeret amoris affectum: pariterque oſtenderet, quanti gloriæ illius magnitudinẽ faceret, in qua Chriſtum perpetuò manere cupiebat; & ideo non ſibi, & ſocijs, ſed Moyſi tantùm, Eliæ, & Chriſto tria popoſcit tabernacula. Quòd ſi ſtatum illum aduerteret duraturum, tunc fors ſibi & ſocijs, quin etiam reliquis diſcipulis, & fidelibus manſiones poſtularet. Sediam ad vigintiquinque Petri prærogatiuas gradum faciamus, in quibus ſingillatim, & vniuerſim Principatus ipſius dignitas ſplendet.

Matth. cap. 17.

CAPVT X.

Petri Monarchia vigintiquinque prærogatiuis illuſtrata celebratur, quæ totidem annis reſpondent, quibus à translato Romam Pontificatu Eccleſiam adminiſtrauit.

MVltis in ſtatuẽda Petri Monarchia rationibus vtendum eſſet, niſi animo inſideret ſtudium colligendi quinque ſupra viginti prærogatiuas, & ornamẽta pulcherrima, quibus Apoſtolorum Princeps claruit; & numero ſuo vigintiquinque annos fælicitant, & exæquant, ex quo Romana Ciuitas Petrum vniuerſalem Eccleſiæ Pontificem excepit; illiſque ſeorſim, vel coniunctim in medium productis, Apoſtoli primatum demonſtrare ſtatuiſſem. Rumpantur rabie Magdeburgenſes, qui Centur. 1. lib. 2. cap. 10. col. 558. quatuordecim mendacia in Petrum temere, & procaciter effundunt, totidem criminibus (lapſus dicunt horrendos) obnoxium ſtatuentes. Et quidem, negatione poſthabita, commentitium eſt, & blaſphemum, quidquid blaterones illi in Eccleſiæ caput diſſipant; vt iam ex ſupradictis innotuit, inferiùſque dicendis apertiſſimè conſtabit.

§. PRIMVM.

Prima Petri prærogatiua aſſignatur.

PRimam Apoſtoli prærogatiuam fauſtiſſima nominis ipſius mutatio peperit. Nam, vt habetur apud Ioan. cap. 1. Chriſtus Dominus Petro locutus hæc protulit: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* En mutatum, non ſine fælici omine, Simonis in Petri nomen. Nam, vt ponderauit S. Chryſoſtom. hom. 18. in lo- Ioan.

locum Ioannis ex cap. 1. non aſſolet Deus nouas imponere nominum appellationes, aut priſtinas immutare; niſi, vt magna denotet priuilegia, & eximias ſignificet prærogatiuas, quibus eos cumulat, & exornat, qui nouitate nominis, vel mutatione fælicitantur. *D. Chryſ.* *Ipſe eſt* (inquit) *qui nomina aptè imponit; qui Abram Abraham, Sarai Saram, Iacob Iſrael vocauit. Multis à natiuitate nomina impoſuit: vt Iſaac, Samſon; vt ijs, quorum meminit Eſaias, & Oſee. Quibuſdam, quam à parentibus acceperũt appellationem, mutauit, vt prædictis, & Ieſu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi: quod & Elias fecit. Hoc autem non temerè fit, ſed vt ea appellatio imponatur, quæ ſit diuini beneficij perpetuum monumentũ, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur.* Hæc ille.

Cùm igitur Petrus, ſingulari priuilegio ſupremus Eccleſiæ Princeps, & Paſtor inſtituendus eſſet, Simonis nomen in Cepham, ſeu Petrum ipſi immutatur. Hæc autem nominis immutatio non ſterilis fuit, & infœcunda, ſed gratijs, & prærogatiuis abundans. Duas enumero: primam, Inter cæteros Apoſtolos ſoli Petro nouum nomen inditur, argumento clariſsimo, quòd ſolus Eccleſiæ primatum obtineret. Verùm quidem eſt, Zebedęi filios Boanerges appellationem habuiſſe; ſed cognomen illud fuit, non verò nomen. Vnde, vt notat Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 18. *Bellarm.* neutiquam Boanerges, ſed Iacobus, & Ioannes poſtea dicebantur. Petrus autem poſt noui nominis impoſitionem, numquam ampliùs illud amiſit: Quin etiam D. Paulus ad Galat. 2. Petrum, *Galat. 2* ſeu, quod perinde eſt, Cepham appellat.

Secundam nominis prærogatiuam ipſius ſignificatio importat; & quàm aptè futuro Chriſti Vicario, & Eccleſiæ Pontifici cõueniat, apertè demonſtrat: nam Cephas Syriacè petram ſignificat, vt tenet D. Hieron. in cap. 2. epiſt. ad Galat. *D. Hier.* Græcè autẽ, teſte Optato lib. 2. contra Parmen. Caput denotat: præter quàm quòd inter præſtantiſſima Chriſti nomina recenſetur. Et certè in ſacris litteris Chriſtus non alio frequentiùs nomine appellatur. Videndus Iſaias c. 8. *Iſai. c. 8.* & 28. Daniel 2. *Daniel. 2* Dauid Pſalm. 117. *Pſal. 117* Matth. 21. *Matth. cap. 21.* Paul. ad Roman. 9. *Ad Ro. 9.* & 1. Corinth. c. 10. *1. Cor. 2.* Epheſ. 2. *Ad Eph. cap. 2.* 1. Petri 2. *1. Petr. 3.* & ſæpe alibi Chriſtum Petram dici reperitur, & idẽ nomen Petro indidit: Cùm enim Chriſtus ideo petra diceretur, vt totius Eccleſiæ fundamentum, caputque demonſtraretur; aptiſsimè nomen illud Petro communicauit, quem ſuum in terris Vicarium, & Eccleſiæ caput inſtituebat: vt ipſo nomine petrę firmitatem fundamento neceſſariam, & capitis altitudinem

nem

Digitized by Google

nem Pontificatui congruentem oſtentaret. Huc refero D. Leonis ſententiã ex epiſt. 89. ad Epiſcop. D.Leo. Viennen. Prouinciæ: *Hunc*, ait, *in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus.* Luculentiùs tamen hoc idem argumentum proſequitur ſerm. de ſua in Pontificatum aſſumptione, vbi Chriſti nomine Petrum ſic D.Leo. alloquitur: *Sicut meus Pater tibi manifeſtauit Diuinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam: quia tu es Petrus, ideſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum: ego fundamentũ, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris; vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* Hæc ille. Fuit autem magnæ dilectionis argumentum, quòd Dominus Ieſus vnà cum poteſtate nomen Petro communicaret, in quo poteſtatis inſigne, & virtutis ſplendor radiaret. Ideo, vt ſcripſit optimè Tertullian. Tertull. *Affectauit chariſſimo diſcipulorum vnum de nominibus ſuis communicare: Chriſtus enim dicitur Petra.*

Clariſſimam igitur nominis mutationem, & Simonem iam Petrũ, hoc eſt, petram vocari perpende: facilèque intelliges Chriſti verba Matth. c. 16. apud Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Pulcherrimum namque, & clariſſimum huius ſententię commentarium eſt ipſa nominis mutatio. Quia etſi Caluin. lib. 4. inſt. cap. 6. §. 6. per petram intellexerit Chriſtum; & Luther. lib. de poteſt. Pap. & Centuriat. lib. 1. centur. c. 4. col. 175. & lib. 1. Smalchadicl de Primatu Papę, ipsã Petri confeſſionem; quin etiam addit, per petram, de qua Dominus hoc loco agit, ipſam fidem, vel fidei confeſſionem accipi debere: itemque Eraſmus ad eundem locum, in petra quẽlibet hominem ex fidelibus agnouerint; Nihilominus ab hinc ducentis ſupra mille annis pangente D. Ambroſio cecinit, & adhuc canit Eccleſia carmen illud in hymno Laudum Dominicæ. D. Ambr.

Hoc, ipſa petra Eccleſiæ,
Canente, culpam diluit.

Quinimo Græci Patres, & Latini concorditer aſſerunt Petrum hãc extitiſſe petram, in qua ſtabilitum eſt Eccleſię fundamentũ. Ex Græcis Athanaſ. in epiſtol. ad Felicem, D. Athan. Baſil. Magnus lib. 2. in Eunomiũ, D. Baſil. Gregor. Nanzian. orat. de moder. Nazian. ſeruand. in diſput. Origenes Origen. homil. 5. in Exod. Epiphan. in Ancho- Epiphan. rat. S. Chryſoſtom. homil. 55. in Chryſoſt. Matth. Cyrill. in Ioan. lib. 1. cap. 2. Cyrill. Theophilactus in cap. 22. Luc Eu- Theophil. Eutym. tym. c. 16. Matth. ex Latinis Hi- Hilarius. larius Canon. 16. in Matth. Ter- Tertull. tull. lib. de præſcript. Cyprianus Cyprian. epiſt ad Quintũ. Hieron. in c. 16. Hieron. Matth. & epiſtol. ad Damaſum

de

de nomine hypoſtaſis: vbi de ſede Petri. Auguſtin. in Pſalm. contra partem Donat. & ſerm. 1. de SS. Petro, & Paulo. S. Leo ſerm. 2. in anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, & plures alij, quorum ſententiæ potiùs, quàm Hæreticorum delyramentis fides eſt adhibenda.

Aug. ſ. D. Leo.

Et quidem firmiſsimum huius ſententiæ fundamentum eſt quoniam verbum illud Cephas Syriacum eſt, & ea lingua, qua vt plurimùm Chriſtus vtebatur, petram valet, vt conſtat ex cap. 1. Ioannis: Petrus verò ex Hieronymi ſententia in c. 2. ad Galat. petram adſignificat. Vnde Chriſtus dixiſſe videtur Syriacè loquutus: *Tu es Cepha, & ſuper hoc Cepha*, & Latinè, *Tu es petra, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiã meam*. Ex quo deduces particulam *hanc*, non niſi ad Petrum referẽdam, qui hoc loco petra dicitur: ãtq. adeo Petrus idem eſt ac petra; quod Græcorum Patrum, & Latinorum firmat conſenſus, tota annuente Eccleſia, & Chalcedonenſi Concilio; in quo triginta ſupra ſexcẽtos Patres congregati, actione 3. Diuum Petrum petram; & crepidinem Eccleſiæ Catholicæ nuncuparunt.

D. Hier. Matth. 16. Con. Chal.

Hinc Hæreticorum error, ignorantiaque diluitur: Caluini primo, qui hoc loco Matth. 16. per petram Chriſtum intellexit. Et licet ei fauiſſe videatur Auguſtin. tract. vlt. in Ioann. dicens: *Super hanc petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam*; hoc eſt ſuper ipſum Chriſtum, quem Petrus confeſſus fuerat Dei filiũ; & idem tenet ſerm. 13. de verbis Domini; Nihilominus in vtraque ſententia fuiſſe videtur S. Doctor. Vnde per petrã modò Chriſtum, rurſum intelligit Petrum; vt cernere eſt in lib. Retract. c. 21. Vbi vtriuſque ſententiæ ſe fatetur authorem, & vtramuis eligendi optionem facit lectori. *Harum autem*, inquit, *duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat lector*. Dubius itaque Chriſtum dixit petram: Nec certè dixiſſet (affirmat Bellarmin. lib. 1 de Rom. Pontif. c. 10.) niſi Hebraici idiomatis eſſet ignarus. Quòd autem linguæ ignorantia deceptus id fecerit, argumentum ipſius apertè demonſtrat; nimirum quia Petro non eſt dictum, *Tu es Petra*, ſed *tu es Petrus*. Cæterùm ignorabat, Petrum, vel Cepham, Hebraicè petram ſignificare, atque adeo Chriſti verba ſic eſſe reddenda, *Tu es petra, & ſuper hanc petram*.

D. Aug. D. Aug.

Notandum verò, pronomen illud *hanc*, non ad Chriſtum lapidem, ſed ad Petrum petram referendum eſſe. Abſonum quippe eſt vt ad aliquid remotum, non autem ad proximum, & immediatum referatur, ei videlicet, qui paulo ante Cephas, ſeu petra dictus memoratur: Petrum verò nõ Chriſtum hoc loco petrã dictum,

pla-

planè conſtat. Præterea qua connexione diceret Chriſtus: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*; ſi quod addidit, *Et ſuper hanc petram*, non ad eum, cui loquebatur, ſed ad ſe ipſum referri oporteret? Equidem citra Petri aſpectum extra rem, & ſuperuacaneè dictum videbatur, *Et ſuper hanc petram*. Deinde ſi Chriſtus ſeipſum reſpiciens hoc dixit; cur de futuro loquitur & ait: *ædificabo*, non autem de præſenti; dicens: *ædifico Eccleſiam meam*, quam in ſe Apoſtolorum & diſcipulorum inſtitutione iam ædificauerat? Igitur ædificabo ait, quia Petrum nondũ iecerat Eccleſiæ fundamentum, id poſt reſurrectionem facturus.

Matth. c. 16.

Pari facilitate Lutheri, & ſequacium opinatio falſitatis conuincitur. Fides enim, ſeu fidei confeſſio, quam hìc petram à Saluatore dictam affirmant, dupliciter conſideranda eſt. Primò abſolutè, & ſecundum ſe, ſecluſa omni ad perſonã Petri relatione. Secundò prout ad ipſum Petrum refertur. Et quidem hallucinantur hæretici, fidem priori modo conſideratam Eccleſiæ fundamentum ſtatuentes. Nam ſi hoc verum eſſet, Chriſtus neutiquam dixiſſet: *Super hãc petram ædificabo*, ſed ædifico, vel ædificaui: quoniam plurimos iam fideles habebat, qui ipſum Dei viui filium agnoſcebant, videlicet Prophetæ veteres, Deipara Virgo, ſanctiſsimus Ioſeph ſponſus, Simeon, Zacharias, Ioãnes Baptiſta, Apoſtoli, & ingens numerus diſcipulorum.

Matth. c. 16.

Quamuis autem fides ſecũdum ſe ſpectata, vt monuit Auguſtinus ſermon. 22. de verbis Apoſtoli, iuſtificationis, omniumq. virtutum fundamentum rectiſsimè dicatur: Nam *Domus*, inquit, *Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, & diligendo perficitur*; Eccleſiæ tamen fundamentum nullatenus dici poteſt: quia eiuſdem generis eſſe debẽt fundamentũ, & reliquũ ædificium: Eccleſiæ verò ædificiũ ex hominum congregatione, quaſi ex viuis lapidibus coaleſcit: iuxta illud 1. Petri 2. Oportet ergo, vt lapis viuus, qui huic fundamento ſubſternitur, homo ſit, non virtus aliqua præcisè ſpectata. Quod apertè conuincit pronomen illud, *hanc*; quod perperam referes ad fidem abſolutè conſideratam: quia petra proximè nominata ipſum vocat, & trahit, Simonique, & non fidei dictum fuit, *Tu es petra*. Quapropter neceſſe eſt, vt fidem poſteriori modo accipiamus: atque à Deo non quamlibet ſimpliciter, ſed Petri; nec vt priuati hominis, ſed vt Eccleſiæ Paſtoris, fidem, ipſius Eccleſiæ fundamentum ſtatuamus. Duplicem verò ob cauſam Petri fides dicenda eſt Eccleſiæ fundamentũ: Primam, quia ipſius merito conſecutus eſt Petrus, vt ædificandæ Eccleſiæ lapis firmiſsimus pro fũdamento ſubſterneretur, ſicuti Diuus Hieronymus, Hilarius, Chryſoſtom.

D. Aug.

1. Petr. 2.

Digitized by Google

ſoſtom. & alij ad hunc locum teſtantur. Secundam, quia cùm Petri fides, iuxta illud Saluatoris
Luc.22. apud Luc.22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; nunquam defutura eſſet: quin potiùs ipſe reliquos in fide ſtabiliret; iure optimo pro fundamento eligitur, cuius proprium eſt reliquas ædificij partes in firmitate & pulchritudine continere.

Venit tandem Eraſmi delyramentum, explodendum potiùs, quàm refutandum. Somnians ſibi finxit hæreticus ille, Chriſtũ Dominum ſub illa petra, quemlibet fidelem hominem intellexiſſe. Deus bone! quando ſuccreſceret ædificij moles, ſi omnes lapides fundamento deſeruirent? Et quomodo Eccleſia ex viuis hominum lapidibus fundata in faſtigium extolleretur? Si quilibet lapis cederet in fundamentũ, è quibus coagmentati ſurgerent parietes? Quænam tecti materies, ex quibus tota ædificij forma ſtabilitas, & pulchritudo exurgit? Quis humanum corpus monſtrum non reputaret fœdiſſimum, ſi totum eſſet oculus, totũ naſus, totum os? rideres videndo. Nec minùs irridendus eſt Eraſmus, in corpore Chriſti myſtico talia comminiſcens; in quo
1.Cor 12 D.Paulus 1.Corinth.12.membrorum diuiſionem, & diuerſitatem agnoſcit. Deinde qua fronte ſuſtinet Eraſmus abſurdum fore, Eccleſiam ſupra hominem Petrum à Chriſto ædificatam arbitrari, ſi fideles ſingulos dixit lapides, ſuper quos Dominus Ieſus Eccleſiam ſe fundaturum pollicebatur? Quænam huius hæretici mens? non homo ille, Chriſti fidem profitentes forte non homines reputabat? vel ſi homines credebat, cur Petrum quia homo eſſet, ab Eccleſię ex hominibus conſtructæ fundamento impudenter eiecit? Rumpatur hæreticus, fremat, & diſſecetur Caluinus, rabie linguam ore remordeat Lutherus: Petrus enim ille eſt, cui Dominus Ieſus dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: Matth.c.16. Nomen ſuum petræ illi indidit; mille gratijs, & prærogatiuis cum nomine cumulauit; ædificandæ Eccleſię fundamentum elegit, & ſupremum gregis ſui Paſtorem inſtituit meritiſsimum.

§. SECVNDVM.

Secunda Petri Prærogatiua inculcatur.

NVllibi in ſacris Euangeliſtarum monumentis Petrũ inuenies nominatum, quin ipſe ſcribentis calamum primo loco occupauerit, clariſſimo Eccleſiaſtici Principatus augmẽto, quem Dominus Petro detulit; vt ex hac prænominationis excellentia, catholica, ni fallor, demonſtratione comprobatur. Mattheus igitur

cap.1.

cap. 1. Apoſtolos recenſere ſic aggreditur: *Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus, &c.* Quin etiam Marcus cap. 3. & Luc. cap. 6. eundem in recenſendo ſtylum obſeruarunt. Idem Luc. in Actis Apoſtolorum referens, qua ratione Apoſtoli ſimul morarentur; Petrũ primo loco numerauit. *Manebat Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, &c.* ibi c. 1. Nec ſolùm cùm omnes Apoſtoli ad numerum reuocantur, Petrus primo loco ſtatuitur; ſed etiam cùm duorum, vel trium ſit mentio, ipſe alijs præponitur, vt cernere eſt apud Marc. cap. 5. & Luc. 8. *Non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Luc. iterum 22. *Miſit Petrum, & Ioannem.* Matth. 17. *Aſſumpſit Petrum, Iacobum, & Ioannem.* Marcus cap. 13. *Interrogabant enim Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas.* Poſtremò Ioannes cap. vltimo aliorum ſtylo cõſonus, Petrũ primo enumerat. *Erãt ſimul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo.*

Matth. 1. Luc. 6. Marci 1. Actor. 1. Marc. 5. Luc. 8. Luc. 22. Matth. c. 17. Marc. 13 Ioan. vlt.

Nec verò exiſtimandum eſt hunc enumerandi ordinem accidentarium fuiſſe, & caſu obſeruatum, vel aſpectu ad electionis, aut ætatis prærogatiuam; ſed de induſtria, maturaque deliberatione à ſacris Scriptoribus procuratum. Et reuera, quæ caſus dedit, ſemel tantum, & ad ſummum bis accidunt, nunquam pluries repetuntur. Vnde cùm Euangeliſtæ Petrum primo loco duplicatis ſæpe vicibus recenſuerint, de induſtria id feciſſe dubitandum non eſt, vt Primati Apoſtolorum primas cederent: & eò ampliùs id mihi perſuadeo, quò in aſſignando alijs loco, nullum ordinem obſeruatum animaduerto. Matth. cap. 1. poſt Petrum Andream enumerat. Marcus cap. 3. Petro immediatè Iacobum annectit. Luc. cap. 6. ſtatim à Petro ponit Andream, neglecto in alijs ordine, quem tenuerat Matthæus: hic enim Thomam ſibi, & Simonem Zelotem Thadeo anteposuit. Lucas verò Matthæum Thomæ, & Simonẽ prætulit Thadeo. In Actis Apoſtolorum poſt Petrum ponitur Ioannes, cap. 1. & paſſim in alijs numerandis magna fit ordinis immutatio. Solus Petrus primo loco immobilis perſeuerat: ſoli Petro primi nomen aſſignatur. Matth. cap. 1. *Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Nec addidit ſecundum, & tertium, numerali ordine prætermiſſo. Quo ſatis intuitur, vt notauit Magnus Albertus in commentarijs ad caput 10. Matth. Petro vt aliorum Principi primũ ordine & dignitate locum deferendũ. Ipſe enim inter alios primus extitit, & ſuperior: alij inter ſe dignitate pares numeralem ordinẽ non agnouerant. Et quidem ſancti Patres ex nomine *Primus*, Petri primatum hæreticis deteſtandum eliciunt. Nam quem-

Matth. 1 Marc. 3. Luc. 6. Actor. 1. Matth. 1. Alb. Mag.

quemadmodum à Principe Principatus, & à Conſule Conſulatus, ſic à primo fit Primatus. Hinc eſt illud Auguſtini ex tract. vltimo in Ioannem: *Petrus propter Apoſtolatus ſui primatum, &c.* Auguſt.

Vides igitur Petrum in Apoſtolorum Catalogo primum, ſeu Primatum non fortuitò, ſed ſcienter & meritò dictum; vt vndique dignitatis ipſius gradui deferretur. Ideo notauit egregiè ad hunc locum Caietanus, non ſine myſterio Petrum primi nomine, & ordine inſignitum; ſed vt Chriſtiani in Petro Eccleſiæ primatum conſtitutum eſſe edocerentur.

Caietan. *Solus*, inquit, *Petrus ordine inſignitur, & deſcribitur primus, ad inſinuandum, valde ſpectare ad Chriſtianam notitiam, ſcire primatum Petri; nulliusque momenti eſſe noſſe ordinem Apoſtolorum inter ſe. Ac ſi apertè dixiſſet Matthæus: Scitote Petrum eſſe primum quidquid ſit de alijs. Propter quod nullum deſcripſit ſecundum, aut tertium; ex hoc ipſo ſignificans, quòd primatum Petri ſuper alios intendebat inſinuare.* Sic ille, vt dubitandum non ſit Petro primatum in cauſa fuiſſe, quò in Apoſtolorum albo primus deſcriberetur.

Eſt autem animaduerſione dignum, quod Maldon. in cap. 10. Matth. adnotauit, nimirum omnes Euangeliſtas Iudam Iſcariotem in locum vltimum reieciſſe. Quin etiam, vt ibi inſinuatur, reiectionis cauſam, traditionem videlicet, aſſignarunt. Matth. c. 4. numeratis omnibus concluſit: *Et Iudas Iſcariotes, qui tradidit eum.* Matth. 4. Iiſdem inſiſtens veſtigijs Marcus cap. 3. num. 20. ait: *Et Iudam Iſcariotem, qui tradidit illum.* Marci 3. Tandem Luc. cap. 6. num. 18. *Et Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor.* Lucæ 6. Cùm igitur Iudæ indignitas ſacros Scriptores impulerit, vt ipſum meditato in vltima cœna reponerent; cur non credam, Petrum ob Primatus ſui dignitatem in primo loco conſtitutum? Credo ſane, & fidem facio Auguſtino quæſtion. in Geneſ. vbi curioſiùs perſcrutatur: quam ob cauſam ſacer Hiſtoricus in recenſendis Thare filijs, ordinem natiuitatis non obſeruauerit: Nam primo loco poſuit Abrã dicens, *Hæ ſunt generationes Thare: Thare genuit Abram, & Nacor, & Aran.* Geneſ. 11. Geneſ. 11. & tamen, vt ipſe Auguſtinus teſtatur, Abram non fuerat primò natus: ſed ideo præponitur, *Quia multarum gentium Pater, & Populi Dei Caput, & Princeps extitit.* August. Potiori igitur ratione ſtatuendum eſt, Petrum ideo primo loco numeratum: quia non Synagogæ, non Hebræi Populi origo, ſicut Abram; ſed Eccleſiæ fundamentum, & ſupremus Chriſtiani gregis Paſtor à Saluatore fuit inſtitutus. Tam magna eſt Paſtoris prærogatiua, vt vel hoc ſolo nomine Petrus primo loco nominari debuiſſet. Sin minus, inquiro

quiro cum D. Ambroſio lib. 1. de Caim, & Abel cap. 3. quid cauſæ fuerit, vt cùm Abel minor natu eſſet Caimo, nihilominus ei præferretur, vt videre eſt in Geneſ. hiſtoria, vbi dicitur: *Fuit Abel paſtor ouium, & Caim agricola*. En natu maiorem poſteriori loco numeratum intueris. Et certè, *Nō eſt*, inquit Ambroſ. *otioſū, quod cùm ante generatus ſit Caim, vt lectio docet, prælatus ſit hoc loco Abel: nec idem ſit ordo nominum, qui eſt ordo naturæ*. Fateor, alibi natiuitatis prærogatiuæ delatum, & Caim priori loco poſitum. Verùm cùm hoc loco de vtriuſque munere ageretur, & Caim agricola, Abel autem paſtor eſſet introductus; neceſſarium fuit, vt natu minor ob paſtoralem prærogatiuam ſeniori præponeretur. Iterum Ambroſius: *Vbi naſcuntur hi fratres, ſeruatur etiam in prædicando ordo naturæ; vbi verò exprimitur diſciplina viuendi, ſeniori minor antefertur*. Potuit munus paſtoririum Abelem ſic extollere, vt fratri præponeretur: & paſtoralis Petri dignitas ipſum primo loco non ſtatueret? Meruit bidentium paſtor numerationis prærogatiua anteferri; & Chriſti Vicarius Chriſtianorum Paſtor, cui dictum eſt, *Paſce oues meas*, propter tanti muneris prærogatiuam, atque in clariſsimum obtentæ dignitatis argumentum, temerè, & fortuitò primus in Apoſtolorum Catalogo poneretur? Hæreticorum iſta eſt exſibilanda temeritas: rectiùs ſenſere Catholici, qui Petrum de induſtria primo loco ab Euangeliſtis nominatum aſtruunt, vt dignitatis primatum teſtarentur.

Gen. 4.

Ambroſ.

Nec nouum eſt, vt officij dignitas numeralis ordinis prærogatiuam pariat. Quis neſcit Moyſem Hebræi Populi Ducem, Aaroni fratri ſuo natu maiorem extitiſſe? Et tamen cùm vtriuſque fratris generationes eſſent numerādæ, priori loco ponitur Aaron, quàm Moyſes: *Hæ ſunt generationes Aaron, & Moyſi*. Numer. 3. & pergit ſacer hiſtoricus omnem filiorum Aaron genealogiam recenſere. *Hæc nomina filiorum Aaron, &c.* Nec vacat myſterio, inquit Oleaſter ad hunc locum, quòd Aaron primo loco conſtituatur. Nam cùm hic Leuitarum progenies recenſeatur, quos Deus in Sacerdotes elegerat, & Aaron tanquam eorum caput & Pōtifex, veteriſque illius Sacerdotij, & Pontificatus fundamentum, & origo præponatur; conueniens fuit, vt dignitatis ſuæ, munerīſque aſpectu primo loco ſtatueretur. *Hæ ſunt generationes Aaron, & Moyſi*. Quidni, Petrus ob primatus ſui prærogatiuam Andreæ fratri, & ſeniori, alijſque Apoſtolis in numeratione præferretur? Prælatum crede; nec ob geniture meritum,

Num. 3.

Oleaſter.

X

ritum, & vocationis gratiam. Senior enim fuit Andreas,& priùs ad Apoſtolatum vocatus, vt tradit Ioannes cap. 1. ſed non ideo, inquit, Ambroſius in 2. ad Corinthios, Eccleſiæ primatum obtinuit; quia munus illud ampliſsimum, non tempori deferendum erat, vel ætati, ſed amori; in quo ſatis ſpectatum ſe Petrus

Ambroſ. exhibuerat. *Prior, Andreas ſequutus eſt Saluatorem, ſed primatus non accepit Andreas, ſed Petrus.*

Cæterùm, ſicut nec præcedens vocatio primatum contulit, ſic etiam nec ætati ſenioris Andreæ delatum eſt. Quòd autem ſenior ipſe fuerit, tradidit Epiphanius hæreſ. 81. quæ eſt Alo-

Epiphan. garum. *Occurſus* (inquit) *Andreæ primus contigit, cùm eſſet Petrus minor tempore ætatis.* Et quidem Diuus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum affirmat, Ioānem ideo Eccleſiæ paſtorem non fuiſſe à Chriſto inſtitutum; quia minoris erat ætatis,& pene puer: non tamen ideo Petrum Eccleſiæ præpoſitum teſtatur, quia reliquos ætate ſuperaret. Quin etiam Magdeburgenſes hæretici Centur. 1. lib. 2. cap. 10. in vita Diui Andreæ ipſum Petro natu maiorem fuiſſe, vt probabile opinantur. Nec niſi veritatis potentia ab his, qui Petri Primatum tam inteſtino odio perſequuntur, confeſſionē hanc extorquere potuiſſet.

Notandum præterea occurrit, Petrum non ſolùm primo loco numerari; ſed etiam veluti Paſtorem, familias Patrem, Eccleſiæ Ductorem, ac Principem, in ſacris litteris paſſim exprimi. Quemadmodum enim Apocal. 12. ſcriptum inuenimus, *Diabolus, & Angeli eius, Michael, & Angeli eius*; hoc eſt, Dux, Princeps, & milites eius; ita etiam apud Apoc. 12.

Marcum cap. 1. legitur: *Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant.* Et Luc. cap. 8. *Dixit Petrus, & qui cum eo erant.* Iterum cap. 9. *Petrus verò, & qui cum illo erant.* Idem etiam tenet Marc. cap. 16. *Dicite diſcipulis eius, & Petro:* Quin etiam in Actis Apoſtolorum ſacer hiſtoricus non ſemel eam loquendi formulam vſurpat. cap. 2. *Stans Petrus cum vndecim*; &, *Dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos.* Ibidem cap. 3. *Et Petrus, & Apoſtoli dixerunt.* Tandem 1. Corinth. 9. dixit Paulus: *Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Quid tibi videtur? Petrus nonne diſcipulus erat, & Apoſtolus? Cùm igitur audis quaſi alium cum cæteris recenſeri, dum dicitur, *Petrus, & Apoſtoli: diſcipulis, & Petro: Apoſtoli, & Cephas*; ideo ſeparatum exiſtima, quia aliorum caput, & princeps habebatur.

Marc. 1. Luc. Luc. 9. Marc. 16.

Hinc

Digitized by Google

Hinc eſt, vt ipſe inſtar omnium pro omnibus tanquam præſes, & caput loqueretur, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*. Luc. cap. 12. *Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus?* alij ſiluerunt, quia Præſide loquente, ipſi etiam loquuti cenſebantur, vt ad eum Ioannis locum Cyrillus adnotauit. *Per vnum*, ait, *qui præerat, omnes reſpondent*. Quidni? omnium os erat Petrus, vt ex Chryſoſtom. homil. 55. in Matth. adduximus. Ergo dum ipſe loquebatur, non eſt cur alios ſilentes admireris.

Matth. c. 19. *Luca 12.* *Ioan. 6.* *Cyrill.* *Chryſoſt.*

Obiectis contra veritatem propoſitam ſufficienter occurritur.

HActenus dictis opponendus ſe offert locus ille Pauli ex cap. 2. epiſtolæ ad Galatas: vbi Petrus neutiquam primo loco numeratur. *Iacobus, Cephas, & Ioannes*. Cæterùm ambiguum eſt, an appoſitus numerationis ordo ita fuerit à Paulo obſeruatus, ſicut in vulgata habetur: quoniam Ambroſius, Auguſtinus, & Diuus Hieronymus, tam in textu, quàm in commentarijs, Petrum priùs enumerant. *Petrus, Iacobus, & Ioannes*. Quin etiam D. Chryſoſtomus ad hunc locum, Apoſtoli textum ita legendum inſinuat, dicens: *Cephas, inquit, Iacobus, & Ioannes*. Et reuera Paulum ita ſcripſiſſe exiſtimandum eſt: Nouerat enim Petri dignitatem, & primatum, ob quem alijs præponi debuiſſet. Hinc eſt vt Hieroſolymam acceſſerit, ibique per aliquot dies immoratus nullum ex Apoſtolis præter Petrum, & Iacobum ſe vidiſſe teſtetur; quem vt aliorum caput, & Principem reuerebatur. *Deinde*, ait, *poſt tres annos aſcendi Hieroſolymam, vt viderem Petrum, & manſi apud illum diebus quindecim*. Itaque ſolius Petri videndi ergô Hieroſolymam proficiſcitur, licèt obiter Iacobum in ea commorantem inuiſerit: Idcirco memorata aduentus ſui cauſa, ſubiunxit: *Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini*, ad Galatas 1. Vbi aduertendum monet prudenter Diuus Chryſoſtomus, quanto in honore Paulus haberet Petrum, & quali ipſum beneuolentia proſequeretur; ita locutus, vt omnem æmulationis ſuſpicionem expelleret, dum poſtea Petrum ſimulationis arguens cerneretur. *Vide*, inquit, *vt maiorem beneuolentiam habuit erga Petrum: huius enim cauſa peregrinationem ſuſceperat, & apud eundem commoratus eſt. Hæc & dico frequenter, & vos memoria tenere volo, vt ſiqua audieritis, quæ aduerſus Petrum dicta videbuntur, ne quis ſuſpectum habeat*

Gal. 2. n. 9. *Ad Gal. 2 num. 9.* *Ad Gal. 1 num. 18.* *Ad Gal. 1 num. 19.* *Chryſoſt.*

X 2 Pau-

Paulum Apoſtolum; *ſiquidem hanc ob cauſam*, *& ipſe hæc loquitur præueniens*, *vt talem corrigat ſuſpicionem*. Hæc ille.

Cęterùm Pauli ſtudium, quo primatum Petro deferendi agitabatur, apertiſsimè colliges ex 1. ad Corinthios cap. 1. vbi ita loqui-
1. Cor. 1. tur: *Vnuſquiſque dicit*, *ego ſum Pauli*, *ego Apollo*, *ego Cephæ*, *ego Chriſti*; quo loco aſcenſu quodam progrediens, Petrum, vt digniorem, Chriſto coniunxit. Quouis autem modo Pauli ſententiam reuerſes, ab vltima clauſula verſus primam, vel è contra recurrens, ſemper Petrus tibi occurret Chriſto propiùs adhærens. Qua ratione D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum ordinem in recenſendis Spiritus ſancti fructibus ab Apoſtolo ſeruatum contéplatus, aduertit continentiam eo in loco, fundamenti, & coronidis præſtantia cæteris fructibus digniorem prædicari. Ait igitur Apoſtolus ad Galatas 5. num. 12.
Ad Gal 5. *Fructus autem ſpiritus*, *charitas*, *gaudium*, *pax*, *patientia*, *benignitas*, *bonitas*, *manſuetudo*, *continentia*. Eia quid hæres, vrget Hieronymus, ordire à continentia, & eam veluti reliquarum virtutum fundamentum à Paulo ſubſtratam reperies: rurſum ordinem inuerte, à charitateque feliciter auſpicare; continentiam quaſi tectum, ſpirituali ædificio ſuperimpoſitam, imò totius ædificij coronidem, ſeu virtutum coronam inſpicies fabricatam. Perbelle quidem Hieronymus hanc virtutum fabricam contemplatus, inque mirabili huius exædificationis ſtructura ordinem immutans; modò à fine verſus principium recurrens, rurſum à principio in finem contendens; vbique virtutum floré pulcherrimũ continentiam iam in culmine ſitam, & illico in fundamento praiactam animaduertit: vnde ait. *Omnes virtutes ſpiritus*, *quaſi ſolidiſsimum fundamentum*, *& ſublime culmen continentia ſuſtentat*, *& protegit*. D. Hier.

Locum Pauli ad Corinthios iterum euoluo: *Ego ſum Pauli*, *ego Apollo*, *ego Cephæ*, *ego Chriſti*: vbi ſi à Chriſto ordiaris, tanquam fundamentum, & lapidem Eccleſiæ angularem videbis ſtantem, vt ipſe Paulus ad Epheſios 2. nu. 21. teſtatur. *Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*; Cui ſtatim Ad Ephe. 2. n. 21.
anneſtitur Petrus ſecũdus Eccleſiæ lapis: quem etiam primum dixeris, ſi cum alijs componere libeat. Omnes enim, teſte eodem Apoſtolo, fundamenti lapides pro modo quiſque ſuo extiterunt. Quod Diuus Paulus reſpexiſſe videtur, dum epiſt. ad Epheſios c. 2. num. 21. omnes Chriſti fideles fundamentum Apoſtolorum, & primò Chrſto inædificatos teſtatur. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum*, *& Prophetarum*. Ibid. Ad Ephe. 2. c. 21.

Hac

Hac igitur obſeruata numerandi ratione, Chriſtus apparet, vt primum, & præcipuum Eccleſiæ fundamentum, cui aliud præſtruere nefas eſt, & piaculum, Pauli ſententia damnatum, 1. Corinth. 3.
1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus:* cui Petrus coniunctus adhæret, eique cæteri ædificij lapides ſuperſtructi coniunguntur; iuxta illud Saluatoris
Matth. c. 16. apud Matthæum c. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Sed iam Pauli ordinem ſequamur, ab eo exorſi,
1. Cor. 1. *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Chriſti.* En Chriſtus ſupremo loco, vt cæteris vltra menſuram ſublimior, collocatur: En Chriſto Petrus, vt ei virtute, dignitate, primatu alijs coniunctior, propiùs ſtatuitur. Cernis igitur, vt quoquo versùs tendas, Petri Monarchiam, & Eccleſiæ Principatum accipias ipſo numerandi ordine à Paulo ſtabilitum. Irride igitur Nouatorũ figmenta, & ſanctorum Patrum dogmata ſacrarum litterarum teſtimonijs firmata ſuſcipe, & reuerenter auſculta.

ad Gal. 1 Verùm, libenter admittamus, prædictum locum prout habetur in vulgata, legendum eſſe: *Iacobus, Petrus, & Ioannes,* quoniam ex hac etiam lectione Petri Primatus demonſtratur. Et licèt dignitatis aſpectu Euãgeliſtæ primo loco Petrum nominarint, vt tenera fieri par erat; aliò tamen reſpexit Paulus in medio cõſtituẽs. Conſiderauit enim paſtoritiam dignitatem, & pónt ificium munus perpendit; cuius proprium eſt in medio conſiſtere, vt inde omnibus, ac ſubditis amoris affectum & doctrinæ magiſterium æqualiter partiatur. Hinc Dominum Ieſum verum Paſtorem, & Pontificem, medium elegiſſe deprehendes. *Stetit Ieſus in medio.* Ioan 20. num. 19. In quem locum D. Bernardus ſerm. 6. de Aſcenſ. Domini, cum Apoſtolo Thoma expoſtulat, eo quòd Chriſtum Dominum extra Collegium alibi quàm in medio Apoſtolorum ſtantem inuenire præſumebat. *Falleris,* ait, *Thoma ſancte, falleris, ſi videre Dominum ſperas ab Apoſtolorum Collegio ſeparatum.* D. Bern. Quaſi diceret, non audiſti præceptorem tuum aliquando dicentem: *Ego ſum Paſtor bonus?* Io. 10. n. 11. Vt quid igitur de Paſtore bono ſperas, alibi quã in medio gregis, oues ſuas æquè fouentem, & erudientem eſſe inueniendum?

Fallar, niſi Dauid inauguratio in fratrũ medio celebrata hoc paſtoris munus adumbrauit, vt ex ipſamet inaugurationis cærimonia, ex opilione, hominum Rex Paſtorque electus, edoceretur quanta æqualitate vnctionis illius virtutem ſibi communicatam in omnes ſpargere deberet, loci quem occupabat memor: in quo tanquã centro conſiſtens, ad circunſtantes ſubditos, æquales amoris, do-

ctrinæ,& beneficentiæ lineas producat. Inungitur ergo *in medio* 1.Reg. 16.n 13. *fratrum eius*. 1. Reg. 16. *Sed quid eſt*,ait hoc loco Magnus Gregor. D. Greg. *quòd Dauid in medio fratrum vngitur? Niſi quia virtutis exempla circumquaque ſpargere iubetur. In medio fratrum vngitur, vt tantæ vnctionis fieri participes omnes poſſint*: Ita ille: non aliter Paulus,tres Eccleſię firmiores columnas,& celſiores aſpiciens, Gal.2. 9. *Iacobum*,videlicet,*Petrum, & Ioānem*, & Petrum cernens paſtorali munere, & Pontificia dignitate præminentem, inter vtrumque medium collocauit; vt æquo dilectionis affectu in neutrum propendens (quod clariſsimum eſt Pontificum ſtemma) ambos complecteretur. Vel ſi lubet, Iacobum & Ioannem dicito Eccleſiæ brachia, inter quæ Petrus, vt caput eminebat: quemadmodum Chriſtus apud Thabor inter Moyſem, & Eliam medius apparuit;hoc eſt, legem inter, & Prophetas; qui velut vmbræ quædam, Domini Ieſu imperium, ac in fideles principatum tanquam corpus ſuum referebant.

Præterea nō rarò euenit, vt præſtantiora quæque in medio tanquam digniori loco reponantur. (norunt hoc humaniorum litterarum ſtudioſi) Ex Diuinis litteris rem confirmo. Quid Euchariſtia præſtantius? Quid excogitabis ſublimius? Zachar.9 num.17. de qua vaticinatus eſt Zacharias dicens: *Quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum?* Quem dabis Chriſto ſapientiorem? Patris ipſe eſt ſapientia, quæ in prima rerum molitione Patri aderat, dum æthera firmabat ſurſum, dum appendebat fundamenta terræ, dum librabat fontes aquarum; quæ de manu conditoris prodibant, loco ſuo conueniēter aptabat. Cerne igitur, quo in loco frumentum electorum, ſeu panem ſuperſubſtantialem (Euchariſtiam dico) in oratione ſua collocauit; & medium fateberis. Recole orationem Dominicam ſeptem petitionibus diſtributam, & Euchariſtiam velut rerum omnium præſtantiſsimam in medio collocatam intueberis. Petitiones enumero. Primam, *Sanctificetur nomen tuum*; ſecundam: Matth.6. num.9. *Adueniat Regnum tuum*; tertiam: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*; quartam, & mediam inſero: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: ſeu, vt legitur per Matth. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem*; Syriacum tenet, *Panem indigentiæ noſtræ*. Quouis modo legas, Euchariſtiā intellige cū Auguſtino epiſt. 121. Auguſt. Cypriano lib. de orat. Dominic. Cyprian. Hieronymo in cōment. in Matth. Hieron. & lib. 3. aduerſus Pelag. Athanaſio lib. de incarnat. Athan. Paſchaſio in Matth. Paſchaſ. Chryſologo ſerm. 70. Chryſol. Mario Victorino, lib. 3. aduerſus A- Mar Vict rium, Tertulliano lib. de orat. c. 6. Tertull. & alijs: nec immeritò. Nam ſuperſubſtantialis, idcirco appellatur,

vt Euchariſtiæ panem deſignet, qui non in ſubſtantiam aliti conuertitur, ſed noſtra ſubſtantia ſuperior, ſumentes in ſeipſum tranſmutat. *Verè eſt ſuperſubſtantialis, quia non mutatur in noſtrã ſubſtantiã, ſed potiùs nos in ſuam conuertit, diuinoſque efficit, & cæleſtes*; vt non contemnendus author affirmat.

Nec minùs probat Euchariſtiã ibi intelligendam, quòd panem dixerit noſtrę indigentiæ: quid enim illa magis neceſſarium, qua viuimus? eſt enim Chriſtus, quẽ in ea ſumimus, vita noſtra: vnde à Propheta dictũ, *Viuent tritico*; Quæ bona congerit, & cuſtodit; mala eliminat, & expellit. Perge petitiones recenſere, & fateberis. Quintam: *Dimitte nobis debita noſtra*; ſextam: *Et ne nos inducas in tentationem*; ſeptimam: *Sed libera nos à malo*. Vidiſti numerum inter bona, quæ adipiſci; & mala, quæ propellere exoramus, æqualiter diſtributum. Cerne Euchariſtiam, cuius merito id ſperamus; vt præſtantiſſimũ quid in medio conſtitutam; & loci cõuenientiam demirare. Vt quid panis factus, & ſuarum ouium paſtio dulciſſima, medium effugeret? Qui quondam Vatis ore pollicebatur, *Sicut viſitat paſtor gregem ſuum in die, quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum*. Vides medium, Euchariſtiã recogita in medio orationis Dominicæ collocatam. Hinc animã Chriſtus, vt Paſtor reficit, & bonis accumulat: inde, vt robuſtiſſimus propugnator mala conterit, & propulſat; medium ſemper tenens, vt Principem decet, & Paſtorem. Auguſtini gemma ex tractatu de ouibus cap. 10. rem conſigno. Igitur verba illa Prophetæ expendens, *Ego paſcã oues meas*, hunc in modum ſciſcitatur: *Quis dicebat, Ego paſcam? Certè Deus loquens dicebat, Ego paſcam. Quomodo non ſeparauit Chriſtum à paſcendo, cùm diceret, Ego paſcam; ſic non ſeparauit Chriſtum à Deitate, Ego Deus. Ecce paſtor eſt Chriſtus: paſtor eſt & pater. Sic Deus eſt pater, Deus eſt Chriſtus. Sicut à paſtore Chriſto non ſeparas patrem: ſic à Deo patre non ſepares Chriſtum. Ergo & ad vnitatem Deitatis te admonuit, & ad perſonarum diſtributionem*. Diſtribue igitur perſonas, cuique locum pro munere, & dignitate conſigna; medium planè Chriſto, Eccleſiæ Principi, & paſtori aſſignabis. Qua vſus cautela, & doctus prudentia Paulus, Petri dignitatem reſpiciens, Chriſti Vicarium, Eccleſiæ Pontificẽ, & Paſtorem in medio conſtituit; *Iacobus, Petrus, & Ioannes*.

Quòd ſi hæc vt valde myſtica, litteræ amatoribus diſpliceant, D. Anſelmi & S Thomæ reſponſionem ad hunc locum ſubijcio: aiunt enim, propterea Iacobum priori loco nominatum, quia Hieroſolymorum Antiſtes erat,

Marginal notes: *Oſee 14. num. 3.* — *Matth. 6 num 12 & 13.* — *Ezech. c. 34 nu. 12.* — *Ezech. 34. n. 15.* — *D. Aug.* — *Gal. 2. 9.* — *D. Anſ.* — *D. Thom.*

qua in Vrbe per id temporis morabantur Apoſtoli, quibus cum D. Paulus loquebatur. Alij, in quibus Maldon. Maldonatus ad cap. 16. Matthæi, affirmant D. Paulum ætatem reſpexiſſe, non dignitatē. Cùm verò Iacobus natu maior eſſet Petro, conueniens fuit vt primus nominaretur. Deinde cū D. Pauli animus in ea Epiſtola foret, cæteris Apoſtolis ſe æqualem demonſtrare: incongruum videbatur, vt tunc cuiuſquam præcedentiæ meminiſſet, alium alijs numerandi ordine præferendo. Quod litteræ magis conſonum exiſtimo. Vnde placet Maldonati additum, videlicet Paulum Maldon. cùm poſſet dicere, *Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui columnæ erant*; ſiquidem Chriſtus Dominus tres illos cęteris Apoſtolis in omnibus antepoſuit, vt ipſa clamant Euangelia; dixiſſe tamen: *Qui videbantur columnæ eſſe*. In quibus Petrus medius conſiſtens, Primatus ſui dignitate celſior, vt hactenus oſtendimus; ſtabilitateque, & firmitudine, vt iam demonſtrabimus, præſtantior habebatur.

CAPVT XI.

De tertia Petri Prærogatiua.

NEceſſum hîc iudicauimus ſtyli partitionem immutare, propter huius Prærogatiuæ præſtantiam, quam vt multimembrem pluries cōgimur diſſecare; & primò in capite digeſtam in S. S. partiri: tùm ob maiorē perſpicuitatem, tùm vt fidei ſtabilitas Petri, & Romanorum Pontificum appareat; quos vt perſonas publicas, vel etiam particulares, ab ea nunquam defecturos ſtatuemus, iuxta illud Chriſti promiſſum, *Et portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.* Matth. 16. Matth. cap. 16. Et certè adamantina firmitas Chriſti Vicarijs promiſſa, inter perſecutionum malleos, & incudem, renitens infractaque perſeuerat: vnde nec ab ipſis Tartari poteſtatibus cōcuti potuit, nec perfringi. Dubitas? Chryſoſtomum conſule in catena D. Thomæ, interrogantem, quis nam iſte futurus promittitur, aduerſus quē portæ Inferi non præualebunt? Eccleſia ne, an Petrus? Et vtrumque tali ſtabilitate, & indomabili fortitudine reſpondet fruiturum. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quia neque* Chryſoſt. *aduerſus Petram, neque aduerſus Eccleſiam portæ inferi præualebunt*. Et meritò. (dixit iam olim Origenes) & petra, & Orig. tractat. 1. in Matth. Eccleſia inconcuſſæ redduntur & ſtabiles: nam ſi petra, cui tanquam fundamento nititur Eccleſiæ ædificium, quateretur, ipſum etiam ædificium nutaret, & ruiturum videretur. *Nam ſi*, ait, *præualerent aduerſus petram, in qua Eccleſia fundata erat; contra Eccleſiam etiam præualerent*.

Ad fidem gradum facio, quæ

non

nō minori claritate Apoſtoli principatum illuſtrat, & vel etiam veſpertilionum oculis hæreticorum obiectat videndum: nec poterat non fides Chriſti precibus ſtabilitate obtenta, Petrum futurum Eccleſiæ Principem infractum, & contra infernarum poteſtatum aſſultus immobilem reddere. Chriſtum audi Petro colloquentem apud Luc. 22. *Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Vtramque Saluatoris ſententiam expende, & Petrum Eccleſiæ fundamentū, Caput, & Principem ab eo in illis inſtitutum, & ipſius ſedem veluti rupem firmam, & immobilem permanſuram deprehendes. Nec deerit Latinorum Patrum, & Græcorum ita ſentientium authoritas, qua placitum hoc de Petri monarchia fulciatur. Ex Græcis igitur Theophilactus in commentarijs ad prædicta verba, Petrum Chriſti nomine ſic alloquitur: *Quia te habeo vt Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, confirma cæteros: hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.* Ex Latinis Leo ſer. 3. de anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum hæc habet: *Pro fide Petri propriè ſupplicatur; tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit.*

Luc. 22.

Teoph.

D. Leo.

Nec ſolam fidei ſtabilitatem Petro conceſſam fatendum erit: ſed inſuper Sedis durationem; ità quòd ad finem vſque mundi ſit permanſura. Quod nulli alij Apoſtolorum datum eſt, vt experientia manifeſtat: alioquin Hieroſolymitana Iacobi ſedes, Epheſina Ioannis, Æthyopica Matthæi, Andreæ Scythica, adhuc perennarent. At videmus omnes has, inualeſcente paulatim Tartari potentia, defeciſſe. Hinc dicebat Auguſtin. in Pſalm. contra partem Donat. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa ſede Petri: ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Atque ex his ſtabilita manent duo Apoſtoli priuilegia: alterum fidei firmitas, è qua nunquam à dæmone tentatus excideret, & plùs aliquid perſeuerantiæ dono complectitur. Ille enim in finem vſque perſeuerare cenſetur, qui etſi tentationibus pulſatus interim collabatur; fine appropinquante fidelis inuenitur. Maior extitit Petri gratia: quippe qui Saluatoris precibus obtinuit, vt à fidei ſtabilitate nunquā deijci potuiſſet.

D. Aug.

Alterum verò priuilegium fuit, vt Petrus tanquam Pontifex, & Eccleſiæ caput, aliquid fidei repugnans, & Catholicæ veritati contrarium docere non poſſet; ſeu, quod perinde eſt, nunquā Petri ſedem occuparet, qui hæreſis prauitate infectus cōtra fidei ſinceritatem peruerſa dogmata inculca-

culcaret. Quod priuilegium, teſte experientia, ad omnes poſteros Petri ſucceſſores promanauit. Primum recepit, & probauit ſanctus Auguſtinus lib de correctione, & gratia cap. 8. his verbis.

D.Auguſt. *Quando rogauit vt nõ deficeret fides eius, rogauit vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam volũtatem.* Conſenſit Chryſoſt. ho-

D.Chryſ. mil. 83. in Matth. *Non dixit*, inquit, *non negabis, ſed, vt non deficiat fides tua. Cura enim ipſius, & fauore factum eſt, ne omnino Petri fides euaneſceret.* Accedit Theophilact. in c.22. Luc. vnde

Theophil. hæc tranſcribo. *Quamuis*, inquit Chriſti nomine, *breui tẽpore concutiẽdus ſis, habes recõdita ſemina fidei: etiam ſi folia abiecerit ſpiritus inuadentis, radix tamen viuit, & nõ deficiet fides tua.* Pulcherrimo metaphorę colore rem depinxit: Nam ingruente hyeme, ventorum turbine concuſſæ arbores folijs viduantur: quia tamen iactis altè radicibus, terræ firmiter adhærent, appetente vere reuireſcunt, & frondium amœnitate coronantur. Non aliter Petrum tentationis turbo inuadens, folia decuſsit; hoc eſt, confeſſionis verba abſtulit; quia Magiſtrum ſuum ſæuiente procella impetitus negauit, quem verborum retinens viriditatem, & pulchritudinem fateri debuiſſet. Verùm enim verò fides in corde Petri, tanquam in petra, firmiſsimas radices egerat: vnde etſi loquente fœmina, tanquam furente Borea concuſſus, frondes amiſerit, poſtmodùm verno Solis Iuſtitiæ calore, aſpectuque afflatus, & in fletum ſolutus reuiruit; folia, ſeu confeſſionis verba recepit, amœniſsimoque fidei, & confeſſionis ſuæ vmbraculo vniuerſam Chriſti Eccleſiam fouet, recreat, ſuſtentat. Eâdem vſus eſt tranſlatione in confirmando hoc priuilegio Diuus Proſper lib. 1. de vocatione D.Proſp.
gentium cap. vltimo.

Secundum aggredior priuilegium ſanctorum, & veterum Pontificum teſtimonijs approbare. Septem ſe offerũt nulla exceptione infirmãdi. Primus ſit Lucius II. Papa, & Martyr, qui epiſtol. 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ ſic ſtatuit, & teſtatur: *Eccleſia Ro-* Lucius.
mana Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolica traditionis nunquam erraſſe probatur; nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſecundùm ipſius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogaui pro te. Hæc ille: quibus quid ad doctrinam clarius? quid ad firmitatem ſtabilius deſiderari poteſt?

Cæterùm quia in ore duorũ, vel trium teſtium ſtat omne verbum, auſpicatiſsimum Fælicis I. etiam Pontificis, ſecundo loco teſtimonium produco. Is igitur de Eccleſia Romana loquutus hæc affirmat: *Vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab Au-* Felix.

thori-

Digitized by Google

thoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata manet, iuxta Luc. 22 *illud, Ego rogaui pro te.* Notat verò S. Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum, Dominum Ieſum peculiarem pro conſeruanda Petri firmitate ſolicitudinem exhibuiſſe; quia ex ipſius fidei ſtabilitate alij Apoſtoli firmitatem, & conſtantiam mutuari videban- D. Leo tur. *Specialis,* inquit, *cura Petri à Domino ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorũ ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.* Hæc ille: in quibus vtrũque Petri priuilegium complectitur: reuerſa, & videbis primum, dum ait; *Si mens Principis victa non fuerit.* Secundum concludens: *Firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum cæteris conferatur.*

Agath. Quartum profero Agathonis teſtimonium ex epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, quam ſexta Synodus actione 4. cùm legiſſet; in 6. omnium conſenſu approbauit. Igitur Pontifex ille, quid de Eccleſiæ ſtabilitate ſentiret, verbis ſequentibus expreſſit: *Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis, & in aduerſis viuaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur; nec hæreticis nouitatibus vnquam deprauata ſuccubuit. Quia dictum eſt Petro: Simon Simon, ecce Satanas, &c. Ego autem rogaui pro te, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit. Quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe, ſemper cunctis eſt agnitum.* Ita ille.

Eandem Eccleſiæ firmitatẽ ſtatuit Nicolaus I. in epiſtola ad Michaelem, vbi habet: *Priuilegia* Nicol. I. *iſtius Sedis perpetua ſunt, diuinitus radicata, atque plantata: impingi poſſunt, transferri non poſſunt; trahi poſſunt, euelli non poſſunt. Quæ ante Imperium veſtrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque poſt vos; & quouſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt.* Et infra, quaſi ex ipſo quæreretur, vndenam tanta in dicendo libertas, & conſtantia proueniret? E Petro, reſpondit, cui à Saluatore dictum, vt fratres ſuos (Succeſſores puta) in eâdem fide ſtabiles, & firmos redderet. *Nam & inter cætera is,* inquit, *per quem nobis præcipuè iſta ſunt priuilegia collata, Tu aliquando conuerſus, audiuit à Domino, confirma fratres tuos.* His addo, quæ Leo IX. in epiſt. ad Petrum Antiochen. ſcripſit: *Nimirum ſolus eſt, pro* Luc 9.

quo

Digitized by Google

quo ne deficeret fides eius, Dominus, & Saluator aſſerit ſe rogaſſe, Luc. 22. *dicens: Rogaui pro te, &c. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in Throno illius.* Expendendum verò, quod Pontifex iſte adnotauit, nimirum, expetitis à Dæmone omnibus Apoſtolis, vt tentationis vano concuterentur, Dominum ſoli Petro loquutum, & pro eo tantum ſe oraſſe teſtatum; Luc. 22. *Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos, &c. Ego autem rogaui pro te.* Vt hac ratione Petri fidem, & doctrinam, nec non in ſede Põtificia Succeſſorum firmam, ſtabilemque futuram ſignificaret.

Innoc. Claudat ſeptenarium Innocentius III. in epiſtola ad Epiſcopum Arelatenſem, ita loquens: *Maiores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri ſedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum exorare, ne deficiat fides eius.* Hoc ibi: & cap. Maiores Exra. de Baptiſm. & eius effectu, repetita videbis. Quis tot Põtificibus ſanctitate præſtantiſſimis, quibus Eccleſia tanquam ſeptem columnis innixa firmiter ſuſtentatur, inſtar Prouer 9 num. 2. Domus, quam Dei ſapientia columnarum ſeptem operoſa mole fabricatam extruxit, fidem non adhibeat? niſi ex eorum ſit fæce, qui Euangelio non obediunt, & veritati reſiſtunt. Quibus enim clariùs quàm Pontificibus, nota eſſe debuit ſedis ſuæ ſtabilitas, & authoritas? Vnde hoc ſolo titulo fidem promerentur.

Alios tamen firmando Petri, & ſedis priuilegio non cõtemnendæ authoritatis Doctores, teſteſque produco. Primus ſit Theophilactus in c. 22. Luc. vbi apertè docet; ob capitis Eccleſiæ prærogatiuam, fidei ſtabilitatẽ Petro conceſſam; è quo eandem mutuati ſunt omnes quotquot Pontificatus ſucceſſores obtinuit. *Quia te habeo,* inquit, *Principem diſcipulorum, confirma cæteros: hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.* Theophil. Huc etiam reſpiciebat Chryſologus, dum epiſt. ad Eutychetem, ipſum ad Eccleſiæ Romanæ obſequentiã adhortatur. In tom. 1. Conciliorum ante Chalcedonẽſe Conciliũ Chryſol. inuenies: *Hortamur,* inquit, *te frater honorabilis, vt his quæ à beatiſſimo Papa Romanæ Ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quia Beatus Petrus, qui in propria ſede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Nec ita fidenter (credo) dixiſſet fidei veritatem ab Eccleſia Romana quærẽtibus ſuppeditari, niſi Chriſti orationem meminiſſet. *Rogaui* Luc. 22. *pro te;* qua Petro, & per ipſum ſucceſſoribus, fidei ſtabilitatem obtinuit.

Sed iam moror Bernardum Innocentio ſcribentem producere. *Oportet,* inquit, *ad veſtrum referre Apoſtolatũ pericula quæque,* Bernar. &

& ſcandala Regni Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectū. Cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando: Ego pro te rogaui, vt nō deficiat fides tua? Ita Bernard. epiſt. 190.

Luc.c.22

Hucuſque ſub Lucæ teſtimonio ex cap.22. vbi Chriſtus Petri fidē nunquam defecturam promiſit, pro eiuſdem fidei ſtabilitate in Petro, ſedeque ipſius aſtruenda decertauimus. Iam Matthæi locum c.16. euoluamus, ex quo nō minus euidenter eadem firmitas demonſtratur. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meā; & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam*. Iam in ſuperioribus oſtendimus, Petrum, iuxta litteram, dici petram,& Eccleſiæ fundamentum, qui lapidis inſtar firmus, ſtabiliſque permanſit. Nec ipſi tantùm, ſed ſucceſſoribus eadem firmitatis prærogatiua conceſſa fuit: vnde, quatenus paſtores, & Eccleſiæ fundamenta, nullatenus falſorum dogmatum ventis concuti, & fidei erroribus agitari potuerunt. Origenes ad illa verba, *Non præualebunt aduerſus eam*, tract. 1. in Matth. inquirit: Quam autem eam? vtrum aduerſùs petram, ſuper quam Chriſtus ædificat Eccleſiam? Nam ſermo anceps eſt, an ad vnum & idem, quod ipſum ſit petra, & Eccleſia? Et reſpondet: *Neque enim aduerſùs petram, ſuper quam Chriſtus ædificat Eccleſiā, neque aduerſùs Eccleſiā portæ inferi præualebūt: quemadmodum nec via ſerpentis in petra poteſt inueniri, iuxta quod ſcriptum eſt in prouerbijs.*

Matth. c.16.

Matth. cap.16.

Origen.

D. Chryſoſtomus hom. 55. ad hunc locum ſoli diuinæ potentiæ attribuendum cenſet, vt pauperē, & ignobilem piſcatorem in lapidem immutaret pretioſum, & pluſquā adamātina ſtabilitate firmaret; ita vt Eccleſia ſuper ipſum fundata nullis perſecutionū procellis concuti, nullis errorum fluctibus à fide dimoueri potuiſſet. *Nam quæ Deus cōcedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem; & vt Eccleſia tot, tantiſq. fluctibus impetu irrumpētibus immobilis maneat: cuius Paſtor, & Caput piſcator homo, atque ignobilis, terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet; hæc, inquam, omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum*. Audiendus autem Cyrillus apud D.Thomam in Catena ad hunc locum: *Secundum promiſſionem*, inquit, *Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & hæretica circumuentione manet immaculata.* Concinit Theodoretus in epiſtola ad Renatum Presbyterum Romanum: *Tenet*, inquit, *iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum: tùm propter alia, tùm quia ſemper hæretici fætoris expers permanſit*. Quaſi ita arguat Theodore-

Chryſoſt.

Cyrill.

Theodor.

Digitized by Google

doretus Eccleſiæ totius regimen ei cenſendũ eſt ſedi commiſſum, cui nunquam fides ſit defectura. Atqui ſolam Romanam Eccleſiã, errorum hæreſiſque contagionibus nuſquam agnouimus infectã: igitur ad eam tantùm cæterarum gubernationem Eccleſiarum pertinere ſtatuendum eſt.

Sed quo piaculo tandiu relíqui Hieronymum? Qui in epiſtola ad Damaſum de nomine hypoſtaſis, de Eccleſiæ firmitate elegãter diſ-

Hieron.

ſerit. *Super iſtam petram*, ait, *ædificatam Eccleſiam ſcio*. Et ſtatim exorans Pontificẽ ſubiungit: *Obſecro, vt mihi litteris tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum trium hypoſtaſeon detur authoritas: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubebis*. Vides quàm tutò D. Hieronymus Pontificis declarationi, & auctoritati fidat, paratus omnino quæ reijcere, vel quæ ſequi iubeat, amplecti. Nec immeritò, quoniam optimè nouerat, ſuper Pontificem Eccleſiæ fundamentum minimè caſurum ſuſtentari. Hieronymo adhæret

Auguſt.

Auguſtinus; cuius teſtimonium in Pſalm. contra partem Donat. in ſuperioribus retuli, non iterũ repetendum. Gelaſium profero in epiſtola ad Anaſtaſium Impera-

Gelaſ.

torem, vbi ita: *Hoc eſt, quod Apoſtolica ſedes magnopere cauet; vt quoniam mundi radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima prauitatis, nulla prorſus contagione maculatur: nam ſi (quod Deus auertat, & quod fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proueniret; vnde cuiquam reſiſtere auderemus errori?* Expende Gelaſij argumẽtum, quod in eo verſatur: vt propterea Eccleſiam, & Caput ipſius Pontificem in errorem labi non poſſe contendat: quippe cùm totius mundi radix vtriuſque ſit fides; ægra radice, & errore corrupta, iam tota arbor, mundus videlicet, & Eccleſia, errore corrũperetur, & periret, ac Domini Ieſu verba tranſirent dicentis: *Ecce enim vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*. Sed quis ita amens: niſi nouator ſit, vt Chriſti verba tranſitura exiſtimet? cùm ipſe cælum, & terram faciliùs affirmarit tranſituram.

Matth. cap. 28.

D.Greg.

Deinde, magno duce Gregorio lib.4.epiſt.32. ad Mauritium, deſumpto ab experientia argumento, propoſitam veritatem euidenter demonſtro. Igitur, vt Magnus ille Pontifex Imperatorem edoceret, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſulem vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem, & Caput, nullatenus extitiſſe, quamplurimos in medium produxit Conſtantinopolitanos Epiſcopos hæretica prauitate palam infectos; quin etiam hæreſiarchas. Quid memorem Macedonios, Neſtorios, Sergios, qui hæreſiarchæ fuerunt, & Conſtantinopolitanam ſedem occuparunt? Idem etiam alijs ſedibus Patriarchalibus contigit: Alexandrinam Gregorius

te-

Digitized by Google

tenuit, & Lucius Ariani; eandem Dioſcorus Eutychianus, Cyrus Monothelita, & alij hæretici tenuerunt. In Antiochena Paulus Samoſatenus hæreſiarcha ſedit; & Petrus Gnapheus Eutychianus, Macharius Monothelita, & alij. Hieroſolymitanæ præfuit Ioannes Origeniſta, quem in eâdem Eutychius, Irenæus, & Hilarius Ariani præceſſerunt. Quod tamen de Romana Eccleſia affirmari non poteſt: vnde clariſſimũ conficitur argumentum: Chriſti Domini oratione meruiſſe, vt nunquam fides ipſius deficeret, nec ab hæreticis Paſtoribus occuparetur. Hinc eſt illud Ruffini in expoſitione Symboli: *In Eccleſia Vrbis Romæ neque hæreſis vlla ſumpſit exordium, & mos ibi ſeruatur antiquus*. Quin etiam Romani Pontifices citra generale Concilium non ſemel hereſes dãnarunt, Pelagij videlicet, Priſcilliani, Iouiniani, Vigilantij, & plurium aliorum; quas proinde Eccleſia tanquam veras deteſtata eſt hæreſes, earũq. authores dãnauit; clariſſimo prorſus indicio, quòd Romanũ Pontificẽ in huiuſmodi rebus errare nõ poſſe arbitretur. *Ruffin.*

Confirmatur ex cõmuni Theologorum placito, ſtatuentium Papam ſupra Generale Conciliũ eſſe; ſic tenet D. Thom. & Bonauent. in 4. diſt. 19. vbi de clauibus agitur; licèt ex profeſſo hac de re ipſi nõ diſputarint. Expreſsè tamen illam docuit D. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 10. §. 4. Sum. hiſtor. & 2. p. tit. 3. cap. 11. Sum. Theolog. Ioan. de Turrecrem. lib. 2. cap. 93. & 104. Sum. de Eccleſ. & in reſponſione ad Oratores Baſileenſes de Summi Pontificis, & Concilij Generalis authoritate. Dominicus Iacobatius lib. 10. de Concil. art. 7. vbi quæſtione latiſſimè diſcuſſa, tribus ſupra ſexaginta aduerſariorum argumentis reſpondet. Card. Caiet. in tract. de comparatione Papæ, & Conciliorum, & in Apologia pro eodẽ tractatu. Franciſcus Ferrarienſis lib. 4. contra gentes, cap. 76. & alij quamplurimi, quos ſequitur Cardinalis Belarminus lib. 2. de Conciliorum authoritate cap. 27. Vbi meo iudicio, Papam eſſe ſupra Generale Concilium apertiſſimè demonſtrat: quinimmò ſub initium propoſitionem hanc fere de fide eſſe teſtatur. *D. Thom. D. Bon. D. Anton. Turrecr. Dominic. Iacob. Caiet. Ferrar. Belarm.*

Atque hinc eſt, vt Generalia Cõcilia, deficiente ſummi Pontificis ſuffragio, multoties errarint; vt in Epheſino ſecundo, Ariminenſi, & alijs cernere fas erit. Hinc etiã prouenit, vt quamplures à Generali Concilio ad ſummum Pontificem prouocarint: cuius rei clariſſima referũtur exempla. Athanaſius Alexandriæ, & Paulus Cõſtantinopolis Epiſcopi, à Concilio depoſiti, ad *Iulium* Papam appellarunt, ab eoque in ſedes ſuas fuerunt reſtituti: author eſt Sozomenus lib. 3. hiſt. cap. 7. Flauianus itẽ Conſtantinopolitanus à ſe- *Sozomen.*

à ſecundo Concilio Epheſino generali appellauit ad Leonem Papam: teſtis eſt Leo epiſt. 25. ad Theodoſium Auguſtum. Theodoretus etiã Cypri Epiſcopus ab eodem Concilio Epheſino ſecundo ad eundem Leonem appellauit: ſic traditur à Liberato in Breuiario cap. 12. ac ex ipſa Theodoreti epiſtola conſtat, quam ad finẽ operum Leonis inuenies. Tandẽ S. Ioannes Chryſoſtomus, vt videre eſt in ipſius epiſtolis ad Pontificem Innocentium, à Concilio depoſitus, ad eundem Innocentium appellauit, vt Gelaſius ſupra citatus aſſeuerat. Hinc cernes Cõciliorum decreta à Pontificibus approbari vel reijci; quæque ipſi probant, recipi; & quæ improbant, explodi; vt ex epiſtola Gelaſij ad Epiſcopos Dardaniæ planum fit. Nec dubitandum eſt, expoſcentibus Concilijs, quamplurima eorũ decreta à Pontificibus approbata; ſicut ipſamet Cõciliorum, præſertim 1. & 2. 3. 4. & 5. geſta proclamant. Minus etiam dubitare licèt quòd Pontifices Conciliorum decreta nonnunquam reprobauerint: & reuera clariſſimum iſtud eſt ſuperioritatis indicium. Teſtem laudo Baſilium, qui in epiſtola ad Athanaſium 25. ſalubre conſilium fore teſtatur, Romanum Pontificem exorari, qui in Græciam aliquos mitteret, vt ipſius nomine Ariminenſe Concilium irritarent. Quin etiam Damaſus in epiſtola ad Epiſcopos Illyrij, Concilium illud reprobat. Addo Leonem epiſt. 55. ad Pulcheriam ita ſcribentem: *Conſenſiones Epiſcoporum, Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus diffinitione caſſamus.* Poſtremò D. Gregorius lib. 4. epiſt. 34. rem ita definit: *Cuncta acta illius Synodi, Sede contradicente Apoſtolica, ſoluta ſunt.* Sed iam à Petri fide ad Succeſſorum in Pontificatu fidem ſtabiliendam veniendum erit.

Liberat. Gelaſ. D. Baſil. Leo.

§. PRIMVM.

Petri Succeſſores, vt particulares perſonas, eodẽ fidei inconcuſſæ priuilegio fruituros oſtenditur; & plurimorum Pontificum fides ab hæreticis oppugnata defenditur.

QVæ hactenus diſſeruimus, apertè concludunt, Papam, quatenus Eccleſiæ Paſtorẽ, Rectorem, & Gubernatorem, in errorem labi, & falſa dogmata, peruerſamque doctrinã è Cathedra fidelibus tradere non poſſe: Quoniam ipſe veritatis eſt regula, cuius nutu approbantur Concilia, vel repudiantur. Et quidem Dominus Ieſus apud Luc. 22. orationem eò direxit, vt Petro obtineret, quod reuera obtinuit, ne vt peculiaris perſona, aut Eccleſiæ Pon-

Pontifex, tam ipſe, quàm Succeſſores ipſius, fidem amitteret, vel in errorem fidei contrarium laberetur. Inquirendum ſupereſt: an quemadmodum ſecũdum illud priuilegium ad Petri Succeſſores tranſiuit, ita quòd dum Pontifices agunt, & in Cathedra ſedent Eccleſiæ Doctores, nequaquam vt tales fidem ſint amiſſuri, & fidei contraria dogmata fidelibus tradituri: ita etiam perſonalis Petri prærogatiua, qua vt particularis perſona, Chriſti precibus ſtabilitatem in fide promeruit, ad futuros ipſius ſucceſſores promanauerit; Hoc eſt, An ſummus Pōtifex, vt particularis quędā perſona, in fidei errorē prolabi, & hæreſis contagione poſſit maculari.

Et quidem, pietate ſecluſa, quæ id in Chriſti Vicario non admittẽdum ſuadet; grauiſsimorum Doctorum patrocinatur authoritas; qui Eccleſiæ Pontificem, etiam vt particularem perſonam, hæreſis labe non inficiendum tradiderũt. Ita ſenſiſſe videtur Theodoretus, epiſtol. 116. ad Renatum, qui in Concilio Epheſino quinto Leonis Papæ Legatum egerat; vbi ita ſcribit: *Habet illa ſedes omnium per Orbem Eccleſiarum ducatum, & principatum, multis quidem de cauſis; præcipuè verò, quòd ab hæretica labe immunis permanſit, & nullus, qui contraria ſenſit veritati, in ea vnquam ſedit; ſed Apoſtolicam, & integram gratiam, & immaculatam ſeruauit.* Hæc Theodoretus. In quibus, vt vides, Petri ſedem à Succeſſore in ea ſedente mirificè ſeiunxit: vt fidei priuilegium, & ſedi, hoc eſt, Succeſſori, quatenus Pontifici; & ſedenti, vt particulari perſonæ, indultum ſignificaret. Eadem fuit Naucleri mens, lib. 2. de Monarchia Eccleſiaſtica p. 2. 10. vbi ex profeſſo tradit, nullum hactenus Pontificem hęreſis macula reſperſum extitiſſe: Et nos hic dilutis hęreticorũ calumnijs breuiter demonſtrabimus. Vide Albert. Phigiũ lib. 4. c. 8. Hierarchiæ Eccleſ.

Theodor.

Naucler.

Grauin. tom. 4. cõtrou. de Magiſt. Eccleſ. contr. 7.

Cardinalis Belarminus lib. 4. de Rom. Pontifice c. 8. probabiliter, pièque ita ſentiri poſſe teſtatur. *Probabile* (inquit) *eſt, pièque credi poteſt, ſummum Pontificem, non ſolùm vt Pontificem, errare non poſſe; ſed etiam, vt particularem perſonam, hæreticum eſſe non poſſe, falſum aliquid contra fidem pertinaciter credendo.* Libentiſſimè ſubſcribo; Quis enim (impios excipe) quæ à pietate dictantur reprobabit? maximè cùm rationum momenta non deſint. Duas producit Belarminus: primam ex Dei prouidentia res omnes ſuauiter diſponentis expreſſam; videlicet: Certum, indubitatumq. eſt, ſummũ Pontificē, vt talem, fidei errorem admittere, & hæreſim docere non poſſe: Quia hoc Eccleſiæ caput decet, vt ab errore ſit immune, & ſemper doceat veritatē. Vnde Chriſtus Dominus antequã Petro pręcipe-

Belarm.

Digitized by Google

ciperet, *Et tu conuerſus confirma fratres tuos*, de ſtabilitate, quã habiturus eſſet in fide, illũ edocuit: dicens. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*; hoc eſt, vt ſaltẽ in throno tuo veræ fidei prædicatio non deſideretur. At qua ratione Pontifex hæreſis prauitate infectus nutantes firmabit in fide, & Catholicæ veritatis Prædicator ſemper exiſtet? Ne crede: ideoq. Eccleſię Pontificem, etiam vt particularem perſonã, in fidei errorem nunquam lapſurum exiſtima, nec in eo pertinaciter manſurum. Fateor Deum ex corde hæretico veræ fidei confeſsionem educere poſſe, cùm velit; vt quondam ex ore aſinæ Balaam, verba expreſsit humana. Cæterũ quis hanc ſuauem dixerit Omnipotentis gubernationem, qua nihil violentum molitur, ſed quaſi in rebus ipſis inueniſſe gaudeat, quod ſuo regimini deſeruiat, ſe illis attemperat, vt faciliùs ad finem pertrahat, & minoribus omnipotentiæ expenſis, voluntatis ſuæ placita, & ſuauiſsimi regiminis diſpoſitiones exequatur? Tene igitur, iuxta hanc Dei prouidentiam ſentiendum, ſummum Pontificem, vt particularis perſona eſt, in hęreſim incidere non poſſe, aliquidue cõtra fidem credendo pertinaciter amplecti.

Secundam rationem ab euentu deduxit idẽ Belarminus; nec minus momenti habet, vt iam per aliquot Pontificum ætates diſcurrendo planum fiet. Etenim ab hinc ſexcentis ſupra mille annis, Pontifices, & Petri ſucceſſores in Eccleſia vixerunt; & tamen nullus producetur, de quo vere dici queat hæreſis contagione infectum extitiſſe. Quæ enim hæretici in D. Petrum, & aliquos ſucceſſores diſsipant, commentitia ſunt, ac nullius momenti; & allatrandi ſtudio proiecta ſtatim demonſtrabo; indeque planum fiet, diuinæ gubernationis ordinem exigere, vt nullus in Eccleſia Pontifex, modo iam declarato, hæreticus exiſtat.

Sed iam quæ ab hæreticis aſſertæ opponuntur veritati, diſcutiamus: plurima enim in Petrum, & alios Pontifices, qua ſolent, temeritate effundunt. Primò igitur, omnia calumniarum machinamenta, euertendo admouent fundamento; vt eo cadente reliquum ædificium collabatur; & ideo Petrum bis à fide errantem arguunt: ſemel cùm negauit Chriſtum, Matth. cap. 26. Iterum cùm Gentiles ad iudaizandum coegit, ad Gal. 2. Ita ſcripſit Nilus in lib. de Primatu Romani Pontificis. Et quidem hoc telo, quo Petrum exiſtimant confoſſum, de cæterorum Pontificum fide, integritate, & ſtabilitate triumphum agere, inaniter tamen, gloriantur; vt iam ex his quæ ſubiungam planum fiet.

Matth. cap. 26.
Gal. 2.

§. S E-

§. SECVNDVM.

Petrum in negationibus fidem non amiſiſſe ſtatuitur.

PRimò igitur ſtatuo, Petro, quo tempore Chriſtum negauit, Eccleſiæ Principatum minimè traditum, atque adeo nondum eſſe Pontificem. Quoniam Chriſtus à reſurrectione ſua, vt conſtat ex Ioan.c.21. Petrum Eccleſiæ Paſtorem, Principemq. inſtituit dicens: *Simon Ioannis paſce oues meas*. Vndè cũ ante initũ Pontificatum negatio cõtigerit, immeritò inter Romanorũ Ponti. ficum errores reputanda erit. *Ioan.21.*

Secundò ſtatuo, Petrum fidem non amiſiſſe, dum negauit: quia verbis tantum exteriùs id fecit, interimq.fidem in pectore firmam retinebat; vt iam ſupra oſtendimus,& de negatione inferiùs agẽtes comprobabimus. Quod verò attinet ad euentum, ad Galat. 2. memoratum; cũ gentes ad iudaizandum coegiſſe prædicatur; non fidei, & prædicationis error iſte dicendus eſt, ſed conuerſationis, vt iã olim monuit prudenter Tertull.lib.de præſcription. aduerſus hæreticos. Nõ enim S.Petrus iudaizandũ ſtatuit,ſed contrariũ docuit, Actor, 15, Dum tamen à Gẽtiliũ mẽſis abſtinuit,ne Iudęos ad fidem nuper conuerſos offẽderet, exemplo ſuo Barnabam ad iudaizandum coegiſſe aliqualiter reputatur. At nihil inde nobis contrarium opponi poteſt, qui Pontificem exemplo ſuo nonnunquam errãdi occaſionem præbere poſſe, non inficiamur. Illud autẽ nunquam admittimus,quòd videlicet Pontifex ex Cathedra errorẽ aliquem toti Eccleſiæ amplectendũ proponere, nec etiam vt particularis perſona,in hæreſim incidere ſit permittendus. Et certè nõ par ex prauis Pontificum exemplis,ac ex doctrina, nocumentum in Eccleſiam deriuatur: & iam Chriſtus Dominus hoc prĉcauẽs fideles inſtruxit, dicens: *Quæ dicũt facite, quæ faciũt nolite facere*, Matth.23. *Tertull.* *Matth. cap.23.*

§. TERTIVM.

Papæ Victoris fides defenditur.

PErgunt adhuc ſolita procacitate, & impudentia Nouatores; & quaſi Petrum vicerint, in Victorem virtutibus clarum, ac de hæreticis victoriarum gloria nomine parem, & decimumquintum à Petro Pontificem inſurgũt: in eandemque Theodoti Bizantij, Chriſtum nudum hominem, & ſolitarium (vt Tertullianus author eſt) aſſerentis, hæreſim conſpiraſſe mentiuntur. Quo quid nefandũ magis, & horrendum euomere potuiſſet impietas Theodotianæ hæreſis ſectatorum? Qua fronte mendacium ita impudens iſti confingunt? cũ ex ipſis hiſtoriarũ monumẽtis conſtet,vt tradit Baronius ad Chriſti annum 196. Theodotũ huius hæreſis authorẽ ab ipſo Papa Victore damnatum *Tertul.* *Baron. an.196.*

fuiſſe, penituſq. ab Eccleſiaſtica communicatione proſcriptũ. Lege Theodoretũ lib. 2. vbi ita: *Eum Beatiſsimus Victor Romanorum Epiſcopus abdicauit, & excõmunicauit: vt qui decreta Eccleſiæ conatus eſſet adulterare*. Idem etiã teſtatur Euſebius lib. 5 c. 26. & 27. & grauiſſimorum authorũ, qui ſub Imperatore Seuero sũma doctrinæ gloria claruerunt, aſſertione confirmat. *Quòd ſi Victor*, inquit, *eadẽ cum illis ſentire viſus fuiſſet, ſicut deteſtabilis horũ docet calumnia; quo pacto, aut qua ratione adductus Theodotum huius erroris incentorem ab Eccleſia eijcere in animum induxit?*

Theodor.

Euſeb.

Cæterùm, vt videas quàm impudenter conficta fuerit in Victorẽ Theodotianæ hæreſis criminatio; audi quid teſte Euſebio ibid. c. 28. Sectatores ipſius affirmarint. *Aiũt iſti, omnes maiores noſtros, & ipſos Apoſtolos, ea quæ ipſi iã affirmant, non modò à Domino accepiſſe, verùm etiam alios eadem docuiſſe; & verã prædicationis rationẽ vſq. ad Victoris tẽpora, qui decimusquintus à Petro Epiſcopus fuit, integrè ſeruatã illam quidẽ, ſed à Zephyrino illius ſucceſſore penitus corruptam, & deprauatam fuiſſe*. Proh Deus immortalis! Quæ nã iſthæc impudẽtia eſt, vt omnes retro Victorem Pontifices, eadẽ de Christo ſenſiſſe affirment, quæ ipſi impiè prædicabant?

Euſeb.

At falſiſsimum quidem eſt, quod de alijs dicunt, vt apud Tertullianum inſpicies libr. de præſcript. aduerſus hæreticos: vbi multorũ, & Theodoti recẽſitis hereſibus, ſcitiſsimè, & prudentiſsimè, penes quos ſit Eccleſia Catholica, certis admodum, & meridiana luce clarioribus monſtrat argumentis: ac ad Romanæ Eccleſiæ fidem, quã pulcherrimo celebrat elogio, omnes prouocat in hunc modum; *Habes Roma, vnde nobis quoque authoritas præſto eſt: ſtatu fælix Eccleſia, cui totam doctrinã Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderũt. Ibi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur. Ibi Paulus Ioannis exitu coronatur. Ibi Apoſtolus Ioannes poſteaquã in oleum igneũ demerſus nihil paſſus eſt, in Inſulã relegatur. Videamus quid dixerit? quid docuerit? quid cum Africanis quoque Eccleſijs conteſſerarit?* Certè non quod iſti impudenter comminiſcuntur, & Pontifices ſuis ipſorum blaſphemijs adſtipulari deprædicant. Sed ſicut in hoc mẽtiuntur, dum Pontifices Theodoto conſenſiſſe teſtantur; ita etiam de Victore ſancto, qui eum damnauit, falſitatis conuictos oſtenditur. Et certè qua ratione martyrium pro Chriſto pateretur, ſi nudum hominem, & ſolitarium cum Theodoto reputaret; qui ne moreretur, Chriſti Diuinitatẽ abnegauit? Damnatus igitur à Victore Theodotus, & Victor triumphali martyrij corona laureatus, de impudentiſſima Byzantiorum criminatione clariſſimè triumphat.

Tertull.

§. QVAR-

§. QVARTVM.

Zephyrini Pōtificis fides aſſeritur.

TErtium do Pontificē hæreticorū dentibus impetitū. Zephyrinus ille eſt, decimusſextus à Petro, qui in fide ſolidiſſimus, verus Petri ſucceſſor, adamantinamque ipſius duritiē æmulatus, confregit dentes eorum in ore ipſorum. Canina igitur rabie, atque furore, & pſeudoparacleti malo œſtro conciti, Tertulliano Duce, Montaniſtæ, qui vanum ſpiritum, & pſeudoprophetias introducere nitebantur, Zephyrinū cum ipſis montanizare prædicarunt. Sed quo pudore montanizantem auſi ſunt affirmare, quem anathematis gladio Montaniſtas ſenſerunt ferientem? Cùm enim Romæ, tanquam in totius Orbis celeberrimo Theatro, coram Zephyrino Pontifice Proclus, inter Cathaphrygas omnes nomine celeberrimus, & Tertulliani elogio commendatiſſimus, cum Caio ſpectatiſſimæ virtutis, & mirificæ eruditionis viro, de vano Cataphrygum Paracleto altercaretur; in diſputatione victus cecidit. Quod Zephyrinus animaduertens Proclū, & omnes pſeudoprophetiæ defenſores, lata excommunicationis ſententia ab Eccleſiæ cōuictu releganit. Quin etiam Tertullianum, qui indignè ferens, Proclum à Chriſtiano victum, ad roborandam, firmiterque ſtatuēdam pſeudoprophetiam, plures edidit commentarios, anathemate perculit, vt ipſemet teſtatur lib. de Ieiunijs cap. 1. *Nouitatem igitur obiectant, de cuius illicito præſcribant, aut hæreſim iudicandā, ſi humana præſūptio eſt; aut pſeudoprophetiam pronunciandam, ſi ſpiritualis indictio eſt: dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter annuntiamus.* Tertull.

Videntes igitur omnes Eccleſiæ Epiſcopi Tertullianum, & Proclum anathemate perculſos, in eandem cum Zephyrino ſententiā conſpirarunt, & varia diuerſis locis Concilia coegerunt, in quibus Pſeudoparacleti illuſiones damnarunt. Author eſt idem Tertullianus libro citato capite 13. *Aguntur præcepta per Græcias illas, certis in locis Concilia ex vniuerſis Eccleſijs, per quæ, & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.* Tertull. Hæc ille. Vnde cùm de Zephyrino Montaniſtis conſenſiſſe Tertullianum affirmantem audias lib. contra Praxeam, ibi, *Romanum Pontificem* (Zephyrinum ſcilicet) *Montani Prophetias agnoſcentem, & ex ea agnitione pacem Eccleſijs Aſiæ, & Phrygiæ inferentem vidimus;* ne crede: Minus etiam cùm à Praxea perſuaſum, pacis litteras, quas iam demiſerat, reuocaſſe teſtatur. Ex quo Rhenanus Tertulliani Interpres, Montaniſmum

Digitized by Google

Zephyrino imputandum cenſuit. Cæterùm nec Interpreti, nec Authori in hac patte credendum, vt Belarm. monet egregiè Belarminus de Romano Pontifice lib. 4. cap. 8. Cùm enim Tertullianus Montani labe eſſet infectus, ob Zephyrini anathema indignatus, dentibusq. infrendens virus euomuit, ac hæreſis maculam in Pontificem expuit. Quod etiã ab Artemone in Victorem factitatum Euſebius ſupracitatus commemorat. Potuit fortaſſe Zephyrinus Montaniſtatũ rationibus perſuaſus, pacem illis reddere, quam anteceſſores abſtulerant; non quòd approbaret errorem à ſuis maioribus improbatum, ſed cùm Montaniſtæ doctrinam ſuam fidei colore venuſtatent, atque ab Eccleſiæ Catholicæ doctina nequaquam diſſidere teſtarentur, improcliue fuit, vt rationis apparentia perſuaſus, illos falsò accuſatos arbitraretur: in quo non fidei, ſed perſonæ error inuenitur. Magna namque eſt hæreticorum vaſricies, & Polypi inſtar, petræ, hoc eſt, fidei in Petro fundatæ, colores induũt, & ambigua confeſſionis ambage ſe Catholicos mentiuntur. Quo attificio Conſtantinum decepit Ruffin. Arius, teſte Ruffin. lib. 10. hiſtor. cap. 11. eodem Pelagiani, vt mo- Leo. nuit Leo epiſt. 86. ad Nicætam Aquileiæ Epiſcopum, Catholicos decipere, & confeſſione fidei artificiosè compoſita, ſe Catholicos oſtentare nitebantur. Hoc etiam Montaniſtæ Zephyrinum fortè deceperunt; ſed quid inde probant? Deceptum quidem circa perſonas, quod fieri poſſe non inficiamur; non tamen Montaniſtam. Hoc enim Pontificiam dedecet maieſtatem, & cum fidei integritate Petro, & Succeſſoribus Chriſti oratione promerita cohærere non poteſt.

§. QVINTVM.

Marcellinus ab infidelitatis labe abſtergitur.

QVarto loco Marcellinum Pontificem trigeſimum nõ hæreſis, ſed quod magis execrandũ eſt, idololatriæ impietate maculatum incuſant; dum Romæ in Vrbe Marcellinus à Maximiano Auguſto blanditijs, promiſſionibusque illectus, & ſubdolè in Tẽplum Veſtæ perductus, horribilium tormentorum comminatione, & carnificum vi, inſtantiaque compulſus, duo thuris grana ſuper prunas adolenda coniecit. Et licet, teſte Victorello in Iconibus Victorell. Pontificum anno 303. nonnulli an. 303. id negent; nec immeritò, quia vt tradit ſanctus Auguſtinus libro D. Aug. vnico de Baptiſmo cap. 19. id à Donatiſtis fuit obiectum, ſed minimè probatum. Quin etiam addit ſanctus Pater Marcellinũ fuiſſe innocentem: Et ſatis probatur ex eo quòd nec Euſebius in hiſtoria, nec in Chronico, nec ex veteribus

quiſ.

quiſquam, eius rei meminerit. Theodoretus lib. 2. hiſt. c. 9. Marcellini conſtantiam, & fidem non parum extollit. Vnde quamuis id fateremur, traditę à nobis aſſertioni non repugnaret: quoniam, vt notat Belarminus de Rom. Pontif. lib. 4. c. 8. Marcellinus aliquid cōtra fidem nō docuit, nec hęreticus fuit, aut infidelis; ſed Chriſti fidem in corde retinens, tormentorum terrore pauidus, externum illud exhibuit infidelitatis ſignum; ſtatimque ad ſe reuerſus agnouit delictum, & ſic lacrymarum profluuio abſterſit, vt quamuis in Sinueſſana Synodo, ad quam cilicio indutus, capite cinere adſperſo mœrens, ſqualidus, lacrymiſque profuſus acceſſerat, Pontificatu ſe abdicaret, & confeſſo humiliter peccato veniam, & pęnam poſtularet; nec iudicatus eſt: quia, vt ibi Synodus ſtatuit, *Prima ſedes à nemine iudicatur*: nec depoſitus, quia nihil de priſtinis meritis credendus eſt amiſiſſe: vt enim alter Petrus fidem in corde retinens, exteriùs tantùm negare viſus eſt; & poſtea quod defendi non potuit, lacrymis lauit; & impietatis labem, quæ interiùs non penetrauerat cor, pœnitentiæ ſpongia diligenter eluit.

Belarm.

Synod. Sinueſſ.

Tanquam notatu dignum memorat Ambroſius, Epheſi Epiſcopum, cùm ad peragendum pœnitentiam incitatur poſt culpam, Angelum appellari in Apocalypſi c. 2. *Angelo Epheſi, &c.* Sed cur Angelus dicitur, cui pœnitētiæ cura iniungitur? Nam ſi Angelus erat, innocens reputari debuerat; nec tanquam reus ad pœnitentiam cohortandus; vel certè præcedente pœnitentiæ exhortatione, Angeli titulo parcendum videbatur. Non ita, inquit Ambroſius, ſed congruentiſsimè *Angelus dicitur, cui pœnitentiæ ſtudium demandatur, vt nihil amiſiſſe de priſtinis meritis intimetur*. Hoc de ſuo Marcellino Romana ſenſit Eccleſia; ideoque viuente ipſo alium non ſubrogauit: Marcellinus verò culpam lacrymis abluiſſe non contentus, ſanguine expiauit: vnde regreſſus è Synodo Maximianum conuenit, acerrimè increpat, intrepidèque obiurgat, & ipſius iuſſu martyrio coronatur.

Apoc. 2.

Ambroſ.

§. SEXTVM.

Defenditur Papæ Liberij fides.

QVinto loco ſe offert Liberius trigeſimus ſeptimus à Petro Pontifex, quē hæretici Arianorum labe immerentem etiam reſperſerunt. Et quidem illud pro certo ſtatuendum eſt, Liberium ab ipſa ſtatim Pontificatus inauguratione, vſque ad exilium, pro fide perpeſſum, Catholicæ fidei propugnatorem acerrimum extitiſſe. Videndus hac de re Ammianus lib. 15. hiſtor. Athan. in Apolog. Ruffin. lib. 10. cap. 22. Sulpicius

Ammian. Athanaſ. Ruffinus. Sulpicius

Socrat. Sozom. Theodor. Niceph.

cius lib. 2. ſacræ hiſtoriæ. Socrat. lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 29. Sozomen lib. 4. cap. 10. Theodoret. lib. 2. cap. 16. & 17. Nicephorus lib. 9. c. 35. 36. & 37. Quin etiam poſt exilium reuerſus in eâdem fidei integritate perſtitit, atque ad vltimum vitæ ſpiritum illibatam retinuit, vt ſanctus Ambroſius lib. 3. de virginibus ſub initium teſtatur. [Ambroſ.] *Tempus eſt*, inquit, *ſoror ſancta* (Marcellinam intelligit, quæ de manu Liberij velum ſuſcepit, & in ſuſceptione concionem habuit Liberius) *beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere; vt quò vir ſanctior, eò ſermo accedat gratior*. [Epiphan.] Conſenſit Epiphan. hæreſ. 75. dicens: *Euſtathius ad Liberium beatum Romæ Epiſcopũ, vnà cum multis Epiſcopis legatum agebat*. Addo Baſilium epiſt. ad [Baſil.] Epiſcopos Occidentis 74. *Quædam*, inquit, *ei propoſita ſunt à beatiſsimo Liberio*. Atque ex his cõmentitia prorſus habenda ſunt, quæ tempore inter regreſſum ab exilio, & Liberij mortem decurrente hæretici fabulantur.

[Athan.] [Hieron.] Et quidem licèt Athanaſius, & Hieronymus, hic in Catalogo Scriptorum, ille in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, apertè dixerint, Liberium exilij tædio inflexum hæreſi, in vrbem reuerſum ſubſcripſiſſe: quod etiam Hilarius in lib. aduerſus Conſtantium innuere videtur his verbis: [Hilarius] *Vertiſti deinde vſque ad Romam bellum tuum: eripuiſti illinc Epiſcopum, & ò te miſerum, qui neſcio vtrũ an maiore impietate relegaueris, quàm remiſeris.* Quin etiam epiſtolæ ipſius Liberij manuſcriptæ, & in Vaticano aſſeruatæ, ſatis indicant, ſe tandem Imperatoris volũtati acquieſcere voluiſſe. Nihilominus etſi hæc omnino certa forent, & indubitata, de quibus tamen boni nominis Authores dubitant, alijque non inferioris notæ contrarium aſſeuerant: ij ſunt Nicephorus, Sulpicius, Socrates, Sozomenus, Ruffinus, apud Belarminũ [Belarm.] de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 9. Inde tamen Liberium aut docuiſſe hæreſim, aut hæreticum fuiſſe, non probatur; externo tamen actu, & leuiùs quidem S. Marcellino peccauit; vt ex his, quæ S. Athanaſius imputat Liberio, oſtenditur: nimirum, quòd damnationi ipſius Athanaſij ſubſcripſerit, & cum hæreticis communicauerit. Nullibi tamen fidem expreſsè violauit: quoniam hæretici in damnatione Athanaſij non fidem, ſed circa mores crimina prætexebant; & criminum, non fidei aſpectu, Liberius damnari conſenſit.

Item hæreticorum communicationem admiſit, quia ſe Catholicos ſimulabant; aliter nõ admiſſurus, vt ex ipſius epiſtolis conſtat. Quin etiam (addunt Nicephorus, & Sozomenus citati) tantũ abeſt, vt Liberius Arianæ cõfeſſioni ſubſcripſerit, vt edita antequam Syrmio diſcederet, confeſſione, quotquot Filium Patri ſimi-

lem

Digitized by Google

lem in ſubſtantia , & in alijs rebus omnibus eſſe negabant, apertè excommunicauerit ; quod idcirco præſtitit , vt rumorem ab Arianis falsò diſperſum inſepeliret ; quòd videlicet Liberius filium Patri nō eſſe conſubſtantialem doceret.

Belarm. Itaque interpretatiuè tantùm , vt loquitur Belarminus loco citato , in hæreſim conſenſit, quatenus Athanaſium damnari permiſit , quē fidei cauſa perſecutionem pati cognouerat; Vrſacioque, & Valenti, quos ſciebat hæreticos , communicauit, etſi Catholicos ſe eſſe ſimularent . Nec aliud Hieronymus voluit , & Athanaſius ; qui meritò eam Liberij ſententiam , non eius cenſendam fore teſtatur, vtpote minis , terroribuſq. extortam ; ſed aliam, quā protulit, cùm poſtea libertate potiretur.

Sed quid de Fęlice dicendum erit ? qui viuente Liberio Pontificatum adijt, quemque Romana Eccleſia vt Papam , & Martyrem veneratur; quod difficile videtur, niſi Liberium in hæreſim prolapſum fateamur : aut ſi Liberium abſoluimus, Fælicem damnemus; & tandem in Romano Pontifice hæreſim admittere cōſtringemur.

Cæterùm nec Liberius, vt iam vidimus : nec Fælix, vt ex dicendis patebit , hæreſis macula infecti extiterunt : quamuis vterque Arianorum communicatione ſe immiſcuerit . Rem geſtam breuiter contexo , ex qua ſumma Dei prouidentia Catholicam Eccleſiā moderantis apparet , & Populi Romani ab ipſis Apoſtolorum temporibus fidei, & Catholicę diſciplinæ amor agnoſcitur . Fide integer, & præ humilitate renitēs Liberius Pontificatum adijt, ſicut ipſe in epiſtola ad Conſtantium obteſtatione iuramento firmata aſſeuerat . *Teſtis autem eſt mihi* Liberius. *Deus, teſtis eſt tota cum ſuis membris Eccleſia , me fidelem , & me in Deum meum cuncta mundana (ita vt Euangeliſtica, & Apoſtolica ratio præcepit) calcare, atque calcaſſe, non furore temerario, ſed conſtituto , atque obſeruato iure diuino: atque in alio miniſterio Eccleſiaſticus viuens, nihil per gloriā cupiditatem, quod ad legem pertinebat, impleui ; atque ad iſtud officium, teſtis eſt mihi Deus meus, inuitus acceſſi : in quo cupio quidē ſine offenſa Dei quandiu in ſæculo fuero , permanere .* Nihilominus Imperator litteris, & Legatis Liberij integritatem frangere, & cōſtantiam emollire contendit, vt ad communicationem Arianorum, & approbandam Athanaſij damnationem inflecteret; irrito tamen conatu: nam Liberius in fidei petra immobilis perſiſtebat . Quapropter Conſtantius Vrbis Præfecto imperauit, vt dolo captum ad ſe clanculum tranſmitteret. Delatus ad Imperatorem Liberius , maieſtatem ipſius minimè reueritus , & cum Arianis communicare , & Athanaſij damnationi ſubſcribere recuſauit . Quapropter

Atha-

Athanaſio,& Hilario teſtibus iam citatis,in exilium relegatur. In tetimRomano Populo ſui Epiſcopi, & Eccleſiæ Paſtoris exilium innotuit; atque in fidei ſuæ teſtimonium Clerus Romanus iurauit, ſe nunquam abſente Liberio alium in Pontificem ſubrogaturũ. Tantum verò Acacij Cæſarienſis Epiſcopi apudConſtantium valuit authoritas, & Arianorum induſtria apud Romanos, vt Liberij abſentis loco Fælix Diaconus, Catholicus certè, ſed Arianorum, tunc cõmunicatione infectus ſubrogaretut. Cathedram Fælix, ſubrogatus aſcendit,& coacto poſtea Romæ quadraginta octo Epiſcoporum Concilio, Vrſacium,& Valentem Arianos, & Conſtantio aſſentientes excommunicauit, atque ab Eccleſia expulit. Quo facto plurimos Romanorum ſibi conciliauit; iam enim à Liberio defecerant, quia fidei deſertorem exiſtimabant,& Fælicem tanquam acerrimum eiuſdem fidei propugnatorem adamabant, & totis viribus ſequebantur. Admiranda certè Romanorum fides, & nulla vnquam obliuione delenda. Nam cùm antea Libetium, vt Paſtorem verè Catholicum, diligerent, & alium, viuente ipſo, nunquam admiſſuros iuramento ſe obſtringerent; vbi primùm eum hæreſis ſuſpectum audierunt, illico repudiandum Fælici aſſentientes decreuerunt.

Igitur Imperator Romam veniens, vel plurium Matronarum precibus, vel Vrſacij, & Valentis fauore inflexus, Liberium reſtituit. Quo in Vrbem reuerſo, magna Populi Romani, & Cleri ſeditio exorta eſt: Pars vna Liberium, alia Fælicem ſectabatur. Nec ſinè ſanguine diſſenſio: cædes plurimæ, & martyria intra ipſos Eccleſiæ parietes contigerunt. Tandem quieuit Roma,& ſuum recepit Liberium, Fælice reiecto, qui non multò poſt Conſtantij mandato, vel.quod magis Baronio arridet, miniſtrorũ impetu, 3. Idus Nouembris, prope Tybur occiditur, & martyrio coronatur. Hic Fælicis exitus: quem aliquando è Martyrum Catalogo Cardinalium Congregatio, reformando Martyrologio à Gregorio Decimotertio inſtituta, expungere nitebatur. Erat iam contra Fęlicem pene euicta cauſa, vt tradit Baronius ibidem, qui ea ſuper te indagandæ veritatis ſtudio libellum ſe ſcripſiſſe teſtatur; cùm diuino miraculo Fælix victoriã conſequitur: nam pridie eius diei, in quo natalis Fælicis dies celebratur, quidam in Baſilica ſanctorum Coſmæ, & Damiani Altare ſuffodientes, theſaurum, vt putabant, inuenturi, ſed ſanctorum Martyrum Marcelliani, & Tranquillini reliquias inuenerunt; quo etiam loco ſancti Fęlicis corpus quieſcebat, cui lapideus hęrebat laterculus, vbi hęc inſcriptio viſebatur: *Corpus ſancti Fælicis Papæ,*

Baronius in Annal. ad annũ 369.

&

& Martyris, qui damnauit Conſtantium. Cuius rei admiratione perculſus Cardinalis Baronius ſtylum repreſsit, & fælicisſime à Fælice ſe victum proclamauit. Victor igitur Fælix, etſi inter Pōtifices ab aliquibus nō recēſeatur, Martyribus tamē, quod pluris faciendū eſt, ab Eccleſia coniūgitur.

Sed ad Liberium iterum reuertamur. Ille in Pontificatu perſeuerat, & præteritæ inconſtantiæ labem, incredibili contra Arianos zelo abſtergit, Conſtantij legatos, animosè repellens, atque à fidelium communione proijciens, vt Victorellus in Iconibus Pontificū anno Chriſti 369. & Baronius in annalibus eodē anno tradiderunt. Atque hæc de Liberio, & Fælice ſatis ſit retuliſſe: in quibus maximè expendendum eſt, qua rerum viciſſitudine Romanę Eccleſię adminiſtrationem ſumma Dei prouidentis Sapientia diſpenſarit. Nam cùm antea Liberium ad Pōtificale ſolium inuitum, & reluctantem extuliſſet, ipſe in exilium relegatus, vt ſedem reſumeret, quam antea repudiabat, Sirmianæ confeſſioni, in qua ſubtractum erat Conſubſtantialitatis nomen, conſenſit: Athanaſij damnationi ſubſcripſit: Arianorum, quam eatenus exhorruerat, cōmunicationem admiſit. In quo, etſi in fide illæſus, & Catholicus permanſit, iniuſtè tamen à Pontificali decidens conſtantia, vocem illam paſſus eſt ſupprimi, quam maiores omnes aduerſus Arianos magna ſemper gloria defendiſſent: licèt poſtea, vt verè Catholicus, reſumpta ſede, alacriter inſurgēs aduerſus Arianos certamen inſtaurauit; ipſisque ab Eccleſia expulſis, Cōſubſtantialitatis vocem, quam ignominioſè ſuppreſſerat, glorioſè prædicauit.

Victorel. an. 369.

Baron. in Annalib. an. 369.

Dum autem ipſe ab Arianis ſtare credebatur, Dei prouidentia concurrente, Arianorum induſtria Fælix ſubſtituitur: qui Arianis cùm antea communicaſſet, in Petri ſolio collocatus, ipſos excommunicauit; vt vel hinc conſtet, quàm ſit à ſacro Pontificis nomine alienum, vel tenuiſſima hæreſis vmbra obſcurari, nedum illam è Cathedra profiteri, & Eccleſiæ amplectendam proponere; vt eum, qui vitioſo à principio in Pontificatum ingreſſu, Pontifex putabatur, ad repudiandam lato anathemate Arianorum communicationem impulerit; ne ſacrum exiſtimati Pontificis nomen aliquali hæreſis labe reſperſum ſplendorem ſuum, dignitatemq. amitteret. Qui verò ſic ſtudioſè Pontificum nominibus conſuluit, cùr non magis perſonas cuſtodiret? vt ſeruata integerrimè Catholica fide, nunquam in hæreſim laberentur: Sicut Dominus Ieſus Petro, & Succeſſoribus euēturum promiſerat dicens: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Quam ve-

Luc. 22.

rita,

ritatem edocta plebs Romana, Liberio in Pontificatum redeunti obnixiùs reſiſtebat, & præteritæ conſenſionis inconſtantia, velut vmbra afflatum, ac ſi peſtifero affectus eſſet hæreſis contagio, declinabat; illum ſecuta, quem tunc pro Paſtore habebat (An verus Paſtor ille fuerit, Controuerſiſtæ diſputent, & Hiſtorici tractent: interim Baronius, Belarminus, & Victorellus locis citatis videantur) atque hæreticorum perſecutorem, & acerrimum fidei propugnatorem aſpiciebat. Nec ſuum admiſiſſet Pontificem, niſi ipſe aduerſus Conſtantij impietatem ſtrenuiſsimè inſurgens, expulſis ab Eccleſia Arianis, Imperatorē anathematis gladio perculiſſet. Laudo Romanorum fidem, ſacrum Pontificis nomen veneror, ſedem Apoſtolicam admiror, quam nullus vnquam retroactis ſæculis occupauit, nec ſequentibus obtinebit, qui hæreſim apertè, pertinaciterque amplecti, & toti Eccleſiæ amplectēdam propoſuiſſe conuincatur. Hæreticorum impietatem deteſtor, qui adhuc Romanos Pontifices, vt ſibi ſimiles reddant, hæreſis macula offuſcare nituntur.

Baronius, Belarm. Victorel.

§. SEPTIMVM.

Cæleſtinus, & Gelaſius, ab hæreſis calumnia vindicantur.

Sextum memoro Cæleſtinum, quadrageſimumquartū à Petro, cui Laurētius Valla in declamatione de falſa donatione Conſtantini, hæreſim Neſtorij impegit. Cæterùm impudens eſt Vallę mendacium, vanèque in Pontificem diſploſum: quoniam tantum abeſt, vt Cęleſtinus hæreſi Neſtoriana fuerit infectus, vt ipſe præcipuus, acerrimusque ipſius perſecutor, & damnator extiterit, vt in Chronica teſtatur Proſper anno 431. & probat totum Concilium Epheſinum, quod Theodotij beneplacito damnando Neſtorio coactum eſt. Vnde certior factus Neſtorianæ hæreſis Cęleſtinus, anno 7. ſui Pontificatus, & Chriſti 430. litteras ad ipſum miſit acriter comminatus, niſi intra decē dies ab acceptis litteris reſipuiſſet, hæreſimque abiurans Beatā Virginem Teotocon, ideſt, matrem Dei, profiteretur, excommunicationis vinculo colligatū, & functione priuatum Eccleſiaſtica, à fidelium conſortio fore reijciendum. Vt autem Pontificis litteræ effectus ſuos faciliùs ſortirentur, teſte Baronio ad Chriſti annum 429. & 430. Cyrillo Alexandriæ Epiſcopo remiſit, qui Neſtorio intimandas ſedulò curaret. Et verò nominis ſimilitudo Vallā decipere potuit: alter enim extitit Cæleſtinus ex Pelagianorum ſecta, in quo plurima Neſtorianis communia inuenta fuiſſe dignoſcuntur: hic tamen nuſquam Pontificale Petri ſolium conſcendit.

Proſper ann. 431.

Baron. in Annalib. ad annū 429.

Septe.

Septenarium Pontificum numerum, quos Centuriatores inculant, complet Gelaſius Papa, de quo centuria 5 cap.4 de Cœna Domini, & cap.10. in vita Gelaſij, etiam ex Catholicorum placito affirmatur, in duas ſententias à vero aberrantes incidiſſe: alteram tradidit in lib contra Eutychem: vbi in Eucharistię Sacramẽto cum Christi corpore panis ſubſtantiam ſimul adeſſe teſtatur. Alteram apud Gratianum de conſecrat.diſt.2.can.comperimus, inuenies: vbi immane dicit ſacrilegiũ ſub vna tantum ſpecie Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipi: atque adeo vel Gelaſius erroris damnãdus, vel Catholici contrarium ſtatuentes, errare conuincuntur.

Vtrumque tamen ab hæreticis oppoſitum facilè diluitur. Neque enim in Gelaſio, nec etiam in Catholicis error aliquis inuenitur. Imprimis liber contra Eutychem falsò attribuitur Gelaſio, cùm eius Author fuerit Gennadius, vel Gelaſius Cæſariẽſis Epiſcopus, cuius meminit S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum circa finem. *Hieron.* Et verò Gelaſius Papa quinque libros aduerſus Eutychem ſcripſit: hic autem à Centuriatoribus ſuppoſitus liber, eſt paruulus. Deinde vt Belarminus lib.4.cap.10.de Romano Pontifice ſolerter adnotauit, *Belarm.* author eius libelli pollicetur ſe fere omnium veterum ſententias collecturum de Incarnatione Domini: & cùm adducat quindecim Patres Græcos, duos tantùm Latinos profert, nempe Ambroſium, & Damaſum; & omittit Cyprianum, Hilarium Hieronymum, Auguſtinum, Innocentium, Leonem, Proſperum, & ſimiles: quos nunquam Gelaſius Pontifex omiſiſſet, imò nec alius Latinus Author: videtur enim hinc manifeſtè colligi, hunc Authorem Græcum fuiſſe, non Latinum.

Iam verò Euchariſtiam à ſolo Sacerdote, de quo in illo Canone ſermo eſt, in vtraque ſpecie ſumẽdam ſtatuit: vbi nullus error continetur. Quinimo ſacrilegij reatum admitteret aliter accipiens; & ſacrificium redderet imperfectum: ex quo omnis hæreticorum criminatio euertitur.

§. OCTAVVM.

Vigilius, & Boniſacius ab hæreticis ob hæreſim oppugnati defenduntur.

OCtauum profero Vigilium à Petro ſexageſimum, de quo Liberatus in Breuiario c.22. *Liberat.* refert, Theodoræ Imperatrici, & alijs hæreticis quandam epiſtolã miſiſſe, in qua illorum approbabat hæreſim, & eos, qui duplicem in Chriſto naturam agnoſcebant, deteſtabatur. Attamen hoc nullius momenti eſt. Quoniam etſi verum habeat quod referunt non-

nulli

nulli hanc epiſtolam ab hæreticis confictam, nec leuia in ſexta Synodo act. 14. indicia detegantur, hæreticos ſub Vigilij nomine epiſtolam ſuppoſuiſſe ad Theodoram: verùm quamuis epiſtola non fuerit ſuppoſititia, nihil aſſertioni noſtræ derogat. Quoniam, vt ex Pontificum annalibus conſtat, Vigilius cùm fidem Catholicam damnauit, verus Pontifex non erat; ſed Pſeudopapa: ſiquidem Syluerius legitimus Petri ſucceſſor adhuc in humanis agebat; & Vigilius Pontificiæ dignitatis ambitione tactus, Theodoræ promiſit votis obtemperare, vbi primum Pontifex crearetur. Rem accipe. Agapetus Syluerij primus anteceſſor, è Conſtantinopolitana ſede Anthemium deiecit: tunc Imperatrix Sylucrium ſucceſſorem pro Anthemij reſtitutione orauit; non tamen exorauit. Quod cùm reſciſceret Vigilius ea tempeſtate Archidiaconus Theodoræ, pollicetur quòd Pontifex electus Conſtantinopolitanę ſedi Anthemium redonaret. Illico, Theodora iubente, & Beliſario iuſſa capeſſente, Syluerius in exilium relegatur, & Vigilius Pſeudopapa inſtituitur. Ecce tibi Pontifex ſuppoſititius epiſtolam homine Chriſtiano indignam ſcripſit: in qua non apertè, nec animo hæreſi labefactato, ſed clanculũ, & ſedis Pontificiæ cupiditate impulſus, fidem Catholicam damnabat: ideoque, teſte Liberato, & ipſius epiſtolæ tenor docet, obnixè poſtulauit, ne illam vſque ad præfixum tempus detegerent. Magnis tunc anguſtijs premebatur Vigilius: hinc ſedis ambitio, inde fidei apud Romanos opinio, quaſi auerſo flumine luctantem detinebat. Nam ſi hæreticum ſe proderet, Romanos verebatur, qui neminem hæretica prauitate infectum ad Petri ſolium euehi permiſerunt: ſi Catholicus appareret, Theodorę offenſam, cuius beneficio Pſeudopontificatum obtinuerat, impensè formidabat. Quid igitur? Romę Catholicus lingua: apud Theodoram calamo hæreticus apparere ſtuduit.

Cæterùm incredibilẽ Dei prouidentiam hic admirare, quantoque ſtudio firmam, ac ſtabilem ſedis Apoſtolicæ fidem retineat, parumper inſpice. Non multò poſt obijt Syluerius; & Romani Cleri ſuffragijs antea Pſeudopontifex Vigilius, Papa verus renunciatur. Proh Deus immortalis! vbi primùm ſedem tetigit verus poſſeſſor, & Petri ſucceſſor, erroris vmbram, & ſimulationem diſpulit, magnamque in fide conſtantiam, & firmitatem reſumpſit: vnde qui primò inſtar paleæ ambitionis vento rapiebatur, in lapidem poſtea immutatus, in fidei ſtabilitate conſiſtere perdidicit. Atque adeo cùm primùm Theodora Vigilij pollicitationibus, & quod magis eſt, epiſtola fidens ipſum ad polliciti fidem perſoluendam

Digitized by Google

uendam vrgeret, Anthemijque reſtitutionem ad ſedem Conſtantinopolitanam imploraret; animoſus reſtitit Vigilius: dictaque retractans reſpondit, ſe tale quid temere, promittendo grauiter deliquiſſe: & ideo, ne peccata iungeret peccatis, pollicitum explere renuebat. Quod ægerrimè ferens Theodota, exilio mulctauit Vigilium, & plurimis vſque ad internecionem vexationibus inſectata eſt; ſicuti in Pontificali hiſtoria refertur. Quin etiam Paulus Diaconus in vita Iuſtini, Aymoinus lib.2. c.62. de geſtis Francorum id reſtantur: Magdeburgenſes addo hoſtes veritatis Catholicæ infenſiſsimos, qui tamen centur.6. cap.10. in vita Vigilij nobis in hac parte aſſentiuntur. Rem totam paucis abſoluit Liberatus cap.22. in fin. ibi conſulendus.

Paulus Diacon. Aymoin.

Liberat.

Nono loco Bonifacius Quintus Neapolitanus, natione Campanus conſtitit: cui Magdeburgenſes hæretici centur.7. cap. 10. propter fidem allatrarunt. De hoc igitur aſſerunt, in quadā epiſtola ad Eduinum Anglorum Regem, quam lib.2. Anglicanæ hiſtoriæ cap.10 refert Beda; nos à ſolo originali peccato à Chriſto redemptos docuiſſe. Verùm ſolita hæc eſt hæreticorum impoſtura: quoniam verbum, *Solo*, ab ipſis fuit mendaciter intruſum, & Bonifacij verba ita habent: *Accedite ergo ad agnitionem eius, qui vos creauit, qui in vobis vita inſufflauit ſpiritum, qui pro veſtra redemptione Filium ſuum vnigenitum miſit, vt vos ab originali peccato eriperet.* Ita ille. Quòd ſi aliorum non meminit peccatorum, ideo prætermiſiſſe exiſtima, quia originale præcipuum erat, & propter quod primùm Chriſtus Dominus mortem ſubiturus aduenerat: hinc tamen nihil Bonifacio ad hæreſim imputandum deducitur.

§. NONVM.

Honorij fides ab hæreticis oppugnata defenditur.

DEcimus numeratur Honorius Primus, Pontifex ſucceſſione Bonifacio Quinto contiguus, de quo Nilus lib. de Primatu Romani Pontificis, Monothelitanæ hæreſis ſectatorem fuiſſe ſcribit. Idem etiam Magdeburgenſes centur.7. cap.10. teſtantur; quin etiam cap.11. col.553. notiſsimis hæreticis adnumerant. Non pauci ex Catholicis ſuffragantur; in quibus Melchior Canus de locis lib 6. cap. vltim. Nititur hæc ſententia ſextæ Synodi damnationi, vbi actione 13. Honorius tanquam hæreticus damnatur, ipſiuſque epiſtolæ comburi præcipiuntur, eo quòd in eis Sergij Monothelitarum ſigniferi doctrinam probaret; ſubindeque duas in Chriſto volūtates, & operationes nequaquam admittendas ſtatueret.

Ve-

Verùm ab Honorio plurimi ſtant, nec inferioris notæ Doctores, qui ipſum calamo ſtrenuè defendunt. Ij ſunt Albertus Pighius lib. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſuper cap. 8. Oroſius lib. 2. contra Brentium. Ioannes Louanius in lib. de perpetua Cathedræ Petri protectione, & firmitate cap. 11. Onuphrius in annot. ad Platinam in vita Honorij c. 11. Belarm. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 11. Validiſsima quidem ſunt huius defenſionis argumenta, & contrariorum accuſationi præponderant. Nam quod de Honorij epiſtolis tradunt, commentitium eſt, & fabuloſum: nuſquam tales epiſtolas ſcripſit Honorius, ſed ab hæreticis ſedis Apoſtolicæ æmulatoribus confictæ, & ſextæ Synodo creduntur inſertæ, vt teſtis eſt Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria ſua, ex Theophane Iſauro Græco. Et quidem apud Græcos in more poſitum erat, vt libros falſitatibus frequentiſsimè deprauarent: vnde quid mirum, ſi id in Epiſtolis Honorij præſtitiſſent? Quod eò faciliùs creditu eſt, quo in eadem ſexta Synodo actione 12. corruptiones plurimæ ab hæreticis ſuppoſitę, & in quinto Concilio repertæ memorantur: quin etiam Leo in epiſt. 83. ad Palæſtinos conqueritur de Græcis, quòd epiſtolam ſuam ad Flauianum, ſe adhuc viuente corruperint. Et Greg. lib. 5. epiſt. 14. ad Narſem, Conſtantinopolitanos Synodi Chalcedonēſis corruptores affirmat; quòdque Epheſinam etiam deprauarint, non leuiter ſuſpicatur: vnde Romanorum codices longe veraciores eſſe teſtatur, quàm Græcorum: nec fallitur; quoniam, vt ibidem ait, *Romani ſicut nō acumina, ita nec impoſturas habent*.

Pighius. Oroſius. Io. Louan. Onuphr. Belarm. Anaſtaſ. Biblioth. S. Leo S. Gregor.

Denique Nicolaus Primus in epiſtola ad Michaelem, remittens Imperatorem ad epiſtolā Adriani, ab inducta falſitate præcauet dicens: *Si tamen non falſata more Græcorum, ſed ſicut à ſede Apoſtolica miſſa eſt, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam haſtenus conſeruatur*. Hæc ille; nec immeritò: ea enim, quę in epiſtola ad Photium ex Adriani ad Theraſium epiſtola profert, in ea minimè reperiuntur, vt cernere eſt in 7. Synodo: Græci namque locum illum Theraſij honori derogantem expunxerunt. Cùm igitur Græci tertiam, quartam, quintam, & ſeptimam Synodum deprauarint; quid mirum, ſi eandem ſextæ Synodo corruptionem attuliſſent? vt vel ex eo intelligas, quòd ſexta Synodo iam concluſa plures Epiſcopi paulo poſt Conſtantinopolim ſe contulerūt: ibiq. Trullanos Canones edidiſſe planum eſt, in quibus Romanam Eccleſiam redarguere, & cauillationibus deuenuſtare, præſertim intenderunt: in hunc enim ſcopum omnes hæreticorum thecnæ, & machinamenta collimant.

Nicolaus primus

Alio, & euidenti planè argumēto Car-

Belarm. CardinalisBelarminus loco citato eandem Honorij indemnitatem ab hæreſi propugnat. Si enim Cõcilium hæreſis damnaret Honorium, & ſibi contradiceret, & ſancti Agathonis Epiſtolæ aduerſaretur, quam Pontifex ille ſanctiſsimus Conſtantino Imperatori remiſit: cùmque in 6. Concil. act. 4. legeretur; ſubinde act. 8. ab omnibus recepta fuit, & probata. Iam ſuperiùs verba produximus, in quibus Agatho conſtanter aſſeuerat, in Petri ſede nuſquam defuturam fidem, nec Romanum Pontificem aliquid fidei contrariũ poſſe decernere; quin etiam omnes prædeceſſores ſuos, in quibus Honorius numeratur, hæreſibus acerrimè obſtitiſſe, fideleſque ad fidei ſtabilitatẽ admonuiſſe conteſtatur: & paulò inferiùs, Monothelitis Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, Theodoro recẽſitis, ſubijcit.

Agatho. *Eximenda proinde, ac ſummis conatibus liberanda eſt ſancta Dei Eccleſia de talium Doctorum erroribus; vt Euangelicam, atque Apoſtolicã Orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata eſt ſupra firmam petrã huius B. Petri Apoſtolorum Principis, Eccleſiæque eius gratia, atque præſidio, ab omni errore illibata permanet, omnis Præſulum numerus, Cleri ac Populorum nobiſcum confiteatur, & prædicet*. Hactenus Agathonis epiſtola, quam totum Concilium act. 8. probauit. Quinimo Patres illi act. 18. Diuum Petrum Agathonis ore locutum affirmarunt.

Ex his ergo ſic ſtatutis hoc argumentum conficit, & planè egregium, Belarminus: Si Honorius Monothelitanæ damnãdus eſt hęreſis, quo pudore Agathonem de hac ipſa hæreſi diſputantem ſcripſiſſe audiemus, nullum ſuorũ prædeceſſorum vnquam erraſſe? ſolamque Romanam Eccleſiam fidei ſuæ integritatem illibatam cuſtodijſſe; licèt aliæ particulares Eccleſiæ ſuorum Præſulum erroribus fuerint maculatæ? Præterea, Conciliũ fatetur Petrum per Agathonem locutum, cùm Romanos Pontifices in fide fratres ſuos ſemper firmos, ab hæreſibuſque immunes extitiſſe profitetur: qua igitur fronte idem Concilium in ſingulis fere actionibus anathema Honorio dicit hæretico? Vnde vel falſitatem in Concilium irrepſiſſe, vel mendoſam eſſe Agathonis epiſtolam, aut ſibi ipſi, & Agathoni Concilium repugnare fateri conſtringemur. Hoc poſtremum nullus, vel etiam hæretici, admiſerunt: de ſecundo nulla vnquam ſuborta ſuſpicio reperitur. Quid igitur? primum pro certo ſtatuendum eſt, videlicet, Concilium hæreticorum prauitate corruptum, qui confectas Honorij nomine tales epiſtolas in illo furtiuè ſuppoſuerunt. Belarm.

Confirmatur: Aliter enim Concilium hoc, vbi damnatur Honorius, vel ab æmulis deprauatum neceſſariò fatendum eſt, vel per

Z ſum-

ſummam impudentiam errorem admiſiſſe intolerabilem. Chriſtianas aures offendit hoc ſecundum, quod nec hæretici probant: ergo primum fateri oportet. Quòd autem Concilium ſine intolerabili errore, impudentiaque, Honorium, velut hæreticum damnare non potuerit, planum eſt: quia nõ aliunde, quàm ex Honorij epiſtolis ad Sergium, vbi vnam, vel duas in Chriſto operationes dici prohibet Honorius, contra ipſum hæreſis indicia pullularunt. At verò ex ipſis epiſtolis deducitur, Honorium in ea fuiſſe ſententia, vt duas in Chriſto operationes admitteret, admittendaſque doceret. De induſtria tamen ab illis nominibus *vnius*, vel *duarum* abſtinuit, vt ſcandalum præcideret, exortamque ſeditionem tranquillaret: quod ex earumdem epiſtolarum contextu doctè probat Belarminus citatus.

Et quidem hæreſis illa tunc primùm caput extulerat, cùm Cyrus Alexandrinus prædicare occeperat vnam tantummodo operationem in Chriſto extitiſſe: cui errori Sophronius Hieroſolymit. obſiſtens, duas eſſe admittendas teſtabatur. Vtrinque magna certatum eſt contentione: Cyrus ad Sergium Conſtantinopolitanum litem deuoluit: vterque ad Honorij Romani Pontificis aſylum ſe contulit. Ille verò metuens, ne ex contentione illa, quod poſtea accidit, periculosũ aliquod ſchiſma naſceretur, fideique integritatem, vocibus illis detractis, ſaluam permanere poſſe intelligens; vtramque opinionem in concordiam redigere, & ſcandali, cõtentioniſque materiam prorſus extinguere decreuit. Ideoque in epiſtola 1. ſcripſit, ab vnius operationis vocabulo abſtinendum eſſe, ne cum Eutychianis vnam tantummodo naturam in Chriſto admittere iudicemur: rurſum verò duarum operationum vocibus non vtendum, ne in Neſtorij hæreſim relabamur, qui duas in Chriſto perſonas effingebat. Honorij verba ſunt: *Ne aut duarum operationum vocabulo offenſi Neſtorianos ſectantes, nos væſana ſapere arbitremur; aut certè, ſi rurſum vnam operationem fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* Vides igitur, in epiſtolis Honorij nihil, quod Catholicum non ſit, & fidei conſonum, reperiri; & conſequenter authorem minimè dãnandum. Quis enim rem ipſam catholicè ſentientem, & profitentem damnabit, propterea quod nomen vbi Eccleſiæ diffinitio non aderat, iuſta de cauſa ſupprimendum iudicauerit? Aliter hæreſis damnãdus veniet B. Hieronymus, qui in epiſt. ad Damaſum cenſuit, non eſſe dicendum in Deo tres hypoſtaſes: cuius contrarium poſtea non ſemel Eccleſia diffiniuit.

Honorius Papa Primus.

Tan-

Tandem pro firmiſsimo Honorianæ indemnitatis fundamento, D. Maximi teſtimonium, & certè grauiſsimum ſubijcio, ex Dialogo cõtra Pyrrhum Sergij ſucceſſorẽ, in Vaticana Bibliotheca adhuc extanti depromptum. Maximus igitur in eo Dialogo Pyrrhum introducit pro ſe Honorij teſtimonium proferentem: cui reſpondet, Honorium ſemper fuiſſe Catholicum: idque tum aliunde; tum Honorij ipſius Secretarij, adhuc vt aſſerit, ſuperſtitis, atteſtatione confirmat. Quippe cùm, Honorio dictante, Secretarius epiſtolas conſcripſiſſet, & Pontificis mentem apprime calleret; ingenuè teſtabatur, eum nullatenus duas in Chriſto voluntates negare voluiſſe. Quòd ſi duas non admittere videbatur, id intelligẽdum erat de his, quæ contrariæ forent, in eademque natura humana pugnantes; qualiter ob peccatum in nobis experimur; & à Chriſto Domino lõgiſsimè abfuerunt. Maximum, qui deſideras loquentem, Belarminum adi loco citato, cuius calamo fideliter redditum auſcultabis ſuauiter (vt ſolet) diſſerentem.

Quòd ſi quiſquam ſextæ Synodi corruptioni, quam aſtruximus, fidem facere adhuc renuat; nec illam ab Eccleſiæ hoſtibus deprauatam exiſtimet; non proinde Honorij propugnando honori viam omnem præcluſam arbitretur. *Turrecr.* Turrecrematam adeat lib. 2. de Eccleſ. cap. 93. vnde viam, ni fallor, proſpectabit ſatis tutam, & planam, qua Honorium defendat. Igitur admittamus liberè, Synodi illius Patres damnaſſe Honorium: quid inde? falſa præceſſit informatio, & conſequenter erratum euaſit iudicium ab illa proueniẽs. Licèt enim Generale Concilium legitimè coactum errare non poſſit, nec ſexta Synodus in ſtatuendis fidei aſſertionibus errauerit; nihilominus in quæſtionibus de facto errorẽ admittere poſſe abſque temeritate, quin etiam tutò fas erit affirmare: atque adeo citra omnem iniuriam dici poteſt, Patres illos falſis rumoribus ſeductos, Honorijque epiſtolis non probè intellectis, illum numero hæræticorum adcripſiſſe immerentem.

At obiectabit aliquis. Vnde nam Honorij epiſtolas clariùs, & germaniùs intelligere præſumis? quaſi oculo magis certo, quàm tot Generalis Concilij Patres perlegeris? Quid mihi obiectas? Ad Ioannem Quartum, Martinum Primum, Agathonem, & Nicolaũ Primũ Summos Pontifices quinimmo ad totum Concilium Romanum ſub Martino coactum, te verte; & probiori ſenſu ab his Patribus, quàm a Græcis in ſexto Concilio, epiſtolas Honorij intellectas fuiſſe deprehendes.

Quòd ſi iterum redarguas: qua ratione Agathonis Papæ Legati in eo Concilio iniuſtã Honorij damnatio-

nationẽ tacẽtes audietũt?nec vnus extitit, qui pro innocentis indemnitate reclamaret? Audi: Maioris mali damnum impendebat, ad quod euitandum prudenter electum eſt ſilendi remedium. Valde namque timendum Legatis videbatur, vt adhibita reclamatio, rectæ fidei ſtatuendæ obicem opponeret, & ſchiſma ab hinc annis ſexaginta perſeuerãs minimè tolleretur. Quia in eo Concilio plurimi Patriarchæ, Conſtantinopolis, Alexandriæ, & Antiochiæ dãnabantur; & horum ſucceſſores non ita facilè acquieſcerent, niſi Honorius, qui eandem cum ipſis accuſationem ſubijt, damnaretur.

Statuimus igitur, ſeptimæ Synodi Patres, qui etiam actione vltima dixerunt anathemata Honorio, ſextæ Synodi Patribus adhæſiſſe; & ſolùm quæ ibi legerant, iteraſſe: ideoque in eandem ſextæ Synodi deceptionem incidiſſe, quæ vel corrupta erat, vel per errorem Honorium damnauerat. Idem de epiſtola Concilij Romani ſub Adriano Secundo iudicium eſto: qua octaua Synodo act. 7. recitata, Pontifex declarauit Honorium à Concilio poſt mortem iudicatũ ob hæreſis criminationem.

At verò acta illa ſextæ Synodi deprauata etiam Adrianum deceperunt.

§. DECIMVM.

Martini, & Nicolai accuſationes hæreſis refutantur.

VNdecimus Pontifex, & ſeptuageſimusquintus à Petro, Martinus Primus recenſetur, quem Magdeburgenſes hæretici centur. 7. c. 20. incuſant, eo quòd in epiſtola ad Amandum docuerit Presbyteris, & Diaconibus poſt ordinationem peccãtibus veniam non eſſe largiendam: quod Nouatianum redolet errorem. At hæreticorum iſthæc ignorantia eſt non Pontificis calumnia: Martinus enim eo in loco, ſi rectè inſpexiſſẽt cęci calũniatores, nõ de peccatorũ venia loquitur, ſed de reſtitutione ad ſacra miniſteria; ita quod Diaconos, & Presbyteros grauiter delinquẽtes, è gradu ſtatuit deponendos: ac poſtquã reſipiſcerẽt, & veniã precarẽtur, à peccatis abſolui; nunquã tamen ad priſtinos gradus reſtitui præcepit: quod à veterum traditionibus non abhorret.

Duodecimo loco in ipſum fidei oſtium cęci Nouatores impingũt, & Nicolaum Primum coarguũt; eo quod Baptiſmũ Chriſti nomine collatũ abſque triũ perſonarũ expreſſione ratum fore docuerit. Quod non ſolùm Euangelicę conſtitutioni, ſed etiã Pelagij, & Zacharię Põtificũ decretis aduerſatur, qui Baptiſmum in nomine Chriſti, tribus perſonis non expreſsis, nullum eſſe expreſsè ſtatuerũt, vt conſtat ex diſt. 4. can. multi, & can. in Synodo.

Quòd

Quòd ſi pro Nicolao quis opponat, ipſius tempore adhuc ab Eccleſia definitum non eſſe, an Baptiſmus Chriſti nomine collatus, eſſet irritus; facilè refellitur: quoniam, vt traditur citato canone, in Synodo, diſtinct.4. de conſecrat. iam id ab Anglicano Concilio ſub Zacharia, qui Nicolaum præceſsit, definitum reperitur.

Can. multi & can in Synod. diſt.4. de conſecr.

Nihilominus idem nem oſtendo Nicolai aſſertionem, & ab omni contra fidem errore alienam. Nam ibi de Baptiſmi miniſtro tãtùm agebat, & à quocumque, ſiue Iudæo, ſiue Pagano conferretur, validum ſtatuit; & obiter, vt particularis doctor, nihil de fide ſtatuens, ſuam prodidit ſententiã, nec ſine patrono: quoniã D. Ambroſius lib.1.de Spiritu ſãcto c.3. Baptiſmum Chriſti nomine, ratum arbitratur. Et quidem licèt hæc ſententia falſitate forſan laboret, nullam, inquit Belarminus lib.4. de Roman.Pontif.cap.12.hereſim continet: quia nulla Eccleſiæ ſuper hoc certa definitio apparet; aliundeque variæ Patrum ſententiæ id tenentes producuntur.

D.Ambr.

Belarm.

Quod autem de Pelagio, & Zacharia adducitur, nihil obeſt: Etenim Pelagius nihil in ea epiſtola ad Gaudentium de fide ſtatuit, ſed tanquam Doctor mentẽ ſuam exponit. At verò Zachariæ canon ſuſpectus Belarmino apparet, nec leuis eſt coniectura: quoniam Gratianus canonem proferens, epiſtolam Zachariæ ad Bonifaciũ refert: & tamẽ inter Zachariæ epiſtolas, quæ in tomis Conciliorum extant, nuſquam talis ſententia reperitur.

De Concilio Anglicano maior videbitur difficultas, niſi etiam illud ſuſpectum quiſpiam exiſtimet; præſertim, quia Beda illius non meminit: cùm aliorum Conciliorum Anglicanorum mentionem frequenter ingerat. Quinimo S. Ambroſij ſententiã amplectitur ad cap.10. Actorum: quod minimè auderet, ſi Concilium in ſua patria, eoque viuente celebratum, agnouiſſet. Nec veriſimile eſt illud ignoraſſe, cùm Zachariæ tempore vixerit.

Beda.

D.Ambr.

Quòd ſi placeat Concilium authoritate conſtans affirmare; pro Nicolao dupliciter reſpondendũ. Primo, in eo Concilio ſolùm definitum eſſe, Baptiſmum abſque trium perſonarum inuocatione, ratum non habendum. An verò tres perſonæ implicitè, vel explicitè inuocari deberent, id non ſtatuit; vt optimè adnotauit Magiſter in 4.diſt.3.Ex quo nihil cõtra Nicolai, & Ambroſij ſententiam deducitur. Quinimo prædictum canonẽ ita à D. Bernardo epiſt.340.& Hugone de S. Victore, alijsque eius æui doctoribus intellectum exiſtimo: quippe qui, eo non obſtante, Baptiſmum in nomine Chriſti, ratum eſſe docuerunt. Secundò reſponderi poteſt, Concilium Anglicanum vera & Apoſtolica probatione caruiſſe:

Magiſter ſentent.

D.Bern.

Hugo de S.Victore

nam licèt Zacharias illud laudarit, ac in rem ſuam ipſius decreta produxerit; non tamen vt Pontifex ſeriò,& verè decreta illius approbauit. Eſt autem longè diuerſum,aliquid citando commendare, & ſeriò ex Pontificis officio comprobare. Atque adeo Concilium ſic laudatum rem de fide ſtabilitam non efficit. Vnde in Nicolai ſententia nihil fidei repugnans inuenitur.

§. VNDECIMVM.

Stephanus Sextus, Sergius Tertius, & Ioannes Decimuſtertius defenduntur.

NIhil aptiùs Nouatores dixeris, quàm vaſa iniquitatis bellantia. Et licèt in furore ſuo virum nuſquam occiderint, quia nullum Eccleſiæ Pontificem hæreſis conuicerunt; nec in voluntate ſua ſuffoderint murum, quia fidem Catholicam,qua veluti muro Romana defenditur Eccleſia, nullatenus ſubuertere potuerunt; attamen maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura: toties enim exploſi importunè redeunt, & nouis accuſationibus Eccleſiæ capita, Chriſti Vicarios, Romæ Pontifices adoriuntur. Et quidem non ita feracior eſt nouitate monſtrorum Libya, quàm Nouatorum lingua. Nouas quotidie parit criminationes ipſorum calamus, & chartis, ac monumentis reponit. Vnde cùm iam omnes mihi videbar calumnias præcidiſſe, nouas iſti moliuntur, & nouos in Eccleſiæ caput Theoninos inſigere meditantur; & decimo tertio loco Stephanum Sextum, & Sergium Tertium nouæ hęreſis inſimulant: nempe quòd Sacramentum à virtute miniſtri dependere ſenſerint. Hi ſunt Magdeburgēſes Centur. 9. cap. 10. in vita Stephani Sexti, & centuria 10. cap. 10. in vita Ioannis Noni, & Sergij Tertij.

Cæterùm, vt Magdeburdenſiũ accuſatio eluatur, & fides, in qua Petri Succeſſores, & Eccleſiæ Pontifices ſemper immobiles perſiſterunt, inuicta maneat, Stephani Sexti, alias Septimi, Formoſi prædeceſſoris ipſius, & Ioannis Noni, qui Stephano ſucceſſit; necnon Sergij Tertij, qui paulo poſt in Pontificatum ſubintrauit, hiſtoria admodum impexa, & difficilis retexenda eſt; in qua diuinæ prouidentiæ clariſſima ſe produnt argumenta, & ſalubertima fidelibus monita inſtillantur: Vt nouerint, nec innocentiam falſis criminationibus opprimendam eſſe, & obſcurandam; nec iniuſtitiam promeritas improbitatis ſuæ pœnas, etiam in præſenti ſæculo, euaſuram.

Igitur Ioanes Octauus Formoſum Portuenſem Epiſcopum de Eccleſia benemeritum, non alia de cauſa ex Epiſcoporum albo abraſit, quàm vt prædeceſſorum ſuo-

ſuorum res bene geſtas, magno ſui nominis dedecore euetteret, vel quia Formoſi libertatem ęgerrimè ferebat; qui ob reſtitutum Photium ab iiſdem prædeceſſoribus ſæpe damnatum, Pontificem ſuggillabat. Nec depoſuiſſe, ac degradaſſe contentus, præſtito iuramento, quòd nunquam in Vrbem rediret, Epiſcopatumque repeteret, in exilium relegauit. Sed paulò poſt vita functo Ioanne, Martinus Secundus in Pontificatu ſucceſſor Formoſum abſoluit, atque à iuramenti, quod incautè emiſerat, obſtrictione exemit. Succeſſu temporis, Stephano Sexto è viuis decedente, Formoſus Pontifex renunciatur: annis quinque tenuit Eccleſiæ gubernaculum, & quieuit. Cæterùm quieſcentē Stephanus Septimus in Cathedra Succeſſor è quiete ad tumultum euocauit. Etenim inaudito ſcelere, & maximè deteſtando Formoſum è ſepulchro extrahi præcepit: quod facinus ipſimet Baſilicæ Lateranenſis parietes execrati, mutua lapidum colliſione, & motu ab altari vſque ad portas excitato clamabant, in ſpontaneam potiùs ruinam præcipitari velle, quàm tàm horrendo ſacrilegio maculari. Præterea coacto Epiſcoporũ Concilio Stephanus, extractum è tumulo Formoſum iudicauit, ipſiſque præſentibus decreuit eum nunquam verum Pontificem extitiſſe, ac proinde quæcunque ab eo geſta eſſent, tanquam irrita, & nullius validitatis, explodenda: idcirco omnes quotquot à Formoſo ordines ſuſceperant, iterum ordinari præcepit; quaſi nihil ab eo ſuſceperint. Nec multò poſt iniuſtiſſimę ſententiæ, & abominãdi ſceleris pœnas luit meritiſsimas Stephanus: quippe qui è ſede, quam violenter inuaſerat, deturbatus in carcerem detruditur, ibique ſtrangulatus infeliciter occubuit. Poſt infelicem Stephani exitum Romanus Primus, Theodorus Secundus, & Ioannes Nonus, coacto Concilio, Stephani ſententiam irritarunt, & Formoſum verum extitiſſe Eccleſiæ Pontificem decreuerunt.

Sed proh quàm ludere viſa eſt in his rebus humanis diuina Sapientia! Ecce tibi moritur Ioannes Nonus, & Sergius Tertius ſufficitur, magnus Stephani ſectator. Is vbi primum Cathedram conſcendit, Stephani ſententiam, & decreta à prædeceſſoribus abrogata inſtaurauit: quæ Formoſus ediderat irrita declarauit; & ipſũ à Pontificum numero iterum expungendum ſtatuit. En integra narrationis ſeries, quam doctè, & latiſsimè texuit Baronius ab anno 885. vſque ad annum 903. ex quo mutuatus eſt Victorellus, quæ in Iconibus Pontificum per eoſdem annos, preſsiùs aliquantulùm digeſsit. Breuiſsimè rem deſcripſit Belarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 12. *Baron.* *Victorell.* *Belarm.*

Hic igitur inſurgunt Magdeburgenſes, & aliquem ex his Pontificibus in hæreſim deprehenſũ ſibi plurimùm blandiuntur. Nam, vt locis citatis affirmant, hæc Pōtificum diſſenſio alicuius errorem arguit fidei contrarium. Etenim Stephanus, & Sergius Formoſi creationem irritam decreuerunt; & inſuper Ordines ab eodem ſuſceptos nullius valoris extitiſſe declararunt. Vnde Stephanus à Formoſo ordinatos iterum promouit, quaſi Sacramẽtum à virtute miniſtri depẽdere exiſtimaret: quod manifeſtum contra fidem errorem continet. Nam etſi Formoſus verus Pontifex non eſſet, ac in degradatione, & depoſitione permanſiſſet; cùm antea verus Epiſcopus fuerit, cui ob conſecrationem indelebilis character, & Ordines conferẽdi poteſtas inerat, quæ nulla ratione aufertur; Ordines ab eo collatos nullius extitiſſe valoris, citra errorem in fide fas non erit affirmare. Atque adeo vera eſſet Magdeburgenſium oppoſitio, ſi ita à Stephano, & Sergio decretum probarent.

At neque Stephanus, neque Sergius decretum aliquod ediderunt, in quo ſtatuerent, ordinatos ab Epiſcopo depoſito, ſeu degradato, iterum ordinari oportere. Vterque tamen, vt iram contra Formoſum conceptam exaturaret, à Formoſo iam ordinatos iterũ ad ordines promoueri præcepit: in quo facti error, & peruerſitas, non ignorantiæ, hæreſiſque malitia interuenit. Nos autem non inficiamur, poſſe nonnunquam in Pontificibus errorẽ in facto reperiri; & reuera Stephanus, & Sergius turpiter errarunt, Formoſi creationem irritam ſtatuentes. Pariter nõ abnuimus, aliquandiu in Petri ſedem, Angelis reuerendam, nonnullos Pontifices doloſè, violenterque intruſos, qui viſu horrenda, & nefanda ſcelera admittentes, in Dei Eccleſia tragædias excitarũt funeſtiſsimas: & pulcherrimam ſponſæ Chriſti faciem flagitiorum putoribus denigrarunt: qualis hic fuit Stephanus, hac ratione è Pontificum catalogo expungendus, niſi Succeſſor ipſius Ioannes, illum quadam honoris præfatione nominaſſet, dum latam contra Formoſum ſententiam reuocauit.

Et verò Stephanus non ſenſit, quod Magdeburgenſes opponũt: aut decreuit ordinatos ab Epiſcopo depoſito, iterum ordinari debere: ſed vt odio ſatisfaceret, rẽ illam aggreſſus eſt adeo nefandã: quam ſi quis ſera æſtimatione perpendat, in eam mecum ſententiã eat neceſſe eſt, vt fateatur, quòd licèt Eccleſiæ Romanæ nihil vnquam funeſtius, aut lugubrius accidere poſsit, quàm vt Petri Cathedram ſceleſtiſsimi homines inuadant: in eo tamen Dei prouidentiam quammaximè enitere, vt certò nouerimus virtutem, & ſtabilitatem, quam in fide, Romana habet Eccleſia, non à Pontificibus, ſed à Chriſto communicatam

tam

Digitized by Google

tam extitiſſe: atque adeo etſi deforme nonnunquam, & valde turpe caput Eccleſiæ apponi contingat; quia tamen nõ penitus amẽs inuentum fuerit, ſed Catholica fide conſtans; tolerandum, & inſcrutabilia Dei iudicia caſtiſsimo ſilentio veneranda: qui idcirco ita fieri permittit, vt Eccleſiæ fidem, & Cathedræ Petri firmitatem nefarijs prauorum Antiſtitum criminibus labefactari non poſſe, mortalibus oſtẽdat. Nam ſedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cùm ſedes ſit Petri, eadem eſt & Chriſti, qui illud propheticum, vt teſtatur Baronius, in ea voluit adimpleri: *Sedes eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum*, Pſalm. 88. Vnde quemadmodum hæc duo cæli luminaria ſemper eadem exiſtunt, etſi nonnunquam nubium oppoſitione parum luceant, vel eclypſiũ intercurſu prorſus obſcurentur; Ita Petri ſedes ſtabilis, & inconcuſſa, quamuis aliquando nefarijs Pontificum flagitijs obſcurari, humanoque iudicio fidei naufragiũ perpeti, & poſtremam viſa ſit ruinam minitari; ipſa immobilis hæſit, & infracta: ſemper eadem, & ſibi conſtans; atque vt altera Noe arca, è cataclyſmi fluctibus enatans, fidem retinet, quam Dominus Ieſus apud Matthæum immobilem futuram promiſit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Matth. c. 16. Quod ita fideliter adimpletum inſpicimus, vt nunquam in Petri ſede error circa fidem inueniri contigerit: Quinimo ſi qui ante in fide nutarent, vel hęreſi infici viderentur: vbi primum ad ſedem Petri euecti, eam contigerunt, firmitatem in fide, & ſtabilitatem inde hauſtam ad vltimũ vſque vitæ ſpiritum conſtantiſsimè tenuerunt.

Baron. in Annal. anno 885. Pſal. 88.

Matth. 16.

Sed iam nouo accuſationis genere Magdeburgenſes centur. 10. cap. 6. col. 294. in Ioannem Decimumtertium inſurgunt, & loco decimoquarto nefandi erroris, immaniſſimique ſacrilegij reum ſtatuunt: eo quòd, vt dicunt, Chriſti inſtitutionis profanus tranſgreſſor, campanas cœperit baptizare. Miror cur etiam inſtruere non dixerint, & cathechizare, vt fidei ſymbolũ reſonare potuiſſent. Verùm æquè mendax eſt & procax Magdeburgenſium criminatio, ſiue rem ipſam, ſeu nomen carpant. Nuſquam enim apud nos campanæ baptizantur, ſed Eccleſiaſtico ritu, vt cernere eſt in Pontificali, benedicuntur, & diuino cultui, quemadmodum templa, altaria & ſacræ ſuppellectilis vaſa, & reliqua vtenſilia, fuſis ad Deum precibus dedicantur: Vbi nullo modo baptiſmi fit mentio, nec Pontifices baptiſmi nomen vnquam vſurparunt, ſed in vulgus obrepſit: quippe quod campanas benedici, & luſtrali aqua aſpergi, atque ad diſtinctionẽ nominibus inſi-

Digitized by Google

inſigniri aduertens, metaphoricè baptizari pronunciat. Vnde Nouatorum accuſatio euaneſcit; Attamen accuſandi rabies impacata non ceſſat, & nouis criminationibus Pontifices lacerat impudenter.

§. DVODECIMVM.

Gregorij Septimi accuſationibus ſatisfit.

DEcimusquintus Pontifex Gregorius Septimus numeratur, ad Pontificale ſolium anno 1073. euectus: quem hæretici, præ omnibus calumnijs impetunt, & tanquam ſedis Pontificiæ, imò nominis Chriſtiani propudium abominantur. Magdeburgenſes Centur. 11. cap. 10. mille modis incuſant, hæreticum, necromanticum, ſeditioſum, ſimoniacum, adulterum, dicere non erubuerunt: quin etiam quidquid veneni, & turpitudinis è Tartaro hauſerunt, in Chriſti Vicarium impudentiſsimè expuerunt. Vnde non ſolùm inter Pontifices peſſimũ, ſed inter Chriſtiani nominis profeſſores, imò homines vniuerſos, ſpurciſsimum appellarũt. Atque adeo non Gregorium, cùm Pontifex eſſet, nec ſicut ante Pontificatum dicebatur, Hildebrandũ vocãt, ſed Hellebrand, quod Tartari titionẽ Germanicè deſignat. Et ne in Dei Pontificem improbiſſimas calumnias finxiſſe videãtur, earum Authorem proferunt Bennonem quendam Pſeudocardinalem, eiuſdem Gregorij hoſtẽ infenſiſſimum. Is ea vixit ætate, & Gregorij vitam monumentis prodidit, non qualem ſanctiſsimus Chriſti Vicarius virtutibus adornauerat, ſed qualem totius humani generis ſceleratiſsimus degere potuiſſet. Vnde Bennonem vitæ omnino profligatæ, & conclamatæ iam peruerſitatis hominem extitiſſe fatendum eſt, qui tot confictis ſceleribus, & fœdiſſimis criminationibus pulcherrimam Pontificis vitam deturpauit; vel aliquem è Lutheranorum grege prodijſſe, qui Bennonis ſuppoſito nomine, falſis criminationibus fidem comparare decreuit.

At deceptus eſt impudens: neque enim Bennonis nomen eſt ita venerandum, vt propterea confictas ſub eo calumnias in confictorum ora proijcere vereamur. Quis Benno iſte? ob nominis affinitatem, & vitæ turpitudinem bucco, & blenno Pſeudocardinalis, quem Clemens Tertius ab Imperatore in Gregorij Septimi odium factus Antipapa, Onuphrio teſte in hiſtoria Pontificum, creauerat Pſeudocardinalem: vnde in verum Pontificẽ excandeſcens virus euomuit, & virum virtutibus clarum obducta turpitudinum nebula obſcurauit. At in media caligine veritatis ſplendor effulſit, quam plurimi, & graues Authores, in neutram partem propenſi, calamo nõ

offi-

Digitized by Google

officioſo reddiderunt: ijs certè, non Bennoni fides eſt adhibenda. Igitur per anacephaleoſim Authorum, qui eo tempore, & poſteriori æuo ſcripſerunt, Gregorij Encelogia numerabo: ex quibus Centuriatorum calumnijs iniuſtè laceratum fuiſſe demonſtrabitur.

Trithemius in Chronicis de Cōciliabulo Imperatoris ſcribens, ita de Gregorio ſubiungit: *Ad*
Trithem. *Concilium malignantium Gulielmus Abbas Hirſaugienſis vocatus ire contempſit: quipps qui Vicarium Chriſti ſanctum, & innocē-*
Otho Friſing. *tem nouerat*. Otho Friſingenſis lib. 6. hiſtor. cap. 32. *Hildebrandus*, inquit, *ſemper in Eccleſiaſtico rigore conſtantiſſimus fuit*: & cap. 34. *Forma*, inquit, *gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonſtrauit; ac fortis per omnia athleta, murum ſe pro domo*
Albert. Krant. *Domini ponere non timuit*. Krantius in Metropoli lib. 5. cap. 20. *Henricus IV.* ait, *Eccleſiarū iura inuaſit; Epiſcopos pro ſuo arbitrio inſtituens, deſtituensque, ſummū Pontificem Gregorium virū ſan-*
Naucler. *ctum inſectatus eſt*. Nauclerus in Chronic. gener. 37. *Vir* (inquit) *fuit Gregorius, religioſus, timens Deum, iuſtitiæ, & æquitatis amator, in aduerſis conſtans, qui propter Deum in his, quæ ad iuſtitiā pertinebant, nihil timuiſſet perfi-*
Lambert. Scaffnab. *cere*. Lambertus Scaffnaburgenſis eiuſdem æui Scriptor, in hiſtoria Germanica: *Hildebrandi*, inquit, *conſtantia, & inuictus aduerſus auaritiam animus, omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ*. Item, *Signa, & prodigia, quæ per orationes Gregorij Papæ frequentiùs fiebant, & zelus eius feruētiſſimus pro Deo, & Eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorū linguas communiebant*.

Illud etiam magni momēti eſt, quod de Gulielmo Traiectenſi Epiſcopo refert. Is enim cùm antea Gregorium vnà cum Bennone oppugnaſſet; iam iam moriturus ſuam teſtatus eſt iniquitatem, & Gregorij innocentiam.
Repente, inquit, *grauiſſima ægri-* *Lam. vbi ſup.*
tudine correptus, miſerabili eiulatu coram omnibus vociſerabatur, iuſto Dei iudicio ſe, & præſentem vitam amiſiſſe, & æternam; quòd Regi ad omnia, quæ perperam intendiſſet operā ſuam ſummo anniſu præbuiſſet; atque in ſpem eius Romano Pontifici Sanctiſſimo, & Apoſtolicarum virtutū viro, graues contumelias ſciens prudenſque innocenti irrogaſſet. Tandem Diuus Anſelmus Gregorij defenſionem acriter ſuſcepit, vt Ab- *Abbas*
bas Vſpergenſis teſtatur his ver- *Vſperg.*
bis: *Hæc priori ſententiæ valde contraria ſcripſit Anſelmus Epiſcopus, vir litteris apprimè eruditus, ingenio acutiſſimus, facundia præcipuè, & quod omnibus maius eſt, in Dei timore, & ſancta conuerſatione nominatiſſimus: adeo vt tam in vita, quàm poſt mortem referatur miraculis clarus*. En

qua-

Digitized by Google

quales homines, & quales viri Gregorium laudant, eiuſque innocentiam propugnant. Quidni his laudatoribus, & propugnatoribus aſſentiar, inuerecundumque Bennonem cum ſuis bucconibus deteſtabor? Vos etiam Chriſtianæ aures, quæ huius Moab ſuperbiam audiſtis, dicite, contumelioſus eſt valde; & mecum pariter deteſtamini, iterumque replicate:

Iſai.c.16 *Non ſic diuinatio eius, non ſic*; ſeu magis arridet: *Non ſic ſermones eius, non ſic*; hoc eſt non vt improbus iſte effutit, ſe res habet: longè alius eſt Gregorius, quàm ille mentitis coloribus depingit.

Alijs parco, quia inſtituti mei eſt Gregorij fidem probare, non vitam. Duo potiſsimum fidei contraria oppoſuit Benno. Alterum, quòd Gregorius nequaquam ſacro Cardinalium ſuffragante Senatu, nec Cleri Populique Romani conſenſu, ſed pecunijs emptam, & armorum vi occupatam ſedem Apoſtolicam impiè, & ſimoniacè conſcenderat. Impudens tamen, turpiſsimumque eſt hoc Bennonis mendacium; quod ſeruata diuinitus electionis Gregorij forma demonſtrat: Igitur teſte Platina in

Platina. hiſt. Pontificum, ita habet: *Nos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri, præſentibus Epiſcopis, Abbatibus, multiſque, tùm eccleſiaſtici, tùm laici ordinis, elegimus hoc die 10. Kal. Maij in Baſilica S. Petri ad Vincula anno ſalutis 1073. in verũ Chriſti Vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtãtiæ, religionis, modeſtũ, ſobrium, continentem, &c.*

Idem etiam colligitur ex Epiſtola S. Anſelmi, quam eo tempore ad Guibertum Antipapam, dictum Clementem Tertium, ſcripſit. *Vt ergo*, inquit, *de B. Gregorio Patre noſtro dicam, quod de Cornelio ſcripſit Beatus Cyprianus, factus eſt Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio; de Clericorum pene omnium, & vt veriùs dicam, omnino omnium teſtimonio; de plebis, quæ tunc aderat ſuffragio; de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Alexandri locus, ideſt, cùm locus Petri, & Cathedra Sacerdotalis vacaret.* S. Anſel. Vides quàm adamuſſim D. Anſelmi epiſtola cum memorata electionis forma cohæreat. Illud autem Bennonis mendacium validiùs expugnat, quod Baronius ad Chriſti annum 1073. ex actis Vaticanis producit, vbi Gregorij res geſtę enarrantur, ibi. *Defuncto Alexandro Papa, & in Lateranenſi Eccleſia honorificè tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus eſſet in eius obſequijs occupatus, repente factus eſt in ipſa Eccleſia maximus Cleri, & Populi Romani concurſus clamantium, & dicentium: Hildebrandũ Archidiaconum B. Petrus elegit.* Baron. tom. 12. an.Dom. 1073.

Cùm

Cùm autem Gregorius, tunc Hildebrandus, ſuam promotionem totis viribus impedire niteretur, & Clero, Populoque Romano, ac cæteris Electoribus perſuaderet alium in Pontificem cooptare, quaſi ſui impos præcipiti curſu ad pulpitum pergebat, vt ex eo loco Populum, & Clerum ad alium eligendum hortaretur. Quod præuidens Hugo Cardinalis, vir candidæ, & ſanæ mentis, locũ præoccupauit, indeque circũſtantes omnes, qui pro eligendo Hildebrando adnitebantur, ita fuit allocutus: *Ecce chariſſimi fratres, ſcitis, & indubitanter cognoſcitis, quòd à diebus B. Leonis Papæ hic Archidiaconus, tanquam vir prudens, atque probatus, hanc ſacroſanctam Romanam Eccleſiam plurimùm exaltauit, & Ciuitatẽ ipſam ab imminentibus periculis liberauit. Vnde quia idoneiorem ad Eccleſiæ regimen inuenire nequimus; Nos Epiſcopi Cardinales vnanimiter ipſum nobis, & vobis in Paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum eligimus. Et continuò, vniuerſitate Populi, & Cleri acclamante, Dominum Gregorium Papam ſanctus Gregorius elegit, indutus rubea chlamyde, ſicut eſt mos, & Papali mytra inſignitus, inuitus, & mœrens in B. Petri Cathedram fuit inthronizatus.* Magna deinde aſſentientis populi acclamatio exorta; quã Alphanus Salerni Archiepiſcopus aſpiciens, metrica oratione in Deum bonorum omnium authorem, his carminibus cuncta retulit gratulabundus, ipsũ pro Gregorij incolumitate precatus.

Hug. Car.

Archiapoſtolici qui culmine fulget honoris,
Protege Gregorium, ſcis quem amare Petrum.
Septimus in numero vigilantum ĩ munera ſeptem
Poſſideat ſemper flaminis ille tui.

Alphan.

Alterum à Bennone confictum eſt; vt Gregorium affirmarit Berengarium fuiſſe, nimirùm, in Euchariſtia Chriſti corpus adeſſe non certò crediſſe. Sed facile conuincitur falſitatis improbus calumniator. Nam Gregorius, vt vidimus, ab omnibus pene authoribus Sanctus appellatur; Leoni Nono, & Nicolao Secundo, qui Berengarium damnarunt, sẽper communicauit. Deinde in Concilio Turonenſi, ſummi Pontificis Legatus, & Præſidens, Berengarium confutauit, vt Guitmundus lib. 3. de Euchariſtia ſcribit. Quam verò fidem Archidiaconus habuit, ac in Turonenſi Concilio oſtendit, eandẽ ad Pontificatum euectus firmiorem retinuit. Vnde in Romano Concilio anno 6. ſui Pontificatus celebrato, contra Berengarium ſententiam tulit, quam Thomas Vualdenſis tom. 2. de Sacramen. c 43. producit; vbi Gregorij fides incorrupta cernitur, & impudens Bennonis mendacium confutatur.

Guitmũdus. Vualden.

§. DE-

§. DECIMVMTERTIVM.

Syluester, & Ioannes Vigeſimusſecundus ab infidelitate liberantur.

SYlueſtrum Secundũ loco decimoſexto, Magiæ, & Necromantiæ deditũ inſimulãt Magdeburgenſes centur. 10. cap. 10. quibus adhæret Tilmanus lib. 1. cap. 9. de Eccleſia. Vnde in Templo S.Crucis in Hieruſalem à diabolo diſcerptũ fuiſſe teſtatur Martinus Polonus in Chronico. Sed quò non abit hæreticorum impietas? param ſibi finxiſſe viſa eſt, ſi Pontifices hæreſis macula reſperſos prædicaret; niſi etiam adderet Dæmonem pro Deo venerari; quod Magis, & Necromanticis familiare eſt. Fabulamenta ſunt iſta, quæ de Sylueſtri Secundi Necromantia, & interitu ab Hereticis ſcribuntur: nec ab alio præter ipſos boni nominis authore inculcantur. Quin etiam Sergij Quarti Pontificis optimi Epitaphium de Sylueſtro, quo annis quinque poſterior fui, hæreticorum mendacium refellit, & Sylueſtri probitatem commendat. Et verò Syluester Geometriç peritiſſimus extitit, & plurimos de ea libros conſcripſit. Cùm autem ſæculi illius 900. infælicitate, & ſterilitate plumbei, & ferrei, magna litterarum, & Scriptorum inopia vigeret; vnde obſcurum à Chronologis appellari conſueuit; quicunque philoſophicis, aut mathematicis incũberet diſciplinis, vulgò Magîam colere exiſtimabatur, vt Onuphrius in annotationibus ad Platinam aduertit. *Panuin.*

Decimusſeptimus Pontifex inuenitur Ioannes Vigeſimusſecundus, quem non pauci, præſertim Guillelmus Okam, in opere 93. dierum, & Adrianus in quæſt. de confirmat. coarguunt: eo quòd Beatorum animas vſque ad reſurrectionem Dei conſpectu nõ fruituras docuerit. Idem addita laciniа recenſet Eraſmus in præfat. ad lib. 5. Irenæi, *In quo errore, inquit, fuiſſe videtur Ioannes Põtifex Romanus, eius nominis Vigeſimus, coactus opera Theologorum Pariſiorum ad palinodiam coram Galliarum Rege Philippo, nõ ſine buccina: quod indicat Ioãnes Gerſon in ſerm. de Paſchate.* *Okam.* *Adrian.*

Caluinus etiam inuidiæ ſtimulis, vel rabido furore agitatus, in eundem Pontificem calumniæ venenum expuit. Vnde Romanæ Eccleſiæ priuilegium minimè ferens, quo ſuos Pontifices nulla hæreſis macula reperſos habuerit, & ſemper eſt habitura; de Ioanne noſtro aſſeruit lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 28. quòd mortales eſſent animæ, tenuiſſe, & pariter credendum docuiſſe. *Atqui*, inquit, *ſi priuilegium, quod obtendunt, ratum eſſe volunt, expungant è numero Pontificum oportet Ioannem Vigeſimumſecundũ, qui palàm aſſeruit animas eſſe mortales,*

vna-

Digitized by Google

vnaque cum corporibus interire, vſque ad diem reſurrectionis. Atque vt videas totam Sedem cum præcipuis ſuis fulturis, tunc prorſus concidiſſe; nemo Cardinalium huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuit: ſed ſchola Pariſienſis Regem Galliæ impulit, vt ad palinodiam hominem cogeret: Rex eius communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret; idque de more publicauit per præconem: hac neceſſitate adactus ille errorem abiurauit. Hoc dicit Caluinus, nec aliter probat, quàm margini adſcribendo: *Teſtis eſt Ioannes Gerſon; qui tunc viuebat.*

Verùm priuſquam obiecta Caluini mendacia diluamus, ingenuè fatemur, Ioannem Vigeſimumſecundum in ea fuiſſe ſententia, vt animas Dei viſione, nō niſi poſt reſurrectionem, fruituras arbitraretur. At tunc nec hæreſis, nec ipſius vmbra in tali aſſertione claudebatur, cùm nulla Eccleſiæ definitio præceſsiſſet: Vnde liberum cuique erat ea de re abſque hæreſis periculo opinari. Meditabatur autem Ioannes quæſtionem definitione terminare, cùm iam conſultationibus,& præludijs diſtētus morte præoccupatur. Teſtis eſt Benedictus Duodecimus in extrauag. quæ incipit. *Benedictus Deus* quam refert integram Alphonſus de Caſtro lib. 3. contra hæreſ. verbo, *Beatitudo*. Ioā-nes Villanus lib. 11. hiſtor. c. 19. de eodem Ioanne Vigeſimo ſecū-do affirmat, eum pridie ante mortem partim declaraſſe, & partim reuocaſſe ſententiam ſuam. *Primùm enim teſtatum, ſe nunquam cùm de hac re loqueretur, quæſtionem definire in animo habuiſſe; ſed ſolùm diſſerere ad veritatem inueſtigandam. Deinde addidiſſe, exiſtimare ſe iam probabiliorem ſententiam eſſe eam, quæ aſſerit Beatos frui viſione diuina, etiam ante diem Iudicij; & hanc ſentētiam ſe amplecti, niſi aliquando aliud Eccleſia definiret; cuius definitioni ſuas omnes ſententias libentiſſimè ſubijceret.* Hæc retractatio apertè docet, Ioannis Papæ mentem ſemper bonam, & Catholicam fuiſſe.

Alphonſ. de Caſtro
Io. Villan

Sed iam ad Caluinum verto calamum, & pauciſsimis quinquies enormiter mentitum demonſtro. Primum enim, quod ait, Ioannem Gerſonem tunc vixiſſe, falſum eſt, vt Ioannes Villanus lib. 11. c. 19. ex vera aliarum hiſtoriarum Chronologia demonſtrat. Ioānes enim Vigeſimus ſecūdus obijt anno 1334. At verò Thritemius de Viris Illuſtribus Ioannem Gerſonem anno 1363. in lucem editū teſtatur: vnde Ioannes Gerſon, nondum natus apparet, cùm Ioānes Papa vita functus deſcribitur.

Secundò mentitur Caluinus, dum Gerſonem confingit affirmātem animarum immortalitatem à Ioanne Pontifice negatam: nihil enim circa huiuſmodi aſſertionem, quod Ioannis errores con-

tin-

tingat, à Gerſone traditum inuenitur, niſi in ſerm. de Paſchate tom.4. ex quo ſequens locus cõtra Ioannis errorem ab omnibus
Io. Ger. frequenter producitur. *Hoc fecit latroni, qui veriſimiliter nondum compleuerat pœnitentiam pro omnibus peccatis ſuis, qui fuit illa propria hora beatificatus, & vidit Deum facie ad faciem, ſicut Sancti in Paradiſo: propter quod inſuper apparet falſitas doctrinæ Papæ Ioannis Vigeſimiſecundi.* Hæc ille; nec vltra progreditur, aut quæ fuerit doctrina Pontificis exponit. Verum tamen eſt, quòd dum ex memorata latronis hiſtoria, Ioannis Papæ doctrinam falsã apparere teſtatur, quia latro ſtatim vt obijt Deum vidit; apertè ſatis innuit, Ioannis errorem in eo conſtitiſſe, vt Sanctorum animas, mox vt è corporibus ſoluebantur, Dei viſionem non obtinere crediďiſſet. Quòd autẽ animarum immortalitatem negauerit, nec à Gerſone, nec ab alio præter Caluinum, ex Scriptoribus traditum reperitur. Quinimo nec ipſe Guillelmus Okam, licèt inteſtino odio Ioannem Vigeſimumſecundũ perſequeretur, tam impudens auſus eſt mendacium propalare. Cæterùm iam fabuloſum Caluini inuentum ſubodorari mihi videor. Error ille, quem hæreticus in Pontificem retulit, ab ipſo non error, ſed doctrina omnino vera reputatur. Quoniã lib. 3. inſtit. cap. 20. aſtruit, ſolum Chriſtum eſſe in cælo, reliquos Sanctos, in quodam atrio vſque ad mundi conſummationẽ detentos immorari. Et §.24. ait, Sanctos mortuos vnà nobiſcum adhuc eſſe fide coniũctos. Quod ſi fidem habent, non igitur Deum vident. Quoniam verò Caluinus à ſe reprehendi non poſſe cognouerat, quod alij in Pontifice ſuggillabant; & aliunde nullam ipsũ redarguendi prætermittere volebat occaſionem: idcirco ad magiſtrum ſuum, & mendaciorum parentem confugit, & inſignem ab eo calumniam mutuatus, in Dei Vicarium reiecit.

Tertiò conuincitur mendacij Caluinus aſtruens, neminem ex Cardinalibus, Ioannis Vigeſimiſecundi ſententiæ ſe oppoſuiſſe; contrarium namque ex multis cõſtat. Primò: Nec Gerſon, nec alius id ſcripſit. Secundò, plurimi ex Cardinalibus oppoſitum ſentiebant, vt patuit ex definitione, quæ mortuo Ioanne facta eſt à Benedicto Duodecimo de conſenſu omnium Cardinalium, vt ex ipſa epiſtola Benedicti perſpicuum eſt. Nec erat cauſa, cur iſti, qui contrarium ſentiebant, metuerẽt viuenti Ioanni contradicere: ſiquidem Benedictus Duodecimus in ſua extrauaganti aſſerit Ioannẽ Papam ſeuerè præcepiſſe Cardinalibus, alijſque Doctoribus, vt ſyncerè dicerent quid ſentirent, vt veritas inueniri poſſet. Denique Ioannes Villanus, qui tunc

viue-

viuebat, lib. 10. cap. vltimo hiſtoriæ, ſcribit maiorem partem Cardinalium repugnaſſe Ioannis opinioni illo viuente.

Quartò mendax deprehenditur Caluinus, dum Galliæ Regem Ioannis communionem ſuis interdixiſſe perhibet. Quòd autē Pariſiēſibus Doctoribus magis quàm Pontifici, vt particulari Doctori de illa quæſtione differenti, Philippus Galliarum Rex credidiſſet, loco citato tradidit Gerſon. At verò communicationem à Rege interdictam nuſquam meminit. Et certè de Chriſtianiſsimo Rege credendum non eſt, vt tale quid, auſu parum Chriſtiano, in Chriſti Vicarium aggrederetur.

Quintum mendacium eſt: Nuſquam viſa Pontificis abiuratio? Certè non illam audiuit, nec ſcripſit Gerſon; non eius ætatis Scriptores alij, nec ſubſequentis, Pontificem errorem ſuum abiuraſſe monumentis tradiderunt. Et cur abiuraret errorem, qui nequaquam errorem admiſiſſe tunc exiſtimari debuerat? Sententiam ſuam pridie quàm moreretur, affinium ſuaſu, non Regis imperio retractauit. Videndus Ioannes Villanus lib. 11. cap. 19. Hinc etiam Eraſmi calumniæ deteguntur: neque enim verum eſt Ioannem Vigeſimumſecundum adactum ad palinodiam; & multo minus verum eſt id factum eſſe coram Rege Philippo, vt hiſtoriarum ordo, & vera temporum ſupputatio demonſtrat.

Ioan. Vill.

§. DECIMVMQVARTVM.

Ioannis Vigeſimitertij, Eugenij Quarti, & Innocentij Octaui deſenſionem continet.

Decimusoctauus, quem ob hæreſim corrodunt Nouatores authoritate Concilij Conſtantienſis innixi, Ioannes Vigeſimustertius recenſetur, quem ſeſſ. 12. turpiſsimæ hæreſis reum accuſauit idem Concilium, videlicet; Quòd vitam futuram, & carnis reſurrectionem negauerit. Verùm nec oppoſitam Ioanni calumniam omnino certam exiſtimo: nec ipſe verus, ac indubitatus Pontifex habetur, vt propterea ad ipſius defenſionem calamo obarmati prodire teneamur. Quid enim noſtræ aſſertioni derogat, ſi is qui verus Pontifex non extitit, in hæreſim laberetur? qui ſolos Eccleſiæ Paſtores, & legitimos Petri ſucceſſores, fidei firmiſſimæ priuilegio fruituros ſtatuimus. Quòd autem Ioannis Pontificatus nō fuerit omnino certus; ex eo apparet, quia tres eodem tempore vixerunt, qui ſibi Petri ſucceſsionē legitimè vindicabant; nec ſingulis deerant cauſæ defenſores: Gregorius Duodecimus, Benedictus Decimustertius, & Ioannes, de quo agimus.

Iam verò calumnia plùs videtur rumore vulgi diſperſa, quàm conſtanti aſſertione, & probatione oppoſita. Cùm enim perditam Ioannis vitam, & profligatos mores vulgus aduerteret, ſuſpicari, & viritim ſpargere cœpit, illum, nec futuræ vitæ, nec reſurrectionis fidē habere. Quapropter Cōcilium cauſas damnationis, & depoſitionis aduerſus Ioannem recenſens, nuſquam hæreſis meminit, quæ ſola, imò nulla iuſtior erat, ob quam iudicari, & à Concilio deponi deberet. Vnde licèt inter quinquagintatres articulos ad mores ſpectantes oppoſitos, penultimo loco is, de quo ſermo eſt, inſeratur; poſtea recenſitis alijs, iſte quia falſus apparuit; & rumore incerto ſparſus, ſupprimitur; vt videre eſt ſeſſ. 12. eiuſdem Concilij, quod obiectā contra Ioannem hæreſis calumniam tanquam falſam, & minimè probatam reiecit. Nec certè ex prauitate vitæ illius Pontificis infidelitas arguebatur: cùm firmiſſima in multis fides reperiatur, qui tamen perditè viuunt. Nos autem in Petri Cathedra ſolos infideles nunquā ſeſſuros affirmamus; licèt interdum ab improbis, permittente Deo, fuerit occupata.

Concil. Conſtan.

Decimumnonum commemoro Eugenium Quartum, quem Baſileenſe Concilium è Petri ſolio deiecit, eo quòd in hæreſim inciderit, vt cernere eſt ſeſſ. 34. Verùm etiam hic ab hæreſi immunis reperitur: & ideō Concilium Lauſanæ continuatum, probata Eugenij innocentia, & fidei integritate, priora contra ipſum acta reuocauit: Et conſequenter Nicolaum Quintum Eugenij Succeſſorem, vt verum Pontificem coluit, & excepit, vt ipſius Nicolai Quinti Epiſtolæ Baſileenſi Concilio adiunctæ in tomis Conciliorum manifeſtant.

Accuſatur etiam Vigeſimus à Nouatoribus Innocentius Octauus: eo quòd, teſte Volaterrano libro 7. Geographiæ, Noruegis permiſerit Miſſæ ſacrificium abſque vino peragere. At etſi id permiſerit, quod tamen nullo decreto ſanciuit, nec licitam ſine vino futuram Miſſæ celebrationem, nec item pro vino aliam conſecrationis materiam ſubrogari poſſe decreuit; non dogmate, ſed facto erraſſe iudicandus erit. Præterea non aliud videtur permiſiſſe, quàm vt ob extremam vini inopiam, quæ in illis regionibus vigebat, in altera tantùm ſpecie conſecratio fieret: in quo, & nullus, vel certè non manifeſtus error inuenitur. Quamquam, & valde ſuſpectum mihi eſt, Noruegos, tanta vini inopia laboraſſe: vel quod haberent, quin illico fieret acidum, conſeruare non potuiſſe; Cùm modo in ijs Regionibus magna ſit vini copia, & adeo frequens vſus, vt abſque illo communicare non patiantur.

Clau.

Claudo Pontificum accuſationem, & defenſionem, nec vltra numerum vigeſimum placuit extendere; quia licèt in eo non ſteterit Nouatorū rabies, ſed etiam in alios iram ſuam profuderint, & varijs accuſationibus venerandum Pontificum nomen proſciderint; cùm tamen fidei ſtabilitatem non tangant, vel ita leuia ſint, & ridenda, quæ obiectant, vt exſibilari potiùs quàm oppugnari debeant; idcirco in ijs recenſendis calamum deterere ſuperuacaneum duxi. Interim tamen Lectorem admoneo, ne ſtrictè nimis in his, quæ retulimus, Pontificum ætates, & temporum Chronologias exquirat. Nam licèt vt plurimum id curauerimus; quia tamen magna eſt Scriptorum in ſupputationibus varietas, & alij alia opinantur, nec idem vitæ ordo in Pontificibus, qui accuſationis in Nouatoribus extitit; Idcirco quales, & quo loco protulit criminantium calumnia, noſtra reddidit, ac propugnauit defenſio. In qua non poſſum non admirari, vt eos tantum, quos recenſuimus, infidelitatis inſimularint hæretici in tam numeroſa Pontificum ſobole, qui ſupra ducentos trigintanouem à Petro numerantur: quam ſummam Vrbanus Octauus auſpicatiſsimo nomine, & numero complet. Et quidem, D. Ambroſio teſte, numerus iſte ſpei, & virtutum perfectionem deſignat; Et neſcio quid non magni Vrbani nomen, non Vrbi tantùm, ſed Orbi deſtinatum ſpondet. Vrbanos recole, & Primum martyrio nobilem inſpicies, qui ſedem Pontificiam, & Romam meliore purpurauit ſanguinis purpura, quàm qua ab illa fuerat purpuratus.

Secundum ſcriptis clariſsimum, magis etiam, quòd de eo meritò dici poſsit.

Nec Romula quondam *Virgil. 6. Aeneid.*
Vllo ſe tantū tellus iactabit alūno.
Heu pietas, heu priſca fides, inuictaque bello
Dextra.

Qua propellente factum, vt ſeptingenta Chriſtianorum peditum millia, Equitum millia centum, Godefrido Bullonio Duce, Palæſtinam peterent, nón fælici magis euentu, quàm memorando conatu.

Tertium videbis pietate, & animo parem, qui captæ à Sarracenis Hieroſolymæ cùm ſupereſſe nollet, ad meliora à Deo rapi precibus meruit: dignior, qui diu Orbi præeſſet, quàm Orbis, qui diu hoc potiretur.

Quartus ille eſt, qui generoſo, & prudenti auſu contra Manfredum Saracenorum copijs ſubnixum crucem erexit, hoſtem pepulit, pacem Italiæ dedit.

Quintus rara omnino virtute, & animi robore Vicecomitem Barnabonem incubantem Italiæ, & extrema Eccleſiæ minantem,

turpem fugam arripere compulit.

Sextus ſchiſma tulit Italiæ, Germaniæ, Hungariæ manibus vicit: Priuati, publicique Iuris peritiſsimus; & ille ſede, ac illo digna ſedes extitit.

Septimus vir fuit omnino magnus, pietate, moribus, eruditione: de quo illud à Poëta vaticinatum credi poſſet.

Oſtendent terris hunc tantùm fata, nec vltra
Eſſe ſinent.

De octauo taceo, & verè dicam, ſi dixerim illum eſſe, qui præ omnibus, & ex omnibus Vrbanus eligi debuiſſet, vt ſub ſapiētiſsimo Pontifice omnes litteræ viuerent, quæ in ſingulis alijs vllo ſæculo vixerunt: ſub prudentiſsimo Præſule virtutes omnes admirando per tredecim iam annos regimine creſcerent: ſub vigilantiſsimo Paſtore Romana Eccleſia fæliciter reſpiraret; de cuius fidei ſtabilitate elogium inſtituo pulcherrimum.

§. DECIMVMQVINTVM.

Eccleſiam Romanam, vt particularis Eccleſia eſt, à fidei integritate nuſquam defecturam ſtatuitur.

Qvemadmodū à Petri ſede Pontifices eam in fide ſtabilitatem hauriunt, vt etiam quatenus particulares perſonas à fide non poſſe recedere ſtatuerimus; ſic Romanam Eccleſiam ſpeciali priuilegio eam fidei conſecutam eſſe firmitatē, vt quatenus particularis Eccleſia, nuſquā à fide defectura ſit, indubitāter aſtruamus.

Præit in hac aſſertione Belarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 4. vbi illum nobis aſſentientem reperies. Dupliciter verò intelligi poteſt aſſertio: Vt Romana Eccleſia, vt particularis eſt, errore perſonali infici nequeat; ita vt Romæ, quandiu ibi ſedes Apoſtolica perſtiterit, omnes à fide recedant, & nulli, qui Pontifici adhæreant, fideles inueniantur. Secus ſi Petri ſedes inde transferri cōtingat. Secundò, quia ſimpliciter errare nequit: eo quod Apoſtolica ſedes nequaquam Roma aliò transferri poſsit. Et quidem ſecundum priorem ſenſum Belarmini ſententia veriſsima eſt. Nam Authores ſupracitati, videlicet, Lucius, Fælix, Papæ & Martyres, Agatho, & Nicolaus, Papæ & Confeſſores; item Cyrillus, & Ruffinus; non ſolùm Catholicæ Eccleſiæ Pontificem, ſed etiam Romanam Eccleſiam, ab omni in fide errore immunem futuram aſtruxerunt. Idem etiam ſenſit Cyprianus lib. 1. epiſtol. 3. Hieron. lib. 3. apolog. contra Ruffinum, & Gregorius Nazianz. in carmine de vita ſua ante medium hæc habet. *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet Vrbem, quæ ſoli Orbi præſidet: ſemper de Deo integram fidem habet.*

Belarm.

Cyprian.

Hieron.

Gregor.

Quòd

Quòd ſi propoſitam aſſertionē ſecūdo ſenſu accipias; adhuc probabiliſſimum reor, Eccleſiam Romanam à fide nullatenus defecturam: licèt hoc non ita certum exiſtimem, vt oppoſitum manifeſti erroris, aut hæreſis damnare auſim. Ita cenſuit Ioannes Driedo lib. 4. cap. 3. par. 3. de Eccleſiaſticis dogmatibus, & ſcripturis. Driedo. Quòd autem non ſit omnino de fide, vt ſedes Apoſtolica à Romana Eccleſia ſeparari non poſſit; exinde probatur; quia nec ex ſcriptura, aliquaue traditione conſtat, ſedem Apoſtolicam Romæ ſic immobiliter permanſuram, vt inde mutari non poſſit. Quin etiam Patrum, & Pontificum teſtimonia, qui Romanam Eccleſiā in errorem incidere nō poſſe tradiderūt; de Romana Eccleſia, quatenus ibi Apoſtolica ſedes permaneat, intelligenda videntur, non autem ſi inde transferatur. Cæterùm pietati conſonum, & probabiliſsimum exiſtimo, Petri ſedem Roma non auellendam: atque adeo Romanā Eccleſiā in fide ſtabilem permanſurā, nec vlla hæreſis macula abſolutè inficiendā.

Probatur ſecundò ex ſtabilitate, qua ſedes Apoſtolica, ingruentibus tot perſecutionibus, Romæ permanſit: maximè, quia imperātibus Ethnicis, ſuberat occaſio ſedē aliò transferendi; cùm ipſi Romæ ſedem permanere impatiēter ferrent. Vnde vbi primum ipſis innoteſceret quempiam renunciatū eſſe Pontificem, illico morte, exilio ue mulctabant. Hinc eſt illud D. Cypriani Elogiū, quo S. Cornelij Papæ conſtantiam deprædicat. D. Cypr. *Quanta*, inquit, *in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus! Quantum robur animi, qualis firmitas fidei! Sediſſe intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cùm Tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; cùm multo patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduerſum ſe æmulum Principē, quàm cōſtitui Romæ Dei Sacerdotem.* Ita ille lib. 4. epiſt. 2.

Secundò magna ſe obtulit occaſio Gothorum tempore, vt ipſis regnātibus ſedes Apoſtolica mutaretur. Siquidem Alaricus Innocentij Primi Pontificatu Romā cepit, ſpoliauit, incendit. Author eſt D. Hieronymus epiſt. ad Principiam de obitu Marcellæ. D. Hier. Poſtea ſub Leone Primo Genſericus, teſte Blondo lib. 4. decadis primæ, Romam iterum inuaſit, ac ita ſpoliauit, vt per aliquod tempus habitatoribus deſtituta permanſerit. Blond. Præterea Totila tempore Vigilij Pontificis Romam euertit, mænia magna ex parte deiecit, dirutiſque, & incenſis ædibus fere omnibus, Vrbem in eam coegit ſolitudinem, vt nullus nec vir, nec fæmina fuerit ſuperſtes: Ita ſcribit idem Blondus lib. 6. decadis primæ. Blond. Quid de Longobardorum tempore commemorem? ipſis enim dominantibus, Ponti-

fices incredibiles paſsi ſunt cala-
D.Greg. mitates, ſi D. Gregorio creden-
dum eſt; qui plurimis epiſtolis id
ſcripſit: Et tamen nuſquam inue-
nimus, quòd ferociente tyranno-
rum immanitate, Pontifices de
transferendo Roma ſolio cogi-
tarent.

Tertiam adde occaſionem; Cũ
ſedes Apoſtolica mutari potuit,
ætate nimirum S. Bernardi, in
qua Ciuium Romanorum atrox
adeo in Pontifices exorta eſt per-
ſecutio, vt plurimi Ciues Romani
ipſos hoſtiliter inſequerentur, &
ſæpius ad necem quæſitos exilio
vitam redimere compellerent: vt
ex hiſtoriarum monumentis con-
S.Bern. ſtat. Idemque S. Bernardus epi-
ſtol. 245. ad Populum Romanum,
& epiſt. 243. ad Conradum Impe-
ratorem commemorat.

Cæterùm nuſquam tranſlationi
propior mihi viſa eſt Romana Ec-
cleſia, quàm dum per ſeptuaginta
annos Romani Pontifices Aue-
nione in Gallijs cum tota ſimul
Curia permanſerunt: Et tamen
cùm procul à Roma tandiu mo-
rarentur, nec ſedem tranſtulerunt,
nec Romanum Epiſcopatum pro
Auenionenſi permutarũt. Ex qui-
bus in promptu eſt exiſtimare,
Romanam ſedem nuſquam ab Vr-
be transferendam: ſiquidem tot
occaſionum concurſu, in quibus
mutanda videbatur, fixa, & im-
mobilis permanſit.

Nec pro aſtruenda huiuſmodi
ſtabilitate parum conducit, quòd
Deus ipſe Petri ſedem Romæ col-
locari præcepit. Et verò quæ
Dei iuſſu peraguntur, ab homi-
nibus peruerti, & immutari non
poſſunt. Dubitandum autem non
eſt, ſedem ad Dei imperium Ro-
mæ conſtitutam. Id enim teſta-
tur B. Marcellus Papa, & Martyr Marcell.
in epiſtola ad Antiochenos; vbi Papa.
Petrum iubente Chriſto ſedem ex
Antiochia Romam tranſtuliſſe aſ-
ſeuerat. Id etiam tradidit S. Am- D.Ambr.
broſius oratione de tradendis Ba-
ſilicis: in qua propterea fugienti
Petro Chriſtum apparuiſſe ſcribit,
eique locutum Romam reuerti,
vt pro Petro iterum crucifigere-
tur; vt Petrus hac Redemptoris
cohortatione factus animoſior,
Vrbem repetẽs, pro Chriſto mo-
reretur, & morte ſua tanquam
pretio, ſedem Romæ firmandam
promereret. Huc etiam refero
illud S. Leonis ſerm. 1. de Natali
Apoſtolorum Petri, & Pauli. *Tro-* D. Leo.
*phæũ Crucis Chriſti Romanis ar-
cibus inſerebas, quò te diuinis
præordinationibus anteibant, &
honor poteſtatis, & gloria paſto-
ris*. Ita ille.

Quòd ſi opponas, factum ar-
gumentum non ſolum probabili-
ter, vt hactenus ſtatuimus, ſed etiã
de fide, ſedem Romæ permanſurã
demonſtrare. Cùm enim ex Dei
iuſſione ibi conſtitutam aſtruat;
quis neget iuxta fidem tenẽdum,
nuſquam inde auellendam? Cùm
Dei iuſsiones, & ſtatuta ab homi-
nibus eludi nequeant. Cæterùm
hoc

Digitized by Google

hoc Marcelli, & Leonis narratione conſtat, non definitione, atque adeo fidei decretum non important: non enim idem valent Pontificum narrationes, atque decreta. Dupliciter tamen intelligi poteſt, quod enarrant; videlicet, Petrum Chriſti iuſſione ſedem Romę collocaſſe: Primò ſi Dominus palàm ſe videndum Petro exhiberet, eique ſedem ibi figere pręciperet, & tunc ex diuino præcepto dici deberet conſtituta. Secundò, vt non aperto imperio, ſed interna Chriſti inſpiratione, Petrus ſedem illuc tranſtuliſſe credatur: Quo certè modo omnia Eccleſiæ præcepta reputari poſſunt diuina; & tamen mutationi ſubiecta, quis neget, cùm temporum decurſu nō ſemel immutari deprehendat? Pręterea, dato quòd Dominus viua voce Petro ſedem Romæ figere præcepiſſet; non continuò ſequeretur, quòd immobiliter ibi ſtatueret collocandam: atque adeo cùm nobis incognitum ſit, an ſub ſtabilitatis conditione Petro iuſſerit ſedem Romæ conſtituere: idcirco non Diuino, immutabilique præcepto, nec de fide ibi collocatam ſtatuimus: ſed tanquam pium, & probabiliſsimum in Vrbe Deo iubente ſitam, in eaque ſemper manſuram atteſtamur.

Nec quidquam obeſt, quòd ſæuiente Antichriſti perſecutione Romana Ciuitas euertenda ſit, &
Apoc.17 penitus defauillanda, vt ex cap. 17. Apocalypſis deduci videtur. Quoniam hoc ſub ipſum mundi iam occidentis interitum eueniet. Nedum quod Auguſtinus, & alij in Vrbe euertenda, non Romam, ſed impiorum multitudinē præſignari opinantur; & deinde Pontifex Roma exulans, ſicut Totila regnante, ſcripſimus, Romanus Pontifex dicetur.

Atque hæc pro Romanæ Eccleſiæ, vt particularis eſt, immobilitate aſtruenda prælibaſſe, ſit ſatis. Alias iam Petri pręrogatiuas proſequamur.

CAPVT XII.

Quarta Petri prærogatiua, & quinta proponitur; ex quibus etiam Apoſtoli Monarchia demonſtratur.

QVaternarium prærogatiuarum, quibus Petrus claruit, numerū complet ordo, quem Dominus Ieſus in celeberrima pedum ablutione ſeruauit, à Petro exorſus: de qua Ioan. cap. 13. *Cœpit lauare pedes diſcipulorum* *Ioan.13.*
ſuorum. Et ſtatim: *Venit ergo ad Simonem Petrum*. Ex quibus verbis S. Auguſtinus tract. 56. in *S.Auguſt.*
Ioannem, Beda, Rupertus Lyra, *Beda.*
Caietanus, Ianſenius, & alij, non *Rupert.*
incongruè deducunt, Chriſtum *Lyra.* *Caietan.*
Dominum à Petro ablutionem in- *Ianſen.*
cepiſſe. Dum enim Ioannes dixit: *Cœpit lauare pedes diſcipulorum*, factum illud recenſuit. Cùm autem

tem addidit: *Venit ergo ad Simonem Petrum;* ordinem facti commemorat, quem in obeundo profundiſsimæ humilitatis obſequio tenuerat, ad Petri pedes Eccleſiæ Principis futuri ſe proijciens; vt primus ablueretur. Auguſtinum

Auguſt. audiamus; *Non ita*, inquit, *intelligendum eſt, quòd poſt aliquos ad Petrum venerit, ſed quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes diſcipulorum Chriſtus lauare cœpit, venit ad eum à quo cœpit, ideſt, ad Petrum: & tunc Petrus, quod etiam quilibet illorum expauiſſet, expauit, & ait, Tu mihi lauas pedes?* Ita ille.

Idem etiã ſenſiſſe videtur Theophilactus in cap. 13. Ioan. vbi ait, neminem ex diſcipulis permiſſurum, vt in abluendis pedibus Petro præferretur, niſi fortè Iudas effrons, & proditor: atque adeo omnes illud humilitatis obſequiũ ſibi implendũ humiliter recuſarẽt, pariterque Magiſtrum ad ſingulorum pedes prouolutum admira-

Theophil. rentur. *Ex alijs*, inquit, *diſcipulis nullus ſuſtinuiſſet ante Petrum lauari. (proditorem autem hoc auſum fuiſſe poſſibile eſt.) Nam ſi ab alijs diſcpulis cœpiſſet lauare quẽpiam, prohibuiſſet Dominum ille quiſquis fuiſſet, & dixiſſet quæ, & Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? & non permiſiſſet.* Perbellè quidem.

Cæterùm demus Iudam primum omnium fuiſſe ablutũ, quod

Chryſoſt. etiam tenuit Chryſoſtomus, & Euthymius in Ioan. nihil inde aduer- Euthym.
ſus Petri Monarchiam deducitur: quinimo ex hoc loco hi Patres Græci illam ſtatuunt, & confirmant. Quoniam nullus, aiunt, præter Iudam, quem proditio effrontem, inuerecundumque reddiderat, priùs Petro omnium Apoſtolorum Principe lauari ſuſtineret. Quamquam, ſi Origeni Origen.
fides eſt adhibenda, Iudas illotus remanſit, ob proditionem, quam animo conceperat, lauacri beneficio deſtitutus. *Hoc*, inquit, *dicere non dubitabo, vt conſentaneum his verbis, Si non lauero te, non habebis partem mecum; Chriſtum non abluiſſe pedes Iudæ, cui diabolus perſuaſiſſet, vt Magiſtrũ proderet.* In eadem ſententia ſtetit Cyprianus tract. de ablutione pedum, vbi ſic: *Iam Sacramen-* Cyprian.
ta diſtribuerat, iam Iudas exierat; cùm de menſa ſurgens linteo ſe præcinxit, &c.

Nec minùs ſtatuendæ Petri Monarchiæ patrocinatur D. Ambro- D. Ambr.
ſij ſententia, qui lib. 3. de Sacramentis cap. 1. Petrum vltimo loco ablutum teſtatur: Quod ex Origene mutuatus videtur: nam in cap. 13. Ioan. à Iuda, vtpote remedij indigentiore, occepiſſe, & in Petro lauacri miniſterium abſoluiſſe ſcribit his verbis: *Quẽ-* Origen.
admodum medicus ab his, qui grauiùs ægrotant, exordium curandi ducit; ita Dominus ab his qui inquinati erant, cœpit; ac fortaſſe poſtremò ad Petrum venit,

vt

vt cuius pedes minùs lauationem deſiderarent. Ita ille; Quod tantumdem valet,ac ſi diceret: à deteriori fecit exordiũ, & in eo, qui probior erat, & perfectior, abſoluit. Erat enim Petrus Eccleſiæ Princeps futurus, & ſacro Principatui deſtinatus; & ideo tanquam omnium caput amplioribus virtutum priuilegijs cumulatus. Itaque, ſiue primus, ſiue ſecundus, ſiue poſtremus ablueretur; ſemper ablutionis Sacramentũ ipſius Monarchiam, & Principatum repræſentat.

Quinta prærogatiua apud Matthæum 14. inuenitur. Vbi ſolus Petrus vnà cum Domino Ieſu nouis greſsibus vndam calcat. Et rectè ſoli ſuper aquas ingredi conceditur, qui ſolus vniuerſo Chriſtiano populo erat dominaturus. Fallar, niſi hoc ſenſit Bernardus lib.2.de conſiderat vbi ſic: *Inſtar Domini gradiẽs ſuper aquas vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet: Siquidẽ aquæ multæ, populi multi*. Non abſimile eſt, quod traditur à Ioanne cap.21. vbi cùm cæteri Apoſtoli nauigio vecti ad Chriſtum properarent, ſolum Petrum, quia fortè tardum putabat nauigij acceſſum, in mare ſe miſiſſe commemorat; vt properantiùs accederet ad Magiſtrum. *Miſit ſe in mare: alij autem nauigio venerunt*. In quem locum ita ſciſcitatur, & reſpondet citato loco S. Bernardus. *Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis Pontificij Petri; per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuã, ſed ſæculum ipſum ſuſcepit gubernandum; mare enim ſæculum eſt, naues, Eccleſiæ*. Hinc eſt vt Geneſ.1.ſub quadam vmbra, & delineatione Eccleſiam figurans Deus præceperit: *Congregentur aquæ in locum vnum*. Et ſtatim: *Congregationes aquarũ vocauit maria*. Quod ponderans Anaſtaſius Synaita lib.3.Hexam.totum retulit ad Chriſtum Eccleſiæ fundatorem. *Chriſto ergo Domino valde conuenit dicere, Congregetur aqua quæ eſt ſub cælo, in vnam congregationem. Congregetur aqua: piſcatores enim paraui. Congregetur aqua: Petrus enim tanquam crucem remum intingit in mari mundano*. Hæc ille ſatis pulchrè. Vbi vides ſub aquarum congregatione Eccleſiam Petro deſtinari, & ſæculi huius mare, in quo fundanda erat Eccleſia, Petri cruce ſulcandum, ipſiuſque veſtigijs, & imperio ſubſternendum præmonſtrari: vt iam intelligas, quo iure S. Chryſoſtomus homil. 57. in Matth. Moyſi Petum antepoſuerit. *Nam etſi*, inquit, *mare Moyſes ſcidit, ſed Petrus per maria deambulat*. Acutè vidit Chryſoſt. vtriuſque miraculi diſcrimẽ: & plus virtutis in Petri veſtigijs mare calcantibus adinuênit, quàm dum Moyſi agglomeratis fluctibus mare dehiſcens iter facturo viam præbuit. Moyſes erecta vir-

D.Bern.

Ioan.21.

D.Bern.

Geneſ.1.

Synaita.

virga, vt Populum liberaret, mare diſſecuit, & ſicco fecit tranſire veſtigio: Petro verò mare totum citra vllam diuiſionem committitur, quia ipſi aquę omnes in vnum congregatæ reuerſantur, hoc eſt, mundus integer ſacro moderandus imperio traditur; vt ſub Petro Eccleſiæ populus fæliciùs, quàm ſub Moyſe populus Iudæorum ſalutem adipiſcatur.

CAPVT XIII.

Sextam & ſeptimam prærogatiuam complectitur.

SExta in ordine prærogatiua ex priuilegio cõſurgit, quod Dominus Ieſus Petro omnium primò indulſit; vt ipſi ante alios apud Matth. 16. ſe eſſe naturalem Dei Filium; trium perſonarum diſtinctionem in Deo; necnon Incarnationis myſterium reuelarit. Quod textum græcum legẽti planum fiet: ibi enim, teſte Belarmino, omnia cum articulis emphaſim habentibus referuntur. Adde præterea magnificam Chriſti approbationem dicentis: *Beatus es Simon Bar-iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Quam etiam veterũ Patrum teſtimonia, idem priuilegium teſtantia, fulciuntur. Etenim Hilarius in Pſalm. 131. Petrum vocat primum fidei confeſſorem: & lib. 6. de Trinitate aſtruit Petrũ ea protuliſſe, quæ nuſquam hactenus vox humana protulerat. Nam licèt ante Petrum Matthæus cap. 14. ab alijs diſcipulis dictum commemorat, *Verè filius Dei es*; & apud Ioan. 1. dixit Nathanael: *Tu es filius Dei*: Attamen hi non aliter Chriſtum Dei filium nominabant, quàm omnes Sancti propter gratiæ adoptionem Dei filij appellãtur. At verò Petrus Chriſtum verum, & naturalem Dei filium agnouit, & prædicauit. Hinc eſt vt Athanaſius ſermon. 4. contra Arianos teſtatus ſit, Petrum primò, & deinde alios diſcipulos Chriſti Diuinitatem agnouiſſe. Similia habent Chryſoſtomus in c. 16. Matth. Cyrillus lib. 22. in Ioan. Auguſtinus ſerm. 124. de tempore. Leo ſerm. 2. de natali Petri, & Pauli.

Matth. c. 16. — Belarm. lib. 1 de Rom. Põt. cap. 19. — Matth. cap. 16. — Hilar. — Matth. c. 14. — Ioan. 1. — Athanaſ. — Chryſoſt. — Cyrillus. — Auguſt. — D. Leo.

Septima prærogatiua apud Matthæum 17. inuenitur. Vbi Chriſtus pro ſe, & Petro exactoribus tributum ſolui præcepit: *Da illis*, inquit, *pro me, & te.* Quod audientes diſcipuli, Petrum eſſe cæterorũ caput & Principem coniecerunt, vt Origenes, Chryſoſtomus, & Hieronymus ad cap. 16. Matthæi prudenter aduerterunt. Quin etiam Chryſoſtomus ad hũc locum diſertè aſſerit, hic Petrum omnibus alijs antepoſitum, tantoque honore affectum, vt noluerit hoc à diſcipulo ſuo Marco, tãquam ſibi honorificũ, memorari. Author quæſtionum veteris, & noui teſtamenti, quę habetur in 4. tom.

Ma t. 17. — Origen. — Chryſoſt. — Hieron. — Author qq veteris noui teſtamẽti.

tom. operum D. Auguſt. quæſt. 75 dicit Chriſtũ ſoluiſſe duo didrachma, vnum pro ſe, & alterum pro Petro: quia ſicut in Chriſto, ita & in Petro omnes continebantur. *Ipſum enim*, inquit, *conſtituit eſſe caput eorum, vt Paſtor eſſet Gregis Dominici*.

At nobis reluctari videtur S. Hieronymus in c. 18. Matthæi. Nam cùm ibi Apoſtolos ex ſolutione didrachmi, Petrum omnium Principem futurum conieciſſe aſſeruerit, illico adiunxit. *Dominus cauſam erroris intelligens, gloriæ deſiderium, humilitatis contentione ſanauit*. Ex quo apparet Apoſtolorum errorem fore reputandum, quòd Petrum omniũ caput inſtituendum coniectarentur. Reſpõdendum tamen eſt; Apoſtolorum errorem in eo non conſtitiſſe, vt Petrum futurum Eccleſiæ Principem ſuſpicarentur; ſed quia Principatum illum temporarium reputabant, nec tunc aliud ſibi promitti credebant; cùm tamen de Regno Chriſti nulla audiuiſſent. Et quidem Dominus Ieſus errorem hunc ſæpiſsimè correxit, eos, qui Eccleſiæ præficiendi eſſent, adhortatus, ne gentium Regibus aſsimilari ſtuderent, ſed ad ſuſtinendas in hoc mundo perſecutiones, & mortem ipſam; non verò ad gloriam, honoremque adipiſcendum ſe compararent.

Hieron.

CAPVT XIV.

De octaua prærogatiua diſſeritur.

Octauam Petri prærogatiuam duplex mihi ſuppeditat miraculum, quod in gemina piſcatione Chriſtus patrauit; ſicuti Lucas cap. 5. & Ioannes cap. 21. enarrant. Et quidem teſte Auguſtino tract. 122. in Ioannem, vtraque piſcatio vtrãque deſignat Eccleſiam, militantem videlicet, & triumphantem; vt ipſamet temporis differentia manifeſtat. Nam prima ante reſurrectionem, ſecũda poſt reſurrectionem contigit. In prima magna piſcium multitudo abſque numeri præfixione cõcluditur; quia militantem Eccleſiam innumeri fideles intrant. In ſecunda centum quinquaginta & tres piſces capiuntur: in quo numero tres Eccleſiæ fidelium ſtatus agnouit Rupertus, qui in triũphanti Eccleſia ſalutem nanciſcũtur. Igitur centenarius coniugatos, quorum maxima multitudo eſt: Quinquagenarius viduos, & continentes; quorum minor eſt numerus: Ternarius Virgines, quorum minimus, deſignat.

Luc. c. 5. Ioan. 21. D. Aug.

Maldonatus in cap. 21. Ioannis præfatum numerum indiſcriminatim ad vtramque Eccleſiam referendũ opinatur: nec ſine myſterio factum fuiſſe ſuſpicatur, vt ſub illo numero piſces concluderentur; ſed vt daretur intelligi, fore vt Apoſtoli ex omni hominũ gene-

Maldon.

genere multos; ex alio tamē plures, ex alio pauciores piſcarentur; hoc eſt, ad Eccleſiam pertraherēt. Quouis modo id intelligas, Petrus in vtraque naui, & piſcatione, quæ totius Eccleſiæ ſtatum apertiſsimè deſignat, Princeps inuenitur: nam vt cernes apud Lucam cap. 5. cùm plures in mari eſſent nauiculæ, Chriſtus Dominus ſolam, quæ erat Petri, aſcendit.
Luc. c. 5. *Intrauit in vnam, quæ erat Simonis*; indeque docebat, planè, vt innueret, in ea tantùm Eccleſia, in qua Petrus Gubernator, & Princeps inueniebatur, Chriſtum docentem reperiri. Nec ibi verbis docuiſſe contentus, facto ipſo Petrum videtur Principem Eccleſiæ cōſtituiſſe. Quod poſtea voce præſtitit, vt egregiè expēdit D. Gregorius homil. 14. in Euang. *Quod enim*, inquit, *poſtmodum aperitur in voce, hoc nunc ſignificatur in opere*.
D. Greg.

Pergit Ambroſius ſerm. 11. & in naui Petrum Eccleſiæ Principē recognoſcit. *Hanc*, inquit, *ſolùm Eccleſia nauim aſcendit Dominus, in qua Petrus Magiſter eſt conſtitutus*. Vidiſti Chriſtum Petri nauim intrantem: audi quòd ſoli Petro præcipiat: *Duc in altū, & laxate retia veſtra in capturam*. Et meritò, quia Petrus, tanquam ſummus nauclerus, & piſcator, alios ad piſcandum ducere oportebat. Quin etiam piſcationis myſterium exponens, ſoli Petro loquitur dicens: *Noli timere, ex hoc enim homines eris capiens*. Recole ſecundam piſcationem, quæ Domino à mortuis ſuſcitato euēnit; & Petrum tibi Eccleſiæ Principē oſtendet. Ipſū auſculta ad piſcandum properantem, *Vado*, inquit, *piſcari: dicuntque ei alij, Venimus & nos tecum*. Ioan. 21. Quid ni? ipſum vt principem ſequerentur. Quid deinde? *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram*. Solusne traxit, an alios habuit adiutores? Cyrillus, & Eutymius exiſtimant, non ſolum traxiſſe Petrū, ſed alijs adiuuantibus: ſolum autem nominatum, ſiue quia aliorū erat Princeps, ſiue quia in opere dux extitit. Gregorius, & Rupertus, Petrum ſolum traxiſſe credunt; in quo Principatus ipſius prærogatiua elucet. Nam cùm antea reliqui diſcipuli rete trahere non poſſent, cùm adhuc intra aquam eſſet, quod facilius videbatur; quia aqua ſuſtinet, & piſces natant: Petrus, quod difficilius eſt, per terram ſolus traxit; quia Petrus tanquam Princeps, & & ipſius Succeſſor, plus habet in Eccleſia poteſtatis, quàm omnes alij ſimul Apoſtolorum Succeſſores. Quouis autem modo id contigerit, nihil aliud in his figuris ſignificabatur, quàm Petrum eſſe Eccleſiæ Principem, qui homines de mundo ad fidem, & Eccleſiam militantē pertraheret; in eaque, vt Paſtor ſupremus gubernans, ad triumphantē perduceret.

D. Ambr. Luc. c. 5. Luc. c. 5. Ioan. 21. Cyrill. Eutym. Gregor. Rupert.

CA-

CAPVT XV.

Nonam Prærogatiuam, & decimam illuſtrat.

Luc.24. NOna Prærogatiua eſt, quam memorat Lucas cap. 24. dicens. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Ex quo loco D.Ambroſius elicuit, Chriſtum D. Ambr. reſurgentem primo ex viris Petro apparuiſſe: nam iam ante Mariæ Magdalenæ apparuerat, vt tradit Marcus cap.vltimo. Hoc idem colligit Belarmin.lib. 1.de Roman. Belarm. Pontif. cap.20. ex verbis Pauli 1. ad Corinth.c.15. *Tradidi*, inquit, 1.Cor.15 *vobis in primis quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas; & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim: deinde viſus eſt pluſquàm quingentis fratribus: deinde viſus Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus; nouiſsimè autem omnium, tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi*. Hæc Apoſtolus. In quibus Petrũ primo loco Chriſtum vidiſſe reſurgentem affirmat. Nec ſine myſterio primus eligitur, ſed quia Princeps omnium habebatur. Ita mihi videtur innuiſſe Chryſoſtomus ad hunc locum. D.Chryſ. *Itaque non omnibus*, inquit, *initio viſus eſt, vel pluribus ſimul; ſed vni tantum, & ei Principi, & fide maximè digno*.

Decima prærogatiua ex illa Chriſti expoſtulatione conſurgit; Cùm dormientibus etiam (dum ipſe ad Patrem oraret) Iacobo, & Ioanne, cum ſolo Petro de sõnolentia expoſtulat; vt cernere eſt apud Matth.c.26. *Et dicit Petro: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Mat. 26. Expreſsiùs id tradidit Marcus cap.16. *Et ait Petro: Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare?* Mar.16. Vides, vt ad ſolum Petrum, vel ad ipſum primò & præcipuè ſermonem dirigat; & meritò: quia reliquorum primus erat, ac eorum dux, & paſtor futurus: cui proinde velut alter Argos ſomno inſuperabilis vigilare neceſſe erat, vt grex ſecuriùs dormire poſſet. Argum centum oculis præditum mentiti ſunt Poetæ; vt ſi quando aliquos ſomnus prẹmeret, alij vigilarent: nec in paſtore deeſſet gregis cuſtodia. Poterit forte ouis dormire, & veniã promeretur: at paſtorem dormiẽtem quis tacitus inſpicier, & propter ſomnolentiam non ſuggillet? nam vt cecinit Homerus Iliad.2.

Non licet integram noctem dormire regentem Homer.
Imperio populos, & agentem pectore curas.

Iam mihi videor viſionis illius myſterium percẹpiſſe, in qua Ioannes Apocal.4. *In medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante & retro*, inſpexit. Apocal.4. Vt quid tot oculis abundant, vt nihil in eis præter oculos videas? Locum attende, vbi aſſident. *In medio ſedis, & in circuitu ſedis*,

ſedis; & cum Ambroſio lib. 3. in Luc. Prælatos, & Paſtores in his animalibus deſignari intellige: ideo enim in medio ſedis, & circuitu conſiſtant: quia fouendo, & defendendo gregi vigilanter attendunt, hoſteſque viſibiles pariter, & inuiſibiles propulſant. Ambroſij verba ſunt: *In circuitu ſedis quatuor animalia ſunt: quia paſtores populum ſibi commiſſum, & à viſibilibus, & inuiſibilibus hoſtibus, quanta virtute poſſunt, defendunt.* At quomodo defendent, niſi vigilent? & qua ratione vigilabunt, ſi plures oculos, quàm Argus nullo ſomno opprimendos non habuerint? Quia verò Petrus omnium Princeps erat; idcirco ad eum primò Chriſti ſermo dirigitur: *Simon dormis? nō potuiſti vna hora vigilare?* Cùmque etiam paſtor eſſet ad excubandum obſtrictus, ideo ante omnes ſomnolentiæ arguitur. Agnoſce ergo in hac prærogatiua Principatum Simonis, & paſtoritij muneris obſtrictionem, & Principem recole; ac ex Saluatoris expoſtulatione, quāta Paſtoribus opus ſit vigilantia perpende. Interim alias Prærogatiuas breuiſsimè recenſeo.

D. Ambr.

Mat. 26.

CAPVT XVI.

Vndecimam, & reliquas vſque ad vigeſimam incluſiuè complectitur.

VNdecima eſt, cùm Domino Ieſu à mortuis ſuſcitato, ac in Paradiſum recepto, Petrus, vt ſcribitur Actor. 1. tanquam Princeps, & ſacri Collegij caput, diſcipulorum cœtum coegit, vt ſumptis ſuffragijs vnū Iudæ loco ſufficiendum eligerent. Quod non latuit D. Chryſoſtomum: vnde ad hunc locum ita philoſophatur: *Quàm agnoſcit Petrus commiſſum ſibi gregem: quàm in hoc choro Princeps eſt.* Eodem tendit illud Oecumenij: *Surgit*, inquit, *Petrus, non Iacobus, vt is, cui præſidentia diſcipulorum commiſſa erat: neque vllus orationi Petri contradixit; ſed mox ad eius præceptum conſtituerunt duos, quos digniſsimos eo gradu exiſtimabāt, vt vnum eorum Deus ipſe deſignaret.*

Actor. 1.

D. Chriſ.

Oecumen.

Duodecima eſt, cùm Act. 2. Petrus omnium primus poſt Paracliti ſuſceptionem ad prædicandum Euangelium intrepidus proſiliuit, ac in prima concione tria hominum millia pertraxit ad fidē. Perbellè in hanc rem diſcurrit eo in loco S. Chryſoſtomus: *Petrus omnium erat os: ſed aſtabant illi vndecim, teſtimonio ſuo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.*

Act. 2.

D. Chryſ.

Decimatertia eſt, primum Petri miraculum: quod edidit, claudo ad Specioſam Templi portam ſedenti reſtituens ſanitatem. Nam licèt ibi Ioannes adeſſet, ſanitatis gratia à Petro confertur, qui ſolus claudo dixit: *Argentum, & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do, &c.* Actor. 3. Aptiſ-

Act. 3.

Aptiſsimè verò Petrus potentiam miraculorum operatricem in ſolidandis claudi pedibus dedicauit; quia in hoc ſe totius Eccleſiæ fundamentum comprobauit. Pulchrè
D.Ambr. S. Ambroſius ſermon. 69. *Meritò Petrus primum miraculum edidit in pedum confirmatione, vt oſtenderet ſe fundamentum eſſe totius Eccleſiæ.*

Decimaquarta eſt, Ananiæ, Saphiræque iudicium, quod Petrus, vt ſupremus arbiter, & Eccleſiæ legiſlator & Princeps, in fraudulentos exercuit, repentina morte vtriuſque hypocriſim, & ſacrile-
Act. 5. gium caſtigans, vt Actor. 5. ſcribitur; & nos Arrchielogio 1. ponderauimus, Petrum in hoc ſupplicio ab omni ſæuitia, immanitateque immunẽ extitiſſe decernẽtes.

Decimaquinta eſt, quam agnouit S. Chryſoſtomus ad illa verba
Actor.9. D.Chryſ. Actor. 9. vbi ſic legitur: *Factum eſt, cùm Petrus tranſiret per omnes.* Non vacat myſterio tranſitus iſte, ſed Petri dignitatem, Ducatumque oſtendit: quippe qui tanquam Dux & Princeps, omnibus aſſiſtebat, omnes obambulans circumueniebat. *Quemadmodũ,* inquit, *Dux in exercitu obambulans conſiderabat, quæ pars ſit coadunata, quæ ſuo aduentu egeat: vide vbique illum circumconcurſare, & primum inueniri.*

Decimaſexta eſt: quia ſicut Petrus Iudæis primus Euangelium prædicans, ſe verum Eccleſiæ caput, & Principem oſtenderat: ſic Act. 10. Gentilibus primus Chriſtum annuntians, capitis dignitatem præſefert. Et quidem celebri viſione, in qua linteus quatuor initijs è cælo demiſſus, ac ſerpentibus plenus oſtenditur, & Petro dicitur: *Occide, & manduca:* vbi quòd Eccleſiæ caput ſit eruditur. Nam, capitis eſt manducare, & per manducationem traijcere cibum in ſtomachum, & illum ſibi incorporare. Sic Petrus tanquam Eccleſiæ caput infideles ſerpentibus deſignatos, conuertere, ac in Eccleſiæ membra immutare, præfata viſione docebatur. Act.10.

Decimaſeptima eſt, cùm Petro in carcere cõſtituto, ſicut Act. 12. enarratur, *Oratio fiebat ſine intermiſsione ab Eccleſia ad Deum pro eo*; Cuius merito Petrus inſigni miraculo liberatur. Animaduerſione tamen dignum eſt, quòd nec pro Stephano, quem lapidibus occiderunt Iudæi; nec pro Iacobo, in eodem carcere detento, & poſtea occiſo, tanta precum facta fuerit inſtantia, ſicuti pro Petro nunc fieri videmus. In prõptu cauſa eſt: Illi Eccleſiæ membra, Petrus caput. Nec tantum ſubit Eccleſia periculum, cùm membra impetuntur: quàm ſi caput ipſum ad necem quæreretur. Et ideo capite, & patre viduari metuens, in attonito eſt, & precibus inſtat. Pulchrè S. Chryſoſt. ad hunc locum: *Magni amoris indicium oratio: Patrem omnes quærebant.* Act.12. D.Chryſ.

De-

Digitized by Google

Act.15. Decimaoctaua eſt Act.15. vbi Petrus in Concilio verba faciens: ipſo audito, Iacobus, & omnes alij conſenſerunt, Petri ſententiam indubitanter ſecuti. Quidni? membra capiti ſe conformarent. Sic D.Hier. ratio exigebat, vt ſcripſit S. Hieronymus epiſt. ad Auguſtinum, quæ inter ipſius Auguſtini epiſtolas vndecima reperitur. Quin etiam Theodor Theodoretus in epiſtola ad Leonem, tantum tribuit Petro ob capitis, & Principis dignitatem, vt à D. Paulo conſultum aſſeueret. *Paulus*, inquit, *preco veritatis, tuba ſanctiſsimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferrent ſolutionem*.

Decimanona inuenitur ad Galat.1. Galat.1. vbi Paulus dicit: *Poſt annos tres aſcendi Hieroſolymam* Oecum. *videre Petrũ*. Nec dubitat Oecumenius inuiſendi cauſam fuiſſe, quia Petrum ſe maiorem reputabat. D. Chryſoſt. homil.87. in Ioann. ad Petri Principatum hoc D.Chryſ. retulit. *Os*, inquit, *erat Apoſtolorum, & Princeps: & propterea Paulus eum præter alios viſurus aſcendit*. Ambroſius in c.1. D.Ambr. ad Galat. *Dignum fuit*, inquit, *vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum*. Hieronymus epiſt. 89 ad D.Hier. Auguſtinum. *Tantæ*, inquit, *Petrus authoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit: Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum*.

Vigeſima Prærogatiua eſt, quòd Christus Dominus proprijs manibus Petrum ſacro Baptiſmate luſtrauit, vt ex antiquorum traditione ad c. 3. Ioannis docuit Eutymius. *Scribunt*, inquit, *quidam* Euthym. *Apoſtolorum temporibus proximi, quòd Christus Virginem matrem, & Petrum baptizauerit*. Ex quo apparet quanti Dominus Ieſus Apoſtolorum Principem fecerit; ſiquidẽ non dilecto Ioãni, non cuiquam alij, baptiſmi beneficium ſuis manibus impendit; ſed ſoli Matri, & Petro: cui ob Principatus dignitatem eiuſmodi priuilegium conceſſum non dubito. Cæterùm quouis aſpectu id factum fuerit; certè illud refert Euodius, in Epiſcopatu Antio- Euod. cheno Petri Succeſſor, Belarmino Bellarm. teſte de Romano Pontifice lib. 1. cap. 23. vbi citat Nicephorum lib.2. hiſt. cap.3.

CAPVT XVII.

Vigeſimaprima Prærogatiua, vſque ad vigeſimamquintam recenſetur.

VIgeſimaprima eſt, quòd ſolus Petrus Epiſcopus à Chriſto fuit inſtitutus: cæteri autem Epiſcopalem conſecrationẽ à Petro acceperunt. Ita opinatur Ioan. de Turrecremata lib.2. Sũmæ de Eccleſia c.32. & multis ratio-

Bellarm. rationibus probat. Subſcribit Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 23.

Vigeſimaſecunda eſt; quòd Petrus Simonem Magum primum hæreſiarcham, ac omnium, qui poſtea fuerunt hæreticorum principem, & parentem, vt docuit Irenæus lib. 1. cap. 10. detexit, mentitoque volatu per aëra tendentem præcipitauit. Et quidem neceſſe erat vt primus hæreticorum anteſignanus, & princeps, non ab alio, quàm ab Eccleſiæ Primate, & Apoſtolorum Principe victus, impudentiæ, ac temeritatis pœnas lueret; quidquid hac ſuper re ingemuerit Caluinus fabuloſam exiſtimãs Petri cum Mago contentionem. Sed Catholicis potiùs credendum, apud quos id paſſim reperitur. Vide Clemẽtem lib. 6. conſt. Apoſtolicarum cap. 7. 8. & 9. Egeſippum lib. 3. de excidio Hieroſolymit. Arnobium lib. 2. contra gentes, vbi de Romanis loquutus hæc habet: *Viderant enim curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diſflatas, nominato Chriſto euanuiſſe. Viderant, inquam, fidentem in diis falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe perfractis*. Idem etiam innenies apud Damaſum in vita Petri. Cyrill. Catheceſ. 6. Epiphan. hæreſ. 21. Theodoret. lib. 1. hæretic. fabularum, Ambroſ. oratione in Auxentium. Hieron. lib. de Viris Illuſtribus, in Simone Petro. Sulpic. lib. 2. ſacræ hiſt. Gregor. Turonen. lib. 1. hiſtor. cap. 25. Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 13. Maxim. ſerm. vltim. de SS. Petro, & Paulo, Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 1. cuius hæc ſunt. *In Vrbe Roma B. Apoſtolus Petrus Simonem Magum vera omnipotentis Dei virtute extinxit*. Meritò igitur in Vrbe orbis Principe, Eccleſiæ Princeps Petrus, vt Principatus ſui prærogatiuam demonſtraret, Magum hæreticorum principem, & primum hæreſiarcham, perfractis cruribus eliſit, penituſque extinxit.

(Irenæus. Clement. Roman. Egeſip. Arnobius. Damaſ. Cyrill. Epiphan. Theodor. Ambroſ. Hieron. Sulpicius. Gregor. Turon. Euſeb. Maxim. Auguſt.)

Vigeſimatertia eſt, ex loco vbi Petrus primò ſedem collocauit, deſumpta: nam Dei iuſſu, vt ſupra memorauimus, ſolium Pontificale Romæ erexit, in quo Principatus ſui præſagium elucebat. Alij enim Apoſtoli ad alias orbis partes: Petrus ad ipſum mundi caput mittitur, vt in ipſo orbis capite Eccleſiæ caput emineret.

Vigeſimaquarta eſt, cùm Petro Vrbe recedenti Chriſtus apparuit, & roganti: *Domine quo vadis?* Reſpondit: *Venio Romam iterum crucifigi*. Viſionem hanc refert Egeſippus de excidio Hieroſolymit. cap. 2. Ambroſ. oratione contra Auxentium. *Nocte, inquit, muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, Vrbemque ingredi; ait: Domine quo vadis? Reſpondit Chriſtus: Venio Romam iterum crucifigi*.

(Egeſip. D. Ambr.)

Intellexit Petrus ad ſuam crucem Diuinum pertinere reſponſum. Hæc ille; cui ſubſcribit Gregor. in Pſal. 4. Pœnit. *Petro,* inquit *ait: Venio Romam iterum crucifigi. Qui enim in ſeipſo iam pridē crucifixus fuerat, in Petro iterum ſe crucifigendum dicebat.* Cùm enim Petrus eſſet Chriſti Vicarius, tantumdem putabatur, ſi in crucem actus Romæ obiret; ac ſi Chriſtus iterum crucifigeretur: in quo & Saluatoris in ſuum Vicariū amor, ipſiuſque Vicarij ſingulare priuilegium oſtenditur.

Gregor.

Vigeſimaquinta eſt feſtum Cathedræ Petri, quod vetuſtiſsimum habetur, vt conſtat ex Martyrologio Bedæ, & docuit S. Auguſt. ſermon. 15. de Sanctis. Cùm autem ſolius Petri, non verò aliorū Apoſtolorum Cathedra celebretur, apertiſsimo demonſtratur argumento, illam cæteris eſſe præſtantiorem; & ipſum Petrum alios Apoſtolos, Principatus dignitate antecellere: honor enim ſedi exhibitus, ſeſſorem ipſum nobilitat, & exornat.

D. Aug.

Polliciti fidem exſoluimus, & vigintiquinque prærogatiuas totidē annis, quibus Petrus Romæ tenuit ſolium, reſpondentes numerauimus. Vnde planū fiet quàm impudens, quàmque temeraria ſit hæræticorum procacitas, qui poſt tot fidei, ipſiuſque in Romanis Pōtificibus firmitatis argumenta, adhuc ſacratam Sedem impetunt, & Petri ſucceſſores calumniarum telis adoriuntur. Iis tamen neglectu præetermiſsis, iam Romanum Pontificem diuino iure Petri ſucceſſorem exiſtere demonſtremus.

CAPVT XVIII.

D. Petrum Romæ Epiſcopum ad mortem vſque extitiſſe; Romanumque Pontificem in Eccleſiaſtico Principatu verum eſſe Petri ſucceſſorem ſtatuitur.

SAcrum Petri imperiū, ſupremamque Eccleſiaſticæ maieſtatis Monarchiam hactenus contra hęreticorum impudentiā propugnauimus; ac dum vigintiquinque prærogatiuis exornatum prędicauimus, totidem annis Romanum tenuiſſe Epiſcopatum, quouſque martyrio coronatus obierit, ſtatuimus. Quia tamen hoc nō admittunt Nouatores, & aliunde Romanum Pontificem diuino iure verum Petri ſucceſſorem, & Eccleſiaſticæ Monarchiæ Principem habendum eſſe, ex hac veritate deducitur; neceſſe eſt, vt illam iactis primùm rationum fundamentis ſubſtruamus, quæ luce clariùs meridiana cœcutiētes conuincāt. Igitur nō pauci huius ætatis hæretici in dubium reuocant, quod iam ab hinc prope 1600. annis cōſtantiſsimè à toto orbe terrarum creditum eſt: nimirum B. Petrum Epiſcopum Romanū fuiſſe, ac Romæ per crucis miniſterium ſpiritum Domino reddidiſſe. Sed alij mo-

modeſtiùs, alij impudētiùs in huius argumēti tractatione ſe gerūt.

Primus, qui, ni fallar, Petrum nec Romanum fuiſſe Epiſcopum, nec aliquando Romā adijſſe propalauit, teſte Vualdenſi lib. 2. doctrinæ fidei art. 1. c. 7. Gulielmus quidam extitit, Ioannis Vuicleph Magiſter. Hunc ſecutus eſt Velenus Lutheri ſectator, & librū hac de re compoſitum, ac in lucē editum mendacijs impudentiſsimis iactanter repleuit. Minus veneni concepit, euomuitque Ioannes Caluinus: Etenim lib. 4. inſt. c. 6. §. 15. poſtquam rem totam dubiā aſſeuerat, ita concludit: *Tamen propter Scriptorum conſenſum nō pugno, quin illic mortuus fuerit: ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo.* Similia habent Magdeburgenſes centur. 1. lib. 2. cap. 10. col. 561.

Th. Vual. l. 2. doct. art. 1. c. 7

Igitur quinque erūt in quæſtionem euocanda: Primū, An Petrus fuerit Romæ? Secundum, An ibi prædicauerit? Tertium, An Romæ obierit? Quartum, An Romanus Epiſcopus extiterit? Quintū, An Epiſcopatum Romæ ſemel ſuſceptum nunquam mutauerit? De ſecundo, & tertio exactè diſſeremus libro ſecundo, cùm de prædicatione Petri, deque ipſius, ac Pauli morte narrationem texemus: reliqua hîc ſtudioſè ventilabimus. Et quidē aſſertum illud vltimo loco propoſitum, ſat eſt, & neceſſariò requiritur ad Romani Pontificis primatum conſtituendum: alia nec ſufficentia, nec neceſſaria reputantur. Primum expende, & videbis quamplurimos Romam venire, qui tamen Romani Pontifices nunquam euadunt: rurſum plurimos tibi dabo, Pontificia dignitate fulgentes, qui Romæ nunquā fuerunt. Recole Clementem Quintum, Ioannem Vigeſimumſecundum, Benedictum Duodecimum, ClementemSextū, Innocentium Sextum, qui in Gallijs Pontifices renunciati, ibidem ſemper manſerunt. Minùs etiam neceſſe eſt Romæ è vita decedere, vt quiſquam Romanus Pontifex habeatur. Nam Clemēs Primus in Ponto obijt, Pōtianus in Sardinia, Ioannes Primus Rauennę, Agapetus Conſtantinopoli, Innocentius Tertius Peruſię, Innocētius Quartus Neapoli, Ioannes Vigeſimus Viterbij, & alij in alijs locis obijſſe referuntur.

Quartum, videlicet, vt Romanus ſit Epiſcopus, qui Pontifex cenſeri debeat; etſi requiratur, non tamē ſat eſt: etenim S. Petrus Antiochię Epiſcopatum obtinuit: quem cùm poſtea mutauerit, ſedem aliò trāſferens nuſquam deinceps Antiocheni Epiſcopi locum primum tenuerunt. Quintum ergo & neceſſarium, & ſufficiens habetur: vnde Caluinus reliqua paruipendens, hoc ſolū euertere contendit, quia in eo rei cardinem verti, ac totius difficultatis momentum ibi ſitum probè cognouerat. Nihilominus, cùm omnia vera ſint, ijſq. ſtabilitis

Bb 2 Ca-

Catholica doctrina, & Romani Pontificis in Petri Monarchia ſucceſſio clariùs demõſtretur. Idcirco alia hic, alia loco iam deſignato exactè diſcutiemus.

§. PRIMVM.

Petrum Romæ fuiſſe multis probatur.

A Prima igitur ordiẽtes propoſitione, tanquam certum ſtatuimus, Petrum aliquando Romæ fuiſſe, vt ex ipſius Apoſtoli teſtimonio in epiſt. 1. cap. 5. in fine demõſtratur. Ibi enim hæc habet: 1. Petr. 5 *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus*. Nec dubitare licet Petrum hic pro Babylone Romam intellexiſſe: quoniam Romæ agẽs prædicatam ſcripſit epiſtolã, vt Author eſt Papias Apoſtolorum diſcipulus, teſte Euſebio lib. 2. hiſt. cap. 15. Papias. Euſebius *Papias, inquit, & hoc dicit quòd Petrus in prima epiſtola ſua, quam de Vrbe Roma ſcripſit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babylona nominauit, cùm dicit: Salutat vos ea, quæ in Babylone eſt, electa Eccleſia, & Marcus filius meus*. Idem etiam tradit S. Hieronymus lib. de Viris Illuſtribus in Marco, D. Hier. vbi hæc: *Petrus in epiſtola 1. ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans, Salutat, inquit, vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*. Hieronymo ſubſcribunt Oecumenius, & Oecum. Beda. Beda. Quinimo, teſte Lorino interprete diligentiſsimo, Lor. in 1. Petr. 5 Catholici commentatores ſuper hanc epiſtolam omnes eandem interpretationem huius loci amplectuntur.

Quam aptiſsimam, & germanam eſſe probatur, ex Apocalypſi B. Ioannis, vbi paſſim Romam dicit Babylonem, vt aduertit Tertul. Tertul. lib. 3. contra Marcionem cap. 13. & lib. contra Iudæos cap. 9. Nec verba textus cap. 17. aliam interpretationem minùs coactam capere poſſe videntur. Nam Babylon magna ibi dicitur ſeptem ſupra montes ſedere, & habere imperium ſuper Reges terræ; Sic enim Angelus Ioanni interpretatus eſt mulieris, quam viderat, ſacramentum. *Et hic eſt ſenſus, inquit, Septem capita ſeptẽ montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet; & Reges ſeptem ſunt*. Apoc. 17. num. 9. Sed quam dabis in Orbe Ciuitatem, quæ Ioãnis tempeſtate, vel poſtea cunctis Orbis Regibus dominatrix haberetur, niſi Romam? quam ſeptem eſſe montibus ædificatam notiſſimum eſt, & à Poetis cantatiſsimum: pro cunctis illud refero Statianum. Statius.

Et ſeptem gemino iactantior
æthera pulſat
Roma iugo.

Adi Vrbium Theatrum: veteris ibi Romæ deſcriptionem inſpice, & topographia montes oſtendet, & montium nomina deſi-

deſignabit Scriptura. Quin etiam ſacrarum litterarum, præſertim Apocalypſeos, Interpretes verſa: apud omnes vno, eodemque ſpiritu pro Roma Babylonem figuratè poſitam reperies, ipſumque Romanum Imperium non ſemel ſymbolico Babylonis nomine cernes adumbratum. Lege Auguſtinum lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 22. vbi in hanc ſententiam ita ſcribit: *Ne multis morer, condita eſt Roma, velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis*. Subiungit deinde, Aſſyriorum intercidẽte Regno Romam fuiſſe conditam: quod etiam lib. 7. cap. 2. latiſsimè probat Oroſius. *Auguſt.* *Oroſius.*

At obiectabit Nouator importunus: Cur Petrus Romam ſignificare intendens, Babylonem dixit, & Romæ nomen ſuppreſsit? vt quid ad figuratam, & minimè neceſſariam locutionem recurrit? cùm aperto ſermone dicere potuiſſet, *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt Romæ*. Verùm ſumma prudentia id egit, & pro Roma poſuit Babylonem, vt fidei inimicos falleret. Cùm enim paulò ante ab Hieroſolymitano carcere aufugerat, vbi Agrippæ iuſſu trucidandus ſeruabatur; nolebat, quod Romæ ageret, cuiquam notum fieri: ne fortè Claudij Imperatoris iram in ſe prouocaret, & fugæ conſcius, vt Herodi, cuius amicitia delectabatur, morem gereret, Petrum vinculis manciparet; & tandem neci dederet. Præterea quemadmodum in more poſitum eſt, vt mutatis nominibus homines appellentur; ſicuti D. Paulum feciſſe legimus in epiſt. 2. ad Timoth. cap. 4. vbi pro Nerone Leonem dixit, *Liberatus ſum*, inquit, *de ore Leonis*; Sic etiam non incongruè Petrus Romam dicturus, vt ſuam in ea ſtationem occultaret, Babylonem dixit. *1. Pet. 5.* *2. ad Timoth. 4.*

Nec proinde ſermonem reddidit obſcurum: quia per Babylonem eſſe Romam ſignificatam, licèt quis nolit, fateri compellitur, & res ipſa manifeſtè ſe prodit; cùm per Babylonem, illa quæ eſt apud Aſſyrios, nullo modo poſsit intelligi; ſiquidem teſte Ioſepho lib. 18. antiquit. cap. 12. Imperante Caio Auguſto, Iudæi, qui Babylone agebant, tormentis abſumpti, in exilium pulſi, & gladio iugulati perierunt. Vnde cùm nulla ibi fuerit Eccleſia, Petrus dicere non potuit, *Salutat vos Eccleſia, &c.* Minùs verò de alia Babylone Ægyptiaca intelligi debet. Locus enim ignobilis erat, & valde obſcurus, Caſtellum videlicet, vt ex Strabonis deſcriptione conſtat lib. 17. Oppidi, nedum Ciuitatis nomine indignum. Quis igitur tantę erit fatuitatis, vt Petrum de hac Babylone locutũ intelligat? Nam præter multa, quæ id vetant opinari, illud potiſsimum obſtat, quòd nulla reperiatur Eccleſia, quæ in Ægyptiaca Babylone collecta memoretur. Quinimo plura inueniuntur Con- *Ioſephus* *1. Petr. 5.* *Strabo*

 cilia,

cilia, vbi Epiſcoporum Ægyptiorum nomina referuntur: nullibi tamen, nec in his, nec in alijs Authorum monumentis reperitur.

Non tamen audiendi ſunt Nouatores, qui pari imperitia,& impietate per ſummam calumniam, cùm per Babylonem intelligi Romam negent,cunctas blaſphemias quæ in Apocalypſi de Roma ſub Babylonis nomine, vt in confeſſo eſt apud omnes, referuntur, in Romanam Eccleſiam retorquent. Quod quantæ ſit impudentiæ, & falſitatis plenum,quis nõ videat? Nam dum Petrus ait: *Eccleſia, quæ eſt in Babylone*, Eccleſiam ibi poſitam, non eſſe Babylonem ipſam, apertè demonſtrat: & ſanè diuerſum quid cenſetur Eccleſia à loco vbi dicitur eſſe collecta. 1.Petr.5

Igitur Roma ipſa, non Eccleſia, Babylon appellari debuit; nec ſemper eo nomine meruit nuncupari, ſed cùm impietatibus referta, aduerſus ipſam Eccleſiam bellum gereret. Quod animaduertens S. Hieronymus aduerſus Iouinian.lib.2.hiſce verbis Romã compellat: *Sed vt ad te loquar, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiã Chriſti confeſſione deleſti: Vrbs potens, Vrbs orbis Domina, Vrbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum*: Roma, *aut fortitudinis nomen eſt, apud Græcos; aut ſublimitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris: virtus te excelſam facit, voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypſi comminatus eſt, potes effugere per pœnitentiam, habens exempla Niniuitarũ. Caue Iouiniani nomen, quod de Idolo deriuatum eſt*. Hæc Romæ facies, Hieronymi calamo verè depicta: quam ſi inſpexeris, minimè Babylonem dixeris, & multò minus Eccleſiam ibi collectam; cuius virtutibus, & meritis adeo creuit, vt non iam Babylon Idololatriæ, & impietatis mater, ſed fidei, pietatiſque aſylum dici mereatur. D.Hier.

Potuit aliquando Romana Ciuitas Babylon nuncupari, vt ab Hieronymo dictã inuenio in præfat. de Spiritu ſancto, & in præfat. lib. 2. in epiſtolam ad Galat. vbi ita fatur: *Cùm in Babylone verſarer, & purpuratæ meretricis eſſem colonus, & iure Quiritum viuerem, &c.* Verùm poſtquam ibi collecta ad Petri prædicationem Eccleſia reperitur, aliam longè diuerſam à Babylone faciem Roma oſtendit. Iterum Hieronymus Romanorum fidem commendans: *Romanæ*, inquit, *plebis laudatur fides, teſtimonio videlicet Apoſtolico: vbi alibi tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & Martyrum ſepulchra concurritur? vbi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboat, & vacua Idolorum templa quatiuntur? Non quòd aliam habeant Romani fidem niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ; ſed quòd deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad cre-* D.Hier.

den-

dendum. Hæc ille: quem non audiſſe ſemel ſatis eſt: iuuat vſque Marcellam exhortantem, vt in Bethleem proficiſcatur, audire. Nam cùm priùs de Ciuitate Romana illud Apocalypſis teſtimonium expoſuerit, *Cecidit, cecidit Babylon magna*; ad Eccleſiam ibi collectam conuerſus, hæc ſubdit; *Eſt quidem*, inquit, *ibi ſancta Eccleſia; ſunt trophæa Apoſtolorum, & Martyrum: eſt Chriſti vera confeſſio: eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum*. Videãt Nouatores, an non ſine magna fatuitate propter hæc ab Hieronymo verè dicta, Romana Eccleſia Babylon appellari poſsit. Videat Lutherus qua fronte Romam ſic depictam Babylonem dixerit, ac proinde librum de Babylonica captiuitate inſcripſerit. Nec alia Magdeburgenſes cauſa permouit, vt librum Apocalypſis, velut canonicum reciperent, quàm quòd multa ibi aduerſus Romã ſub nomine Babylonis dicantur. Vide centur. 1. lib. 2. cap. 4. col. 56. Eſt igitur, vt iſti dicunt, Roma Babylon: Ergo Petrus ex Babylone ſcribens, ex Roma ſcripſiſſe dicẽdus erat.

Apoc. 18. num. 2. D. Hier.

Non prætereunda tamen eſt Ruperti interpretatio: nam verba illa Angeli ad Ioannem expendens, *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet; & Reges ſeptem ſunt*; hæc ſubdit: *Septem capita ſeptẽ ſunt Regna mundi nouiſſima; quorum vnumquodque ſuo tempore, ſicut ſacra teſtantur Scripturæ, contra Regnum Dei ſtetit; ciueſque eius in hoc mundo peregrinantes varijs tribulationibus preſſit*. Et numeratis quinque prioribus, videlicet, *Primum Aegyptiorum, qui filios Iſrael affligebant. Secundum Iſraelitarum, qui Iuſtos, & Prophetas perſequebantur. Tertium Babyloniorum, qui Hieruſalem igne ſuccẽderunt, ipſius gentem duxerunt captiuam, & tres pueros in fornacem miſerunt. Quartum Perſarum, & Medorum, inſtigante Aman ſuperbiſſimo, vniuerſum genus Iudæorum propter Mardochæum, pene deleuit. Quintum Macedonum per Antiochum Epiphanem, qui populum eundẽ crudeliter afflixit: ſub quo Machabæi fratres mirando ſunt martyrio coronati*. *Sextum* numerat, *Regnum Romanorum, Orbem terrarum Chriſtianorum ſãguine impleuit. Septimum Regnũ Antichriſti tanta tribulatione fideles tribulabit, vt ſi fieri poteſt, in errorem inducãtur etiam electi.* Notat inſuper Rupertus, Reges hoc loco pro Regnis æquipollenter poſitos. Vnde percommodè cadit, vt non ſolum Romanorum Regnum hic intelligamus ſignificatum: ſed Romam ipſam totius Regni, & Orbis caput, quæ ab eodem Ioanne *Babylon magna, mater fornicationum, & abomi-*

Apoc. 17. Rupert.

Digitized by Google

nationum terræ appellatur.

At Ruperti interpretationi obſtare videtur: quòd cùm Ioannes
Apoc 17 dixerit, *Septem capita, ſeptem mõtes ſunt ſuper quos mulier ſedet*; *& Reges ſeptem ſunt*; ſtatim ſubdit: *Et decem cornua decem Reges ſunt*. Vbi vides numeri incrementum: nam cùm antea ſeptem numerauerit, modò decem recẽſet: in quo ſibi videtur contrarius. Cæterùm conſtans eſt, Ruperti interpretatio. *Quia*, vt ipſe reſpondet, *ſeptem quidem Regna ſunt notiſſima de ſanctarum ſerie Scripturarum quæ contra ſanctos Altiſſimi inimicitias exercuerunt; ſed eorumdem Regnorum decem Reges ſunt: quia videlicet vnum ex illis, Regnum Macedonum, poſt mortem Alexandri in quatuor ſucceſſores eius, per quatuor ventos cæli diuiſum fuit, qui ſinguli diademata ſibi impoſuerũt; atque hoc modo decem Reges facti ſunt*. Ita ille.

Indubitanter ergo tenendum eſt, hoc loco Romanorum Regnũ ſignificari, & ipſum Regni caput Romam ſub Babylonis nomine figuratè deſcribi. Quo etiam loquendi artificio vſus eſt in ſua Epiſtola S. Petrus, quem Romæ fuiſſe Marci Euangelium apertiſ-
Probatur ſecundo. ſimè demonſtrat. Nam vt grauiſſimi Authores tradiderunt, in
Euſeb. quibus Euſeb. lib 2. hiſt. cap. 15. Papiam referens, & Clementem
Irenaus Alexandrinum. Irenæus lib. 2. c. 1. Hieronymus de Viris Illuſtribus in Marco. Damaſus in Pontificali Damaſus
in vita Petri. Iſidorus in vita Mar- Iſidorus.
ci. Ado in Chronico anno 45. Ado.
D. Marcus Romæ cùm eſſet, Euãgelium ſcripſit, prout ibidem Petrum audierat prædicantẽ. Quinimo credit Tertullian. lib. 4. con- Tertull.
tra Marcionem, Euangelium Marci Petro adſcribendum, vtpote à diſcipulo, & Petri Interprete conſcriptum; quemadmodum Lucæ Euangelium Paulo attribuitur. *Cœpit enim*, inquit, *Magiſtrorũ videri, quæ diſcipuli promulgarint*.

Probatur hoc idem ex cap. vltimo Actorum, & ex epiſtola ad Probatur tertio.
Romanos: Vnde conſtat, antequam Paulus Romam veniret, iã Actor. vl. ad Rom.
ibi plurimos fuiſſe Chriſtianos, amplamque, & florentem Eccleſiam in Chriſti fide collectam. Quòd ſi Petrus non fuit Romæ; quis, oro, huiuſmodi Chriſtianos fide imbuit? At indubitatum reor, Petrum, & Romæ priuſquam Paulus illuc conueniret, & primũ fuiſſe Romanæ Eccleſiæ fundatorẽ. Sic enim plurimi, magnæque authoritatis Scriptores teſtantur: quorum teſtimonio propoſitam veritatem lib. 2. loco iam citato comprobabimus. Quin etiam Græcorum Patrum, & Latinorum teſtimonio ſuffulti, Petrum Romæ obijſſe ſuſtentabimus: vt modis omnibus hæreticorum mendaciũ detegatur. Quantumuis enim obnixè contendant, neminem dabunt, qui prius Petro fidem

Euan-

Digitized by Google

Euangelicam Romæ diſſeminauerit. Quapropter delyramenta ſunt, quæ iſti confingunt,& ſomniare potiùs credendi ſunt, quàm opinari: niſi fortè prudentes, ſcientesque talia mentiantur, vt Romanæ Eccleſiæ iugũ, & ſummi Pontificis Petri Succeſſoris obedientiam excutiant.

Probatur quarto. Validiſsima quoque ex Simonis Magi hiſtoria ad ſtabiliendam Petri Romæ ſtationem probatio deducitur. Nam cùm ibi Apoſtolus impoſtorem illum vicerit, ac de ipſius præſtigijs glorioſiſsimè triumpharit, ſicuti de vigeſimaſecunda Petri Prærogatiua agentes ſtatuimus,ac antiquorum Patrum teſtimonio firmauimus; procerto habendum eſt, Petrum fuiſſe Romæ. Vnde non eſt cur in hoc probando ampliùs immoremur. Sed ad alia gradum faciamus, & quod maioris momenti eſt, probare aggrediamur, Petrum vſque ad mortem Romæ Epiſcopatum tenuiſſe.

§. SECVNDVM.

Petrus vſque ad mortem Romanum tenuit Epiſcopatum.

QVamquam inferius nobis agendum erit, qua ratione Petrus Romæ obierit, & communi hiſtoricorum, & Patrum conſenſu, ex profeſſo ſtabiliendum; interim non abs re erit D. Ignatij præiacere teſtimonia, qui & Græcus extitit, & Apoſtolorum tempore vicinior. Is igitur in Epiſtola ad Romanos,quã magna ex parte refert S. Hieronymus de Viris Illuſtribus in Ignatio, ipſos obſecrans, & obteſtans, ne Martyrium ſibi impedirent,ita fuit allocutus: *Non ſicut Petrus, & Paulus præcipio vobis.* Vbi (ni fallor) Petri, & Pauli martyrium reſpexit; quos non ita pridem nouerat Romæ martyrio coronatos. *D. Ignat.* Cùm autem Chriſtiani ea tempeſtate Petrum, & Paulum à ſubeunda morte magna precum inſtãtia diuertere tentauerint, & effuſis lacrymis Petrum ab Vrbe egredi exhortarentur; ne iuſſu Neronis ad capitale ſupplicium extraheretur; Apoſtolus ſuo vſus imperio præcepit, ne ſibi libentiſsimè morituro obſtaculum opponerent. Igitur Ignatius Romanos ſic alloquitur: Etſi mihi non liceat ò Romani, imperio vti, ſicut Petrus & Paulus vſi ſunt, cùm ipſos à ſuſtinendo martyrio dehortaremini; Vos tamen obſecro, & obteſtor, vt deſtinatam à Carnificibus mortem non impediatis,ſicut illos à martyrio ſubeundo diuertere voluiſtis.

Igitur Petrum Romæ Epiſcopatum vſque ad mortem tenuiſſe oſtendamus: Primò ex ipſius Romanæ Eccleſiæ dignitate, quam vt primam,& omnium præcipuam Chriſtianus Orbis (quod etiam fatetur Caluinus) communi applauſu, & aſſenſu veneratur. Nec hu-

huiuſmodi præcellētiæ aptior poterit ratio aſsignari, quàm quòd Apoſtolorũ Princeps Vrbis illius Epiſcopum egerit, ac Paſtorem; vt ſupra de vigeſimatertia prærogatiua agentes, ſtatuimus. Præterea, niſi Petrus vſque ad mortem Romanus vixit Epiſcopus; aſſignent, oro, Nouatores locum vbi ſedem fixerit, ex quo Antiochiam deſeruit. Nam quòd Antiochiæ non ſemper adſtiterit; liberrimè concedunt Antiocheni; ſatiſque ex recepta Eccleſiæ conſuetudine probatur: quippe quæ nunquam Epiſcopo Antiocheno primum locũ aſsignauit; nec vlla vnquam, præter Antiochenam, & Romanam, Eccleſia oſtendetur, quæ Petrum vendicet Epiſcopũ. Quid igitur? Petrum nullius loci Epiſcopum fuiſſe ſtatuemus? Abſit. Neque enim aduerſarij hoc audent affirmare: & Petrum non vniuerſalis Eccleſiæ, ſed cuiuſquã particularis Epiſcopatũ obtinuiſſe teſtantur; Quemadmodum Ioannes Epheſinam, & Iacobus Hieroſolymitanam ſedem occupauit. Igitur locũ Petri Epiſcopatus manifeſtent: Vel ſi aliquando Romæ vixit Epiſcopus, indeque ſedem tranſtulit, in quem tranſlata eſt, locum indigitent.

Cæterùm quid ego immoror, cùm firmiſsima ſit, & irreuocabilis Veterum conteſtatio, & conſenſus: cui ſtare debet Caluinus, ni ſecũ velit, quod Nouatoribus familiare eſt, pugnare. Ait enim, ſe propter conſenſum Scriptorũ nolle pugnare, quin Petrus Romæ ſit mortuus. Cùm ergo ijdem Scriptores antiqui ſummo aſſenſu Petrum Romæ fuiſſe Epiſcopum ſtatuãt; nec ex veteribus quiſquã id negauerit; cur illis non aſſentitur Caluinus; & Petrum ſedem Romanam occupaſſe non ſibi perſuadet?

S. Irenæus lib. 3. cap. 3. Romanos Epiſcopos ad numerum redigens, Primo loco Petrum, & Paulum: Secundo Linum: Tertio Anacletum: Quarto Clementem enumerat: deinde cæteros percurrit vſque ad Eleutherium, qui tunc ſedem occupabat. Nominatim verò de Clemente, Sixto, & Eleutherio repetit, quòd Apoſtolis ſuccedant; Clementem ab Apoſtolis tertium, Sixtum ſextum, Eleutherium decimumſecundum recenſens. Nec verò Romanos Epiſcopos iuxta rei veritatem Petri ſucceſſores fas eſſet affirmare, niſi Petrus Romæ Epiſcopus extitiſſet. S. Iren.

Tertullianus lib. de præſcript. *Euoluant*, inquit, *ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquis ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris fuerit:* Et infra. *Sicut*, inquit, *Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum profert*. Cùm autem audis Clementem à Petro ordinatum, Roma euolaſſe ne credas, & ſedem aliò tranſtuliſſe. Nam eodem Tertull.

libro

libro ſcribit Tertullianus, Petrum Romæ crucifixum. Vnde colligitur, inſtante Petri martyrio Clementem ordinatum; Petroq. è vita decedente, ſedem à Clemente occupatam.

S.Cypr. B.Cyprianus Romam Petri Cathedrã frequentiſsimè vocat; quod minimè diceret, ſi Petrum alibi ſedem ſtatuiſſe exiſtimaret. *Nauigare audent*, inquit, *ad Petri Cathedrã, atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à Schiſmaticis, & profanis, litteras ferre; nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia habere non poſſet acceſſum*. Ita ille lib. 1. epiſt. 3. ad Cornel. Et lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum hæc habet: *Factus eſt Cornelius Epiſcopus: cùm Fabiani locus, ideſt, cùm locus Petri, & Cathedræ Sacerdotalis vacaret*.

Euſebius in Chronico, anno quadrageſimoquarto, ita ſcribit. Euſeb. *Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primum Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur; vbi Euangelium prædicans vigintiquinque annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat*.

Epiphanius hæreſ. 27. quæ eſt Epiphan. Carpocratis, *Epiſcoporum*, inquit, *in Roma ſucceſſio hanc conſequentiã habuit: Petrus, & Paulus, Linus, & Cletus, Clemens, Euariſtus, Alexander*.

Athanaſius in epiſtola ad ſoli- Athanaſ. tariam vitam agentes. *Primum*, inquit, *ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt, nulla reuerentia moti, quòd ſedes illa Apoſtolica eſſet*. Et infra inducit Liberium ſic loquentem: *Nunquã talem à Patribus traditionem accepimus, qui à beato, & magno Petro acceperunt*. Vide vt Athanaſius Liberij ore loquens, inter ipſius prædeceſſores Petrum commemorat.

Dorotheus in Synopſi: *Linus*, Doroth. inquit, *poſt Coryphæum Petrum Romæ Epiſcopus fuit*.

Sozomenus lib. 4. c. 14. *Non* Sozom. *ſine Diuina*, inquit, *prouidentia factum eſt, vt mortuo Fælice ſolus Liberius Romanæ Eccleſiæ præeſſet, ne Petri ſedes vlla infamiæ macula aſpergeretur*.

Eulogius Alexandrinus apud Eulog. Gregor. lib. 6. epiſt. 37. dicit Petrum Romæ nunc vſque in ſuis ſucceſſoribus ſedere.

Optatus lib. 2. contra Parmenianum. *Igitur*, inquit, *negare* Optat. *non potes ſcire te, in Vrbe Roma Petro primum Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam*. Et infra enumerat Romanos Epiſcopos, à Petro vſque ad Siricium, qui ſuo tempore ſedebat.

Ambroſius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Vtique*, inquit, *ipſe* Ambroſ. *author eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ*.

Hieronymus de Viris Illuſtri- Hieron. bus in Petro, dicit eum vigintiquinque annis Romæ Sacerdota-

lem

lem Cathedram tenuiſſe. Idem in epiſt. 1. ad Damaſum de nomine hypoſtaſis: *Cum ſucceſſore*, inquit, *piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor ego Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri cõmunione cõſocior.*

Auguſt. Auguſtinus lib. 2. cap. 51. contra litteras Petiliani, *Cathedra*, inquit, *tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua nunc Anaſtaſius ſedet?* Idem epiſt. 164. alias 165. Romanos Pontifices à Petro vſque ad Anaſtaſium in Catalogum redegit.

Prudentius in hymno de S. Laurentio. Prudent.

Romæ iam regnant duo
Apoſtolorum Principes:
Alter vocator gentium,
Alter Cathedram poſſidens
Primam, recludit creditas
Aeternitatis ianuas.

Proſper. Proſper lib. de ingratis.

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo.

Sulpit. Sulpitius lib. 2. ſacræ hiſtoriæ. *Inualuerat apud Vrbem Diuina Religio Petro Epiſcopatum gerẽte.*

Petrus Epiſcopus Rauennæ in epiſt. ad Eutychen; quæ habetur inter præambulares ad Concilium Petrus. Rauenn. Chalcedonenſe. *Hortamur*, inquit, *te frater honorabilis, vt his, quæ à Beatiſsimo Papa Romanæ Ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas. Quoniam beatus Petrus, qui in propria ſede & viuit, & præſidet, præſtat quærentibus ſibi veritatem.*

Theodoretus in epiſt. ad Leonem, poſtquam Petrum, & Paulum Romæ mortuos ſcripſerat; illico ſubiunxit: *Si veſtram ſedem efficere magis illuſtrem, ea eſt veſtrorum bonorum ſumma. Illorum autem nunc quoque Deus ſedem claram, inſignemque reddidit; cùm veſtram sãctitatem in ea collocauerit, quæ radios fidei Orthodoxæ emittit.* Theodor.

Iſidorus in vita Petri: *Hic*, inquit, *poſtquam Antiochenam Eccleſiam fundauit ſub Claudio Cæſare contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicãs Euãgelium, vigintiquinque annis eiuſdem tenuit Pontificatum.* Idem habet Beda de ſex ætatibus Treculphus to. 2. Chronicorum lib. 1. cap. 13. Ado Viennenſis in Chronico anno Chriſti 45. & recentiores omnes. Iſidor.

Accedant etiam præter tot Patrum authoritatem, teſtimonia veterum Romanorum Ponticum, & Martyrum, vel Confeſſorum.

Clemens Primus lib. 7. conſtit. Apoſtol. cap. 46. docet Petrum imminente morte ſibi reliquiſſe Romanum Epiſcopatum. Clemens Primus.

Anacletus Tertius docet propter Petri ſedem, Romanam Eccleſiam eſſe omnium aliarum caput.

Marcellus Primus in epiſt. ad Antiochenos: *Petri ſedes primitus apud vos fuit, quæ iubente Domino Romam tranſlata eſt.* Anaclet. Tertius.

Da-

Damaſ. Damaſus in Pontificali in Petro; dicit Petrum vigintiquinque annis Romæ fuiſſe Epiſcopum, ideſt vſque ad mortem.

Innoc. I. Innocentius Primus in Epiſt. ad Concil. Meleuitanum, quæ eſt 93. inter epiſtolas Auguſtini. Leo ſermone de natali Apoſtolorum. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, & Siciliæ. Ioannes Tertius in epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ. Gregor. lib. 2. epiſt. 33. Agatho in epiſt. ad Conſtantinum. Adrianus in epiſt. ad Tharaſium. Nicolaus Primus in epiſt. ad Michaelem, & alij omnes, qui ſcripſerunt, vnanimiter ſedem ſuam Petri ſedem extitiſſe aſſeuerant. Illorum verò teſtimonia ab aduerſarijs immeritò reijciuntur: Nam licèt in cauſa propria agere videantur; attamen quia ſanctitate excelluerunt, & nemo ex Veteribus eos reprobauit, iure optimo recipi debent.

Accedant teſtimonia Veterum Conciliorum, quæ ab hæreticis noſtri temporis recipiuntur. Ac primũ in Concilio Sardicenſi Epiſcoporum 300. Canone 3. *Sancti* Con Sar. *Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo: & ſi iudicauerit renouãdum eſſe iudicium, renouetur, & det Iudices.*

Concilio Epheſino 1. tom. 2. cap. 16. vocatur Cæleſtinus Ro- Con. Eph. manus Pontifex, *Ordinarius Succeſſor, & Vicarius Beati Petri Apoſtolorum Principis.*

In Concilio Chalcedonẽſi act. 2. cùm lecta eſſet epiſtola Leonis, omnes clamauerunt: *Petrus per* Con. Chal *Leonem locutus eſt.* Act. 3. cùm ſententia ferretur in Dioſcorum, dicitur Leo Petri Apoſtoli prædictus dignitate Dioſcorum depoſuiſſe. Et in epiſtola ad Leonem, totum Concilium dicit Leonem vocis Petri interpretem fuiſſe; hoc eſt, Petrum per Leonem locutum. Ex quibus palam fit 630. Patres in eo congregatos Leonẽ Epiſcopum Romanum eſſe Petri ſucceſſorem credidiſſe.

In Concil. 5. act. 2. Menus Patriarcha, Concilio Præſes, ſententiam ferens in Antimum, & alios hæreticos, *Contempſerunt,* Concil. 5. inquit, *Romanam Eccleſiam, in qua ſucceſſio eſt Apoſtolorum, quæ ſententiam contra ipſos protulit.*

In Concil. 6. act. 8. ſubſcribunt Epiſcopi epiſtolæ Agathonis varijs modis. Inter alios quidam ſic loquitur: *Suggeſtiones directas* Conc. 6. *à Patre noſtro Agathone ſanctiſſimo, Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & principalis ſedis antiquæ Romæ, tanquam à Spiritu ſancto dictatas, per os Sãcti, & Beatiſsimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito ter Beatiſsimi Papæ Agathonis ſcriptas, ſuſcipio, & amplector.* Ex his quinque probatiſsimis Concilijs habemus pluſquàm mille ducentos Epiſcopos antiquitate, ſapientia, & religione vene-

venerandos, & maiori ex parte Græcos, Romanum Pontificem Petro ſuccedere teſtatum reliquiſſe. Quapropter irridẽda eſt pygmæa Nouatorum audacia, qui his fidei Catholicæ Gigantibus ſe opponere, & contradicere non reformidant. Vt autem conſtet quàm inania ſunt, quæ opponunt, Veleni, & Caluini obiter, ac Illyrici proponamus argumenta, & diluamus.

§. TERTIVM.

Proponuntur argumenta contra propoſitam aſſertionem, & diſſoluuntur.

PRimò igitur obiectat Velenus. Authores, qui Petrum Romam veniſſe aſtruunt, de tempore in quo venit, inter ſe plurimũ diſſentiunt: Nam Oroſius in exordio Regni Claudij. Hieronymus anno II. ipſius, Faſciculus temporum anno IV. Paſsionale de Vitis Sanctorum anno XIII. Petri in Vrbem acceſſum contigiſſe teſtantur. Deinde in enumerandis Petri Succeſſoribus notabilis varietas reperitur. Nam quidam poſt Petrum immediatè numerant Clementem. Ita Tertullianus de præſcription. & Hieronymus in cap. 53. Eſaiæ. Alij, in quibus Optatus lib. 2. contra Parmenianum, Auguſtinus in epiſtol. 165. poſt Petrum Linum, & tertio loco Clementem ſtatuunt:

Tertull. *Hieron.* *Optatus.* *Auguſt.*

Alij poſt Petrum Linum, & Cletum, ſiue Anacletum, & poſtea Clementem reponunt. Ita Irenæus lib. 3. cap. 3. Euſebius in Chronico, Epiphanius hæreſi 27. & Hieronymus de Viris Illuſtribus in Clemente. Deinde ex Cleto, & Anacleto fere omnes vnum faciunt. In tanta igitur Authorũ diſſenſione nihil certi videtur ſtatuendum: ipſa enim varietas clariſsimum eſt falſitatis argumentũ.

Irenæus. *Euſeb.* *Epiphan.* *Hieron.*

Reſpondendum tamen eſt: diſſenſionem circa tempus, quo Petrus Romam venerit, ſi qua eſt, nihil obſtare aduentus certitudini. Multoties enim accidit, vt conſtet de re aliqua, cùm tamen de modo, aut alia intercurrente circumſtantia, non ita ſit apud omnes exploratum: vt in Domino Ieſu Redemptore noſtro cernere eſt; quem in Cruce mortuũ fide tenemus, & fatemur omnes: & tamen circa Paſsionis tempus maxima eſt Authorum diſcrepantia, Tertullian. lib. contra Iudæos, Clemẽs Alexandrinus lib. 1. ſtromatum, Lactantius lib. 4. diuinarum inſtitut. cap. 10. ſcribunt Chriſtum Dominum ætatis ſuæ anno trigeſimo, & decimoquinto Tiberij in crucem actum. Ignatius ad Trallianos, & Euſebius in Chronico, & alij, dicunt ætatis anno trigeſimotertio, & Tiberij decimooctauo crucifixum: Onuphrius, Mercator, alijque recentiores, Chriſtum anno ætatis trigeſimoquarto paſſum teſtantur.

Tertull. *Clemens Alex.* *Lactan.* *Ignat.* *Euſeb.* *Onuphr.*

Ire-

Irenæus. Irenæus lib. 2. cap. Chriſtum ad quinquageſimum annum perueniſſe contendit, atque adeo non ſub Tiberio, ſed ſub Claudio in Cruce ſuſpenſum.

Nec minor eſt dierum, ac menſium, quàm annorum varietas: hactenus enim ignotum eſt, qua die, quoue menſe obierit: *Clemens Alexan.* Clementem Alexandrinũ lib. 1. Stromatum conſule, & opinionum diuerſitatem inſpicies. Quia verò annus, menſis, dies, in quo obijt, non eſt ita certus, & exploratus; ideo Chriſtum minimè paſſum negabimus? Abſit. Eadem ratione, cum Danielis hebdomadæ in Chriſti Paſsione fuerint cõpletæ, vt planum eſt, dubitatione tamen non caret, quo tempore inceperint, aut defierint; nam diuerſi diuerſa opinantur. Quid? non minor eſt opinionum diſcrepantia circa annos Regum Perſarum, Samuelis, Saulis, & aliorũ Gentis Hebrææ Principum; Quin etiam Imperatorum, & Pontificũ Romanorum, quos tamen extitiſſe nemo inficiatur. Tandẽ quot leges Chronologos, tot de annis mundi, qui hactenus fluxerũt, opiniones inuenies: nec proinde mundum nunquam incepiſſe, vel vſque ad hanc diem non duraſſe affirmabis. Igitur Authorum diſcordiam, falſitatis argumentum fatemur, in materia, circa quam diſſenſio verſatur; quia neceſſariò aliqui ex diſſentientibus fallũtur: & è contra ſumma Authorũ conſenſio clariſsimum eſt veritatis argumentum. Vnde cùm omnes concordent circa Petri in Vrbem aduentum, & ſolùm de tempore, quo aduenerit, diſcrepent; immeritò propter illam tẽporis diſcrepantiam à Veleno, & Nouatoribus falſitatis damnantur.

Deinde, nullam inter bonos Authores diſcordiam admitto: quoniam Euſebius in Chronico, *Euſebius* Hieronymus de Scriptoribus in *Hieron.* Petro; & Ado Treuirenſis in Mar- *Treuir.* tyrologio dicunt, Petrum Romã veniſſe Claudij anno ſecundo. Nec Oroſius ab illis diſcrepare *Oroſius.* videtur, dum in exordio Regni Claudij veniſſe teſtatur. Nam Claudij Regno in tres partes diuiſo, nimirum, exordium, medium, & finem, annum ſecundum ſi rectè numeres, ad exordiũ reijcies. Oroſio, & alijs aſſentiũtur reliqui Authores, qui Petrum aſſerunt Romæ ſediſſe annis viginti quinque, & decimoquarto Neronis anno obijſſe; Damaſus, Iſidorus, Beda, Treculphus, Ado Viennenſis, & alij ſupracitati: & quidem niſi à ſecundo Claudij anno incipias numerare, vigeſimum-quintum, vſque ad decimumquartum Neronis non inuenies.

Hinc eſt, vt Faſciculum temporũ, & Paſsionale non admittamus: quoniam Faſciculus, Mariani Scoti ſectator eſt, qui ſecum ipſe, & cum veritate apertiſsimè pugnat. Etenim Petrũ anno Claudij quarto Romam veniſſe, & poſtremo

Nero-

Neronis paſſum teſtatur. Nihilominus tamen vigintiquinque annis, & menſibus duobus Romanum tenuiſſe Epiſcopatum aſſeuerat: quæ nullo modo inter ſe cohærent. Nam Claudij Regnum vltra annos tredecim, menſes nouem, dies viginti in vniuerſum non aſcendit. Nero autem regnauit annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus vigintiocto, vt Dio Caſsius, Suetonius Tranquillus, Euſebius, & ipſe Marianus Scotus fatetur. Et quidem Claudij, & Neronis tempora in vnum coacta, ſummam efficiunt, quæ annos vigintiſeptem, menſes quatuor, dies octodecim non excedit. Vnde ſi hinc tollas annos tres, menſes quinque, dies octodecim, quos Marianus de Claudij Imperio, antequam Petrus Romam veniret, effluxiſſe contendit; anni tantùm vigintitres, & vndecim menſes ſupererunt. Atque adeo, vel Petrus obijt poſt Neronem, vel annos vigintiquinque Pontificatum non obtinuit.

Dio Caſ. Sueton. Tranq. Euſeb. Marian. Scot.

Quod autem in ſecunda argumenti parte de ſucceſsione quatuor primorum Pontificum Velenus obijciebat; ita diluo. Quamuis nobis ignotum eſſet, quis in ſucceſsione Petrum immediate contigerit; non proinde in dubiũ reuocari debet, aliquem ipſius ſucceſſorem extitiſſe: quemadmodum non leue inter Authores diſſidium eſt, Quis nam fuerit maritus Eſther. Nonnulli Aſſuerum Medum: alij Cambyſem Perſam: alij Darium Hiſtaſpis: alij Artaxerſem Longimanum: alij Memnonem fuiſſe teſtantur: Nullus tamẽ illam maritum habuiſſe dubitauit.

Præterea ſucceſsionis ſeries ita componi poteſt, vt omnis cõtrarietas euaneſcat. Petrus imminente Paſsione, Clementem renunciauit immediatè in Pontificatu ſucceſſurum: ſic grauiſſimi teſtantur Authores: Tertullianus de Prçſcriptionibus, Hieronymus, lib. 1. contra Iouinianum, & in cap. 52. Eſaiæ. Ruffinus præfat. recognitionum, & inuectiua in Hieronymum. Ioannes Tertius Papa in epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ: quinimo ipſe Clemens lib. 7. conſtit. Apoſtolic. cap. 37. Anacletus epiſt. 1. Alexand. epiſtol. 1. Damaſus in vita Petri. At verò Clemẽs mortuo Petro, quãdiu Linus, & Cletus vixerũt, Apoſtoli in Epiſcopali officio adiutores, Pontificatum adire recuſauit. Hinc eſt, vt à Petro, non Clemẽs, ſed Linus primo loco numeretur. Ita docuit Epiphanius hæreſi 27. Vbi ex veterum ſententiâ viuentibus adhuc Lino, & Cleto, ſedem Pontificiam à Clemente recuſatam aſſeuerat.

Tertull. Hieron. Ruffin. Papa Io. 3. Clemens. Anaclet. Damaſ. Epiph.

Et quidem hæc ſucceſſoris ambiguitas nõ tollit, quominus Romæ Epiſcopus Petrus extiterit: nam ſiue Clemens, ſiue Linus, vel quicũque alius Petro ſucceſſerit; nulla erit quæſtio de primo ipſius ſucceſſore; quemadmodũ

de

Digitized by Google

de primo ſucceſſore Iacobi apud Hieroſolymam, & Marci apud Alexandriam; quin etiam Petri Antiochiæ, nullo modo controuertitur. Cùm ergo Petrum in Pontificatu ſucceſſorem habuiſſe fateantur, quiſquis ille fuerit, Petrum Romæ Epiſcopum fuiſſe neceſſariò fatendum erit. Nec obeſt, quòd ex humilitate inter Succeſſores contentio oriretur, & qui primo loco fuerat deſignatus, poſtea ſuccederet. Atque hinc Authorum diſſenſio componitur: nam Irenæus, Euſebius, Epiphanius, Optatus, Auguſtinus, Hieronymus, aſſerentes Linum proximè Petri ſucceſſorem fuiſſe; verè dicunt: non tamen negant id factum, propterea quod Clemens Pontificatum recuſauerat. Porro Tertullianus, Hieronymus, Ruffinus, & alij, qui Clementem à Petro ſucceſſorem inſtitutum ſcripſerunt, etiam verum narrant: ſed Clementem noluiſſe Pontificatũ obire, non inficiantur.

Quid verò ad illud ex Pontificali Damaſi reſpondendum? necnon Sophronio, & Simeoni; qui Linum ante Petrum obijſſe teſtantur? Reſpondeo Pontificale dubiæ in hac re authoritatis eſſe, & ideo probatiſſimis, antiquiſsimisque Authoribus magis credendum, qui Linum Petro ſucceſsiſſe ſcribunt, quàm Sophronio, & Simeoni recentioribus contrarium aſſerentibus. De Cleto autem, ſeu Anacleto, qui Lino ſucceſſit, & quarto loco exceptus à Clemente recenſetur, iuxta computationem Irenæi, Euſebij, Epiphanij, Hieronymi, quam Miſſæ Canon vetuſtiſsimus confirmat, vbi legitur, *Lini, Cleti, Clementis*. Porro Clementi ſucceſsit Anacletus, vt D. Auguſtinus, Damaſus, & Optatus tradiderunt. Nec dubium eſt duos fuiſſe Anacletos, quorum alter etiam Cletus dicebatur, vt Eccleſiæ authoritas manifeſtat, quæ vnicuique diem feſtum aſſignat: nominis tamen ſimilitudo Scriptoribus occaſionem præbuit, vt vnũ ex duobus facerent.

Quòd autem nonnulli ex citatis Authoribus Anacletum Clementi anteponant, alij poſt Clementem enumerent; argumento eſt duos fuiſſe, non vnum. Prior tamen binomius erat, & Cletus etiam dicebatur, quemadmodum in ſacro Miſſæ Canone nominatur. Nec nouum eſt, & inuſitatum vt propter nominis ſimilitudinem, duo velut vnum reputentur. Sic enim apud Græcos Nouatus Carthaginenſis cum Nouatiano Presbytero Romano confunditur. Marcellus item, & Marcellinus à Nicephoro, & Euſebio tanquam vnus reputatur; cùm tamen duos fuiſſe exploratiſsimum ſit. Ita etiam

Cc de

de Cleto, & Anacleto dicendum videtur, qui duo cùm fuerint, ob nominis ſimilitudinem vnus à multis crederetur, & alij ante Clementem, alij poſt ipſum recenſendum iudicarent.

Secundum argumentum, quo Velenus, Caluinus, & Magdeburgenſes decipi voluerunt, ne circa Petri in Vrbem aduentum Catholicis Doctoribus aſſentirentur, ita habet. Petrus ante octodecim à paſsione Chriſti annos Romam venire non potuit: quoniam, vt colligit B. Hieronymus in cap. 2. ad Galat. Concilium Hieroſolymitanum anno decimooctauo à Chriſti paſsione fuit celebratum; quo etiam tempore Petrus in Iudæa morabatur, nec inde diſceſſerat, vt ex eo probatur: nam D. Paulus petri videndi cauſa poſt tres annos à conuerſione ſua Hieroſolymam acceſsit: deinde poſt quatuordecim annos, vt conſtat ex cap. 5. ad Galat. pro celebrando Hieroſolymæ Concilio, illuc iterum remeauit: adde annum, qui à Paſsione Domini vſque ad Pauli conuerſionem decurrit; & octodecim reperies: Quin etiam Petrus annis quinque in Iudæa ſe tenuit, ſeptem Antiochiæ vixit, ac præterea in Ponto, Galacia, Cappadocia, Aſia, Bithynia, & & alijs locis degens, tot annos conſumpſit, vt minimùm octodecim complerentur, antequàm Romã accedere potuiſſet. Quòd ſi ante annum decimum octauum Romam venit, ſecũdo anno Claudij veniſſe fatendum eſt: quod tamen à veritate aberrat: nam tunc Petrus in carcere tenebatur: ſiquidem ipſius liberatio contigit anno Claudij tertio, vt colligi videtur ex Luca Act. 12. & tenet Ioſephus libr. 19. Antiquitatum cap. 7. Et præterea vt ex Thraſea Martyre refert Euſebius lib. 5. hiſtor. cap. 18. Apoſtolis à Chriſto præceptum eſt, ne ante annos duodecim ab Hieroſolymis diſcederent. At verò duodecimus annus à Chriſto ſuſcitato incidit in annum Claudij tertium: non igitur in ſecundo Petrus Romam venit, ſed poſt annum nonum, qui decimus octauus à Paſsione Chriſti numeratur. De Petro verò aſſerunt Damaſus, Hieronymus, Euſebius, & alij, viginti quinque annis Romæ ſedem tenuiſſe. Atque adeo neceſſe eſt, vt vſque ad annum quadrageſimum tertium à Chriſti Paſsione ſuperuixerit; quo tempore Nero, imò & alij Imperatores obierant, & Veſpaſianus imperabat, qui fuit mitiſſimus, nec ex Chriſtianis quemquam Romæ occidit: igitur Petrum alibi, quàm Romæ obijſſe ſtatuendum eſt.

Hæc à Veleno futiliter planè, inaniterque obiecta, non aliter mihi videntur eludenda, quàm ſi

ſi breuiſsimam, & veriſsimam Petri hiſtoriam ex probatiſsimis Authoribus hic contexam. Petrus igitur quinque ferè annis in Iudæa ſe tenuit: vnde facilè potuit ſanctus Paulus poſt annos tres à ſua conuerſione Petrum Hieroſolymis inuiſendum conuenire. Hinc Euſebius anno quinto à Paſsione Domini Petrum Antiochiam aduenisse commemorat. Poſtquam verò in Vrbem fuit ingreſſus, ſedem ibi erexit Pontificiam, & per ſeptennium eius Vrbis Epiſcopus vixit: Non tamen vt toto illo tempore immobilis ibi permanſerit: nam tunc Pontum, Aſiam, Galatiam, Cappadociam, & Bithyniam penetrauit. Deinde Antiochenſis Epiſcopus annum agēs ſeptimum, & à Chriſti paſſione vndecimo, Hieroſolymam reuertitur: vbi captus ab Herode in carcerem detruditur, ſicut ſcripſit Lucas Actorum cap. 12. Sed paulò poſt ab Angelo liberatus, eodem anno, qui erat ſecundus Claudij, Romam venit, & annis vigintiquinque ſedem in Vrbe erectam retinuit.

Euſebius.

Act. 12.

Quandiu tamen Epiſcopus vixit Romanus, non ſemper Romæ ſe tenuit. Etenim poſquam ſeptem annis in Vrbe prædicauerat, vnà cū alijs Iudæis à Claudio expulſis, vt Author eſt Lucas Actorum 18. Hieroſolymam ſe recepit. Quod cùm Antiochenis innoteſceret, Paulum, & Barnabam miſerunt ad Petrum: & tunc factum eſt Concilium Hieroſolymitanum. De expulſione verò Iudæorum Claudij iuſſu facta, dubitandum non eſt: quia præter Lucam citatum, Suetonius, Ioſephus, & Oroſius id teſtantur: & anno Claudij nono contigiſſe fatentur, qui decimusoctauus à Chriſto paſſo numeratur. Claudio autem ſublato, Petrus Vrbem repetiuit, ibique martyrio coronatus è vita deceſsit, poſtquam vigintiquinque annos in Pontificatu vixerat, vt citati Authores tradiderunt. Quos etiam, ſi in hoc erraſſe fateremur, non tamen inde ſequeretur, Petrum nunquā Romæ ſediſſe; quod Velenus inaniter contendit.

Act. 18.

Sueton. Ioſephus Oroſius.

Nec multum negotij faceſsit illa Thraſeæ Martyris traditio: quia aliunde conſtat, non omnibus Apoſtolis à Chriſto præceptū, vt ab Hieroſolymis vſque ad annos duodecim non diſcederēt. Siquidem legimus in Actis Apoſtolorum cap. 8. 9. & 10. Petrum in Samariā, Lyddam, Ioppē, & Ceſaræam profectū, antequā in vincula conijceretur: aliqui tamē, vel aliquis, ad teſtimoniū Hebræorū iuſſus eſt Hieroſolymis remanere.

Tandem non obeſt, Petrum paulò ante mortem Herodis in vincula coniectum, vt ex Luca in Actis c. 12. opponitur; & Herodem anno Claudij tertio obijſſe,

vt ſcribit Ioſephus lib. 19. Antiquitatum cap. 7. Nam contrarium potiùs indicatur à Luca. Et tempus illud, quod à Petri liberatione vſque ad Herodis profectum in Cæſaræam, ipſiuſque in Vrbe ſtationẽ decurrit, ad minimum anni ſpatium impleuit; quod ſat eſt ad hiſtoriæ, quam teximus, veritatem confirmandam. Cùm autem Lucas poſt necẽ Iacobi, & Petri vincula, continuò ferè mortem Herodis commemorauit; nõ tam immediatam voluit temporis coniunctionem indicare, quàm mortis cauſam, nimirum horribilem Herodis interitum in peccati aduerſus Apoſtolos commiſsi pœnam contigiſſe.

Inſtant adhuc Nouatores, ſed ita leuia opponunt, vt muſcarum inſtar tenui potiùs flabello pulſanda, & abigenda videantur; quàm in ijs eluendis calamus deterendus: Maximè quia tertium, quo vtuntur, argumentum, ab auctoritate negatiua confectum, nihil concludit. Quis enim aſſentietur neganti Petrum fuiſſe Romæ, propterea quod nec Paulus in Epiſtolis ad Philippenſes, & Coloſſenſes, nec Lucas, aut alij id ſcripſerint? Cùm aliunde plures inueniantur, qui Petrum Romam aduenilſe teſtentur: Et maior fides adhibenda eſt affirmantibus, quàm ijs, qui non negarunt quidem, ſed nihil de aduentu meminerunt. Sin minus, dicant iſti Chriſtum non fuiſſe circumciſum: nec in Templo præſentatum: nouam non apparuiſſe ſtellam: nec de Maria Virgine natum; quia Matthæus de Circuncisione; Marcus de Præſentatione; Lucas de Stella, & Ioannes de Mariæ Virginitate non ſcripſerunt. Quod quàm abſurdum erit inficiari, per ſe patet.

Deinde fieri potuit, vt quo tempore Paulus Romam peruênit, & memoratas Epiſtolas ſcripſit, Petrus in Vrbe non manſerit: quoniam etſi Romæ ſedem collocauerat, non tamen ſemper ibi immobilis perſtitit; ſed nonunquam varia obibat loca, vt in eis Eccleſias inſtitueret: relictis interim Romæ Lino, & Cleto adiutoribus, qui Epiſcopali munere fungerentur, vt Auctor eſt Epiphanius hæreſ. 27. & nos alibi ſtatuimus. *Epiphan.* Quòd autem Paulus non negarit, Petrum fuiſſe Romæ, planum fiet verba ipſius expendenti. Dum enim ait: *Hi ſoli ſunt adiutores mei in Regno Dei*; de ſolis domeſticis loquitur, qui ſibi miniſtrabant. *Ad coll. c. vltimo* Illud item ad Philippenſes cap. 2. *Omnes quærunt quæ ſua ſunt*; de aliquibus, non de omnibus, per figuram intellectionis dictum interpretari debet: & ideo licèt Petrus tunc Romæ eſſet, eò ſenſu ſcribi potuiſſet. *Philip. 2.* Perperam igitur hinc deducant, Petrum tunc temporis in Vrbe non demorari.

Iam

Iam verò quod idem Apoſtolus in ſecunda ad Timoth. cap. 4. ſcribit: *Nemo mihi aſſitit; omnes me dereliquerunt*; de nobilibus Romanis accipe, qui Paulum apud Cæſarem iuuare potuiſſent. Cùm autem, vt planum eſt, Petrus Cæſari æquè infenſus eſſet, ac Paulus, eum minimè iuuare poſſet: vnde præſente Petro ſcribere potuit, ſe ab omnibus, qui iuuare poſſent, derelictum.

2. ad Timoth. c. 4

§. QVARTVM.

Romanus Pontifex diuino iure in Eccleſiaſtica Petri Monarchia Succeſſor demonſtratur.

PEtrum Romæ fuiſſe, ac eius Vrbis Epiſcopatu functum, hactenus demonſtrauimus: vnde etiam Romanum Pōtificem Petri in Epiſcopatu Romano Succeſſorem habendum conſequenter deduximus. Iam ipsā Eccleſiæ vniuerſalis Monarchiam diuino iure ad Romanos Pontifices deuenire comprobemus. Igitur neceſſe eſt, vt aliquis diuino iure Petri Succeſſor exiſtat. Hic non poteſt alius, quam Romanus Pontifex haberi: Ergo ille Petro dicendus erit in Eccleſiæ primatu ſuccedere. Aſſumptum illud quoad primam partem, nimirum, neceſſe eſſe vt Petrus in Eccleſiæ Pontificatu ſucceſſorem habeat; ex ipſius Pontificatus fine demonſtratur. Etenim Pontifex propter Eccleſiam, nō autem Eccleſia propter Pontificem, à Chriſto Saluatore noſtro fuit inſtituta. Hinc eſt illud Auguſtini lib. de Paſtoribus, cap. 1. *Quòd*, inquit, *Chriſtiani ſumus, propter nos eſt; quòd præpoſiti ſumus, propter vos eſt*. Cùm autem hac tempeſtate, non minùs quàm Petri tempore, Pontifex ſit Eccleſiæ neceſſarius: abſurdum erit, exiſtimare, Petro mortuo Pōtificatum interijſſe, qui nō ob Apoſtoli commodū, ſed propter Eccleſię vtilitatem à Chriſto fuerat inſtitutus. Atque adeo donec in terris manebit Eccleſia, Pontificem, & Paſtorem obtinebit, qui ipſam vigilanter cuſtodiat, & gubernet.

D. Aug.

Deinde, Chriſti Eccleſia, ſicuti dicebat ſponſus, vna eſt, perfecta, & immaculata, eandemque in omni temporis differentia vnitatem conſeruat: vnde conſentaneum eſt, vt traditam regiminis formam retineat. Quare, ſicut viuentibus Apoſtolis, vnus omniū ſupremus rector habebatur; ſic etiam modò Eccleſia vnum, à quo regatur, Pontificem Petri Succeſſorē obtinere debet. Quod ita rationi congruit, vt mirum ſit, quàm multæ circa hanc rem ab hæreticis ineptiæ proferantur. Peruenuſtum eſt quod refert noſter Soſa, nimirum, Pragæ ab hinc circiter triginta ſex annis vixiſſe Equitem hæreticum, quem propè ipſe cognouerat. Is ex commiſſione maioris partis hæretico-

Soſa in tract. cōtra duos tract. ſine Auth.

rum Germaniæ Conſtantinopolim ſe contulerat, ab illius Vrbis Patriarcha Schiſmatico petiturus, vt ad ſuam obedientiam illos reciperet, quoniam vt Eccleſiæ caput ipſum colere deſtinauerant: ſiquidem ex acæphaliſmo ſectas multiplicari, & nouas in dies ſuccreſcere opiniones aduerterant. Cui Patriarcha reſpondit, illos libenter ſe recepturum, priùs tamen velle vt ab ipſis dogmata edoceretur, in quibus Romanæ Eccleſiæ non congruebant. Dicto parent, ac omnes opiniones ſcriptis renuntiant; quibus inſpectis fatuitatem indignatus, & turpitudinem, illos reiecit: dicens, ſe turpium adeo hæreticorum, & inſipientium, caput haberi nolle: Deindeque aduerſus huiuſmodi errores doctiſsimũ ſcripſit libellum, cui titulus eſt, *De fide Oriẽtali*: quod poſtmodum D. Guillem à S. Clemente Catholici Regis apud Cæſarem Oratoris induſtria fuit typis mandatum. Itaque hæreticorum grex acæphalus errans, & pallabundus abſumitur, & diſsipatur; quod ipſis erat ſatis notum: & ideo ne ſine capite viuerent, illud è Conſtantinopoli quæſierunt.

Deinde probatur ex verbis Domini apud Ioannem cap. vltimo; Ioan. 21. *Paſce oues meas*; in quibus Petrus Eccleſiæ Paſtor inſtituitur. At verò Paſtoris officium perpetuitatem ſuapte natura vendicat: Et ideo quandiu ſtabit ouile, Paſtorem neceſſe eſt permanere. Cùm autem vſque ad conſummationem ſæculi permanſura ſit Eccleſia, tantumdem oportet vt Petri Succeſſores in paſtorali officio perſeuerent. Quod vlterius ex citato Ioannis loco demõſtratur, *Paſce oues meas*. Omnes quidẽ paſcendæ committuntur, nec vlla temporis, aut loci differentia excipitur: Et meritò: quoniam Chriſtus non minus nobis recentibus, quàm antiquis debuit prouidere. Cùm autem Petrus non ſemper eſſet in carne victurus, ſequitur, vt dum ei dicitur, *Paſce oues meas*; non ipſi tantùm, ſed Succeſſoribus Chriſtus loqueretur. Hinc eſt illud Chryſoſtomi lib. 2. de Sacerdot. ſub initium: Chryſoſt. *Quanam*, inquit, *de cauſa ille ſanguinem effudit ſuum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tùm Petro, tùm Petri ſucceſſoribus committebat*. Concinit D. Leo ſerm. 2. de anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum. D. Leo. *Manet*, inquit, *diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit: perſeuerat videlicet Petrus, & viuit in ſucceſſoribus ſuis*. Eòdem etiam reſpexit Petrus Rauẽnæ Epiſcopus in Epiſtol. ad Eutychen: vbi ita. *Beatus Petrus, qui in propria ſede viuit, & præſtat quærentibus fidei veritatem*.

Addo præterea aliud præſtruẽdæ veri-

veritati fundamentum, ex ratione corporis deſumptum. Chriſti Eccleſia vnum corpus capite ſuo, præter Chriſtum conſtans, integrat, & conſtituit, vt videre eſt
1. Cor. 12 apud Apoſtolum 1. Corinth. 12. Ibi enim poſtquam dixerat, Eccleſiam eſſe vnum corpus, ſubiecit: *Non poteſt caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij*. Quod Chriſto minimè conuenit. Quippe cùm de lapidibus Abrahæ filios ſuſcitare poſsit, nobis dicere valebit, non eſtis mihi neceſſarij: aliunde verò caput aliud præter Petrum Eccleſiæ aſſignari non poterit. Ipſo autem moriente, ne Eccleſia ſit acæphala, neceſſe eſt vt aliquis Petri ſucceſſor, capitis locum viceſque obtineat. Et quidem iam hoc in veteri teſtamento erat deſignatum: Nam
Num. 20. Aaroni ſucceſsit Eleazarus, Nu-
Iudic. 20 mer. 20. Eleazaro Phinees, Iudicum 20. & ſic de cæteris. Quapropter ne maior in figura perfectio inueniatur, quã in figurato extiterit; neceſſe eſt, vt ſicut in lege veteri dabatur Pontificum ſucceſſio, ſic etiam in lege gratiæ, Petri ſedes primi, ac ſummi Chriſtianorum Pontificis, continuata ſucceſsionis ſerie conſeruetur.

Claudo hãc probationem Conciliorum allegatione. Poſthabitis tamen quinque generalibus Concilijs, quæ nec à Græcis recipiuntur, quia ipſis non interfuerunt; nec ab hæreticis, quia ſunt poſt annum ſexcenteſimum celebrata; videlicet Lugdunenſe ſub Innocentio Quarto, vt habetur cap. 1. de homicid. in 6. Viennenſe ſub Clemẽte Quinto, vt habetur Clement. vnica de ſumma Trinit. & fide Catholica. Conſtantienſe ſeſſ. 8. & 25. Lateranenſe ſub Leone Decimo ſeſſ. 11. & Tridentinum ſeſſ. cap. 7. & alibi. Produco alia communi aſſenſu recepta: Concilium Nicænũ can. 6. Concilium Conſtantinopolitanũ in epiſt. ad Damaſum, quæ habetur apud Theodoretum lib. 5. hiſtor. cap. 9. Concilium Chalcedonẽſe act. 1. 2. & 3. vbi Leonem vocat, *Vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem:* Et epiſt. ad Leonem ibi, *Et poſt hæc omnia inſuper; & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore promiſſa eſt, extendit inſaniam; id eſt contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem*. En vides, quo pacto maximum illud Concilium fateatur Leonem vniuerſę Eccleſiæ cuſtodem à Chriſto deſignatum. Cõc. Chal

Synodum Conſtantinopolitanam ante quintam ſynodum in cauſa Antimi celebratam act. 4. vbi Menas Patriarcha, & Concilij Præſes ita loquitur: *Nos Apoſtolicam ſedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus: & condemnatos ab ipſa condemnamus*. Ex quo cernis, Apoſtolicam, & Romanã ſedẽ toti Eccleſiæ Chriſti authoritate præeſſe. In idem placitum conſpirauit ſeptima Sy- Cõc. Cõſt.

nodus, vt cernere eſt in epiſtola Adriani ad Tharaſium. Lateranenſe Concilium ſub Innocentio Tertio, in quo Græci, & Latini interfuerunt, Canon. 5. vbi ita: *Romana Eccleſia diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpotè mater vniuerſorum Chriſti fidelium & Magiſtra.* Concilium Lugdunenſe generale ſub Gregorio Decimo, vt habetur cap. vbi periculum, de elect. in 6. Conciliũ Florentinum, in quo Græcorum, & Latinorum conſenſu, ita decernitur. *Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pōtificem in vniuerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcēdi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Hæc de Concilijs producta ſat eſſent, ad demoliendam hæreticorum obſtinatam perfidiam; niſi illos inſignis cæcitas tenebris obrutos detineret.

Conc. Lat.

Cōc. Flor.

Adhuc tamen cum ipſis ſic expoſtulo. Quem in toto Orbe virum oſtendent, de quo rationibus nimirum apparētibus, nedum apertiſsimis, & euidentibus probare poſsint Eccleſiæ caput habēdum iri? Sicut in Romano Pontifice Catholica veritas plurimis demonſtrat. Primo ex ſucceſsione Romanorum Epiſcoporum, continuata ſerie in noſtra vſque tempora ab Apoſtolis propagata. Quod adeo permouit S. Auguſtinum, vt epiſt. 165. omnes à Petro Pontifices vſque ad Anaſtaſium, qui tunc ſedebat, recēſuerit: quòd ſi iam tunc eo annorum & Pontificum numero ſe victum fatebatur; quid nunc diceret, cùm centū ſupra mille anni decurrerūt? Hinc eſt vt in Pſalm. contra partem Donati, ad hanc Pontificum ſeriem contemplandam exhortetur. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipſa ſede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Et lib. contra epiſtolam fundamenti c. 4. *Tenet*, inquit, *me in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli; cui paſcēdas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Accinit. S. Irenæus lib. 3. cap. 3. vbi recenſitis Pontificibus Romanis, qui à Petro vſque ad Eleutherium tunc viuentem floruerunt; hæreticos huiuſmodi ſucceſsione mirum in modum confundi teſtatur.

Auguſt.

Irenæus.

Tertullianus lib. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos, cum ipſis ita expoſtulat: *Edant hæretici origines Eccleſiarum ſuarū, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuo-* Tertul.

ſuo-

ſuorũ, ita per ſucceſsionẽ ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus, aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit authorem, & Anteceſſorem: hoc enim modo Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum refert. Confingant tale aliquid hæretici. Eandem Pontificum enumerationem proſequitur S. Epiphanius hæreſ. 27. quæ eſt Carpocratis: vbi omnibus ſuo ordine recenſitis, concludit dicens: *Et ne quis miretur, quòd tam exactè ſingula recenſemus: per hæc enim ſemper claritas oſtenditur.* Hos Patres ſecuti Authores plurimi memoratam Pontificum ſeriẽ texuerunt: indeque deducto argumento Catholicam, & Romanam Eccleſiam veram eſſe, & Pontificem Romanum Petri Vicariũ, & in Eccleſiaſtico principatu ſucceſſorem comprobarunt.

Epiphan.

Quòd ſi tantùm apud antiquos Patres valuit ad probandam Eccleſiæ Catholicæ veritatem duodecim, ſeu viginti, aut quadraginta Pontificũ ſucceſsio; quid apud nos non efficiet per tot annos continuata ſine interruptione Põtificum ſeries, vſque ad numerum 239. quem ſanctiſsimus Pater Vrbanus Octauus fæliciſſimè complet? Quodque magis admirere, & nobis aſſentiaris, ſedes aliæ Apoſtolicæ defecerunt. Quid de Antiochena, Alexandrina, & Hieroſolymitana? in quibus ante annos 900. ex quo loca illa à Perſis, Sarracenis, vel Romanis adempta ſunt, aut nulla, aut obſcuriſsima fuit ſucceſſio. Quin etiam Roma ipſa temporalis dominij formam ſæpius mutatam inſpexit, ſiue ab Imperatoribus, aut Gothorum Regibus, ſiue Græcorum Exarchis, vel etiam Conſulibus, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè dominatũ vſurpantibus, regeretur. Inter hæc tamen in Petri ſede continuata ſuccedendi ſeries inuiolata permanſit. Adde, Romam toties euerſam fuiſſe, & pene deſauillatam: & tamen inter ipſos collabentis Ciuitatis cineres, Petri ſedes, & Pontificum ſucceſsio illæſa permanſit: quod non parũ hæreticos diſcruciat, fremereque conſtringit. Quòd ſi non tenebroſa adeo caligine forent obſcurati, facilè nouiſſent Pontificem Romanum, Petri ſucceſſorem eſſe, & verum Eccleſiæ caput; à qua ipſi exulant, quia Pontificis iugũ, & obedientiam indomita ceruice repulerunt.

Secundò hoc idem probat inuariabilis fidei vnitas & perſeuerantia, quam à Petro hucuſque prædicatam Eccleſia Romana cõſeruat: quidquid fremant hæretici, huiuſmodi firmitati nonnulla dogmata opponentes; quæ temporum neceſsitas variare coegit, & fidei ſubſtantiam nullatenus attingunt. Cùm aliunde verum habeat, vt non in vno hæreticorum & paruo tantùm oppido, ſed etiã in domo vna multiplices perſonæ inue-

inueniantur, quæ circa fidei ſubſtantiam ſectis diſtrahuntur planè diuerſis. Vix tamen ſubnaſcuntur, cùm ſtatim exortæ areſcunt, & ad nihilum rediguntur: ſicut ex mente Auguſtini futurum prædixit Regius Vates Pſalm. 67. *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens*. Vbi ſanctus Doctor: *Non vos*, inquit, *terreant, fratres, quidam fluuij, qui dicuntur torrentes. Decurrit aqua, ad tempus perſtrepit; mox ceſſabit; diu ſtare non poſſunt. Multæ hæreſes iam emortuæ ſunt, cucurrerunt in riuis ſuis quantum potuerũt, decurrerunt: ſiccati ſunt riui; vix eorũ memoria reperitur, vel quia fuerint.*

Pſal. 67.

Auguſt.

Fidem faciat hæreſis Ariana, quę firmis nixa radicibus videbatur, Athanaſio, & Hilario viuentibus: & tamen euanuit. Quid de Albigenſium hæreſi, quæ præter doctrinæ vires militum copijs, & potentia longè fortiùs, quàm nunc Caluiniana hæreſis, ante annos ducentos in Gallia regnabat? Vbi tamen ſunt Albigenſes? Nullibi certè: nec quiſquam, qui eos nominet reperietur; Quin etiam omnes hæreſes, quæ vſque ad Lutheri tempora, vt minimùm ducentos hæreſiarchas habuerunt, in quibus Epiſcopi, Eccleſiæ integræ, Reges, & Imperatores potẽtiſsimi numerantur, inſuperque editis librorum monumentis diuturnitatem ſibi pollicebantur: & tamen ita euanuerunt, vt in ſolis Catholicorum libris eorum memoria reperiatur. Iam verò Lutherani vix nati areſcere cœperũt: nam anno 1517. exorti, expleto vix ſeptennio viſi ſunt interitũ properare. Surgentibus namque Zuuinglio & Anabaptiſtis, ita confuſa eſt Lutheranorum ſecta, vt nullus purè Lutheranus inueniatur. Quid de Caluiniſtis, qui regnante Zuuinglio anno 1538. ſurrexerunt, & breui inualeſcentes, ad ſe Zuuinglios pertraxerũt? Diu tamen ſtare non potuerunt, & ideo per Libertinos in Gallia, per Puritanos in Anglia, per Trinitarios in Polonia, & Samoſatenos in Tranſyluania diſsipati propè abſumuntur. Et reuera ipſe Caluinus, vt erat ingenio ſagaci, ſectam ſuam breui extinguendam præuidit, & ſcriptum reliquit in fronte Cathechiſmi Geneuenſis. Idem etiam de Lutheraniſmo vaticinati ſunt Centuriatores in præfatione ſecundæ Centuriæ. Quid ni eodem exitu hæc, & aliæ hæreticorum ſectę concluderentur?

Quapropter Hieronymi, & Auguſtini ſententia rem totam obſigno. Ille in extremo Dialogo contra Luciferianos ita loquitur: *Breuem, apertamque animi mei ſententiam proferam: in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata vſque in diem hanc durat*. Hic lib. de vtilitate credendi, cap. 17. *Dubitabimus*, inquit, *nos illius Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica ſede* Hieron. Auguſt.

per

per ſucceſsiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circumlatrantibus culmẽ authoritatis obtinuit? Quod quidem de præterito docuit experientia. Et pro futuris temporibus ſtat Danielis vaticinium ex cap. 9. vbi Eccleſia æternûm duratura prædicitur his verbis: *Regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Idẽ etiam in Actis Apoſtolorum videtur ſtabilitum c. 5. *Si eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus; diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt; non poteritis diſſoluere.* Quomodo enim diſſolui poſſet Eccleſia? Tyrãnorum perſecutionibus, dices. At quemadmodũ vinea putando augetur, & ab ipſo ducit opes, animumque ferro: *Sic,* inquit in Triphone Iuſtinus, *Eccleſia perſecutionibus dilatatur.* Vnde Tertullianus in Apologetico Martyrum ſanguinem, Chriſtianorum ſemen appellauit. *Semen,* inquit, *eſt ſanguis Chriſtianorum: quo plures metimur, plures efficimur. Exquiſitior quælibet crudelitas veſtræ ſectæ, illecebra eſt.* Ita ille cap. vltimo. Ex quo videtur mutuatus Leo, quæ ſermone. 1. de SS. Petro, & Paulo eleganter ſcripſit. *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur: & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.*

Daniel cap. 9.

Actorũ 5.

Iuſtinus.

Tertull.

D. Leo.

§. QVINTVM.

Virtutum claritas, quibus Eccleſiæ Romanæ filij enituerunt, pro Romani Pontificis in eamdem poteſtate decertat.

TErtiò probat hanc veritatem morum integritas, & vitæ ſanctimonia, quæ in Eccleſia Romana omni æuo, & ætate floruit, vt cernere eſt in numeroſa virorum, & fœminarum multitudine, quæ ab ipſo Eccleſiæ naſcẽtis exordio vſque in hæc tempora clariſsimos omnigenæ virtutis radios ſparſerunt. Aliunde verò hæreticorum ſectæ, nefandique conuentus, magnis ſcatent abominationibus; & plurima fatu indigna apud eos tanquam licita permittuntur. Hinc eſt, vt nulla ſit Paganorum, vel Philoſophorum, vel Iudæorum, vel Turcarum, vel Hæreticorum ſecta, vbi errores plurimi rectæ rationi palàm repugnantes non inueniãtur. Paganorum ſectam prætereo, de quibus exploratum eſt, Deorum multitudinem venerari; plurimaque; & turpiſsima ſentire, vt teſtatur S. Auguſtinus lib. 7. de Ciuitate Dei per totũ. Paria de antiquis Philoſophis ſcripſit Theodoretus lib. de legibus, qui ad Græcos nonus habetur: vbi docet Lycurgi legibus permitti adulteria: Perſarum leges inceſtus, cum matribus, filiabus, & ſororibus

D. Aug.

Theodor.

ribus nuptias permittere. Maſſagetarum legibus concedi, vt propinqui ſenes deuorent & morituros. Tibateni ſuis legibus ſenes ex altis turribus deijciebant. Hircani hominum cadauera canibus dilanianda relinquebant. Scythæ cum mortuis viuos ipſis in vita charos tumulabant. Et, quod omnium ſumma eſt, Platonis leges, quæ omnibus optimæ probatæque habebantur, fœdiſsima & horrenda vitia præſcripto ſanciebant, vel laudabant; communionem videlicet virorum, præpoſteram, nefandamque libidinē, conceptuum abortus, & infanticidia.

Quid de Mahumetanis legibus? nō minùs turpia in Alcorano præſcribuntur. Cap. 2. ſtatuit omnes, Iudæos, Chriſtianos, Turcas ſuis legibus obſeruatis æternam ſalutem adipiſci. Cap. 5. 28. 47. 48. & paſsim alibi, futuram æternæ vitæ beatitudinem in cibo, & potu, vxorumque multitudine collocat; quinimo in toto Alcorano nulla actionū ſpiritualium, vel amoris, aut viſionis Dei mentio reperitur.

De Iudæos, qui poſt Chriſti aduentum ſcripſerunt, vbi cum Mahumetanis de turpitudine certare videntur, vt apparet ex doctrina Talmud, quam ipſi plurimi faciunt; magnis tamen, & turpiſſimis ſcatet erroribus, vt colligit Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ. Videndus Rabbi Salomon, *Sixtus Senenſ.* apud Iudæos in honore, ac æſtimatione habitus, qui ad illa verba Geneſ. ex cap. 1. *Hoc nunc os ex oſsibus meis*, dicit, Adamum cum omnibus beſtijs, & feris carnaliter congreſſum, nec potuiſſe libidinem explere, quouſque ad Euæ amplexus peruenit. *Geneſ. 1.* Item in cap. 28. Numer ad illud, *In Kalendis autem offeretis holocauſtum Domino*, legit ipſe, *holocauſtum Domini*; & dicit in nouilunio offerendum eſſe holocauſtum pro Deo ad expiandum peccatum, quod lunæ ſplendorem minuendo commiſit. *Num. 28.* Et verò fabulam hanc enarrat in cap. 1. Geneſ. ad illa verba, *Duo luminaria magna*. *Geneſ. 1.* Tandem ad cap. 4. Deuteron. ad illud, *Creauit Deus hominem*: *Deut. 4.* Adamum ita procerum fuiſſe ſcribit, vt pedibus in terrâ conſiſtens, cælum capitis vertice contingeret; & paſsim huius generis plurima in Iudæorum monumentis apparent.

Taceo veteres hæreticos, in quibus par fatuitas, inſaniaque enituit. De Donatiſtis dico, qui teſtibus Auguſtino epiſtol. 50. & Theodoreto lib. 4. de Hæret. fabul. *Auguſ.* *Theodor.* vt ſeipſos facerent Martyres, è præruptis montibus ſe præcipitabant; aquis præfocabant; flammis abſumendos ſe inijciebant, occidi rogabant; quique ipſos occidere recuſabant, ipſis interitum minabantur, & inferebant. Manichæi docebant æquale peccatū eſſe foliū de arbore præſcindere,

atque

atque hominem occidere: iidem aſſerebant, partes Diuinæ eſſentiæ teneri captiuas à Principibus tenebrarum, & ex ijs aliquas liberari; alias in æternum fore damnandas. Auguſt. hæreſ. 46. S. Auguſt.

Ætatis noſtræ Sectarios aſſero, qui omnem hominem aſſerunt iuſtificari ſola fide ſpeciali, qua quiſque certò credit ſe propter Chriſtum coram Deo eſſe iuſtum, cùm alioqui peccatis ſit maculatus; vnde ex mendacio iuſtificationem comparabit. Quod quantùm rationi aduerſetur, adeo planum eſt, vt confutari non egeat. Maximè quia Lutherani omnes ſpiritum precum, & inuocationum extollunt: quod tamen cum ea fide, qua iuſtificari dicunt, cohærere non poteſt: & præterea Anabaptiſtas à ſalute excludunt, niſi ab erroribus ſuis conuertantur; quos tamen ſciunt certò credere ſe eſſe iuſtos. Deinde prętet communem hunc errorem adeo fatuum, ſinguli peculiares ſuſtinent errores planè abſurdiſsimos. Nocturna habent conuenticula, in quibus caninas nuptias exercent: apertè proprijs ſororibus commiſcentur; prædicare publicè vetāt; & in priuatis ſermonibus, vt multiplicentur, & creſcant adhortari ſolent, & ſororum coniugia inire ſuadent.

Iam verò Lutheranorum proprius error eſt: infantes dum baptizantur, ratione vti, Dei verbum audire, credere, diligere: quod rationi valde diſſonat. Et ideo S. Auguſtinus epiſt. 57 ad Dardanum ſcripſit, humanis ſenſibus repugnare, qui hoc dicunt. Porro Caluiniſtæ in eo peculiariter errant, quòd ſentiunt, omnia abſoluta neceſſitate euenire: & Deum cauſam eſſe peccatorum arbitrātur: à quo deliramento iam omnes fere Lutherani deceſſerunt. S. Auguſt.

At Romana, & Catholica Eccleſia nullo inficitur errore, nulla turpitudine maculatur. Nihil rationi contrarium docet, licet multa ſupra rationem contineat. Quapropter ea ſola dici debet ſancta, cui ſoli cõpetit, quod in ſymbolo confitemur: *Credo ſanctam Eccleſiam*. Et verò Iuſtinus in vtraque Apologia: Tertullian. in Apologetico cap. 36. & ſequentibus: Arnobius contra gẽtes lib. 2. & 3. Minutius Fęlix in Octauiano: Auguſtin. in lib de Ciuit. Dei: ſanctus Thomas in lib. contra gentes, hanc Romanæ Catholicæque Eccleſiæ ſanctimoniam, integritatem & caſtitatem deprædicant. Inſtar omnium mihi eſt Auguſtinus; ex quo illud produco teſtimonium. *Nihil in Chriſtianis Eccleſijs turpe, & flagitioſum ſpectandum, imitandumq. proponitur: vbi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.* Ita ille lib. 2. de Ciuitate Dei c. 28. & lib. 2. c. 7. hęc habet: *Perſuadebatur veritas noua conſuetudini, ſed non contraria rationi.* Iuſtinus. Tertul. Arnob. Minutius Auguſtin. D. Thom. Auguſt.

§. SEX-

§. SEXTVM.

Miraculorum claritas, ac in omnes ætates propagata eorum manifeſtatio, Romanum Pontificem verum Petri ſucceſſorem eſſe conteſtatur.

QVarto loco ſeſe mihi obijcit numeroſa miraculorũ cohors, quibus armata incedit Romana Eccleſia, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, hiſque militibus Monarchiæ ſuæ veritatẽ propugnat,& protegit. Tam multá nãque Romani Pontificis ſubditorum precibus exoratus miracula edit Omnipotens, vt voce omni tuba clariore Romanam Eccleſiam veram eſſe deprædicẽt, & Romanum Pontificem caput ipſius, ſupremumque paſtorem obteſtentur. Nec enim apud alias Orbis ſectas, ſiue Ethnicorum, ſiue Turcarum, ſiuẽ Iudæorum, aut hæreticorum, vera miracula ab aliquo ex ſectatoribus edita memorantur.

De Paganis notum eſt: nam quæ ipſi, teſte Valerio Maximo (Val. Max.) libro 8. iactant de ſimulacris, & brutis humana voce loquẽtibus, necnon de Veſtali virgine cribro aquam hauriente; inania ſunt, & dæmonis arte fieri potuerunt. Et idem eſto iudicium de Augure, qui vt refert Tullius (Tullius.) lib. 1. de Diuinatione, cotem nouacula diſſecuit. Si verò ambigas, qua ratione hæ, & aliæ eius generis præſtigiæ, & terriculamenta diaboli induſtria patrari poſſint, conſule Tertullianũ in Apologetico c. 22. (Tertul.) & 23. Auguſtinum lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 16. (Auguſt.) vbi id apertiſſimè demonſtrat.

De Iudæis exploratiſsimum eſt, nulla apud eos miracula poſt Chriſti aduentum edita reperiri. Quoniam vnicum illud probaticę Hieroſolymorum Piſcinæ, quod adhuc Chriſto apud eos prædicãte vigebat, iamdiu finem tenuit.

De Mahumetanis, ipſis Indicibus, miraculorũ ſplendore viduata eorum ſecta conuincitur. Nam vt teſtatur Damaſcenus lib de cẽtum hęreſ. circa finem, (Damaſc.) Mahumetus nullo teſtimonio legem ſuam probare potuit: quinimo ipſemet impius Chriſto miracula, & gladium ſibi traditum fatetur: quamquam aliquando Lunam in duas partes diſſectam; cùmque in terra iacentem inſpiceret, præ manibus ſumpſiſſe, & redintegratam in cælum à ſe repoſitam comminiſcitur. Cęterùm Lunæ caſum nemo vnquam inſpexit, cùm non poſſet non mole ſua magnam terrę partẽ opprimere. Solus, inquiunt Alcoráni expoſitores, Mahumetus vidit, cadenti adfuit, & partitam reparauit. O dementiam! non vidit Mahumetus cadentem Lunam: ipſa potiùs ſuo aſpectu afflauit, vt quaſi lunáticus in hãc fatuitatem laberetur: niſi forte legis à ſe ſtabilitæ violator, vino largiter epotus, illas Lunæ partes

&

& medicinam temulentus ſomniauit.

Iam verò æui noſtri ſectarij etſi miraculis clarere ſtuduerunt, inani tamen conatu id tentaſſe reperimus. Nam Lutherus diſcipulam à dæmone vexatam liberare contendens, minimo minùs ab ipſo diabolo cruciatus occiditur, vt teſtis oculatus affirmat Staphilus. Pergit adhuc hæreticus, & teſte Ioanne Cochlæo in actis Lutheri ad annum 1523. Neſenum quendam flumine ſubmerſum in vitam reuocare, inaniter tamen contendit. O inanem miraculi ſpem, & non ſemel illuſam contentionem! Siſte parumper, inſane: quod enim tibi viuo negatur, vt miraculis clareas, fortè mortuo concedetur. Ita planè refertur accidiſſe: Moritur impius media hyeme, quo tempore corpora mortua diu conſeruari ſolent: ſtannea capſula forinſecus diligẽter clauſa cuſtoditur cadauer; & Vuitembergam defertur humandum: in ipſo tamen itinere tetrũ adeo cœpit odorem ſpirare, vt portantes tartarea iam graueolẽtia deterriti, ipſum ibi reliquerint. Miraculum certè fuit, vt quo tempore cadauera per dies plurimos illæſa ſeruantur, illud ſubitò in putredinem abiret; ſed qualẽ morum, vitæque illius fœtorem decebat, & turpitudinem.

Staphil.

Cochlæus

Aliud non abſimili conatu Miniſter quidam hęreticorum voluit miraculum oſtentare. Nam teſte Feliciano Ninguarda lib. contra Annam Burgium, & Alano lib. 6. Dialog anno 1558. apud Hungariam cum quodam paciſcitur, vt ſe mortuum fingeret, ac deinde ab ipſo magno euocatus clamore exurgeret, vt ſuſcitatus crederetur: interim tamen moritur. O miraculum hæreticis familiare! qui fictè mortuus erat, verè mortuus inuenitur. Simile accidit Caluino, vt Hieronymus Bolſecus in ipſius vita cõmemorat. Sed heus vos Nouatores, cur aliam tenentes fidem, cur extra Romanam viuentes Eccleſiam, & Romanum Pontificem caput ipſius abiurantes, perfidiam veſtram miraculis illuſtrare contenditis, quæ ad ſolam veræ fidei confirmationem à Deo patrari conſueuerunt? Tertullianum audite in lib. de præſcriptionibus ita diſſerentẽ: *Si alium Deum prædicant, cur eiuſdem rebus, & litteris vtuntur? contra quem prædicant? Si eundem, quomodo aliter? alioqui probent ſe nouos Apoſtolos: dicant, Chriſtum iterum deſcendiſſe, & dediſſe eis virtutem, eadem ſigna edendi: Volo igitur, inquit, virtutes eorum proferre, niſi quòd agnoſco maximam virtutem eorum, qui Apoſtolos in peruerſum æmulantur? Illi enim de mortuis ſuſcitabant: iſti de viuis mortuos faciunt.* Hæc ille: vbi vides quàm pulchrè in vltima clauſula ex antitheſi virtutem irridet hæreticorum; atque in mentita

Felician.

Alan.

Bolſec.

Tertul.

tita ipſorum miracula feſtiuè iocatur. Sed iam Eccleſiam noſtram miraculorum veritate claram, illuſtremque extitiſſe demonſtremus.

Igitur plurima in omnibus ætatibus, & teſtatiſsima inueniuntur miracula, vt Magdeburgenſes vndecim tomis, vndecim prima ſæcula complectentibus, affirmant. In ſingulis enim Centurijs cap.13. ex authoribus illius ætatis omnia miracula referunt, plurimaque in vnoquoque ſæculo in confirmationem noſtrorum dogmatum patrata commemorant; videlicet ad Sacramentalem confeſſionem, Reliquiarum cultum, Imaginum venerationem, Euchariſtiam, Pontificatum, Monachatum, Sanctorum inuocationem ſtabiliendam, quæ omnia ſuis titulis digerunt. Et licèt ſolita impudentia dæmonum illuſionibus & præſtigijs adſcribant; id non aliunde probant, niſi quia eiuſmodi miracula Chriſti Euangelio conſonant, & Lutheri Euangelio contradicunt. Sed iam ſingula percurramus ſæcula, & nonnulla ex ipſis miracula breuiſsimè numeremus.

Primum ſæculum, Chriſti, & Apoſtolorum miracula illuſtrarunt, vt ex Euangelijs, & Actorum hiſtoria comprobatur.

In Secundo, Chriſtianorum militum miracula in Marci Antonini exercitu claruerunt. Teſtem laudo Tertullianum lib. ad Scapulam, & in Apologet. cap. 5. Euſeb. *Tertul.* *Euſeb.* lib. 5. hiſtor. cap. 5. Oroſ. lib. 7. hiſtor. cap. 15. & ipſam Imperatoris epiſtolam Iuſtini monumentis adiunctam. *Oroſ.*

In Tertio, vixit Gregorius Thaumaturgus, qui ob miraculorum magnitudinem & claritatem alter Moyſes meruit appellari. Vide Baſilium lib. 10. de Spiritu ſancto cap. 29. Gregorium Nyſſenum in vita ipſius, Hieronymum de Viris Illuſtribus, Euſebium lib. 7. cap. 25. *Baſilius.* *Gregor. Nyſſen.* *Hieron.* *Euſeb.*

In Quarto, Antonij Abbatis, Hilarionis, Nicolai, & aliorum miracula viſa ſunt; quæ Athanaſius, Hieronymus, Sulpitius, & alij retulerunt. *Athanaſ.* *Hieron.* *Sulpitius*

In Quinto, plurima contigerunt, quæ D. Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. ſuo tempore edita latiſsimè recenſet. *D. Aug.*

In Sexto, habentur, quæ D. Gregorius in Dialogis enarrat, & lib. 3. c. 2. & 3. à Romanis Pontificibus Ioanne, & Agapeto duo potiſsimùm edita commemorat. *D. Greg*

In Septimo, Auguſtinus, & ſocij Angliam magnis miraculis nobilitarunt: author eſt Gregorius lib. 9. epiſt. 58. Beda lib. 2. hiſtor. cap. 32. *Gregor.* *Beda.*

In Octauo, in eadem Anglia S. Cuthbertus, & S. Ioannes, teſte Beda lib. 4. & 5. hiſt. plurima miracula ediderunt.

In Nono ſæculo, extant miracula Tharaſij, ſcripta ab Ignatio Nicæno. Plurima item, quæ in Ciuitate Sueſsionenſi contigerũt *Ign. Nic.*

anno

Digitized by Google

anno 826. quo S. Sebaſtiani Martyris reliquiæ tranſlatæ memorātur. Francorum annales ab eius æui auctore ſumma fide ſcriptos conſule.

Annales Franc.

In decimo, miracula S. Romualdi ſcripta à B. Petro Damiani. Item Vvenceſlai Regis Boemorum S. Vdalrici, & S. Dunſtani: de quibus vide Surium.

Petrus. Damian.

Surius.

In vndecimo ſæculo, miracula S. Eduardi Regis, & virginis, ſancti Anſelmi, Gregorij Papæ Septimi, & aliorum.

In ſæculo duodecimo; duo luminaria Bernardus, & Malachias, miraculorum ſplendore radiatūt. De Malachia iuuat ipſum Bernardum ita ſcribentem huc tranſcribere. *Quo*, inquit, *antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? ſi bene aduertimus pauca ipſa, quæ dicta ſunt: non prophetia defuit illi; non reuelatio, non gratia ſanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum ſuſcitatio*. Hæc de ſuo Malachia Bernardus, Monachorum Pater, & Princeps; qui præterquāquod apud Romanos Pōtifices gratia plurimum valuit, tot edidit miracula, vt omnes Sanctos, quorum vitæ extant ſcriptæ, ſuperauerit. In Conſtantienſi nāque Diœceſi vna tantum die cæcos illuminauit vndecim, mancos duodecim, & claudos octo ſupra decem reddidit ſanitati, vt author eſt Gotfridus ipſi coæuus lib. 4. cap. 5. Quinimo totis quinque de Bernardi vita monumētis tam multa cernuntur miracula, vt ad ſummam redigi non poſſe videantur.

Bernar.

Gotfrid.

D. Bern.

Fœcundiſsimum miraculorum extitit ſęculum decimumtertium. In eo enim præter multos virtute præcellētes viros, claruit S. Franciſcus Seraphici Ordinis Inſtitutor, cuius vita à S. Bonauentura diligenter ſcripta, tot miraculis illuſtratur, quot ſtellis cęlum diſtinguitur. Eodem ſæculo vixit S. Dominicus Ordinis Prædicatorum Fundator. De quo præter multa alia omnis generis miracula, tres mortuos ſuſcitaſſe affirmatur. Dedit præterea Minorum Ordo huic ſæculo B. Antonium Luſitanum, cui data eſt miraculorum clauis; & in eo videtur expleta Dei apud Iſaiam promiſsio: *Et voluntas mea in manu eius dirigetur*. Deum præ manibus habet, & quolibèt eius voluntatem frequentiſsima miraculorum molitione inflectit. Etiam dedit Bonauenturam, ſapientiæ & miraculorum ſplendore clariſsimum: vide S. Antoninum 3. par. hiſt. c. 13. & 24.

Iſaia. 53. 10.

S. Anton.

Nec minùs ferax virorum extitit Prædicatorum Ordo: nam eodem tempore B. Petrum Martyrem, & S. Thomam Eccleſiæ dedit; qui in eodem ſæculo virtutum ſapientiæque magnitudine, & miraculorum gloria ſuum Ordinem & Chriſti Eccleſiam nobilitarunt. Iuxta eiuſdem ſæculi finem ſe extulit

D d

Digitized by Google

tulit S. Cæleſtinus Quintus Pontifex Romanus, qui authore Cardinali Cameracenſi in eius vita, ante Pontificatum miraculis fuit illuſtris: Pontifex renunciatus ſedem illam,& ſacrum diadema virtutibus, & miraculis pulchriùs, quàm margaritis, & vnionibus exornauit.

Cardinal Camera.

Decimumquartum ſeculum plurimos etiam tulit miraculis claros: ſed præcipuè S. Bernardinus, S. Catharina Senenſis, ſanctus Nicolaus Tolentinas,à Diuo Antonino loco ſupra citato memorantur.

Sæculo decimoquinto claruit ſanctus Vincentius Ferrer,qui viuus,& mortuus tot miracula edidit, vt teſte D. Antonino 3.par. hiſt. tit. 23. octo ſupra triginta mortuos ſuſcitauerit. Eodem etiam floruit citatus Antoninus, cuius vitam miraculis claram Surius in lucem extulit. Nec minori virtutum, & miraculorum ſplẽdore enituit S. Didacus, Ordinis Minorum fax clariſsima; qui in Oppido Prouinciæ Beticæ, S. Nicolai de Portu Hiſpalenſis Diœceſis lucem aſpexit, Hiſpaniamque & Italiam virtutibus, & miraculis illuſtres reddidit. Nam Sanctiſsimi Pontificis Sixti Quinti relatione, qui ad inſtantiam Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis Didacum catalogoSanctorum adſcripſit, centum fere, & triginta miracula in actis tranſmiſſa, & approbata reperiuntur.

D. Anton.

Surius.

Tandem ſæculo decimoſexto S. Franciſcus de Paula plurima edidit miracula,vt in Bulla Canonizationis Leo Decimus Pontifex ſcribit. Tu etiam Societas Ieſu, quæ minima diceris, & nequaquam minima es inter Eccleſiæ Ordines, tuo Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo, magnũ præſenti ſæculo ſplendorem contuliſti. Quippe qui Orientem Orbem, in quo fælicisſimè occidit, multigenis miraculis clariùs, quã ſol ipſe radijs illuſtrauit.

Leo Dec.

Conferantur ergo hæc, & ſimilia à nobis memorata, cum his quæ de Luthero, alijſque hæreticis tradunt hiſtoriarum monumenta; & planum fiet, quàm diuerſis itineribus vtrique incedãt. Vnde neceſſe eſt,vt alteri à veritatis ſcopo aberrent. Nouit hoc cordium ſcrutator Omnipotens, atque vt ſuam hac de re ſententiam hominibus manifeſtaret, Religioſis viris virtutũ ſtudioſis, & Romanæ Eccleſiæ cultoribus miraculorum claritatem viuentibus, & mortuis in æternæ beatitudinis pignus, corporum integritatem, incorruptionemque indulſit; cùm interim Lutherus, deſerto habitu, negata Pontifici obedientia, & fide penitus abiurata, intemperantiſsimæ inſtar pecudis in turpium voluptatum cæno volutaretur: indeque pari deprauatæ mentis, & corrupti corporis fœtore deteſtandus in Tartarũ mitteretur. Fœlices planè,

quos,

quos, vt de ſe fatebatur ſanctus Auguſtinus in lib. de vtilitate credendi, cap. 17. miraculorum vincula in Eccleſia detinēt pluſquàm aureis catenis honeſtiſsimè conſtrictos. Ijs certè fas erit illud Ricardi à ſancto Victore lib. de Trinitate cap. 2. fidenter iterare: *Domine ſi error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus. Iſta enim in nobis ijs ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, quæ non niſi à te fieri potuerunt.* Ricard. à S. Vict.

§. SEPTIMVM.

Prophetiæ donum, quo Eccleſia Chriſti Sponſa decoratur; ſimul cum alijs manifeſtationibus eandem oſtentat veritatem.

QVinto loco numerandum venit Prophetiæ lumen, quod in ijs, qui Romani Pontificis obedientiam profitentur, non rarò inueniri ſolet. Sicut enim Chriſtus apud Marcum cap. vltimo donum miraculorum Eccleſiæ promiſit, ita etiam lumen propheticum eidem Eccleſiæ indulgendum vaticinatus eſt Ioel cap. 2. ſicut Diuus Petrus in Actis Apoſtolorum cap. 2. expoſuit, & promiſit. Et quidem Prophetici luminis donum maximum eſt, & peculiare Diuinitatis inſigne, iuxta illud Iſaiæ 4. *Annuntiate quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia* Iſaia 4. *Dij eſtis.* E contrario Deuteronom. 18. pro falſæ doctrinæ argumento ponitur, ſi quidquam à Propheta nuntiatum fuerit, quod poſtea non euenerit. Deut. 18

Iam apud Ethnicos, & hæreticos falſa plurima, & nulla vera reperta ſunt vaticinia; niſi fortè, quæ ad fidei noſtræ probationem facta referuntur; qualia Sybillarum, & Balaami extiterunt. Licèt enim Gentiles plurima habuerint Apollinis vaticinia, plurimis tamen ambagibus impexa prodebantur, quia Idolum, quod futurum erat prorſus ignorabat: vnde in quemcumque euentum fallax mentiri Oraculi reſponſio detorqueri poterat. Deinde illa tantùm prædicebat, quæ à Dæmone peragenda erant, vel iam fieri cœperant & ignorabantur: plurima item, quæ naturales cauſas alijs incognitas habebant, & dæmonibus propter maiorem naturæ ſubtilitatē exploratas, nuntiabant. Qua de re videndus Athanaſius in vita ſancti Antonij. Athanaſ. Auguſtinus lib. de diuinatione dæmonum, Theodoretus lib. de Oraculis. Auguſt. Theodor.

Hæretici quoque quotieſcumque aliquid prædicere voluerunt, decepti ſunt: Id patet de falſis Prophetis in Teſtamento veteri 3. Regum 22. Tempore autem noui Teſtamenti fuit olim Montanus, qui Propheta videri voluit cum duabus prophetiſſis

Priſca, & Maximilla; & bella, aliaque tunc euentura prædixerunt: ſed caruit ſucceſſu Pſeudo-Prophetarum prædictio, vt notauit Euſebius lib. 5. hiſt c. 16. & 18. *Euſeb.*

Noſtris temporibus Lutherus, quem Lutherani conſtanter Prophetam Germanicum, & Eliam vocant, apud Colchæum in Actis Lutheri, anno 1525. prædixit fore, vt ſi ipſe adhuc per duos annos ſuam doctrinam prædicaret; euaneſceret Papa, Cardinales, Epiſcopi, Monachi, Moniales, turres, campanæ, Miſſæ, &c. Et tamen prædicauit poſtea nō duos ſed ferè vigintiduos annos; obijt enim anno 1546. Et tamen non euanuit Papa, Cardinales, Epiſcopi, Monachi, &c. Ibidem refert Colchæus de Thoma Muncero, qui ſe Gedeonem vocabat, & infinitos ruſticos armauerat contra Principes Germanię; cùmque antea victoriam ſuis omnino certam promitteret, & ſe omnes tormentorum bellicorum globos in manica excepturum prædiceret: paulo poſt cæſi ſunt omnes ferè ruſtici, Thomas captus, & ſecuri percuſſus. Idem Colchęus in Actis Lutheri anno 1533. ſcribit conſtanter aſſeruiſſe Lutheranorum Prophetas illo anno futurum diem vltimum Iudicij, & ipſum etiam diem deſignaſſe, vt multi nec arare, nec ſerere voluerint: qui tamen mendaces inuenti ſunt. Non enim fieri poterat, vt vera prænunciarent ij, in quorum ore ſpiritus mēdax inueniebatur. Et reuera ſolius Dei eſt, & eorum in quos ipſius ſpiritus illabitur, certò infallibiliterque euentura prædicere. *Colchæus* *Colchæus*

At in Eccleſia Catholica præter Prophetas Teſtamenti veteris, & eos, qui fuerunt primis quingentis annis à Chriſti aduentu, vt Agabum, de quo Act. 11. & Gregorium Thaumaturgum, de quo Baſilius libro de Spiritu ſancto, cap. 29. & Antonium, de quo Athanaſius in eius vita; & Abbatem Ioannem, de quo Auguſtinus de Ciuitate Dei cap. 26. fuerunt etiam poſteriobus ſæculis, quibus iuxta Lutheranos perierat apud Romanos Eccleſia, veri Prophetæ, & quidem Monachi, ac Romano Pontifici addicti. *Act. 11.* *Baſilius.* *Athanaſ.* *Auguſt.*

De ſancto Benedicto ita ſcribit Gregorius lib. 8. Dialog. capite 15. *Benedictus*, inquit, *Regem de ſuis actibus increpauit; atque in paucis ſermonibus cuncta, quæ illi erant euentura, prænunciauit dicens: Multa facis, multa mala feciſti: iam aliquando ab iniquitate conquieſce. Equidem Romam ingreſſurus es, mare tranſiturus: nouem annis regnans, decimo morieris.* Quæ omnia completa ſe vidiſſe idem Gregorius teſtatur. *Gregor.*

De ſancto Bernardo ſcribitur in eius vita, libro quarto, capite quarto, eum quatuor hominibus

præ-

prædixiſſe conuerſionem, tribus de ea nihil cogitantibus, quarto etiam ab ea re alieniſsimo: quæ omnia ſicut prædixerat euenerũt. Illud tamen eſt prorſus admirabile, quod de viro nobili ibidem memoratur: nam cùm eius filius S.Bernardum rogaret, vt pro conuerſione patris precaretur; reſpõdit Sanctus: *Ne timeas, ego illum probatum Monachum in hac clara valle ſepeliam.* Quot in hac vna ſententia clauduntur vaticinia! Nam & Monachum illum aliquando futurum, in Ordineque Monaſtico vſque ad mortem perſeueraturum, & ſanctè ac piè diem extremum clauſurum, idque ante ipſum Bernardum, cuius manibus ab eodem ſepeliendus prędicebatur. Sex igitur, admodumque diuerſa, protulit vaticinia, quæ omnia ſingulari Dei prouidentia conſpexit impleta. Sic enim Auctor pergit: *Et perfectus,* inquit, *Monachus factus eſt, & à Patre ſancto ſicut ipſe prædixerat, in clara valle ſepultus: tanquã enim mori illo abſente non poſſet, quinque menſibus infirmatus, & celeberrimum, imò continuum mortis reſponſum in ſe ipſo habens ſuſtinuit, donec Pater ſanctus rediret, qui vt olim promiſerat, eum traderet ſepulturæ.* S. Bern.

Sanctus Pater Franciſcus, vt ſcribit in eius vita D.Bonauentura, cùm Chriſtianus exercitus certo die cum Saracenis pugnaturus eſſet, admonuit Duces, ne eo die pugnarent; ſibi enim à Deo reuelatum victoriam hoſtibus eo die ceſſuram. Sed cùm B. Franciſci monita Duces aſpernarentur, cæſi Chriſtiani, ac in fugam turpiter effuſi, cladem ſuſtinuerunt lamentabilem. Plura adhuc eiuſdem generis referri poſſent; cùm ferè nullos ſancta & Romana Eccleſia viros colat ſanctitate conſpicuos, qui Prophetiæ dono non etiam claruerint. Hæc tamen confirmandæ veritati ſufficient. D.Bonau.

Sexto loco aduerſariorum confeſsionem propono. Tanta enim eſt vis veritatis, vt etiam hoſtes ad proferendum pro ea teſtimonium compellat, iuxta illud Deuteronom. 32. *Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* Iam nuſquam Ethnicorum, aut hæreticorũ doctrinam, aut vitam laudaſſe Catholici reperiuntur. Scimus enim vnam tantùm eſſe veram fidem, & ſine ea nullam eſſe veram iuſtitiã: vnde conſtanter aſſerimus errare omnes, qui doctrinam noſtram non ſequuntur. At verò Pagani Iudæi, Turcæ, Hæretici, non ſic de nobis loquuntur. Deut. 32

De Paganis multa teſtimonia ſunt. Plinius Secundus in epiſtola ad Traianũ lib. 10. ſcribit, Chriſtianos omnia vitia deteſtari; ſanctiſsiméque viuere; & hoc ſolùm in eis poſſe reprehendi, quòd nimis facilè pro Deo ſuo vitã profundant; quòdque horis antelucanis ſurgant ad canendas laudes Plinius.

Digitized by Google

Chriſto. Tertullianus in Apologetico cap. 1. & 2. teſtatur Paganos noluiſſe diſcuti cauſam Chriſtianorum, ſed damnari ſine diſcuſſione; quia nihil mali in eis reperiri poſſe agnouerant. Et cap. 5. & 6. affirmat, Imperatores, qui habiti ſunt optimi, Chriſtianis fauiſſe, vt Marcum Aurelium, Veſpaſianum, Antoninum Pium eos autem, qui ab ipſis Gentilibus peſſimi reputabantur, Chriſtianos magnis perſecutionibus oppreſſiſſe.

Extat quoque epiſtola Marci Aurelij Imperatoris, in qua teſtatur, in Germania, cùm per dies quinque ſiti laboraret exercitus, & eſſent Romani circundati ab incredibili multitudine Germanorum, vt eſſet impoſſibile humanis viribus euadere; tunc ſe ad Deos patrios confugiſſe, ſed fruſtra: deinde aliquos milites Chriſtianos, qui erant in exercitu, rogaſſe vt etiam ipſi Deum ſuum orarent. Porro, inquit, vix Chriſtiani in genua prouoluti preces emiſerunt, cùm ſtatim iucundiſsimus imber è cælo deſcendens Romanos perfudit, hoſtes verò grando igne permixta verberauit. Huius epiſtolæ meminit Tertullian. in Apologerico cap. 5. & in lib. ad Scapulam: nuper verò inuenta eſt, ac in Iuſtini operibus impreſſa. *Tertul.*

Denique S. Antonium, S. Hilarionem, S. Martinũ honore, & reuerentia à Paganis habitos, ſcribunt Athanaſius, Hieronymus, & Sulpitius in eorum vitis. *Athanaſ. Hieron. Sulpit.*

De Iudæis habemus in primis teſtimonium Ioſephi lib. 18. Antiquir. c. 6. vbi affirmat Chriſtum pluſquàm hominem fuiſſe, & verè Meſſiam eſſe. Philo ſcribit librum inſignem de laudibus eorũ Chriſtianorum, qui ſub Marco Euangeliſta in Ægypto viuebant. Et quidem Centuriatores grauiter errant exiſtimantes prædictum librum de ſecta aliqua Iudaica conſcriptum, vt aiunt Centur. 1. lib. 4. cap. 3. Nam de verè Chriſtianis loquuntum Philonẽ, Euſebius lib. 1. hiſt. cap. 16. Epiphan hæreſ. 29. Hieronymus de Viris Illuſtribus in Philone. Sozomenus l. 1. c. 12. Beda præfatione in Marcum aſſeuerant. *Ioſeph. Philo. Euſebius Epiphan. Hieron. Sozom. Beda.*

Mahumetus in Alcorano c. 2. docet Chriſtianos ſaluari: & c. 4. dicit Chriſtum maximũ eſſe Prophetam, & ipſam Dei animam habere. Teſtatur quoque S. Bonauentura Sultanum Ægypti, licèt Mahumetanum, in ſummo honore, ac reuerentia habuiſſe Seraphicum Patrem Franciſcum, quem Catholicum Chriſtianum probè cognouerat. *D. Bonau.*

Idem de Hæreticis dici poteſt. Nam B. Benedictum Catholicum à Rege Totila Ariano ſummo honore affectum, vt verum Dei ſeruum, & Prophetã, ſcribit S. Gregorius lib. 2. Dialog. c. 15. & Lutherus iam hæreticus exiſtens ſic ſcribit in lib. contra Anabaptiſtas, qui in odium Papæ reijciunt Bap- *D. Greg.*

tiſ-

ptiſmum paruulorum. *Nos*, inquit, *fatemur ſub Papatu plurimũ eſſe boni Chriſtiani; imò omne bonum Chriſtianum; atque etiam illinc ad nos deueniſſe. Quippe fatemur in Papatu veram eſſe Scripturam ſacram, verũ Baptiſmum, verum Sacramentũ Altaris, veras claues ad remiſsionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Cathechiſmum, vt ſunt Oratio Dominica, decem Præcepta, Articuli fidei. Dico inſuper, ſub Papatu veram Chriſtianitatem, imò verum nucleum Chriſtianitatis eſſe*. Hæc ibi. Vbi ſi nobis nucleum tribuit, nihi ſibi præter corticem, putaminaque reſeruat.

Caluinus Inſtit. cap. 10. §. 17. vocat Bernardum pium Scriptorem. At certè Papiſta fuit Bernardus, & nemo ſine vera fide pius haberi poteſt. Philippus in Apologia art. 5 & 17. Confeſsionis Auguſtanæ vocat ſanctos, Bernardum, Dominicum, & Franciſcum. Quod idem facit Lutherus in libr. de abroganda Miſſa prope finem. Item, vt ſcribit Colchęus in Act. Lutheri anno 1532. Cùm poſt multa prælia inter Catholicos, & Hæreticos Heluetícos pax componeretur: in primo articulo concordiæ hæretici ſcribebant, ſe velle deinde dimittere confœderatos ſuos quietos, circa veram, indubitatam, & Catholicam fidem ſuam; Catholici autem dicebant, ſe velle dimittere confœderatos ſuos circa fidem eorum: nihil verò de Catholica, vera, & indubitata meminerunt. Itaque ipſimet hæretici fidem, quam Romana tenet Eccleſia, ſuo teſtimonio veram, Catholicam, & indubitatam prædicarunt.

Colchæus

Septimò ſeſe offert caſtigata morum licentia, quæ ex frequenti Sacramentorum vſu, præſertim auguſtiſſima Euchariſtia, in totam Romanam Eccleſiam dimanauit. Quis enim vitæ antea profligatæ compoſitionem, animique verè Chriſtiani moderationem conſpicatus; Diuinum illud Pharmacũ, immortalitatiſque antidotũ, ad ſanandas animi ægritudines diuini amoris arte confectum, mendax, & fictitium ſuſpicetur? Vnde conſequenter deteſtandum idololatriæ facinus in eo ſumendo à Catholicis admitti neceſſe eſt vt fateatur? quod quàm ſit à recta ratione alienum, apertiſsimè cõſtat. Nam quî fieri poterat vt elatus animo, in humilem, & abiectum: iracundus in mitem: laſciuiæ deditus, in caſtitatis amatorem, cibi huius, niſi panis eſſet Angelorum, ſumptione mutaretur? aut quomodo omnium nefandiſsimã committens idololatriam; eam ſibi indueret virtutũ imaginem, quæ fidelem, & verum Dei cultorẽ repræſentaret? Amẽs planè erit, qui talia opinabitur. Et quidem has morum metamorphoſes, admirandaſque vitæ mutationes ſoli experiũtur, qui Ro-

manum Pontificem Eccleſiæ caput, Petri Succeſſorem, & Chriſti Vicarium agnoſcunt.

§. OCTAVVM.

Imperatorum, ac Chriſtianorum Principum, & Regum, erga Romanũ Pontificem obſequentia, ipſum Eccleſiæ Catholicæ Caput exiſtere demonſtrat.

POſtremo loco rem magni momenti profero, videlicèt obſequentiam, qua Orbis Reges, ac Imperatores Romanum Pontificem tanquã totius Eccleſiæ caput, & ſacri principatus Monarcham ſtudioſiſsimè coluerunt. Poſtabitis verò tot ſummorum Pontificum decretis, de quibus latè Belarminus lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 14. imperantibus adhuc Ethnicis expeditis; vbi hæc veritas ſtabilitur, præſertim cùm tres illi ſupra triginta Pontifices martyrij gloria inſignes Eccleſiã adminiſtrarunt: quos planè Dominus Ieſus ætatis ſuæ annis voluit dedicari. Poſtmodùm anno 304. ad Pontificale ſoliũ euectus eſt Syluester; Conſtantinus Magnus fidem Chriſtianam ſuſcepit: Concilia generalia cogi cœperunt. Vnde præfatam veritatẽ ſubſequuti Imperatores amplexi ſunt, & Romano Pontifici tanquã Paſtori obtemperarunt. Ita planè in quatuor primis generalibus Concilijs, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, edocetur. Quinimo plurima de eodem Conſtantino, & prorſus admiranda ſcribuntur, ipſiusque erga Romanum Pontificem obedientia, & tranſmiſſum ad poſteritatem exemplum non leuiter commendatur.

Belarm.

Iam verò diſtinct. 19. c. 3. vnum ex vigintitribus capitulis recenſetur, quæ referente Nauclero, Carolus Magnus ad omnes Regni ſui Prouincias remiſit: vbi deuotus, & Romano Pontifici obſequentiſsimus Imperator præſcribit, iugum à ſancta Sede Apoſtolica impoſitum, etſi difficillimum portatu videatur, ſuſtinendum tamen, humiliterque amplectendum. *In memoriam*, inquit, *Beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam, Romanam, & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis: quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas; vt licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Id etiam prodit celeberrimũ Othonis iuſiurandum, quo Rex ille Pontifici Ioanni ſe obſtrinxit, vt habetur diſtinct. 63.

Naucler.

Inter omnia tamen obſequentiæ erga Romanum Pontificem exempla præſtantiſsima ſunt, & omnibus laudum præconijs extollenda, quæ Hiſpaniæ Reges ediderunt. Siquidẽ vt illud magni

gni

gni Gregorij vaticinium adimpleretur (Quippe cùm S. Hermenegildi martyrium referret, diuino afflatus ſpiritu prædixit, fore vt ex præclariſsimi Principis, & Martyris effuſo ſãguine fructus vberrimi germinarẽt) à Rege Flauio Recharedo inuictiſsimi martyris germano, qui è Gothorum Regibus primus Romano Pontifici obedientiam præſtitit, vſque ad Dominum meum Philippum Quartũ nunc imperantem, ſexaginta duo Reges Leonis, & Caſtellæ rectelinei (taceo Aragonios, Luſitanos, & Vaſcones) effluxerunt: Nec vllus Hiſpaniarum Rex legitimus (nam Vvitiſſa per tyrannidem regnum vſurpauit) ab hinc mille annis & vltra, Romani Pontificis obedientiã deſeruit. Quinimo omnes Prouincias ſuæ ditioni ſubiectas in eadem obedientia continuit, quin aliquando ſuborta occaſione deficeret.

Adde; nullum Concilium legitimè coactum, à Romanoque Pontifice ritè probatum, ex quo Recaredus Eccleſiæ Romanæ ſe ſubdidit, à Succeſſoribus fuiſſe reiectum, ſed ab omnibus ſummo ſtudio, obedientiaque receptum. Nullibi tamen clariùs hæc obedientiæ promptitudo eluxit, quã in Conſtantienſi Concilio. Cùm enim Hiſpaniç Reges Benedictum Decimumtertium natione Hiſpanum, per tot annos tanquam verum Eccleſiæ Paſtorem, & Pontificem coluiſſent; & quidem talis ea tempeſtate à viris doctiſsimis, vitæque ſanctimonia præſtantiſsimis habebatur: in quibus enumero S. Vincentium Ferrer, virtute & miraculis clarum, ac ipſius Benedicti Confeſſarium (mirum dictu, quo tempore Benedictum prædicabat Pontificem, miraculis clarebat) vbi primùm Benedictus Concilio ad tollendũ ſchiſma legitimè coacto ſe oppoſuit, Ioãnes Primus Caſtellæ Rex ab illius obedientia ſe ſubtraxit, vt Regio diplomate Valliſoleti 15. Ianuarij anno 1416. expedito apparet. Quod etiam Alphonſus Quintus Aragoniæ, & ipſius Pater Ferdinandus, Martinum Quintum Eccleſiæ caput agnoſcentes præſtiterunt; Conſtantienſeque Concilium in omnibus ab eo inſtitutis obſeruantiſsimè cuſtodierunt.

Quin etiam nonnulla Chriſtiani Orbis Regna Concilium Tridentinum adhuc non ſuſceperũt; & pauca numerabis, quæ illud obſeruent; cùm tamen Pij Quarti Bulla anno à Chriſto nato 1563. expedita menſe Ianuario confirmatum fuerit. At verò Hiſpaniæ Rex vndecima Iulij die eiuſdem anni, diplomate Regio ſanciuit, vt in omnibus Regnis Hiſpaniç ditioni ſubiectis prædictum Conciliũ exactiſsimè ſeruaretur. Deinde quælibet à Romanis Pontificibus reprobata Concilia ab Hiſpaniæ Regibus non fuerũt ſuſcepta: quod tamen Reges alios factitaſſe inuenimus: argumento ſit Baſi-

Icen-

lenſe Concilium, vbi Hiſpaniarum Oratores adſtiterunt: quouſque Eugenius Quartus illud Cōcilium reprobauit, & Ferrarienſe coegit, quod poſtea Florentiam translatum fuit.

Pari ratione quoties accidit, vt Romani Pontifices bellorum incurſibus, vel qualibet alia calamitate opprimerentur, ad Hiſpaniæ Reges, tanquam dilectiſsimos ſibi filios, & Romanæ Eccleſiæ obſequentiſsimos, rogaturi ſuppetias ſe contulerunt. Huius rei teſtem laudo Iulium Secundum: Nam cùm aduerſus ipſum Cardinales Maximiliani Imperatoris, & Ludouici Galliarum Regis Vndecimi fauore Concilium Piſæ cogerent; Ferdinādus Hiſpaniæ Rex Pontificis partes ſuſtinuit, & cauſam ipſius velut propriam reputans, miſſo Ferdinando Cabanillas Oratore anno 1511. Galliæ Regem admonuit, quàm fœdum inhoneſtumque eſſet, vt Chriſtianiſsimus Princeps aduerſus Pontificem bellum moueret, hæreticiſque, ac ſchiſmaticis Piſæ Conciliabulo congregatis patrocinaretur. Cùm autem nihil prodeſſet, nec Regis Galliarum animus mutaretur in melius, pro Pontifice arma ſuſcepit Ferdinandus Rex, maximoque animi ardore Pontificis, & Eccleſiæ cauſam defendit: quod non ſine magna hoſtium clade, ſanguinisq. Hiſpanici effuſione factū, vt præliū apud Rauennam, & alibi initum teſtatur.

Cùm item Federicus Secundus Romanam Eccleſiam, ac ipſius ditionis Oppida in Italia opprimeret, Gregorius Nonus Oratores ſuos in Hiſpaniam remiſit ad Iacobum Primum Aragoniæ Regē; ipſum rogans, vt Eccleſiæ ſtatus defenſionem, patrociniumq. ſuſciperet. At verò Rex incredibili promptitudine ad expeditionem ſe accinxit; & decimatertia Iunij die, anno 1238. iuxta veriorem temporum computationem, quã in ſuis annalibus ſequitur Hieronymus Zurita: Et quod magis mirere, Valentiæ expugnationem pene finitam iam habebat: nihilominus Pontifici paruit, ad defendendamque Romanam Eccleſiam fidelis pariter, & generoſus inſiliit. *Zurita.*

Quinetiam ingruentibus plurimis decurſu tēporis neceſsitatibus, quibus Eccleſiæ ſtatus premebatur, Bonifacius Octauus die 20. Ianuatij Iacobum Aragoniæ Regem Secundum, Generalem Eccleſiæ Ducem, ad Terræ ſanctæ expugnationem deſignauit; necnō vt armorum ſuorum vi, ac potentia in Romanam Eccleſiam rebelles perfringeret. Quod quidem munus adeo fideliter intrepidèq. obiuit, vt cùm ſibi à Pontifice iniunctum eſſet, vt Iacobum Siciliæ Regem fratrem ſummè charum, bello adoriretur, id verè incunctanterque peregerit.

Item ad annum 1438. exorto prælio, quod Mediolani Dux, &

alij

alij aduerſus Eugenium Quartum adminiſtrarunt, in ipſius perniciem Salerni Principe, & alijs conſpirantibus, coactus eſt Monachali habitu indutus, & cymba vectus Romam deſerere, vt conſpiratorū manus effugeret. Interim ſoli Hiſpaniæ Reges Pontificis partes ſuſtinuerunt, corporúmque, & Regnorum oppoſitus pollicentes, ad Sedis Apoſtolicæ tutamen, & ipſius patrimonij reſtaurationem animum adiecerunt. Quod quanti fuerit momenti, probauit euentus: quin etiam magno labore Alphonſo Aragoniæ Quinto ſuſcepta prouincia ſtetit: quáuis enim tunc de Pontifice querulosus exiſteret, ipſi nihilominus adfuit, magniſque expenſis Anconæ Marcā expugnauit, ac defendit, plurimaque Eccleſiæ Oppida Franciſci Sfortiæ tyrannide occupata recuperauit.

Anno 1497. Pontifex Alexander Sextus Vrſinorum ſeditione preſſus renebatur: Hoſtiæ Portus occupante Manau de Guetri in maximas anguſtias redactus intercluſo per mare commeatu. Quid Alexander? Catholici Hiſpaniarum Regis auxilium implorat. Annuit Rex. Et Gonſaluo Ferdinando de Corduba, magno Duci ſtrenuiſſimoque prouinciam committit: adeſt Gonſaluus Hiſpanorum manipulis comitatus: fugat hoſtem, liberat Hoſtiam, & Eccleſiæ reddit. Facti lætitia perfuſus Alexander, & Regi gratulabundus fatetur, tantumdem ſibi recuperata Hoſtia collatum, ac ſi denuo Pontifex crearetur.

Plurima in Hiſtoriarum monumentis ergà Romanos Pontifices Hiſpanorum Principum rectè facta memorantur: recentiora tamen profero, & adhuc Hiſpano ſanguine reſperſa. Paucis ab hinc annis hæretici in Germania, alijſque Prouincijs contra Romanam Eccleſiam rebellarunt: quos vt opprimeret, & debellaret, Carolus Quintus Imperator exercitū coegit potentiſsimum: impoſitis in Hiſpania tributis, & vectigalibus, acerrimum aduerſus hæreticos bellum commouit, peneque oppreſsit. Quod eò pluris faciendum, quò tunc temporis cum Sultano Solymano bellum gerebat atrociſsimum. Illud etiam hic admonendū exiſtimo, vt cùm tot hominum millia in Germania, Gallia, Anglia, & alijs locis à Romani Pontificis obedientia defecerant, Hiſpaniarum Reges remotiſsimas Orbis Regiones armis ſubigentes; earum incolas Chriſtianis moribus imbuiſummo ſtudio curarent, atque ad Eccleſiæ Romanæ, & Pontificis obedientiam pertraherent.

Noui plures alios extitiſſe Chriſtiani Orbis Principes, qui magno fidei ſtudio, ac in Romanum Pontificem propenſione, & amore claruerunt; quos hic non priuato affectu prætermitto; ſed quia meliori calamo præclaræ ſingulorum

lorum virtutes à ſuis exornantur. Eſt autem Hiſpaniæ Regibus peculiare fidei, Religioniſque inſigne, ac erga Pontificem Romanum obedientiæ monumentum; quòd in latiſsimo, & ampliſsimo omnium, quæ in Orbe viguerunt Imperio; vbi tam numeroſa regionum, & nationum multitudo cernitur, qualem nullum vnquam Imperium ſua ditione coercuit; nuſquam tamen in aliqua ex ijs regionibus alia præter Catholicã fidem, & Romani Pontificis obedientiam, coli, & obſeruari permittitur: Quod quàm laude ſit dignum, & nulla obliuione delendum, Sanctiſsimus Pater Clemens Octauus ſacro Cardinalium Collegio verbis æternùm victuris declarauit: vbi de fælicißimo Philippi Secundi Catholici Regis obitu incredibili doloris ſenſu locutus, illud magno verborũ pondere retulit, quod ab eodem Rege prudentiſsimo, & religioſiſſimo reſponſum memoratur: Cùm Ollãdi ſuis expenſis, Alphonſum de Vargas ad Regem miſerunt, qui eorum nomine ſub quibuſcumque conditionibus ad obedientiam admitti poſtularet, dũmodo libertas conſciẽtię eis concederetur. Audito Oratore Rex, & communicato cum viris ſcientia claris, & conſcientia timoratis conſilio: qui præterquãquod Regali patrimonio, & ſtatus trãquillitati conuenientiſsimum affirmabant, bellum illis pactionibus intercidere, & contra infideles in Africam vertere, conſcientiæ libertatem licitè concedi poſſe reſponderunt, (ſola enim Eccleſia Catholica in ijs regionibus libertate carebat) vnde ſuberat ſpes, quòd inſtruendę iuuentuti oſtium panderetur. Et licèt pacem ſummopere exoptaret, ſeque rationibus, & conuenientijs victum fateretur; nihilominus reſpondit ſe potiùs Regnum vniuerſum, imò & vitam, ſi opus eſſet, amittere velle, quàm permittere vt quiſquam è ſubditis aliam præter Catholicam Religionem profiteretur: quin etiam oblatam ſibi ſubiectionem eorum libenter repudiare, qui Romano Pontifici, & Chriſti Vicario obtemperare recuſabant. Ita Rex ille prudentiſsimus, æqua Religionis, & fidei laude clariſsimus. Imitẽtur poſteri, ament fideles ſubditi, laudent exteri, & nouerint omnes, Romanum Pontificem Eccleſiæ Primatum obtinere, & Diuino iure Petri ſucceſſorem exiſtere; ſicut occaſione ſententiæ S. Hieronymi ſuper ignorantia, quam in Thabor oſtendit, hactenus diſſeruimus. Coronide igitur tertio impoſita Archielogio, ad alia proſequenda calamum vertere neceſſe eſt.

ARCHIELOGIVM QVARTVM.

Petrum auriculam Malcho abſcindentem, & Præceptorem ſuum trinis negationibus abiurantem complectitur.

VTRVMQVE Petri facinus, auriculæ videlicet abſciſſio, & negationis delictum, in quarto Archielogio iungere opportunum iudicauimus: quia vtrumque vnum poſt aliud, incepta iam Chriſti paſsione, tempus tulit: nec placuit calamo, tractationeque diſiungere, quod eiuſdē temporis inſtantia copulauerat. Maximè, quia parum aberit quin dicant hæretici, abſciſsionem auriculæ, negationis cauſam extitiſſe: atque adeo Petrum propterea ſiniſtro euentu Præceptorem per negaſſe permiſſum, quia dextram Malchi auriculam temerarius abſciderat.

Non minùs audet inuerecunda mordacium hæreticorum lingua, quibus Magdeburgenſes præiuerunt Centuria 1. lib. 2. cap. 10. vbi Petrum arguunt tanquam Chriſti præceptum tranſgredientem, eo quòd auſu temerario gladium arripuerit, eoque diſtricto ſerui Pōtificis auriculam amputauerit. *Contra Chriſti interdictum*, inquiunt, *gladio vtitur temerario; & impio conatu auriculam Malcho Pontificis miniſtro amputans.* & infra. *Violenta vi, Dei conſilium in Scriptura prædictū, quantùm quidem in ipſo eſt, conatur impedire*. Non minus veneni expuit Caluinus: quippe qui mores ſuos, ingeniumque referens, non ſolum Petrum, ſed reliquos etiā Chriſti diſcipulos, amentiæ, fatuitatisque inſimulat; eo quòd Magiſtrum rogauerant, an in eos qui ad capiendum venerant, diſtricto gladio irruerent, ad defenſionem vulneratis hoſtibus parati, iuxta illud, *Domine, ſi percutimus in gladio?* Luc. cap. 22. vbi *Lucæ 22.* Maldonatus, Caluini, & hæreti- *Maldon.* corum commune ingenium notauit: quos mēdacij, & blaſphemiæ, ſanctorum Patrū teſtimonijs conuincemus.

Petrus enim, cuius honorem, dignitatemq. euertere impij moliuntur; in abſcindenda Malcho auricula minimè deliquit; immo potiùs feruentiſsimæ charitatis erga Redemptorem, & promptæ obe-

obedientiæ exemplum reliquit à fidelibus ſuſpiciendum. In negatione autem non diffitemur delictum, illudque grauiſsimum interueniſſe. Permiſit verò Deus, vt Petrus in negationem laberetur, non quòd ea vellet auriculæ amputationem, aliumue defectum antecedentem caſtigare; verùm vt inde Petrum vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem educeret, atque ex eo lapſu vberrimos in eandem Eccleſiam fructus deriuaret. Itaque rationes diſquiremus, ob quas Petrus ad maiorem ſui profectũ, fideliumque ædificationem, ter labi permiſſus fuerit. Vnde quindecim lapſus, quos hæretici Magdeburgenſes Petro imputant, refellimus, & ſolam negationem ingenuè fatemur: ex ea namque Deus ſibi gloriam, Petro maiorẽ fortitudinem, & gratiã comparauit, ac ſi de ſpinis roſas, de ſẽtibus flores carperet fragrantiſsimos.

CAPVT PRIMVM.

Petrus auriculam Malcho amputans non deliquit: imò potius in eo facto laudem, & prædicationem promeruit.

NVllus inter ſacros Euangelij Scriptores hoc Petri facinus Ioanne clarius, & minutius recenſet. Ipſe enim cap. 18. num. 10. Pontificis ſerui, item Petri nomen commemorat; & qua ratione appropinquantibus Chriſtum comprehendere, auriculam ſeruo dexterã amputauerit: quod alij prætermiſerunt. *Simon ergo Petrus*, ait, *habens gladium eduxit eum, & percuſsit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram: Erat autem nomen ſeruo Malchus*. Illuſtre quidem facinus, quod ab effœta Petri ætate ingens Magiſtri ſui amor, tuendæque ipſius dignitatis zelus ardentiſsimus extuderat: vnde ſancti Patres, non ſolùm excuſatione dignum, ſed omnibus laudum præconijs celebrandum arbitrantur.

Ioan. 18. num. 10.

Ex eo autem quòd præcipienti Chriſto gladium in vagina recondere, Petrus ſtatim paruerit, *Mitte gladium tuum in vaginam*; à D. Chryſoſtomo ob tres potiſsimùm virtutes, amorem videlicet, humilitatem, & obedientiam commendatur. D. Chryſ. *Vltus enim*, ait, *ſeruum magno ardore animi eſt; quod tamen nõ ad ſui, ſed ad Magiſtri fecit defenſionem: Chriſtus verò nullum detrimentum fieri permiſit; confeſtim enim illum curauit, & hac magnitudine miraculi & lenitatem, & potentiam ſuam oſtendit. Tu verò diſcipuli quoque & amorem pium, & humilitatem conſidera: alterũ enim ex diligenti feruore, alterum ex obedientia fecerat. Nam cùm audiſſet, Mitte gladium in vaginam; ſtatim obtemperauit; & nuſquam poſtea iſtud fecit*. Ita ille homil. 83. in Matth.

Videor

Videor mihi in hoc facto Petrum ſibi ſimillimum videre, cùm humiliter, & reuerenter pedes ſibi à Magiſtro ablui recuſauit: *Non lauabis mihi pedes in æternũ.* Ioan.13. Sed audita comminatione, qua ad parendum conſtringebatur, *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, Ibid. promptiſsimè reſpondit: *Domine non tantùm pedes, ſed manus, & caput:* Quo loco ait Chryſoſtomus, homil.69. in Ioannem: *In recuſando vehemẽs Petrus, in permittendo vehementior: vtrumque ex amore.* Nec ſolus id amor præſtitit, etiam Magiſtri reuerentia interuenit: iterum Chryſoſtomus: *Non parui amoris & reuerentiæ argumentum fuit.* Et infra: *Res magna eſt, & admiranda: nam ob eximiam dilectionem ita locutus eſt.*

Ioan. 13.

D. Chryſ.

Nihilominus Magdeburgenſes hæretici allatrant, & Centuria 1. lib.2. cap. 10. reuerentem & humilem Petri affectum inſipientiæ vertunt & impietati. *Petrus inſcitia quadam, & praua deuotione negat ſe admiſſurum, vt Chriſtus ſibi pedes lauet.* Probra ſunt iſta, & hæreticorum mendacia nullatenus auſcultanda: Patres potiùs audiendi, qui Petri virtutes in hoc facto mirificè extollunt. Baſilius ſermon. de iudicio Dei; qui moralibus præponitur; hunc in modum Petri defenſionẽ, & laudem connectit. *Nullius peccati, nullius contemptus ſignificationem dedit: verũ potius excellenti erga Dominum honore vſus eſt, & conuenientem ſeruo, ac diſcipulo reuerentiam oſtendit.* Cyrillus in Ioan. lib 9.c.4. *Iure*, inquit, *tantæ rei pondus fidelis diſcipulus pertimuit, & ſolitæ ſibi vſus reuerentiæ fructu recuſauit.* Pari ratione (vt ex Chryſoſtomo dicebamus) Petrus auriculam Malcho amputans, plurimos viuidæ virtutis affectus oſtendit. Etenim feriendo pro Magiſtri defenſione magnanimum robur exhibuit; & recondito ad ipſius imperium gladio, reuerentis, & prompti admodum diſcipuli animum demonſtrauit.

D. Baſil.

Cyrillus.

D. Auguſtinus lib.22. contra Fauſtum Manichæum cap. 72. Petrum in hoc facto indemnem reddere adnititur, eo quòd pro tuendo præceptore ſuo Malchum intrepidè adorſus fuerit, ipſique auriculam amputauerit. *Volens*, inquit, *defendere Dominum, aurem percuſſoris abſcindit.* Et lib. de Agone Chriſtiano cap.27. *Petrus*, inquit, *non ſuperbia, ſed quamuis carnali, tamen amore Domini hoc fecit.* Quin etiam in quæſt. veteris, nouique Teſtam. quæſt.104. id ei ſpecialiter à Chriſto permiſſum affirmat: *Quia*, inquit, *ſicut ſignificatur in Luca, ipſo Domino permittente percuſſit.* Lucas enim cap.22. ſcribit diſcipulos ante Magiſtri comprehenſionem, ipſum interrogaſſe: *Domine ſi percutimus in gladio?* Propterea quod ipſum dicentem audie-

D. Aug.

Auguſt.

Luca 22.

audierant: *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*. Ibid. num. 36. Reſpondentibus verò illis, *Domine ecce duo gladij hic*, dixit: *Satis eſt*. Ex quibus verbis apparet gladios tunc non fuiſſe prohibitos. Vnde primum Magdeburgenſium mendacium refellitur, nimirum quòd Petrus contra Chriſti præceptum gladium arripuerit.

Pari facilitate ſecundum mendacium
Auguſt. diluit S. Auguſtinus quæſtion. 104. ſupra citata, quia Petrus in ea abſciſsione reus non inuenitur: non enim ei dictum eſt,
Ioan. 18. vt memorat Ioan. c. 18. *Conuerte gladium tuum in vaginam*, quia Malchum vulnerauit: ſiquidem ei permiſſum fuerat aurem amputare, vt colligi videtur ex Luca cap. 22. *Sinite vſque huc*: Iubetur tamen gladium recondere, ne vlteriùs pergens perimat, aut grauiùs percutiat. *Sed ne*, inquit
Auguſt. Auguſtinus, *iterum percuteret: permiſſum enim erat ei, vt dolorẽ faceret, non vt occideret*. Quod minimè Tertulliano lib. de patiẽtia cap. 3. aduerſatur; dicenti vulnus illud, Chriſti patientiæ infli-
Tertull. ctum reputari debere. *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt.* Siquidem Dei benignitas, & clementia, iuſtitiæ vindictam in peccatores exercendam, in ipſum pœnæ Authorem retorquent, ita vt priùs ipſe dolorem in pectore ſentiat, à quo puniendi affectus exulare videtur, cùm ſemper in eo veniæ, beneficentiæque amor reſideat. Vnde cùm apud Matth. cap. 26. dicat: *Omnes, qui acce- Matth. cap. 26.
perint gladium, gladio peribunt*; non Petrum, cui permiſſum fuerat vulnerare, ſed turbam ad capiendũ armatam, cui Petrus amãs feruidusque obſiſtebat, reſpexit. Ita Hilarius canon. 32. in Matth. *Turba autem omnis aduerſus Do- D. Hilar.
minum gladijs armata proceſſerat. Recondi gladium præcepit: quia eos non humano, ſed oris ſui gladio eſſet perempturus. Caterùm ſi ſecundum ſententiam eius, omnis gladio perimetur; rectè ad necem eorũ gladius exerebatur, qui eodem vtebantur ad facinus.* Hinc eſt, vt modò ore vſus tanquam enſe, etſi blandè locutus dixerit: *Ego ſum*. Quo verbo Ioan. 18
conſternatos in terram proiecit: vnde magnam ipſius potentiam agnoſcere, pauentesque retroagi debuiſſent. Qui enim (vt prudenter monuit S. Leo ſermone 1. de paſsione) vno verbo quaſi acutiſsima enſis cuſpide percuſsit, exanimesque proiecit; quid totã potentiam exercendo feciſſet? *Quid*, inquit, *poterit maieſtas* D. Leo.
eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?

Nec ſolùm in hoc potentiam agnoſcere debuiſſent, ſed inſuper benignitatem, & indulgentiam, ſicut Paulus equo deiectus agnouit, Act. 9. Qui enim ſolo verbo Act. 9.
proſternere valuit, etiam occideret, ſi libuiſſet. Quòd autem

peper-

pepercit, ex miſericordia proceſsit; ſicuti Petrum defendendi Magiſtri charitas,& feruens amor impulerant. Do Leonem ſerm. 1.
D. Leo. de Paſsione. *Nam*, inquit, *& beatus Petrus, qui animoſiore conſtantia Domino cohærebat, & cōtra violentorum impetus feruore ſancta charitatis exarſerat in ſeruum principis Sacerdotum vſus eſt gladio, & aurem viri ferociùs inſtantis abſcidit; ſed hunc zelantis Apoſtoli pium motum progredi Dominus vltra non patitur: recōdi gladium iubet, nec ſinit ſe aduerſus impios manu ferroque defendi*. Sic ille.

Mirificè quidem omnia hæc ſibi inuicem connectuntur, & cohærent: itemque Patrum teſtimonia veritati, & Euangeliſtarum ſenſui correſpōdent. Quoniā licèt Petro gladio vti vſque ad abſciſsionem fuerit permiſſum, vt ſcribit Lucas c. 22. non tamen Malchum, aut quemquam ex alijs
Lucæ 22. occidere permittebatur, *Sed ne iterum percuteret*. Prima tantùm percuſsio licebat: ita enim interprete Barradas lib. 6. cap. 26. ſonant Lucæ verba: *Sinite vſque huc* in quę expreſsè id tradidit S. Thomas in catena. *Quaſi*, inquit, *poſt iſtam percuſsionem, ita dictum fuerit, vt placuerit ei vſque huc factum, ſed ampliùs fieri noluerit*. Vnde peracta, propter aſſignandas inferius rationes, auris amputatione, gladium iubetur recondere: *Conuerte gladium tuum in vaginam*. Subindeque ferri ſupplicium ijs minitatur, qui gladijs fuſtibusq. armati ad ipſum capiendum aduenerant. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Matth. 26. Quaſi dicat: Matth. cap. 26.
Non opus eſt, ò Petre, vt aduerſus huius modi gladio vtaris, parce vulneribus; quin gentem hanc inuiſam neci dedas, res fiet: ſolus oris mei gladius ipſos interficiet: ipſi (vt dicebat Hilarius) abſque enſis tui vulnere cadent, & peribūt. Vel certè Chriſti verba, ſi Theophylacto credimus, Iudæos Romanorum gladio perituros ſignificabant: quemadmodum ipſi ad capiendum Saluatorem gladijs ſuffulti conuenerant. *Iudæos*, ait, *qui gladium aduerſus Dominum acceperant, gladio Romanorum perituros: à Romanis enim victi & deuaſtati ſunt*. Theoph.
Euthymius verò, Chriſti verba vaticinium dixit, quod Iudæorum perniciem exitiumque portendebat: *Prophetia*, inquit, *eſt perditionis Iudæorum, qui aduerſus ipſum venerant*. Cardinalis Euthym.
Caietanus, ſic Chriſti ſententiam interpretatur; ita vt, *Non de facto, ſed de merito*, ſit intelligenda. *Quaſi dixerit; omnes qui gladio iniquè interfecerint hominem, morte digni ſunt*. Theophylactus ſentit Chriſtum his verbis legem contra homicidas Petro in memoriam reuocaſſe: *Dictum legis ponit, quòd homicida & ipſe occiditur*. Quolibet tamen modo Caietan. Theoph.

id intelligas, Chriſti verba nequaquam in Petrum retorqueri debent: propter quod educto gladio Malchum impetiuerit, dexteramq. ipſius auriculã amputauerit.

Cyrillus in Ioan. lib. 11. cap. 35. verba illa exponens ex cap. 22. Lucæ. *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*; cenſet gladij vſum; quem Petrus ea nocte ad ſui, Magiſtrique defenſionem adhibuit, quouſque in vaginam mittere iuſſus fuerit, legi conformem eſſe. *Petrus*, inquit, *gladium habuit, quia ſecundùm legem gladio ſe defendere licebat. Vnde intentio Petri, qui gladium aduerſus hoſtes accepit, à mandato legali non fuit aliena.* Beda in eundem locum, ait: *Gladium iubet ſumere, vel non habitum emere, vt ſciant legentes, non facultatem reſiſtendi deeſſe diſcipulis, ſed Magiſtro amorem potiùs ineſſe patiendi.* S. Ambroſius ad cap. 22. Lucæ Petrum in hoc facto æquiparat Phinees, cùm diuini honoris zelo incenſus, Principem cum Madianitide in tabernaculo peccãtem pugione confodit. Numer 25. *Petrus*, inquit, *eruditus in lege, promptus affectu, qui ſciret Phinees reputatum ad iuſtitiam, quòd ſacrilegos peremiſſet, percuſſit Principis ſeruum.* D. Hieronymus cenſuit Matthæum vno verbo ſignificare voluiſſe, Petrum hìc eodem ardore, quo in omnibus ſolebat peragendis, impulſum; vnde reſpiciens ad ea quæ iam ad caput 14. Matth. ſcripſerat, ita fatur. *In omnibus locis ardentiſſimæ fidei inuenitur Petrus: volentem ad paſſionem pergere prohibet; & licèt erret in ſenſu, non tamen errat in affectu; nolens eum mori, quem filium Dei fuerat paulò ante confeſſus.*

Luc. 22. — Cyrillus. — Beda. — S. Ambr. — Num. 25. — D. Hier.

Petrus igitur reſumpta Domini, & Saluatoris ſui fortitudine, vt vidit eum minimè pauentem; ſed vno verbo, vt aduertit ſanctus Gregor. lib. 22. Moral. c. 12. *Ego ſum*; multitudinem illam proſternentem. *Ipſe*, inquit, *ad multitudinem nimiam non expauit, qui perſecutores ſuos cum gladijs & fuſtibus venientes, vna tantùm reſponſione percuſſit dicens: Ego ſum*; animoſior factus; maximè cum proſtratis hoſtibus Chriſtum dicentem audiuerit: *Sinite hos abire*; in ipſos irruit. & fortè (ait Theophylactus ſermon. 6. Paraſceue) tempus inſtare credidit, in quo de Dei hoſtibus ſumenda eſſet vindicta; & ideo primus atque intrepidus ab amputanda Malcho auricula incepit; vltra progreſſurus, niſi Chriſti imperio detineretur. *Cùm Petrus*, inquit, *vidiſſet Dominum proſtrauiſſe illos, & impletus eſſet fiducia propter vocem Domini dicentis; ſinite hos abire; exiſtimault quòd tunc eſſet tempus vindictæ; extractoq. gladio pecuſſit ſeruum.*

S. Greg. — Luc. 22. — Theoph.

Itaque Petrus Malchum aggrediens, & diſtricto gladio percutiens,

tiens,

tiens, virtutis opus, & iuſtitiæ munus peregiſſe credendus eſt: quia inChriſti perſecutores irruit. Vnde facinus hoc minimè damnandum, cùm maximarum virtutum decore ornatum famam potiùs & gloriam, quam hæreticorum cauillos promeruit. Quis enim ſanæ mentis zelum, amorem, Dei reuerentiam, obedientiam, iuſtitiam pro Deo in impios ſæuientem damnet? Quæ omnia in hac abſciſsione claruerunt. Certè Chriſtus Dominus de hac Petri voluntate, & promptitudine plurimùm ſibi viſus eſt complacere, cũ ipſi in vagina enſem recondere præcepit: *Mitte gladium tuum in vaginam*. Non aliter quam olim Abrahamo iam iam diſtricto gladio Iſaac ferienti inclamans dixit, *Abraham, Abraham; ne iniicias manum tuam in puerum*. Geneſ.22. Quo loco S. Chryſoſtomus homil.48. in Geneſ. *Non hoc*, inquit, *præcepi, vt opus perficiatur, neque volo vt occidatur puer tuus: ſed vt obedientia tua manifeſta fiat omnibus. Igitur ne feceris ei quidquam. Contentus ſum voluntate tua, & ex hac te corono & prædico*. Sic igitur Dominus Ieſus Petri amorem, promptitudinem, & obedientiam hìc conſiderans, & plurimi faciens, ei dicere potuit: Ne pergas vlterius: parce iam Malcho, nec alium gladio petas. Satis exploratus mihi eſt amor tuus, ardensque voluntas. *Contentus ſum voluntate tua, & ex hac te corono & prædico*.

Gen. 22. D.Chryſ.

§. PRIMVM.

Petrus autem Malcho amputans, tantum ſibi gloriæ & celebritatis cõparauit, vt propterea Marcus in Euangelio Petri nomen ſupprimendum iudicauerit.

EGregium virtutis opus, & prædicatione digniſſimum fuiſſe quis neget? Vt vnus pene inermis integram armatorum militum cohortem gladiolo adoriretur intrepidus; ſuique Præceptoris defendendi ſtudio incenſus, per militum vulnera, & mortes etiam liberationem pararet. Quod Marcus Petri diſcipulus agnoſcens, vt Magiſtri humilitati indulgeret, nomen ipſius ſtudioſè ſuppreſſit, tacito authore facinus referens nunquam ex hominum memoria delendum. *Vnus autem quidam de circunſtantibus educens gladium percuſsit ſeruum ſummi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam* Marc.cap.14.n.47. At cur Petri nomen ſubticet, nec eum tanti facinoris authorem deprædicat? cùm Ioannes ipſum nominauerit, ne partæ gloriæ choragio fraudaret. *Simon ergo*, Petrus inquit, *habens gladium eduxit eũ, & percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dextrã*. Pulchra eſt Theophilacti reſponſio. Propterea namque ait Marcum Petri Magiſtri ſui nomẽ

Marc. 14 Ioan 18.

tacuiſſe, ne eum cæteris Apoſtolis Chriſti amore, ipſiuſque defenſionis ſtudio præponere videretur, Theoph. *Obticet nomen Marcus, ne videatur laudare præceptorẽ ſuũ, Petrum maioris pro Chriſto zeli*: & certè Marcus magiſtri humilitatis conſcius, noluit prolato nomine rem præclarè geſtam recenſere; quia magnæ gloriæ Petro futuram exiſtimabat: vt aliò reſpiciens adnotauit S. Chryſoſtomus Chryſ. hom. 94. in Matth. *Hunc locum*, inquit, *Marcus, qui Petri diſcipulus fuit, ideo non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor magiſtro deferebatur*.

Quòd ſi vera eſt eorum ſententia, qui Tertulliano Duce lib. 4. contra Marcionem c. 5 Petrum Euangelij authorem fuiſſe teſtantur, quod Marcus interpres ipſo Tertull. dictante conſcripſit; *Euangelium*, inquit, *quod Marcus edidit Petri affirmatur, cuius interpres Marcus*; Tunc humilitatem ſuppreſſi nominis, ipſi Petro referendam arbitror. Conſueuit namque Petrus magnifica ſibi & decora ſupprimere; parum honeſta, & indecora recenſere inanis gloriæ, & iactantiæ refugus, vt egregiè notauit Chryſ. S. Chryſoſtomus, verba illa Petri ad Cornelium expendens, Act. 10. *Surge, & ego ipſe homo ſũ*. Act. 10. nu. 26. n. 26. ideo ita comiter, & humiliter locutũ aſtruit, *Quia erat alienus à vana gloria*.

Tam humile ſibi compſit ingenium Ioannes: vnde cùm honorificum in pectore Ieſu recubitum in cœna recenſeret, à proprio nomine abſtinuit. *Erat*, inquit, *recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus* Io. c. 13. n. 23. Ioan. 13 num. 23. Nec vacuum fuit huiuſmodi ſilentium, ſed humilitatis plenum; vt monuit Cyrillus lib. 9. in Ioan. 15. *Nomen ſuum celauit*, Cyrill. *ne inanis cuiuſdã gloriæ cauſa diligi ſe à Chriſto dicere videretur*. Eodem etiam ſilendi vſus eſt artificio, cùm abducto ad moriendũ Magiſtro, ſuam, & Petri ſequelam enarraret: nam Petrum nominans, ſeipſum præteriuit: *Sequebatur Ieſum Simõ Petrus, & alius diſcipulus*. Ioan. 18. n. 15. Ioan. 18. num. 15. Quis ille alius? Nonne Ioannes? Planè. Cur ergo ſilet? Reſpondet egregiè S. Chryſoſtomus homil. 28. ad hunc locum *Quia rem*, inquit, D. Chryſ. *præclaram narrat, quòd alijs deficientibus ipſe ſequeretur: ideo & ſuum nomen ſilet, & Petrum ſibi præponit*. Quin imo, vt ſequelæ illius gloriam, ſi qua erat, extenuaret, addidit: *Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici*. Quaſi dixerit: non magni faciendum eſt, quòd palatij ſatellitium minimè veritus intrauerit, & Magiſtrum fuerit ſecutus: Cùm enim ibi notus eſſet, nihil ſibi periculi imminebat; vt D. Chryſoſt. loco citato adnotauit. *Animaduerte*, inquit, Chryſoſt. *quomodo propria laudi demit: ne quis enim diceret: quomodo omnibus aufugiẽtibus ipſe ingreſſus eſt cauſã affert*, quòd

quòd eſſet notus Pontifici; ne quis ſe ſequutum admiraretur, neue id fortitudini abſcriberet. Et verò Pontificis familiaritas non parum imminuit in Ioãnis ſequela: Ideo eumſequi auſus videtur,quia teſte D.Hieron.in Epitaphio Marcellæ ad Principiam, cùm ob generis claritatem in Pontificis familiaritate verſaretur citra omnem offẽſam, à ſeruis permittendus eſſet
Hieron. intrare. *Ioannes*, inquit, *propter generis nobilitatem erat notus Põtifici, & Iudæorum inſidias non timebat; in tantum, vt Petrum introduceret in atrium, & ſtaret ſolus Apoſtolorum ante crucem*. Ita ille.

Lyranus. At verò Lyranus pauperem, & ignobilem fuiſſe Ioannem arbitratur, Pontifici tamen notum, quia palatium frequenter adibat
Niceph. piſces venditurus: Nicephorus lib.1. cap.28. & lib. 2. cap. 4. familiaritatem hanc inde proueniſſe ſcribit, quòd Ioannes hæreditatem ſuam Pontifici vendiderat. Verùm vndecumque prouenerit, illud mihi pro certo eſt, plurimũ de ſequelæ gloria minuiſſe,& ideo à Ioanne memoratam. *Et notus Pontifici*. Et verò idemmet affectus, qui Petrum impulit, vt in Euangelio Marci nomen ſuum occultaret, Ioannem commouit, vt eodem vteretur ſilentio, ea ſolùm commemorans, quæ actionis ſplendorem obſcurarent.

Inter viros virtutibus claros quãdam virtutũ ęmulationem reperiri planum eſt, ita vt alij alios rectæ operationis exẽplo ad imitationem prouocent, eandemque ſemitam calcantes Deo placeant. Hoc exemplo D. Paulus illuxit: quippe cùm tot habuerit reuelationes, vt 2.Corinth. 12. nu. 2. cernere licet, vnam tantùm retulit, vt Theophilactus aduertit; eamque in tertia perſona conſtituit: *Scio hominem*, inquit, *ante* 2.Cor.12
annos quatuordecim: Quod ſanctus Ambroſius ponderauit. At S. Ambr.
verò, cùm in ſui contemptum ſe dixit abortiuum, non in tertia, ſed in propria perſona locutus inuenitur: *Nouiſſimè autem omniũ* 1.Cor.15
tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi, 1.Corinth. 15. nu. 8. Quo loco ſcripſit Theodoretus. *Cùm* Theodor.
vellet ſe omnium hominum viliſſimum, & abiectiſſimum appellare, abortiuo fœtui ſeipſum comparat, qui in hominum catalogo non recenſetur. Igitur quod in honorem dignitatemq. cedebat, in tertia perſona cõſtituit: quod autem ad dedecus ſpectabat, videlicet, quòd abortiuus eſſet, in propria perſona reponit.

Hæc autem eſt Sanctorum conſuetudo, vt quod honorificum, & laudabile eſt,ſupprimant; quod defectuoſum, & minùs decorum, prodere non vereantur. Nemo ex Euangeliſtis Matthæum dixit publicanum, nec in Apoſtolorum catalogo poſt Thomã repoſuit, Luca 6.
vt videre eſt apud Lucam cap. 6. num 13.
num. 13. & Marcum 3. num. 18. Marc. 3. num. 18.

Ipſe verò Matthæus hanc ignominiam prætermittere noluit: nam & ſe publicanum appellauit, & poſt Thomam recenſuit. *Thomas*, inquit, *& Matthæus publicanus*. Matth. 10. num. 3. Quod reſpiciens ſcripſit Euſebius Cæſarienſis lib. 3. demõſtrationis Euãgelicæ cap. 7. *Hoc nullus Euangeliſtarum indicauit, non coapoſtolus eius Ioannes, non Lucas, non Marcus; ſed ipſe Matthæus, ſuam ipſius vitam non diſſimulans, planèque ipſe ſeipſum accuſans*. Et paulò inferius: *Itaque Matthæus abundantia quadam modeſtiæ ſtudium veritatis præſeferens, in ſuis moribus indicandis publicanum ſe appellauit, neque priorem ſuã vitam occultare voluit; & ſecũdo loco poſt æqualem ſuum ſe nominauit*. Idem etiam monuit Beda in Marcum. *Cæteri*, inquit, *Euangeliſtæ in coniunctione omnium primum ponunt Matthæum, & poſtea Thomam; & publicanum eum non ſcribunt: ne antiquæ conuerſationis recordantes, ſuggillare Euangeliſtam viderentur. Ipſe verò, & Thomam ſibi anteponit, & ſe publicanum appellat; vt vbi abũdauit peccatum, ſuperabũdet gratia*. Itaque Sanctorum animis inſitum eſt, vt defectus ſuos prodant, & parum decora manifeſtent.

Matth. cap 10. num. 3.

Euſeb. Cæſar.

Beda.

Quòd ſi nonnunquam honeſtis de cauſis aliquod virtutis opus prodere, vel ſeipſos nominare conſtringantur; tertiam perſonam verecundè commemorant. Exemplo ſit Moyſes Numer. 12. nu. 13. qui, neceſsitate compellente, propriam detexit manſuetudinẽ, de ſe tanquam de tertio locutus. *Erat Moyſes vir mitiſsimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*. Iob item, ſi forte is libri ſui author extitit, eundem tenuit morem. *In omnibus*, dicens, *bis non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt*. Ibid. cap. 1. n. 12. Quin etiam Ioannes ſeipsũ nominans, tertia vtitur perſona. *Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*. Ioan. 13. n. 23. & 19. nu. 26. & 20. num. 2. & 21. nu. 19. Tandem Dominus Ieſus maieſtatem & gloriæ magnitudinem commemorans, quam in exercenda poſtremi Iudicij actione repræſentabit, quaſi de alio locutus, id præſtitit. *Videbitis*, inquit, *filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Matth. 26. num. 64. At Petrus in ſuo, vel Marci Euangelio, auris amputationem enarrãs, non ſolùm tertiam adhibuit perſonam, ſed nomen ſuum omnino ſuppreſsit, dicens: *Vnus autem quidam de circunſtantibus*; vt in enarrando opere, humilitatis magiſter appareret, quemadmodum in eo patrando, amoris, zeli, obedientiæ, & iuſtitiæ doctorem ſe exhibuerat.

Nu. 12. num. 13.

Iob c. 1.

Ioan. 13. num 23. & 19 num. 26.

Matth. 26. n. 64

Marc. 14 num. 47.

§. S E-

§. SECVNDVM

Abdita panduntur myſteria, quæ in auriculæ amputatione, & miraculoſa Chriſti ſanatione deliteſcunt; necnon Iudæorum ſurditas, & obſtinatio dãnatur.

MVltis hæc hiſtoria ſacramentis abundat, & plurima inibi myſteria deliteſcunt, in quorum contemplatione mens iocundiſsimè poſſit detineri. Primũ tamen, & ni fallor, præcipuum quod hic venit ponderandum, eſt ipſum ſerui nomen, cuius aurem Petrus amputauerat; Malchus enim, teſte Euãgeliſta, dicebatur: *Erat autem nomen ſeruo Malchus*. Ioannis 18. num. 10. Nec vacat myſterio nominis ſignificatio, vt magnus Origenes tract. 35. in Matth. & Theophilus Partiarcha Antiochenus adnotarunt. Nam iuxta Hebræum, Malchus Regẽ ſonat; vnde Regis nomine, & ſeruitutis conditione Regem Iſrael ſignificabat, quem incredulitas, & obſtinatio è regali dignitate in miſeram tranſtulerat ſeruitutem. Perbellè Theophilus lib. 1. Allegor. in Matth. *Is, cui auricula ablata eſt, Malchus dicebatur; id eſt, Rex quondam populi Iudæorum, ſeruus factus eſt impietatis Iudaicæ*. Nec ſolus Rex, ſed cuncta plebs Iſraelitica in Malcho adumbrata, ſeruilem induit conditionem.

Io. 18. n. 10.

Origen. Theoph.

Vnde iam ſecundo loco adnotandum eſt, magnum in eo ſacramentum latere; quòd Petrus fidelium omnium in Chriſto credentium caput, & Princeps, dexterã auriculam Malcho præciderit; argumento clariſsimo, quòd Iudæi, vt cenſuit Origenes, aure dextra Meſſiam non auſcultabant, ſed ſiniſtra; hoc eſt, non ſincerè in ipſũ credebant, nec ipſius legem rectè obſeruabãt. *Quod*, inquit, *agebat Petrus, myſterium erat: quoniam Iudaici populi dextra auditio fuerat amputãda, propter malitiam eorum demonſtratam in Ieſum. Nam etſi videntur audire legem, modò cum ſiniſtro auditu, audiunt vmbram traditionis de lege, non veritatem: cùm ſint ſerui ſermonis profitentis ſeruitiũ Dei, non autem ſeruientis in veritate*. Ita ille. At verò D. Thomas, pulcherrimo Catenæ ſuæ annulo ad cap. 26. Matthæi, vtrumque Theophili, & Origenis cogitatum artificioſè concluſit dicẽs: *Seruus Principis Sacerdotũ Malchus appellatur: auricula quoque quæ amputatur, dextera eſt: trãſitoriè dicendum eſt, quòd Malchus id eſt, Rex quondam Populi Iudæorum, ſeruus factus eſt impietatis, & deuotionis Sacerdotum; dexteramque perdidit auriculam, vt littera veritatem audiat in ſiniſtram*. Quia verò auditus velut fundamentum ad fidem ſupponitur: vnde ab Apoſtolo dictum ad Roman. cap. 10. nu 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbũ*

Origen.

D Thom.

Rom. 10.

Digitized by Google

Chriſti: Idcirco; vt ſtatuit Hilarius Canon. 32. in Matth. Petrus auriculam Malcho amputare permittitur, vt hac ratione ſignificaret, quam parum Iudæorum populo prodeſſet auditus: ſiquidem eo ad percipiendam fidem minimè vtebatur. *Igitur ab Apoſtolo,* inquit, *ſeruo Principis Sacerdotum auricula deſecatur: populo videlicet Sacerdotio ſeruienti, per Chriſti diſcipulum inobediens auditus exciditur; & ad captiuitatem veritatis, hoc quod erat inaudiens amputatur.*

D.Hilar.

Cæterùm, etſi Petrus zelo accenſus, inutilitatem & inobedientiam caſtigauit, auditus partem amputans, quæ inutilis reddebatur, & fidei minimè ſeruiebat: Dominus Ieſus eandem reſtituit, vt vtilis foret, fideique, & Dei verbo poſtmodum percipiendo deſeruiret. Quod prudenter aduertit S. Auguſtin tract. 112. in Ioan. *Malchus, ait, interpretatur regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata, & à Domino ſanata ſignificat, niſi auditum amputata vetuſtate renouatum? vt ſit in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ; quod cui præſtitum fuerit à Chriſto, quis dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Quòd autem ſeruus inuentus eſt, & hoc ad illum pertinet veritatem, quæ in ſeruitutem generat. Sed cùm acceſſit ſanitas, figurata eſt libertas.* Sic ille. Eſt autem animaduerſione dignum, quòd ne Malchus, ſeu Iſraelis Rex, vel Populus in Malcho ſignificatus, fidei fundamento, hoc eſt, auditu careret, abſciſſa penitus ſpe correctionis, emolliendæque obſtinationis, & perfidiæ remedio amputatis radicibus fraudaretur, noluit Chriſtus vt Petrus aurem ita ſecuiſſet, quòd a capite omnino ſeparata excideret; ſed ibi adhuc pendens, & hærens relinqueretur, vt colligit Barradas lib. 6. cap. 26. ex verbis Luc. cap. 22. *Et cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum*; ſignificans Iudæorum populum, propter obſtinationis, perfidiæque peccatum recipiēdæ fidei remedio nullatenus deſtitutum; cū his qui credere vellent, fidemque recipere, Chriſtus aurem reponeret: vt egregiè adnotauit ſanctus Hieronymus ad c. 26. Matth. *Populus,* inquit, *Iudæorum dexteram perdidit aurem: ſed Dominus ijs qui ex Iudæis credere voluerunt, reddidit.*

S. Auguſt. Barrad. Luc. 22. S. Hieron.

Aliud in hac auris ſanatione myſterium Rabanus inuēnit ad cap. 26. Matth. videlicet, propterea Chriſtum abſciſſam aurem Malcho redintegraſſe, vt nonnullos Iudæorum depoſita perfidia conuertendos, ac in ipſum credituros ſignificaret. *Petrus,* ait, *non tollit audientibus intelligendi ſenſum, ſed Diuino ablato iudicio negligentibus pandit: verùm eadem dextera auris in his, qui ex eodem populo crediderunt, diuina pietate priſtino reſtituta eſt officio.*

Raban.

Theo-

Digitized by Google

Theodoretus in Catena hanc auris ſanitatem ad futuram Iudæorum proximis extremo Iudicio temporibus conuerſionē retulit; cùm Elias Iudicis præcurſor aduenerit prædicaturus. *Vel cæſio*, Theodor. inquit, *auris dextræ ſerui Principis Sacerdotum, ſignum erat ſurditatis eorum, quæ præcipuè in Principibus Sacerdotum inoleuerat. Quòd autem denuo reſtituta ſit auris, ſignificat vltimam reparationem intellectus in Iſraeliticis, veniente Elia.* Ita ille.

At verò S. Chryſoſtomus homil. 82. in Ioannem, laudata primum Petri animoſitate, reſtitutæ auris ſanationem ad Chriſti benignitatem retulit, ad noſtramque eruditionem inflexit: vt ſcilicet qua ratione cum inimicis, & perſecutoribus nobis agendum eſſet, D. Chryſ. edoceremur. *Quòd ſi vis*, inquit, *Petri ſapientiam intelligere, videbis poſtmodum cæſum, & æquo animo omnia perferentem, & nullis malis, nullis calamitatibus perturbatum. Ieſus autem etiam hoc in loco miraculum facit, ſimul erudiens nos, quòd in perſecutores noſtros beneficos nos eſſe oportet: & cùm ſuam manifeſtaret poteſtatem, ſeruo illi aurem reſtituit.* Et infra: *Et ſerui nomen meminit Euangeliſta; quoniam magna res erat, non tantùm quòd eum curauerit, ſed, & quòd paulo poſt eſſet ab eo alapam accepturus.* Hactenus ille. Beda cap 92. in Lucam, Chriſti etiam benignitatē in hoc facto ponderauit. *Nunquam enim*, ait, *pietatis ſuæ Dominus obliuiſcitur: illi Iuſto mortem inferunt, iſte perſequentium vulnera ſanat.* Beda.

Verùm nihil ex hactenus dictis ita capit æſtimari, quàm cæca Iudæorum perfidia, & perfida obſtinatio in abſciſſa Malchi auricula repræſentata; quoniam mira fuit eorum durities, ad auſcultandaque Dei oracula ſurditas deteſtāda: ſic enim Prophetarum voces, & hortamenta audiebant, quaſi auditu carentes nihil perciperēt. Quam ob cauſam D. Chryſoſtomus homil. 4. de laudibus Pauli, D. Chryſ. Iudaici Populi cæcitatem, & ſurditatem hunc in modum arguit, & ſuggillat: *Quoties*, inquit, *Iudæi vocem audierunt de cælo, in nouo, & in veteri Teſtamento, nec tamen facti ſunt idcirco meliores? Nam in veteri Iudæi poſt mille miracula pro Deo vitulum, quem fecerunt, adorauerunt.* Et recenſitis pluribus exemplis; inferiùs ſubdit. *In nouo etiam ſub præſentia ipſius Chriſti, latro quidem, cùm crucifixum cerneret, adorauit: Iudæi verò, qui eum ſpectauerunt mortuos ſuſcitantē, & vinxerūt & affixerunt cruci.*

Illud autem plus inijcit admirationis, quòd ipſi dæmones patrata à Chriſto miracula, diuinamque in ipſis potentiam agnoſcentes, à corporibus eiecti, ipſum Dei filium prædicabant, ſicut ſanctus Lucas cap. 4. n. 41. teſtatur;

Exi-

Luc.4.41 *Exibant à multis clamantia, & dicentia: quia tu es filius Dei.* At verò Iudæi hæc & plura alia miracula inſpicientes, nequaquã Chriſtum Dei filium fatebantur. Hinc eſt illa D. Ambroſij ad prædictum locum vehemens in Iudæos D.Ambr. redargutio. *Populus negat, quem dæmones confitentur. O peior magiſtro, diſcipulorum hæreditas.* Aliunde verò, vbi nulla ratio ad credendum inuitabat, ſic faciles ſe exhibebant, vt leuiſsimis de cauſis fidei aſſenſum præberent: cùm tamen vrgente ratione, vbi argumentorum vis impellebat, ipſi credere renuiſſent. Abſque miraculis Ioãnem Baptiſtam reſurrexiſſe crediderunt. *Quia Ioannes quidem ſignum fecit nul-* Io.c.10. num.41. *lum.* Ioan.10.num.41. Vnde apud Marcum cap.6. num.14. indubitanter affirmabant: Marc.6. num.14. *Quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis.* Ad Chriſti verò reſurrectionem non ſolùm præcedentibus miraculis conteſtatam, qua- Matt.12. num 39. le fuit illud Ionæ apud Matth.12. n.39. ſed etiam præſentibus, cùm cæcis viſus, claudis inceſſus, leproſis mundities, mortuis vita donabatur, Matth.11. numer. 5. Matt.11. num.5. credendam, adduci minimè potuerunt: & ideo Chriſti corpus furtim è tumulo ſublatum affir- Matt.28 mabant. Matth.28.nu.13. Quod Beda. expendens Beda in cap.6. Iudæo- Marc. rum perfidiam acerrimè carpit. *Quanta*, inquit, *Iudæorum perfidia, quantus contra Dominum malitiæ furor extiterit, ex omnibus pene locis Euangelij docemur. Ecce enim Ioannem, de quo dictũ eſt, quia ſignum fecit nullum, à mortuis potuiſſe reſurgere, nullo atteſtante, credebant. Ieſum autem virum approbatum à Deo virtutibus & ſignis; in cuius morte elementa tremuerunt, reſurrectionem verò, atque aſcenſionem Angeli, Apoſtoli, viri, ac fœminæ certatim prædicabant; non reſurrexiſſe, ſed furtim eſſe ablatum, credere maluerunt.*

Verùm non hìc ſtetit cæca Iudæorum obſtinatio, ſed vltra progrediens omnes viſa eſt tranſiſſe perfidiæ metas: Quia non ſatis habuit, tot inſpectis miraculis, non crediſſe, ſed inſuper, obſtinationis cauſam reiecit in Chriſtum. Hinc eſt illa apud Ioannẽ cap.10. num. 24. cum ipſo expolario: *Quouſque animam noſtrã tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis* Ioan.10. num.24 *palam.* Quaſi dicant: tribuendum tibi culpæ eſt, quòd non credamus, teque Dei filium fateamur: quia id nec verbis apertè pronuncias, nec operibus manifeſtas. O cæcitatẽ omnibus modis execrandam! Non nouerãt iſti, quòd dum perfidiæ ſuæ culpam in Saluatorem reijciebant, ſe ipſos clariùs accuſabãt, & duriores in perfidia demõſtrabant. Quemadmodum primo parenti euenit: quippe cùm tranſgreſsionis culpam à ſe propellere niteretur, totam in Authorem retorſit, qui mulie-

rem

rem dederat ſociam; eâque ſuadente comederat. *Mulier*, inquit, *quam dediſti mihi ſociam*. Geneſ. 3. num. 12. Nonne ſatis eſſet dicere: Mulier ad comedendum inuitauit, vt quid addidit? *Quam dediſti mihi ſociam*. Volebat, inquit Gregorius lib. 22. Moral. cap. 13. omnem in authorem ſuum culpam retorquere, & ſeipſum culpa liberare. *Obliquè*, ait, *Dominum tangens, quòd ipſe peccati eorum author extiterit, qui mulierem fecit*. Quaſi Deo obijceret: Nunquid ego mulierem feci, aut mihi vt dediſſes poſtulaui? Tu Domine nihil mihi de ea cogitanti ſociam adiunxiſti. Vnde non ſolùm mihi attribuenda eſt culpa, ſed tibi etiam, qui ſociam peccati incentricem tribuiſti.

Gen. c. 3. num. 12.

D. Greg.

Mariti ſemitam calcauit vxor, & ſerpentis deceptionem Deo obiecit, ac ſi propterea quòd illũ creauerit, paradiſumque intrare permiſerit, decipiendæ fœminæ author extitiſſet. *Culpã ad Dominum referens, qui ſerpentẽ in Paradiſo poſuiſſet*. Et verò quod intendunt, culpæ videlicet immunitatẽ, hac ratione non aſſequuntur: vt de Mathematicis locutus dixit Auguſtinus lib. de continẽtia cap. 5. qui peccata ſua in Deũ velut authorem referunt: tantùm verò abeſt, vt à culpa ſe liberent, quòd potiùs blaſphemiam addãt, & vt ipſi indemnes appareant, reũ conſtituunt Creatorem. *Excuſationem*, inquit, *ſuam extendũt in accuſationem Dei: diuino iudicio miſeri, ſuo autem furore blaſphemi*. Sat ergo peccatori ſit, inquit citato loco S. Gregorius; quòd Dei ſimilitudinem in Diuinitate affectauit. Vt quid vltra Deum ſibi ſimilem in culpa reddere molitur? *Quia Deo*, inquit, *eſſe ſimiles in Diuinitate nequiuerũt, Deum ſibi facere ſimilem in culpa conati ſunt*. Proh boni ſuperi! quàm inanes eorum ſpes & cogitatus, cenſuit Regius Vates Pſalm. 20. qui crimina ſua in Deum quomodolibet referre moliuntur. *Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire*. Hoc eſt, illuſam ego vidi miſerorum contentionem, impiumque conatum: dum enim peccata ſua, vt indemnes apareant, in Deum reijciunt, deſiderio ſuo fraudantur, & priori culpæ nouum blaſphemiæ crimen adiungunt. Ita Dydimus: *Quia malitiæ ſuæ cauſam illi ſcripſerunt*. Igitur obijciat nunc, quiſquis ille fuerit, ſe non ideo diuitias à Deo accepiſſe, vt pauper viueret: proindeque indigentibus eas ſuppeditare minimè velle: ſicut hom. 6. in diteſcentes ſanctus Baſilius aduertit. Cui Deus honorẽ contulit, pro ipſius defenſione ad vindictam de iniurijs exigendam ſe conſtringi etiã obtendat. Tandem alia ſuæ impudicitiæ cauſam opponat paupertatem: dicens impudicam mini-

D. Greg. D. Aug. D. Greg. Pſal. 20. Dydimus S. Baſil.

minimè futuram, ſi diues extitiſſet. Quin etiam omnes, primorum parentum, & Iudæorum ingenium æmulati, criminum ſuorum cauſas in Deum reijciant; cùm enim poſtea meritas pœnas iuſsi pendere videbuntur; cui nam culpa ſit adſcribenda cognoſcét.

Igitur Dominus Ieſus apud Ioannem cap. 10. num. 25. & 26. Phariſæis reſpondens ita obijcit: *Loquor vobis, & non creditis: Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei; hæc teſtimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis.* Quaſi dicat: indomabilis veſtri pectoris durities, obſtinataque perfidia, & animi rebellis peruerſitas in cauſa eſt, vt tot inſpectis miraculis, tot auditis ſermonibus, nec in meipſum credatis, nec Dei filium profiteamini: Quin potiùs in clariſsima operũ manifeſtatione, cùm obſtinationem deponere, & crimina agnoſcere deberetis, meipſum incuſatis, & tanquam in authorem culparum cauſas reijcitis. Quidni cùm non ex ouibus meis ſitis, nec veſtri paſtoris vocem audiatis? Proh ingentem malignitatem, admirandam prorſus cæcitatem, & obſtinationem inauditam! Plurima iſti miracula inſpexerant, quæ Chriſtum Dei filium demonſtrabant: Et tamen quaſi nullum viderint, ita loquebantur, & infidelitatis ſuæ cauſam ad Saluatorem referebant: ac ſi ideo nõ crederent, quia nuſquam miracula edentem, nec ſe Dei filium apertè prædicantem inſpexiſſent.

Ioan. 16. num. 25. & 26.

§. TERTIVM.

Iudæorum obſtinationem, & ſurditatem in Malchi vulneratione adumbratã, permulti retroacti, & ſubſequentis ſæculi peccatores æmulantur.

NOn in Iudæis tantùm memorata cæcitas, & duritiés reperitur: iam olim in hominum animis inoleuerat. Vnde non ſolùm Iudæis, ſed pluribus alijs peccatoribus, vnà cum peccandi licentia, cæcitas obſtinatioque ſuboritur. Natu maiorem Adami filium contẽplare, & prodigio ſimillimum fateberis, quàm altè in ipſius cor obſtinatio radices egit, vt nec obnitente Deo euelli potuerit: cerne Deum in emolliendo Caini pectore occupatum: poſtquam enim prauus ſacrificij oblator extiterat, Abeliq. inuidebat, ipſum cohortatur, vt ſiſtat, ne peccatis addendo peccata, in maiorem abeat obſtinationem, & penitus lapideſcat. Igitur iuxta ſeptuaginta interpretum verſionem impium ſic alloquitur: *Peccaſti? Quieſce.* Geneſ. 4. Quod cùm D. Chryſoſtomo homil. 18. ibid. verſatum perinde eſt, *Quaſi diceret, peccaſti & grauiter peccaſti: ſed non punio propter delictum: miſericors enim ſum,* D. Chryſ.

ſum, & nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Igitur quieſce, ne addas priori peccato grauius aliud; neque conſilium aliquod immedicabile arripias, ne te ipſum maligno dæmoni captiuum tradas. Quid verò ad hanc exhortationem impius? Nun ingemuit? nun pauliſper animi duritiem emolliuit? Nihilminus, ſed nouorum criminum reus, in maiorem obſtinationem duritiemque abiuit. Iterum Chryſoſtomus: *Et repulſo medicamento, in fratricidij profundum ſe præcipitauit.* Nec ſola priori admonitione contentus Dei amor, aliã ait Chryſoſtomus, emolliẽdæ pectoris obſtinationi magis idoneã ſubiunxit. Cùm enim animi virulentia ex timore procederet, quo tangebatur; ne fortè Abel natu minor, ipſi qui primogenitus erat anteferretur; illico Dominus, malum ne ſerperet anteuertens, addidit. *Ad te conuerſio eius, & tu ipſius dominaberis.* Geneſ. 4. Ita enim prædictum locum Septuaginta verterunt; & tantumdem, teſte Chryſoſtomo, valet, ac ſi diceret: *Ne putes, licèt tuum auerſatus ſim ſacrificium ob prauam mentem; fratriſque oblationem acceptam habuerim, ob ſanam intentionem; quod ideo primatu te deſtituam, & primogenituræ dignitatem à te auferam. Nam tu illius dominaberis: atque poſt hoc peccatum permitto, vt primogenituræ priuilegijs gaudeas, illũque ſub tua poteſtate, & dominio eſſe iubeo.* At quid, poſt toties iterata medicamenta ægrotantis animus, quid in eo operata eſt Dei miſericordia? Nihil certè viſa eſt profuiſſe. Quoniã (reſpõdet Chryſoſtomus) *Poſt tantam curam, & tanta remedia, nihil commodi amplius inde ſenſit. Tantum valet mentis peruerſitas, & malitiæ excellentia.* Quin etiam reiectis medicamentis, in fratricidium præcipitatur: *Et conſurrexit aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Geneſ. 4. nu. 8.

Chryſoſt.

Geneſ. 4.

D. Chryſ.

Non tamen adhuc à Dei benignitate derelinquitur; inſtat iterum Dominus, & tertiò replicat hortamenta: *Vbi eſt, inquit, Abel frater tuus?* Ibid. num. 9. Et quidẽ huiuſmodi interrogatio quodam pœnitentiæ monitum ſonuit D. Ambroſio. Vnde libro 2. de Cain, & Abel cap. 9. ita ſuggerit: *Vult te prouocare ad pœnitentiam Deus, vult de ſe ſperari indulgentiam.* Non ſperabat impius: ideo ignorantiam ſimulans, Deo ſciſcitanti reſpondit, ſe quid de fratre factum fuerit ignorare. *Qui reſpondit neſcio.* Planè addit Ambroſius, *Contumaciam prodit hic ſermo.* Verè quidem, nulla enim maior proteruia, nec magis deteſtanda peccatoris obſtinatio reperitur, quàm illius, qui culpam negat; dum enim in negatione perſtitit, illam non agnoſcere cenſetur: qui autem culpam non agnoſcit, nec reprobat, nec deteſtatur;

Geneſ. 4.

D. Ambr.

Ambroſ.

Digitized by Google

ſtatur; iterum commiſſurus, ſi non antea cômiſiſſet; in quo ſupremam obſtinationem, & animi lapidei duritiem oſtentat; cùm eò ſurditatis peccata perduxerint, vt Dei monita, voceſque non audiat, vel ſortè audita contẽnat. Verè quidem Caimi filios dixeris Iudæos: ſiquidem vt diligentes diſcipuli obſtinationem, & proteruiam à parente & pręceptore didicerunt, ita vt Dei voces & monita tanquã ſurdi non audierint; vnde iure optimo aures ipſis in Malcho pręciduntur.

Neque hi tantùm, ſed iam Noe tempeſtate peccatores illi in ſurditatem obſtinationemque abierant; ac ſi aures illis eſſent amputatæ, ne Patriarchæ hortamenta perciperent: toties enim admonebantur; quoties ad fabricandam arcam ligna ſcindebantur: ſingulas tunſiones puta voces & clamores, quæ impios futurum illud cataclyſmi ſupplicium præcauere admonebant. Centum namque annos in fabricanda ad ſuam filiorumque ſalutem arca Noe conſumpſit, vt facta numeri ſupputatione deprehendes: quia quingẽteſimum agens annum fabricam incepit, & ſexcenteſimo perfecit, vt patet Geneſ. 5. nu. 31. & 7. num. 6. Quod ſi quæras vt quid ita lenter arcæ illius ſtructura proceſſerit? Egregiũ D. Chryſoſtomi reſponſum ex homil. 24. in Geneſ. auſculta, *Volebat*, inquit, *Deus illos quoque, qui tam grauiter peccauerant, fabricatione arcæ admoneri, vt ſecum cogitarent, quæ feciſſent, reſipiſcendoque indignationem non experirentur.* Magnum habent pondus verba, *Fabricatione arcæ admoneri*; quæ ſi vtrâque manu verſes, duplicem tibi ſenſum reddent: alterum ex ſtructuræ tempore, alterum ex ſonitu & fragore, qui ex materiæ inciſionibus & tunſionibus edebatur. Vtrumque enim Dei monita & voces iure ſenties, quibus peccatores admonebantur, vt reſipiſcendo ſupplicij illius acerbitatem declinarent. *Fabricatione arcæ admoneri*. Igitur diuturnum temporis ſpatium, quo arcæ ſtructura durabat, æui illius homines prouocabat, vt fabricam admirati, ad Noe appropinquarent; ex ipſoque ſciſcitarentur, ad quid inſolita, & admiranda arcæ illius ſubſtructio deſeruiret? vt reuera factum ab ijſdẽ innuit ſanctus Chryſoſtomus; quibus à Noe reſponſum, iam iam imminere aquarum inundationem, qua ſubmerſi peccatores miſerum in modum Tartari poſtea flammis amburendi interirent; ſoli verò iuſti in arca recepti diluuiũ illud enatarent. Et verò vltra hæc monita, etiam ſtructuræ fragor peccatores terrebat, & hortabatur: tunſionum ſonitus, quædam prędicãtium voces erant, quibus miſeri ad pœnitentiam prouacabantur. Tantũ mihi Chryſoſtomi verba ſonãt: *Fabricatione arcæ admoneri*.

Genef. 5.

D. Chryſ.

D. Chryſ.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterùm, quid tam multiplex & diuturnâ profuit admonitio? quam vtilitatē ex iteratis ſæpius adhortationibus impij collegerunt? Nullam, reſpondet Chryſoſtomus. *Verùm hæc*, inquit, *illis nullam vtilitatem attulerūt, non, quia non potuerunt, ſed quia noluerunt*. Et paulò inferiùs inſolitam admiratus obſtinationem ſubiungit: *Cùm tot annis audiſſent, quòd ante fores eſſet interitus, neque à malitia ceſſarunt*. Non tamen adhuc in his integra obſtinationis facies detegitur; alio & clariori proditur argumento: Deū loquentem audiamus: *Ego*, inquit, *pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Geneſ. 7. num. 4. vbi obſeruat acutè S. Chryſoſtomus, quòd cū potuiſſet Dominus breuiſsimo temporis momento Orbem aquarum inundatione ſubmergere; voluit tamen vt paulatim pluendo diluuium creſceret, & ad quadrageſimum diem hominum ſubmerſio generaliſque interitus differretur; vt interimdum ſe mox perituros inſpicerēt, & de peccatis dolerent, & veniam conſequerentur. *Quid*, inquit, *Non erat ei poſſibile, vt vno die totam pluuiam induceret? quid, inquam, vno die? vno momento poſſet: ſed hoc dedita opera facit, volens ſimul, & timorem incutere & occaſionem præſtare, qua poſſent pœnàm, quæ iam in foribus eſſet, effugere*.

D. Chryſ. · Geneſ. 7. num. 4 · D. Chryſ.

Neque hac tantùm ratione impiorum correctioni ſtuduit, ſed fortiùs adhuc ad pœnitentiam conſtrinxit, minas nimis adijciēs. *Et delebo*, inquit, *omnem ſubſtantiam, quam feci, à facie terræ ab homine vſque ad pecus*. Vbi monet Chryſoſtomus: *Vide quomodo & ſemel, & iterum prædicit, & neque ſic illos tangit*. Quodnam verò toties multiplicatis admonitionibus Dei conſilium? Quid ad ſupplicium ita lenter procedens intendit? vt ſemel & iterum vulnera minitetur, non tamen feriat. Porro eorum duritiem emollire, & obſtinationem flectere, atque ad pœnitentiam pertrahere ſtudet: quamuis autem ſe nihil profuturum agnoſceret; omnem voluit adhibere conatum, ne quiſquam velut immitem, rigoroſumque cenſeret. Do Chryſoſtomum: *Omnia autem hæc faciebat, vt nos doceret; quàm iuſtè eis tantam pœnam inflixerit. Et nullus inſipientiam arguere, & dicere poſſet: ſi longanimior fuiſſet, fortè pœnitentiam egiſſent, fortè à peccatis abſtinuiſſent, & ad virtutem rediſſent: Eaque de cauſa annorum quoque numerum manifeſtū nobis facit, & arcā fabricari iuſſit. Et poſt hæc omnia etiam ante dies ſeptem prædicit, vt omniū temerè loquentium impudētes linguas compeſcat*. Omnia autem huiuſmodi conſilia Deus ſuſcipit, omnia tentat remedia, vt peccatoris obſtinationem emolliat, ſurdita-

Geneſ. 7. num. 4. · D. Chryſ. · D. Chryſ.

ditatem auferat,& pęnitentię reddat: At poſtquam nihil proficere animaduertit; peccatorem velut ipſius miſeratione indignum,iuſtitiæ tradit, qua ſæuiente ſubuertit,in interitumque præcipitat: vt Noe temporibus factum ex ſacra Geneſis hiſtoria admonemur.

Eadem obſtinationis contagio & ſurditatis lues ſodomitas infecerat, quos ſanctus Loth viriliter hortabatur, vt in peccati turpitudinem ruentes detineret. Ipſi verò peſtifera obfirmati duritie, in monitorem conuerſi, & furijs agitati;illum vt ſe ab eorum aſpectu ſubtraheret, compellebant: Vnde etiam in carcerem cimerijs tenebris circumfuſum, nec ampliùs videndum detrudere moliebantur: & ideo Geneſ.19.nu.9. Geneſ.19 dicebāt: *Recede illuc.* Vbi exclamat Chryſoſt. hom. 43.in Geneſ. Chryſoſt. *O grauem ebrietatem, ò immodicam deſipientiam. In hunc modum ſe habet efferata, & mala beſtia concupiſcentia,quando rationem vicerit: nihil quod oportet videre ſinit, ſed quaſi in tenebris, & pugna nocturna omnia facit.* Quaſi dicat: non ſatis habet peccator culpis immerſus,ſi in earum fœditate obſtinatus perſeueret, eaſque procaciter defendat, niſi etiam obſeratis auribus monentem excipiat,eumq.de medio tollere, & in locum nuſquam deinceps appariturum relegare contendat. Quod ſodomitæ aduerſus Loth egerunt: *Recede illuc.* Quinimo quaſi pilam retorquentes, in monitorem ſuum reprehenſionibus inſurgunt, vt ijdem præſtiterunt: *Veniſti*, inquiunt, *vt eſſes aduena:nun & iudicando authoritatem vſurpas?* In quæ verba notanda ſunt quæ D.Chryſoſtomus adnotauit. *Vide quomodo iuſtus manſuetè cū eis loquitur, illi autem quanta ferocitate reſpondēt. Enim verò quaſi à diabolo exagitati, & eo ducatum præbente, ita contra iuſtum inſurgunt; & dicūt: veniſti, vt aduena eſſes: nun & iudicandi authoritatem vſurpas? O excellens ingratitudo: Oportebat erubeſcere, oportebat reuereri conſilium iuſti. Verùm, ſicut inſani, etiam medicum impetere conantur, ita & illi.* Hom.43. in Geneſ.

Neque conſiliorum tantummodo & admonitionum contemptores extiterunt, in eadem animi duritie & cæcitate permanentes: ſed quod ampliùs venit admirari, & monſtriferæ peruerſitatis genus eſt inauditum; cum ipſis Angelis, qui pulcherrimorū iuuenum forma ad eorum ſupplicium aduenerant, turpiter commiſceri nitebantur. Vnde cùm à Loth domi hoſpitio exceptos agnouiſſent, illam vnà omnes Vrbis incolæ obſederunt. *Viri autem ciuitatis ſodomitæ circumdederunt domum, à iuuene vſque ad ſenem, omnis populus ſimul: Et euocauerunt Loth & dixerunt ei: Vbi ſunt viri, qui igreſſi ſunt ad* Geneſ.19

te

te nocte? educ eos ad nos, vt coeamus cum eis, Geneſ. 19.n.4.& 5. Non capit humana mens inuerecundiã, qua efrontes iſti libidinis facibus incenſi, & Loth admonitiobus nihilo meliores redditi nõ ſolùm monitorem aſpernabantur, ſed inuerecundè ſenes pariter & iuuenes propellente libidine, Angelis humana ſpecie apparentibus turpiter abuti aggrediebantur: quam nefandæ luxuriç ſpurcitiam abominatus S.Chryſoſtomus homil.43. in Geneſ. ad hunc locum ita ſuggerit: *Illi autem propterea omni venia ſunt deſtituti, quòd non ſolùm à malitia non ceſſarũt, ſed & magis auxerunt peccata. Vide enim, circumdederunt domũ à iuuene vſque ad ſenem, omnis populus ſimul. Summa malitiæ conſpiratio, vehemens malè agendi ſtudiũ, inenarrabilis peruerſitatis magnitudo, conatus nulla venia dignus. A iuuene, inquit, vſque ad ſenem: nõ ſolùm, inquit, iuuentus hæc mala inquirebat; ſed &, inquit, prouectæ ætatis viri aderãt, & omnis populus ſimul. Neque erubeſcebant tam turpe, tamque impudẽs flagitium: neque infallibilem oculum cogitabãt, neque iuſtum reuerebantur, neque hoſpitibus parcebant: ſed abſque rubore, & nudo, vt dicunt, capite, libidinis ſuæ verba dicentes acceſſerunt, & vocato iuſto dixerũt ei. Vbi ſunt viri, qui ingreſſi ſunt ad te nocte? Educ eos, vt cognoſcamus eos.* In talem dementiam peccati ſui turpitudo Sodomitas, & ferè peccatores alios, obſtinatio perduxit. Vix hoc credi poteſt, & ipſe hominum auditus nefandi ſceleris abominatione offenditur.

Chryſoſt.

Quin etiam recta ratio tantam in peccando proteruiã, & peruicaciam deteſtatur; ita vt peccatores ad explendam libidinem citatiſsimo curſu, ſpretis iuſti admonitionibus properantes minimè retardentur. Quod adeo verum eſt, vt etſi iuſtus, vt Angelis parcerent, duas filias virgines adhuc, & viro incognitas, quas habebat, ipſis ad explendam libidinem abuti permitteret, nihil efficere potuerit. *Nolite*, inquit, *fratres mei, nolite malum hoc facere: habeo duas filias, quæ nec dum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit: dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei.* At, quod extremæ obſtinationis & ſurditatis argumentum eſt, nequaquam hiſce monitis impij commouentur, nec à præpoſteræ libidinis conatu auocantur, nihil proficiente iuſti moderatione, quam mirificè D. Chryſoſtomus extollit. *O iuſti longanimitatem ò excellentem modeſtiam. Hæc vera virtus eſt, ita manſuetè alloqui illos. Nullus enim ægrum volens curare & inſanientem caſtigare, cum furore, & auſteritate hoc facit. Et animaduerte quòd eos, qui tam ab-*

Geneſ.19.

Chryſoſt.

Digitized by Google

ſurda patrare volebant, fratres vocat; & eorum conſcientias tangere, & à nefario flagitio volens abducere. Nihilominus ipſi marmore & ære duriores in libidinis furore perſiſtunt: Et quos nec ſupplicij terror, nec criminis fœditas, nec iuſti monita auerterũt, etiam virginum congreſſus ſponte oblatus, vnde iuxta naturæ ordinẽ maior ſperabatur voluptas, flectere non potuit, vt adoleſcentibus parcerent. Tantùm præpoſteræ libidinis inſana cupido, vbi pectus inuaſit humanum, mentem peruertere, & rationis iudicium obnubilare poteſt. Do Chryſoſtomum aureo flumine diſcurrentem: *Minimè*, inquit, *fratres nolite inique agere, nihil tale cogitetis; ne ponatis tam graue ſcelus in mentem veſtram, ne naturam ipſam traducatis, ne illicitos excogitetis coitus. Sed ſi volueritis inſaniæ veſtræ furorem demulceri, ego quiddam præbebo, quo flagitiũ veſtrum leuius fiat. Sunt mihi duæ filiæ, quæ viros non cognouerunt. Adhuc*, inquit, *inexpertæ ſunt nuptialis congreſſus, intactæ ſunt, luculentæ ſunt, & adhuc in flore ætatis: eas omnibus expoſitas do, & vtimini eis ſicut vobis placet: vt accipiatis eas*, inquit, *& expleatis veſtrã in eis libidinem, & impleantur veſtræ malæ concupiſcentiæ: tantùm in viros illos ne feceritis iniuſtitiam, cuius gratia intrauerunt ſub tecta tignorũ meorum: idcirco pro eis duas meas filias do, vt illi à manibus veſtris liberentur*. Hactenus ille. At verò Sodomitas indomitos, & inflexiles ſua detinuit durities. Et prępterea qua iniurijs, qua vi iuſtum aggrediebantur, dicentes: *Te ergo ipſum, magis quàm illos affligemus; vimque faciebant Loth vehemẽtiſſimè, iamque prope erãt vt effringerẽt fores.* Geneſ. 19. n. 9. Interim Angeli ad propriam defenſionem inſiliunt: Loth domum introducunt, & obſeratis foribus inhoneſtos cæcitate percutiunt. *Et ecce miſerunt manum viri; & introduxerunt ad ſe Loth, clauſeruntque oſtium; & eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitate à minimo, vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent.* Ibid. n. 10. Cæci adhuc in libidinẽ ruunt, nec ſic poſuit rabies: Loth tamen receptũ ſe, & liberum ſentiens, reſpirauit. *Tunc*, ait Chryſoſtomus ſupraciratus, *quaſi reſpirauit iuſtus, videns quales hoſpites eſſent, & quòd magnæ virtutis.*

Geneſ 19 num. 9.

Geneſ. 19 num. 10.

Chryſoſt.

Fallar, niſi huiuſmodi cæcos ex Lothi conſanguineis credã, quos ipſe Angelorum ſuaſu admonebat, vt ex vrbe egrederentur, ne ſimul cum alijs igne conflagrarẽt. Sic verò obſtinatos reddiderat peccandi libido, vt ridenda loqui ipſis videretur. *Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui*. ibid. num. 15. ſeu, vt legit Chryſoſtomus, *ridicularia loqui*. Proh dolendam peccatorum cæcitatẽ, quam idem Chryſoſtomus hunc in modum

Geneſ. 19 num. 15.

exag-

Digitized by Google

Chryſoſt. exaggerat: *Itaque cùm audirent à iuſto terribiles illas minas, quaſi ſubſannabant, & putabant deliramenta, quæ dicebantur. Verum tamen iuſtus quod ſuum erat faciebat: & quia ſemel illis filias deſponſarat, voluit eripere eos à plaga: at illi noluerunt, ſed in moribus ſuis manſerunt; & re ipſa didicerunt, quòd magno ſuo damno conſilium iuſti reiecerunt.* Hic obſtinatorum finis, huc peccatores cæcitas & ſurditas prouehit: dum enim obſeratis auribus iuſtorum hortamenta excipiunt: tãdem flammis addicti, æternæ cõbuſtionis pęnam audire, & experiri conſtringuntur.

Verùm ambigo, an poſt illud Pentapolis incendium, in quo impij in peruicaciæ pœnam perierunt, aliquis in proteruia permãſerit, Dei ſupplicium irridens & damnans, ſi fortè communem aliorum interitum euaſit; vt cernere licuit in vxore Loth, quæ versùs incendium oculos flectẽs, facta eſt ſalis ſimulacrum. *Reſpicienſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis*. Geneſ. 19. num. 26. (Geneſ. 19 num. 26.) Quòd ſi huiuſmodi pęnæ cauſam diſquiramus; planè cum D. Chryſoſtomo contemptũ fuiſſe reperiemus, quo fęmina Angelos admonentes audiuit, reiectâque adhortatione oculos in incendium conuertit. Chriſoſt. *Neglexitque verba*, ait, *& præcepta non cuſtodiuit: propterea ſuæ negligentiæ dedit pœnam.* Hic verò retrò videndi affectus, iam antea cordi inſederat: vnde plùs in eo valuit, quàm pœnæ formido, quã ad præſens peccatoribus irrogari aſpiciebat. Hinc eſt, vt teſte Aegidio Boſio tit. de ſtupro deteſtabili in maſculos, D. Auguſtinus in ſuis ſermon. de Sodom. & Gomor. ſodomiæ peccatum à fœminis ortũ habuiſſe exiſtimet, atque ex ipſis velut fontibus in ſexum virilem promanaſſe. Aeg. Boſ. Quin etiam vxor Loth ideo punitam arbitratur, eo quòd Sodomitas de nefando crimine non reprehẽderit: imò affectu fouerit, ſi opere non adiuuerit. Et quidem prauus ille affectus in coripſius altè radices egerat, ita vt Angelorum monitis euelli minimè potuerit: nam adhortantes contempſit. Hinc in fœminas inuehitur S. Auguſtinus dicens: *O mulieres luxuriæ matres, nonne ſufficiebat vobis primũ hominem decepiſſe?* Auguſt. Quaſi diceret, non ſatis habuiſtis primum hominem in paradiſo ad peccatũ inducere? Vt quid vltra nefandi criminis turpitudinem docuiſtis?

Idem etiam opinatur S. Ambroſius ad illa verba ex epiſtola ad Romanos cap. 1. nu. 26. & 27. *Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem.* Ambroſ. Vbi aduertendum eſt, fœminas in eo crimine ab Apoſtolo priùs recen-

ſeti quàm maſculos, vt innuat eas peccati authores extitiſſe. Et licèt vxor Loth peccãtibus Sodomitis effectu non aſſenſerit; videtur tamen, quod Ioſephus lib. 1. Antiquit. inſinuat, eam turpitudinẽ ipſi non omnino diſplicuiſſe. Aliunde verò notum eſt, eam propter incredulitatem, vnde nata fuerat inobedientia, punitam: & vt plurimum incrudelitas, ac impudicitia conueniunt, vnaque in ſede morãtur, vt D. Hieronymus lib. 2. comment. in Oſee c. 9 adnotauit. *Difficile*, inquit, *eſt inuenire hæreticum, qui diligat caſtitatem, etiã ſi eam verbis commendet, & præſeferat*. Cùm igitur fœmina illa monentes Angelos contẽpſerit, & propter incredulitatẽ retrò oculos flexerit, nefandæ illius præpoſteræq. libidinis affectu aliquo tactã licet arbitrari. Quam fortè ob causã (tenet Aben Eſra) periit imbre illo cælitus miſſo, qui admixtum habebat ſulphur, & ſal: firmatque hanc interpretationem teſtimonio ipſius Moyſis, qui Deuter. 29. tradit Sodomã ſulphure, & ſale perditã fuiſſe. Illud verò plus admiror quòd poſt tot caſus & rerũ diſcrimina, mulier illa nec timore concuteretur, nec reciperet diſciplinam: quod poſtremũ eſt obſtinationis argumentum, multumq. ad peccatorum perditionẽ valet; vbi primũ eorũ pectora peruadit.

Hac etiã obſtinationis peruicacia Iudę proditoris animus obduruit, quem nec mellita Saluatoris verba, nec minæ flectere, & in proditionis pœnitudinẽ agere potuerunt: cùm tamẽ ad illud diuinæ & viuæ vocis oraculum, *Vnus veſtrũ me traditurus eſt*. Matth. 26. n. 21. in fletus ſolui, atque in ſuſpiria, ceræ inſtar conſpecto ſole, totus abire debuiſſet: quandoquidẽ reliquos mœſtitudine affecit: à mẽſaq. retraxit: at verò Iudas inuerecundus, & effrōs, in proteruia obſtinationeq. perſeuerat. Hinc eſt illud S. Leonis ſerm. 7. de paſſione, vbi de vtriſque loquitur in hunc modum: *Contriſtati ſunt nō de cōſcientiæ reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes ne minus verum eſſet quod in ſe quiſque nouerat, quàm quod ipſa veritas prauidebat. Tu autẽ* (Iudam alloquitur) *in hac trepidatione ſanctorum, abuteris Domini patiẽtia: & abſcondi te tua credis audacia. Addis impudentiam ſceleri; nec ſigno euidentiori terreris: cùmque à cibo alij, in quo iudiciũ Dominus poſuerat, continerent: tu manũ non retrahis à paropſide; quia animam non auertis à crimine*. Peccatoris obſtinationẽ vltra proferri poſſe minimè reor. Nã hic diuino proditus oraculo, & aperto detectus indicio, adhuc in obſtinatione & proteruia detinetur.

Non ita contumacẽ & inuerecũdũ ſe diabolus, aliquãdo exhibuit. Cùm enim in deſerto ter Chriſtũ tentauerit, ab eo reiectus campũ deſeruit, reiecta in aliud tẽpus occaſione tentãdi; vt memorat S. Lucas

Fl. Ioſephus. Hieron. Aben Eſra Deut. 29 Matt. 26 S. Leo

Luc. 4. cas c.4.n.13.*Receſſit ab illo vſque ad tēpus*. In quē locum ita philo-
Ambroſ. phatur S.Ambroſius *Vides*,inquit, *ipſum diabolū nō eſſe in ſtudio pertinacē: cedere veræ ſolere virtuti, etſi inuidere non deſinat; tamen inſtare formidat,quia frequentiùs refugit triumphari*. Itaque non virtutis amore, nec formidine pœnæ retractus dæmon, ſed vinci ſæpius renuens,à tentādi actionibus auertitur. Aliter Iudas, quem obſtinati peccatores æmulantur, nec amore immutatus eſt, nec timore proteruiam exuit. Vtinam ſolus ipſe tale ſibi ingenium indueret: ſed ſimiles aduerto Stephani auditores, qui ne
Act. 7. prædicantem audirent, *Continuerunt aures ſuas*. Actor.7. nu.57. ſeu, vt in origene cernitur, *Obtu-*
Auguſt. *rauerunt aures ſuas*; non alia de cauſa, quàm, vt ſentit Auguſtinus ſermon.99.de diuerſis, *Vt in ſua duritie perſeuerarent*. Quodque obſtinationem apertiùs detegit, *Cùm cæli ianuæ aperirentur, ipſas Iudæi mentes claudebant*; ſub-
Hier. 5. iungit ibidem Auguſtinus. vnde illud Hieremiæ cap.5.num.21. in ipſos iactati poterit. *Audi popule ſtulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis*. Vt quid oculos, aureſque deſiderat,qui nec videt, nec audit? Iuſto Dei ſupplicio inſtrumentis priuantur, quibus ad profectum vti noluerunt. Vide ergo quàm bene auricula Malcho præcidatur: qui enim animæ auribus deſtituitur, nō eſt cur aures corporis poſſideat;ſicuti D.Chryſoſtomus, corpoream ſodomitarum cæcitatem ab Angelis indu- Geneſ. 18
ctam conſiderans eleganter adnotauit. *Viros autem* (habetur in textu) *qui erant apud ianuam, percuſſerunt cæcitate à paruo vſ-* Chryſoſt.
que ad magnum. Iuſta vindicta. *Quoniam*,inquit homil. 43.inGeneſ. *mentis eorum oculus excæcatus erat; propter hoc & viſu priuati ſunt: vt diſcant quòd nihil ſibi proſint corporales oculi, ſi oculi mentis fuerint excæcati*.

§. QVARTVM.

Petrus auriculam Malcho præcidens, animoſus Paſtor & intrepidus oſtenditur: quíque talis ſit, miſericordia & iuſtitia clarum fieri neceſſe eſt,

CHriſto Domino à Phariſæis apud Gethſemanim capto, ſolus inter alios ipſius diſcipulos Petrus gladium eripuit è vagina; integramque inuadens cohortem auriculam Malcho, velut animoſus paſtor amputauit Ioan. 18. Ioan. 18.
nu.10. Et verò hæc in hoſtes inuaſio, & auris ſectio, non temeraria cenſeri debet, & furibunda; ſed animoſitate, doctrina, & myſterijs plena cæleſtibus.Erudiebatur enim in Petro Eccleſiæ Princeps, ad quem attinet non verbis tantùm, ſed etiam cùm opus eſt, ferro peccandi licentiam amputare. Strenuitas verò, quam in hoc facto Petrus oſtendit (præ-

tereo miraculum, quo feriens, armatas militum manus in ſe non prouocauit, ab ipſiſque diſcerptus occubuit) vero Eccleſiæ Principe ac paſtore digna reputanda eſt eique ſimillima, quam Moyſes Ægyptium occidẽs oſtendit, quia Hebræo iniuriam facientem conſpexerat, Exod. 2. Nec verò Ægyptij interfectio Moyſi (& auris abſciſsio Petro) culpæ vertenda eſt, vt D. Auguſt quæſt. 2. in Exod. tom. 4. S. Ambroſ. lib. 2. de officijs cap. 36. D. Hieronymus in quæſt. Hebr. ſuper lib. 1. Reg. & alij cenſuerunt: quia Moyſen hìc Deo agitante, ipſiuſque honoris zelo inflammatum, in Ægyptium irruiſſe exiſtimarunt: non aliter quàm Phinees Zambri cum meretrice Madianitide ſe commiſcẽtem, licitè, quinimo & laudabiliter, ſicut Dauid Pſal. 105. verſ. 31. & Machabæorum hiſtoria libro 1. cap. 2. num. 26. tradere videtur. Quòd ſi vera eſt Clementis Alexandrini lib. 1. Stromatum exiſtimatio; videlicet Moyſen occidendo Aegyptio violentas manus nõ attuliſſe, ſed verbis vſum, ad quorum ſonitum Aegyptius corruit exanimis, ſicut auditis Petri verbis Ananias & Saphira mortui ceciderunt Actor. 5. Planum fit diuinum in hac occiſione decretum interueniſſe: quoniam verbis tam magna vis ineſſe non poterat, vt hominem occiderent.

Exod. 2.
Auguſt.
Ambroſ.
Hieron.
Pſal. 105
1. Mach. 2
Clemens Alexand.
Actor. 5.

Illud tamen pro certo reputat S. Auguſtinus, illam Moyſis ſtrenuitatẽ, ac in iniuſtitijs minimè perferendis acrimoniã, mirum in modum Deo placuiſſe. Vnde & illum Hebraici Populi ductorẽ inſtituit; ſicut etiam ob Petri animoſitatem illum in Eccleſiæ Paſtorem cooptauit.

Hinc egregium Moyſis, & Petri factum connectens S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum c. 70. ſic infert: *Quid ergo indignum, ſi Petrus poſt hoc factus eſt caput Eccleſiæ: ſicut Moyſes poſt decuſſum Aegyptium factus eſt Rector Synagogæ?* Quid ni? mirum namque in modum Rectorum & Principũ animoſitas Deo placet: hac in Moyſe, & Petro inſpecta, vtrumque Principem, Synagogæ alterum, Eccleſiæ alterum, elegit. Nec aliter gubernationi præfici quiſquam ambiat, iuxta illud ſancti Spiritus oraculum, Eccleſ. 7. num. 6. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Quocirca Petrum Eccleſiaſtico moderamini præficiendum vltra benignitatem & manſuetudinem, iuſtitiæ & ſeueritatis rigore voluit obarmatũ. Et ideo ſolus Petrus in piſcando retibus vtitur & hamo; vt cernere eſt Lucæ 5. nu. 4. vbi Petrus ſimul cum alijs diſcipulis ad piſcandum retia laxare præcipitur: *Dixit ad Simonem; Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* Deinde apud Matth. 17. num. 26. ſoli Petro hamo piſcandi exercitium demandatur. *Vade ad mare,*

Auguſt.
Eccleſ. 7.
Luc. c. 5.
Matt. 17.

&

& mitte hamum. Cæteri Apoſtoli ſolis retibus, inquit Ambroſius, piſcari permittuntur, quia citra ſanguinem & vulnera, ſola manſuetudine, & lenitate homines trahere debuerant. *Bene Apoſtolica inſtrumenta piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt, ſed reſeruant*. Ita ille lib. 4. in Luc. cap. 5. Quia verò Petrus Chriſti Vicarius, omnium caput, & Eccleſiæ Princeps maximus deſignabatur; ideo ſolus hamo piſcari iubetur. *Quo genere*, ſubijcit Ambroſius, *ſolum Petrum piſcari Dominus iubet*. Quod piſcandi genus citra vulnera, & ſanguinem non exercetur: in quo Petrus, ad homines pertrahendos, cum rigore & ſeueritate iuſtitiæ, hoc eſt, hamo, lenitatem & manſuetudinem, retia videlicet, permiſcere edocetur.

Ambr.

In Moyſe etiam Hebræi Populi ductore miſericordia, lenitas, & iuſtitiæ ſeueritas enituit: Ex vtroque verus Princeps, & meritiſſimus Iudex apparuit. Nam in mõte Deum precibus ad miſericordiã flectere nitebatur. Exod. cap. 22. num. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo*. De monte deſcendens iuſtitiæ rigorem exercet; & Leuîtas vt diſtrictis gladijs in delinquentes irruant, exhortatur. *Occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum*. Ibid. num. 27. Quis alternatas in Moyſis pectore iuſtitiæ, & miſericordiæ, ſeueritatis, & manſuetudinis vices nõ admiretur? Certè fælicem hanc copulam, & perraram aſſociationem admiratus eſt, mirificèque illuſtrauit S. Gregorius libr. 10. Moral. cap. 8. *Intus*, inquit, *arſi ignibus amoris; foris accenſus eſt zelo ſeueritatis. Tanta fuit pietas, vt ſe pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta ſeueritas, vt eos, quos diuinitùs feriri timuerat, ipſe iudicij gladio feriret. Sic amabat eos, quibus præfuit, vt pro eis nec ſibi parceret: & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt, quos amauit, vt eos etiam Domino parcente proſterneret. Cauſam Populi apud Deum precibus: cauſam Dei apud Populum gladijs allegauit. Intus amans Diuinæ iræ ſupplicando obſtitit: foris ſæuiens culpam feriendo conſumpſit. Succurrit citiùs omnibus, oſtenſa morte paucorum: & idcirco omnipotens Deus fidelem famulum ſuum citiùs exaudiuit agentem pro Populo: quia vidit quid ſuper populum acturus eſſet ipſe pro Deo*. Hactenus ille.

Exod. 22

Gregor.

At tu vide, quo pacto ex Dei cõſilio & decreto Hebræi, & Chriſtiani Populi Rectores manſuetudine præſtantes, & iuſtitiæ rigore inſtructi eſſe debuerant; ita vt nec lenitas languentes redderet, & deſpiciendos; nec ſeueritas odibiles, & truculentos; ita quòd irati amorem, & amantes ad ſui timorem prouocarent: Quod Pe-

Petrus, & Moyſes Populi vtriuſq. Paſtores, & futurorum clariſſima exemplaria præſtiterunt. Ita enim eos ſubditi adamabant & reuerebantur, vt vtrumque pro lenitate & manſuetudine non magis diligerent, quàm pro rigore, & ſeueritate formidarent.

Pugnaturus olim cum Gigante Dauid, *Miſit quinque limpidiſſimos lapides in peram paſtoralem*, 1.Reg. cap.17. num.4. Eſt autem paſtoralis pera, vt Gloſſa Ordinaria interpretatur, mulctrale in quo oues mulgebantur. Nec myſterio caruit, quòd lapides mitteret, vbi lac colligi ſolebat: quia Paſtor egregius, & Populi Princeps, qualem ætas illa Dauidem tulit, eodem in loco, videlicet pectore, vbi miſericordiæ lac cõtinetur, lapides rigoris,& iuſtitiæ inſtrumenta reponat; hoc eſt, ſeueritatem & manſuetudinem permiſceat. Quod Ægypti Rex erga famulos in carcere detentos obſeruauit: nam ex duobus,qui cum Ioſeph vincti tenebantur,alterum dimiſit liberum; alterum ad capitale ſupplicium extrahi præcepit. Non vtrique parcit, ne præ manſuetudine, & lenitate in languorem abijſſe:non vtrumque dãnat, ne præ iuſtitiæ ſeueritate totus in rigorem immutatus crederetur; ſed in vnius damnatione iuſtus, & in alterius indulgentia benignus & clemens monſtraretur. Egregiè in rem hanc Rupertus lib.8. in Geneſ. cap.37. *In alterum*,inquit, *iram, in alterum clementiam oſtendit. Nam ſicut clementia honor eſt Principis, ſic & honor Regis iudicium diligit. Etenim vbi totum punitur, regia ſeueritas crudelitate polluitur:vbi verò totum remittitur, facies maieſtatis ſine metu diſciplinæ contẽnitur.* Sanctus etiam Stephanus harum virtutum præluxit exemplo: Nam impios iuſtè indignatus acerrimè arguebat, dicens; *Dura ceruice,& incircumciſis cordibus & auribus*. Act.7.nu. 51. ſtatimque depoſita ſeueritate,in manſuetudinem deflexit pro lapidantibus exorans: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Quod Beda ſolerter expendit.

Inter reliqua Templi ornamenta præcepit Salomon, vt leonum boumq. effigies in templo exculptæ cernerentur, 3.Reg. cap. 7. num. 29. Nec verò,vt hoc loco monuit Beda, hæc figurarum diſpoſitio ad ſolum Templi ornatũ; ſed etiam ad myſterium doctrinamque inſeruiebat: Quoniam *Sanctorum mentes habent cum leonibus boues, quando inuentionem correctionis cum ſpiritu manſuetudinis exhibent*. Concinit D. Bernard. lib. de modo bene viuendi ad ſoror.c.18.vbi ita. *Per leonem terror ſeueritatis ſignificatur; per bouem verò patientia manſuetudinis oſtenditur. Itaq. in baſibus neque leones ſine bobus, neque boues ſine leonibus exprimuntur:quia Prælati Eccleſiæ ali-*

quan-

Margin notes: 1.Reg. cap.17. — Gloſ. or. — Rupert. — Act. 7. — 3.Reg. 7. — Beda. — Bernard.

quando rigidè, aliquando cum dulcedine, aliquando cum aſperitate, aliquando verbis, aliquando flagellis debet ſubditos ſuos corrigere. Et verò Paſtor egregius, leonis pariter & bouis naturam debet æmulari; alijs manſuetus tanquam bos, ſeuerus alijs veluti leo exiſtens: quod ſoli præſtantes ſapientia viri in prælatione conſtituti exercere conſueuerũt. Quam ob cauſam, præcipiente eodem Salomone, leonum boumque ſimulacris additæ ſunt Cherubinorum effigies. *Leones, & Boues, & Cherubini.* Iure optimo leonibus, & bobus Cherubinorum effigies adiunguntur: quoniam Cherubim ſcientiæ multitudinem ſignificat; ſolus autem qui ſcientia pollet, in adminiſtratione bouem ſe exhibet & leonem, hoc eſt, ſeueritatẽ manſuetudini adiũgit, & cum lenitatis dulcedine iuſtitiæ rigorem fæliciſſimè copulat: modò boum manſuetudinem: rurſum leonum ſeueritatẽ, prout res & occaſio exigit, præſeferens: quod longè aliter ignaris contingit: quoniam vel ſemper, vt leones immodica ſeueritate deſæuiunt, vel vt boues indiſerta manſuetudine langueſcunt, nec medium in adminiſtratione ſeruandum tenere cognoſcunt.

Sapientiſſimus Dei ſpiritus, ſemel atque iterum mundo apparuit. Primo Columbæ ſpecie, vt refert Matth. 3. num. 16. Secundò in igne, cùm diſpertitæ linguæ Apoſtolorum capitibus flammarum inſtar inſederunt, vt eos Orbis Doctores, & Paſtores conſtituerent. Cæterùm inquires: qua de cauſa Spiritus ſanctus hanc figurarum diuerſitatem aſſumpſerit? D. Gregorium quinta parte Paſtoral. admonit. 17. egregie reſpondentem auſculta. *Quia omnes, quos implet, & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne zeli ardentes exhibet.* Statimque concludit: *Nequaquam ergo ſancto Spiritu plenus eſt, qui aut in tranquillitate manſuetudinis feruorem æmulationis deſerit, aut rurſum in æmulationis ardore virtutem manſuetudinis amittit.*

Matth. 3.

D. Greg.

Huiuſmodi inſtructionis exemplar in ſancta Dei Arca viſebatur; vbi teſtante D. Paulo ad Hebræos cap. 9. num. 4. Virga Aaron, & manna ſeruabantur. *In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat*; vt Populi Principes, & Paſtores arcam aſpicientes inſtruerentur, iuſtitiæ, & ſeueritatis virgam in pectore, in eoque manna dulcedinem cuſtodire. Iterum Do Gregorium 2. p. Paſtoral. cap. 11. *Ita planè*, inquit, *in boni Rectoris pectore ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.* Baculum itaque & virgam adhibeat; quod ſubditi ſummopere in Paſtoribus diligũt, vt cecinit Pſalmographus. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me*

Hebr. 9.

D. Greg.

Pſal. 22

con-

conſolata ſunt. Pſalm. 22. v. 4. Et verò, vt monet idem Gregorius, Paſtor ille perfectus, & gregi proficuus reputari debet, qui baculum portet & virgam, iuſtitiæque rigorem cum manſuetudine coniungat. D. Greg. *Sit itaque*, inquit, *amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas, ſed non plùs quàm expediat parcens; vt dum ſe in arce regiminis, iuſtitia clementiaque permiſceant, is qui præeſt, corda ſubditorum, & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcendo conſtringat.* Hęc ille, ſatis compto & eleganti calamo. Neque hìc tantùm ſtetit, ſed vlterius Iobi verba ex cap. 10. n. 25. Iob. 10. expendens: *Cùm ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator*; eãdem Paſtoris optimi & Principis prærogatiuam cõmendat, lib. 10. D. Greg. Moral. cap. 8. *Quomodo bonis rectoribus mixta ſit & regendi authoritas, & benignitas conſolandi. Ait enim; Cùm ſederẽ quaſi Rex, circunſtante exercitu; ecce authoritas regiminis: Eram tamen mærentium conſolator; ecce miniſterium pietatis*.

Aaronis virgam in arca reconditam extraho, iterumque reſumo. Hanc cùm Aaron præ manibus ſumeret, amygdalinos flores protruſit, vt ſacer Textus Nu. 17. Numer. 17. num. 8. enarrat. *Et turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati ſunt*. Vbi notat egregiè S. Gregorius Nyſſenus, hos amygdalę flores, ſeu potiùs amygdalas, veri Paſtoris imaginem præſeferre. Sicut enim amygdalæ foris duritiem putaminis, intus verò nuclei dulcedinem continent; ita Princeps iuſtitiæ aſperitatem, & benignitatis dulcedinem retineat. *Hoc*, inquit, *fructu, quem Aaronis virga ediderat, qualis debeat eſſe Sacerdotis vita monemur: aſpera enim & continens, duraque debet exterius eſſe; intus autem, & in occulto ſuaue quoddam edulium continere*. Greg. Nyſ. Hæc ille in vita Moyſis prope finem. Quaſi dicat: In vero Pontifice, & Eccleſiæ Paſtore neceſſe eſt vt externa ſeueritas, & interna dulcedo reperiatur, ita vt quos ſeueritate terret, dulcedine pertrahat: ſic enim ſeuerus terrebit, & dulcis amabitur: quãtumque timor amouebit, tantum, & ampliùs hamabit lenitas, & manſuetudo alliciet. Vnde gregi proficuus, ſumopereque dilectus exiſtet.

Sed iam Saluatoris noſtri exẽplo clariſsimam paſtorũ gloriam exorno, illud Iſaiæ ex cap. 11. n. 1. rèpetens: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*: Iſai. 11. Vbi Chriſtus Dominus, virga dicitur & flos: quod non ſine myſterio factum arbitratur Origenes homil. 9. in Num. *Non* Origen. *videtur*, inquit, *otioſũ, quòd exire dici-*

dicitur virga, & flos aſcendere. Quamuis enim vnus ſit Chriſtus per ſubſtantiam, ſingulis tamen diuerſus efficitur, prout indiget is, in quo operatur. Vides, vt verus Paſtor & Orbis Princeps, ſub virgæ & floris nomine, mitis & benignus, iuſtus & ſeuerus, pro vniuſcuiuſque indigentia futurus ſignificetur. Etenim Dominus Ieſus alijs factus eſt virga, iuſtitiæ ſeueritatē delicta puniendo exercens: alijs verò flos apparuit fragantiſsimus, quos miſericordiæ benignitate, & māſuetudinis ſuaueolētia recreauit, prout cuique expediens iudicauit: *Prout indiget is, in quo operatur.*

Magiſtri ſemitam calcauit Paulus, verus Chriſti æmulus & diſcipulus: vnde virgæ rigorem, & floris ſuauitatem, mitis pariter & ſeuerus, prudenter copulabat. Hinc eſt illa ad Corinth. epiſt. 1.
1.Cor.4. cap.4.num.21. cohortatio: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Erat autem Pauli animus ad miſerendum promptior, quàm puniendum: quam ob
D.Ambr. cauſam, vt notauit S. Ambroſius lib.7. in Luc. cap.10. ab ipſis, quos virga feriendos iudicabat, puniendi
Luc.c.5. conſilium expetiuit: *Vt ſcias, inquit, mitem eſſe Doctorem, eorum ipſorum quos arguit, conſulit voluntatem.* Et ideo, vt idem Ambroſius ſubijcit, ſemel tantùm virgam, hoc eſt, iuſtitiæ ſeueritatem prætulit; manſuetudinem verò & clementiam identidem repetiuit. *Semel,* inquit, *virgam dixit; bis mitiora ſubiecit, adijciens manſuetudinem charitati.* Cùm verò in Apoſtoli pectore manſuetudinis amor, lenitatiſque affectus palmam ferret; idcirco priùs virgam minitatur ad correctionē: vt poſtea cum emendatis iam & correctis manſuetudine, & lenitate vteretur. Iterum do Ambroſium: *Priùs minatus eſt virgam, ſed exhibuit manſuetudinem;* pœnam, ſi opus eſſet, pariter adiecturus; vt puniendo incæſtus reo rigoroſus adhibuit, qui mitis pœnitentibus Corinthijs parcere pollicebatur; ex vtroque verus Chriſti diſcipulus, & Eccleſiæ Paſtor, qui vt numeros omnes expleat, virgæ rigorem, & floris dulcedinem, pro ſubditorum exigentia præſtet. *Prout indiget is, in quo operatur.*

Et verò Pſalmographus lenitatem, & manſuetudinem in Dei pectore aſſociatas ſimul cū iuſtitia decantauit. *Miſericors Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* Pſal.114 Pſalm.114. nu.5. vbi cum Ambroſio de obitu Theodoſij adnotandum, in Chriſto, & in Apoſtolo, hanc optimi Paſtoris prærogatiuam illuxiſſe: nam ſicut Paulus ſemel iuſtitiam, & bis miſericordiam nominarat; ſic de Chriſto Regius Vates prædicens, inter manſuetudinem & lenitatē collocauit iuſtitiam; vt inibi quaſi vallo ſepta, ad exercendā vindictam

dictam

Digitized by Google

dictam tranſilire non poſſet: quia Redemptoris animus, ad parcendum potiùs, quàm ad puniendum propendebat. *Bis*, inquit, *miſericordiam poſuit, ſemel iuſtitiam. In medio iuſtitia eſt gemino ſepto incluſa miſericordiæ.*

S. Ambr.

Cùm autem audis iuſtitiam intra geminatũ clementiæ vallũ cõcluſam detineri, Chriſti miſerentis affectum cogita: non tamen credas perfecti Iudicis, & Paſtoris legibus defuturum: quia ſicut te viderit indigere, virga tibi fiet, quæ puniat; & flos, qui recreet, & medicetur. Paulum iterum intuere, ac in eo Saluatoris noſtri imaginem recognoſces. Timothei adhortationem auſculta, & moriar, niſi verborum echo copulam tibi reſonet fælicisſimam, qua in optimi Principis pectore leniras, & iuſtitia maritantur. *Argue*, inquit, *obſecra, increpa, in omni patientia.* 2. Timoth 4. n. 2. Redargutio ſeueritatem olet: obſecratio ex benignitate promanat. Qui increpat, zelo ardet, ſeueritateque exhorreſcit: ſi verò increpationi patiẽtiam adhibeat, mitem ſe præbet & manſuetum. Quod à Timotheo faciendum Paulus exhortatur: nam vt egregiè dicebat S. Chryſoſtomus ſermon. de habenda cura ſalutis proximi tom. 1. *Vellem vos zelum tẽperare miſericordia. Zelus enim veniam negans, potiùs furor eſt, quàm zelus: & admonitio miſericordiæ carens, tortura quædam eſt.* Hæc ille. Producto deinde Apoſtoli documento, quo diſcipulum admonet, vt arguat, quod ſeueritatis eſt; & obſecret, quod ad clementiã ſpectat: itemque patientiam redargutioni adiungat, vbi miſericordia triumphat, hæc adijcit. *Neque enim hoc ſemper ſolum agere oportet: neque ſemper illud ſolum; ſed vtrumque alternis vicibus: quo maior inde ſequatur vtilitas. Nam ſi ſemper argueremus, impudentiores illi fierent: ſi ſemper obſecraremus; ignauiores redderentur.*

2. Tim. 4

Chryſoſt.

Principem & Eccleſiæ Paſtorẽ rectiſsimè diffinies, cùm dixeris citharœdum. Rogatus enim aliquando Philoſophus, qua ratione Princeps muneris ſui partes impleret; Reſpondit: ſi optimi citharœdi normas obſeruaret. Quid citharœdus? neruos non ita conſtringit, & extendit, vt rumpantur: nec ita laxos relinquit, vt ſonum non edãt, extenſionẽ attemperãs remiſſioni. Deinde chordas non ita grauiter præſtringit, vt rodat; nec ita leuiter percurrit, vt vix tangat: nec vnam tantùm, ſed omnes acutã, medias grauem eodem pulſu ferit, vt reddatur harmonia. Quòd ſi nonnunquam neceſſe ſit chordam extendere, vt ad aliarum conſonantiam pertingat, tantùm oportet contendi, quouſque alijs cohæreat, vel rumpatur: nec interim artifex damnabitur vt immitis, ſed tanquã pulſandi peritiſsimus commendabitur.

Digitized by Google

tur. Hæ Principum leges ſunto. Subditos non ita rigore conſtrictos velint, nec ita indulgentia remiſſos, vt contentione rumpantur, aut remiſsione langueſcant: lenitaté ſeueritati permiſcendo. Cùm verò redarguere oportebit, non ita grauiter præſtringant, vt rodant; nec ita leuiter, vt non ſentiant; omnes ſimul percurrendo ad Chriſti exemplum, qui citharæ chordas omnes, hoc eſt, Collegij ſacri diſcipulos, reprehenſione præſtrinxit, dicens: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta*. Matth 27. Pebellè intulit Hieronymus. *Omnes tanguntur, vt fiat harmonia*. Quòd ſi oporteat ſubditum conſtringere, vt ad aliorum harmoniam ſe componat, planè conſtringendus: etſi interim rumpatur, non crudelitatis arguendus eſt Paſtor, qui virga debet eſſe, & flos; mitis, & ſeuerus, *Pro vt indiget is, in quo operatur*.

Matth. cap. 27.

D. Hier.

Quid igitur nobis de his paſtoribus dicendum erit, in quibus nec virga, nec flos reperitur: nec Chriſtum, aut Petrum, Paulumvè, aut Moyſem imitantur? quin etiam ad alios, qui in hoc munere perfecti extiterunt reſpicere dedignantur. Vnde nec manna dulcedinis, nec virgam ſeueritatis in pectore recondunt: & prout ouibus neceſſarium fore aduertunt, modò iuſtitiæ ſeueritatem, rurſum manſuetudinis dulcedinem exhibent. Proh miſeri, qui neſciunt his virtutibus paſtorale munus adornari, clementiaque & iuſtitia veluti manibus ſuffultū regale ſolium ſuſtentari. Et quidem miſericordiæ, ac iuſtitiæ ſatellitio Princeps cuſtoditur, & thronus eius clementia roboratur: vnde timeant, quos hæc cuſtodia non ambit, & ſancti Spiritus apud Sapientem cap. 6. nu. 6. comminatione terreantur. *Duriſſimum*, inquit, *iudicium*, *in his qui præſunt, fiet*. Magni Gregorij aures perculit hęc Dei comminantis admonitio, & homil. 17. in Euägelia pauidus ita loquitur. *Ad pœnam noſtram Epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus*. Et paulo poſt: *In illo tanto*, inquit, *examine vnuſquiſque quod ſit operatus, oſtendetur. Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit: ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens: ibi Andreas poſt ſe Achaiam: ibi Ioannes Aſiam: Thomas Indiam in conſpectum ſui Iudicis conuerſam ducet. Cùm igitur tot Paſtores cum gregibus ſuis ante æterni Paſtoris oculos venerint, nos miſeri quid dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus? qui paſtorum nomen habuimus, & oues, quas nutrimento noſtro debeamus oſtendere, non habemus*.

Sap. 6.

D. Greg.

Vt verò Paſtores improbi in extremo Iudicio pœnæ ſimul, & pudore afficientur, ſic optimi lætitia

titia geſtient, gaudioque efferentur. Quod illa inter Moyſem & Eliam clariſſimos Paſtores transfigurationis ſcena portendebat. Ideo enim hos potiſſimum illius gloriæ ſpectatores elegit, quia doctrina ſua plurimos ad Chriſtũ pertraxerant, qui acceptam in ipſum gloriam, quietemque retulerunt. Quò reſpexit D. Ambroſius de benedictionibus Patriarcharum c.6. vbi ita habet: *Ideoq. inter Moyſem, & Eliam medius apparuit, vt oſtenderet nobis, quòd in eorum ſermonibus requiem habebat, per quos plerique peccatis renuntiantes credunt in Deum viuum.* Quieuit itaque Dominus Ieſus inter Moyſem, & Eliam apud Thabor, quia hi præ cæteris in paſtorali munere præſtantiores extiterunt, plurimiſque ad Deũ conuerſis gregẽ Dominicum incredibiliter auxerunt: vnde ſicut inter ipſos in Thabor gloria potitus eſt Chriſtus; ita ipſi cum Chriſto gloria potientur in Paradiſo. Non ſic improbi Paſtores, non ſic: illos enim opperiet confuſio, & pœna torquebit acerbiſſima: Quippe cùm officium dignitatemque obtinuerint, virtutum ornamentis & ſplendore deſtituebantur, cornicularum inſtar alienis plumis veſtiti: quas cùm exuere conſtringentur, ridendi ne ſint, an dolendi, S. Bernardus in ſuis declamationibus addubitat illud poeticum repetens.

D.Ambr.

Moueat cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus.

Nam licet poteſtatis, & dignitatis multicolores ad oſtentationem pennas explicent, aliena ſunt huiuſmodi ornamenta, prudentibus debita, & virtute inſignibus congruentia, ipſi verò furtiuè obtinent, & poſſident immerentes. S. Chryſoſtomus verba Pauli ex Epiſtola ad Hebræos c.13. n. 17. expendens: *Ipſi peruigilant, quaſi rationẽ pro animabus veſtris reddituri*; non ſolùm miſeros dicit, qui prælaturam indigni occupãt, ſed inſuper homil.34. ad eum locum ambigit, an æternam ſalutẽ adipiſcantur. *Quid*, inquit, *dicemus infælicibus illis, & miſeris, qui ſemetipſos ad alios regendos præcipitant, & ſe in tantorum ſuppliciorum abyſſum iactant? Omnium, quæ regis, mulierum, puerorum, atque virorum tu rationem redditurus es. Tanto igni tuum ſubijcis caput. Miror, ſi poſſet ſaluari aliquis Rectorum.* Hebr.13 D. Chryſ.

Terribilis planè, & metuenda eſt illa apud Ezechielem c.7.n.26. Dei indignantis comminatio: *Conturbatio ſuper cõturbationem veniet*; ſeu vt Septuaginta reddiderunt, *Væ ſuper væ erit*. At quò duplicati gemitus, & geminatę lamẽtationes tendũt? D. Hieronymus ad eum locum reſpondet: *Quomodo Sanctis dicitur, gaudete, iterum gaudete, vt præſentia bona, futuris bonis cumulent; ſic & bis veniet conturbatio* Ezech.7 D. Hier.

ſuper

ſuper conturbationem, ſiue væ ſuper væ: iuxta quod & in Apocalypſi ſcriptum eſt; Væ vnum abijt, & væ alterum veniet cito. Cæterùm, quinam ſunt ij, in quos talium comminationum tela vibrantur, quibusque tot calamitates, & cruciatus impendere prædicuntur? Eliam adi Cretenſem in prima Orat. Gregor. Nazian. & Paſtores improbos huiuſmodi telis feriendos edoceberis. *Illis*, inquit, *verbis ea mala demonſtrātur, quæ Paſtores, tùm in hac vita obſident, tùm poſtea etiam inuadent. Erit enim ipſis, & in præſenti, & in futuro æuo, væ ſuper væ.* Temeritatis igitur, & dementiæ reos arbitror, qui ſummo ſtudio ſatagunt, totoque animi conatu ad dignitates, & honores meritis deficientibus prouehi adnituntur; cùm probè nouerint muneris, quod non rectè adminiſtrauerint, immerentesque obtinuerint, rationem ſtrictiſſimam reddituros; & infælici vſura priſtinam gloriam & dignitatem, in ignominiam abiectionemque, & pudorem turpiter immutandam. Maximè cùm tot ſint decora, & ornamenta ſanctitatis, rectitudinis, benignitatis, ſcientiæ, prudētiæ, diſcretionis, quibus oportet inſigniri quicunque ad Paſtorale officium aſſumuntur.

Apoc. 11. num. 14.

Elias Cretens.

Quod adeò verum eſt, vt Serenus Abbas in collationibus coll. 7. adnotauerit, noluiſſe Deum, vt Iob à Diabolo in inſaniam ageretur: Quippe cùm Regali dignitate, & Paſtorali fulgeret, indecens & indecorum videbatur, vt aliquid proferret, quod inſaniam & mentis alienationem aliqualiter redoleret. Vnde cùm in reliquis à dæmone lædi permitteretur; *Ecce trado eum in manus tuas.* Iob 2. num. 6. nequaquam paſſus eſt vt de mentis ſtatu deijceret, & rationis rectitudine priuaret: *Animam illius ſerua.* Quæ verba ita reddidit Serenus. *Tantummodo eum amentem ne facias, debilitato animæ domicilio; & obſerua intellectum, ac ſapientiam ſe ſiſtentis, principali ſolùm cordis tuo pondere præfocato.* At quid intererat, vt tot vndique calamitatibus circunſeptus, etiam amentia laboraret, & iudicij turbationem pateretur? Magni quidem ad Regiam dignitatem intererat; vt nec etiam in delyrio conſtitutus inſaniam proferret: quia hoc à Regali prudentia, & circunſpectione erat valde alienum. Quod quantum plures coarguat, qui conſtante iudicio mille fundunt inſanias; nec in vniuerſo ſui regiminis curſu aliud præter inſaniam apparet; ipſi viderint, & pariter commiſsi ſibi muneris rationem in extremo Iudicio ſtrictiſsimè reddendam expaueſcant.

Io. Caſſ.

Iob 2.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

De tribus Petri negationibus.

Carthuſ. TER, & non ampliùs, vt cenſuit Carhuſianus ad c. 27. Matthæi, Petrus Chriſtum negauit: nec minori laborat falſitate ſeptenarius negationũ numerus, Caietan. quem Cardinalis Caietanus ad 18. Ioannis caput recenſet, Etenim in domo Caiphæ quatuor: in domo Annæ tres Petri negationes contigiſſe aſſeuerat. *Et tres*, inquit, *à fœminis, quatuor à viris interpellatus admiſit*. Verùm, vt eruditè probat Suarez tom. 2. in 3. par. diſp. 35 ſect. 1. negationes ternarium non exceſſerunt; nec alibi quàm in domo Cayphæ contigerunt, Ioan. 18. *Qui erat Pontifex anni illius*: quin etiam quoties eodem capite Pontificis meminit, non alium præter Caypham intellexit; *Erat notus Pontifici; & introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis*, & deinde *Pontifex ergo interrogauit Ieſum*: Solus enim Cayphas, & non Annas, vt cenſuit Caietanus, Pontificia dignitate fungebatur: nec lex, & recepta Iudæorum conſuetudo duos ſimul Pontifices ſuſtinebat. Atque adeo nulla ex negationibus in domo Annæ, ſed omnes apud Caypham euenerunt, vt ſcitè docuit Origenes tract. 35. in Matth. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 1. Origen. Cyrillus.

Tulerunt autem Dominum Ieſum primò in domum Annæ; quippe cùm Cayphæ ſocer eſſet. Ioan. 18. num. 13. *Erat enim ſocer Cayphæ*, hunc ei honorem deferre ſtatuerunt, vt authoritate ſua, & approbatione ſceleratam Domini Ieſu captionem honeſtarent. Vnde Annas ſtatim vinctum ad Caypham remiſit. Ioan. c. 18. Ioan. 18. *Et miſit eum Annas ligatum ad Caypham*. Quanuis autem Euangeliſta poſt primam Petri negationem, & alapam à ſeruo Pontificis Chriſto impactam, prædicta verba commemoret: per recapitulationem locutum, non ſeruato hiſtoriæ ordine, exiſtimandum eſt; vt S. Ephræm, Cyrillus, Ianſenius, Arias Montanus, Ioan. 18. & alij tradiderunt: ſeu vt placuit Suario vbi ſupra diſput. 35. Verbum illud de præterito *Miſit*, pro præterito pluſquàm perfecto Miſerat, inſitum eſt: quod dictis nihil obſtat: Præterquàm quod Eutymius Ioannem cum reliquis Euangeliſtis ad concordiam redigit: nam Cayphæ & Annæ domum vnam eademque ſtatuit, vnde ſocer, & gener, in eodem palatio, licèt diuerſis ſtationibus morabantur. Ephræm. Cyrillus. Ianſen. AriasMō. Suarez. *Tres*, inquit, *Euangeliſtæ, tres Petri negationes in domo Cayphæ factas eſſe dicunt: Ioannes autem in domo Annæ: nec tamen ob hoc inter eos eſt diſſonantia: ſiquidem amborum, ideſt Annæ & Cayphæ, vna domus erat, idemque atrium, habens in ſe duo habitacula à ſe inuicem ſeparata*. Eutym.

Quo-

Quolibet modo id accipiatur, Euangeliſtarum conſonantia retinetur, & omnes negationes in domo Cayphę Pontificis accidiſſe conuincitur. Nec verò illas ſupra ternarium licet extendere: quia Dominus ſolas tres prædixit futuras; *Ter me negabis*, ſicut omnes quatuor Euāgeliſtę Matth. cap. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. cap. 13. iiſdem verbis retulerunt. Vnde inquirit Chryſoſtomus homil. 82. in Ioan. *Sed cur Euangeliſtæ omnes in hoc deſcribēdo concordarunt?* Planè credo, vt ternarium negationum numerum ſtatuerent. Dum enim illam Chriſti prædictionem *Ter me negabis* concorditer referunt; quid aliud innuunt quàm Petrum ter, & non ampliùs negaturum? Et verò, niſi tres vellet negationes prædicere, non video cur Dominus Ieſus numerum ternarium præfixerit.

Math 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13. Chryſoſt.

Nec placet Caietani euaſio, qui in Septenario ternarium ait contineri. Vnde qui ſepties negat, ter etiam negare cenſetur; quia cùm Dominus Ieſus propheticè negationes Petri futuras annunciaret, & ternarium illis numerum præfigeret, *Ter me negabis*; Neceſſe eſt, vt hic ſtetiſſe numerum fateamur: etenim numerus in prophetia deſignatus, ſic obſeruandus erit, vt nihil ei addere liceat, vel detrahere. Aliter, ſi vera eſſet Caietani ſententia; Quis vetaret Iudæis ne ad Septuaginta Danielis hebdomadas ex cap. 9. nu. 24. mille alias adijcerent? ſiquidem ſeptuagenarius in millenario & alio maiori continetur. Quin etiam Chriſtum non tertio, ſed octauo die ſurrexiſſe diceremus, quantumuis Marcus c. 8. nu. 31. ſcripſerit; *Poſt tres dies reſurgam*, Cùm etiam ternarius in octonario includatur. Et tamen hoc, vt planum eſt, à veritate deuiat. Marc. 8.

Maximè verò in Petri negationibus illud expendendum eſt, quòd ſancti Patres non ſolùm tres tātummodo negationes fuiſſe vnanimiter aſſeuerant, ſed magna in ipſis myſteria contineri fatentur. Vnde tribus Petri confeſſionibus, quibus poſtea ſuum teſtatus eſt amorem, mirificè reſpondent; ſicut D. Auguſtinus tractat. 123. in Ioan. adnotauit. *Redditur*, inquit, *trinæ negationi trina confeſſio: ne minùs amori lingua ſeruiat, quàm timori & plùs vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens*. Accinit Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 64. Propterea enim ait, quod Petrus, *Ter in tempore paſſionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur, vt terna negatio, æquali confeſſionis numero compenſetur. Ita quod verbis commiſſum fuit, verbis curatur*. Idem innuit

D. Auguſt. Cyrill.

D. Ambroſius libr. 10. in Lucam capit. 13. prope finem tom 9. *Imitare Petrum*, inquit, *dicentem alibi tertiò, Domine tu ſcis, quia tertiò negauerat, tertiò confitetur: ſed negauit in nocte, confitetur in die*. Addo Euthymium in Ioan. cap. 21. *Pro trina*, inquit, *negatione, trinam offert confeſſionem*. Et Hieronymum epiſtola 149. ad Marcellam: *Trinam*, inquit, *negationem, trina poſtea confeſſione deleuit*; Cum antea epiſtola 39. dixiſſet, *Petrum ter negantem, amaræ in ſuum locum reſtituere lacrymæ*.

D. Ambr. Euthym. Hieron.

Nec verò magni momenti eſt, quod Caietanus opponere potuiſſet ad propriæ ſententiæ firmamentum, videlicèt, Ionam, cùm Niniuitis Vrbis ſubuerſionem fuerit minitatus, ita locutum: *Adhuc quadraginta dies ſunt, & Niniue ſubuertetur*. Ioan. cap. 3. Cum tamen Septuaginta tranſtulerint. *Adhuc tres dies ſunt, & Niniue ſubuertetur*: Quin vulgatæ lectio, & Septuaginta tranſlatio vllam habeant oppoſitionem; ſiquidem ternarius numerus in quadragenario includitur: alioquin vel in Septuaginta, vel in Propheta mendacium erit admittendum; quia Ionas non vtrumque, ſed alterum tantummodò numerum adhibuit, nam quadragenario vſus eſt dicens: *Adhuc quadraginta dies*. Vnde cùm Septuaginta ternarium dierum appoſuerint, illud propterea egiſſe aſtruxerimus: quia (vt ſentit Caietanus) quadragenarius numerum continet ternarium. Verum licèt locus Ionæ citatus magnam difficultatem contineat, in eaque enodanda expoſitores plurimùm inſudarint; præſertim Auguſtinus, cuius ingenium valde torſit hæc lectionum varietas. Cùm enim Propheticam lectionem negare non poſſet, vbi dicitur iuxta Hebræum. *Adhuc quadraginta dies*, vt reuera fatetur libr. 18. de Ciuitate Dei cap. 44. & quæſt. 169. ſuper Geneſim: & aliunde Septuaginta traſtulerint, *Adhuc tres dies*. Quod non ſine myſterio factum exiſtimare par eſt, minoris numeri in maiori concluſioue non attenta. Et ſecluſo myſterio non apparet, cur potiùs trium dierum numerum, quàm alium minorem, vel maiorem, infra quadrageſimum appoſuerint cùm omnes ſub eo contineantur. Cùm ergo trium dierum meminerint, alio credendi ſunt reſpexiſſe: non autem quòd minor ille numerus in maiori clauderetur. Atque adeo ad difficultatem hanc expediendam, ad litteralem, vel myſticum ſenſum recurrere oportet. Quod ab Auguſtino factum loco citato reperi. Igitur vt Septuaginta excu-

Ioan 3. D. Auguſt.

excuſet, quibus tantùm defert, vt prophetico afflatos ſpiritu extitiſſe opinetur; ad myſticam expoſitionem confugit. Vnde Chriſti figuram in Iona recognouit. Ipſe enim pluſquàm Ionas gentium Eccleſiam conuertit: quod quadragenarius, & ternarius dierum numerus adumbrabat: quadragenarius, quia totidem poſt reſurrectionem ſuam Dominus Ieſus cum diſcipulis ſuis in mundo ſe tenuit. Ternarius, quia tertia die ſurrexit.

Leo à Caſtro. Leo Caſtrenſis pari doctrina & eruditione vir, in diſputatione de tranſlationibus ante commentarios Iſaiæ cap. 24. alia ratione Septuaginta interpretum verſionem ſuſtinet. Non enim aliud ab ipſis, aliud à Propheta dictum (ſicut cenſuit Auguſtinus) ſed vtrumque numerum Prophetæ verbis contentum autumat. Fieri namque ſolitum eſt diuini Spiritus prouidentia, vt Prophetæ nonnunquam data opera verbis & notis vterentur, quæ ſimilitudine vnius litteræ variari poſſent; & duplicem ſenſum habere, vt duplex reſeraretur myſterium. Quòd ſi vera eſt hæc Leonis interpretandi ratio: illud (credo) myſterium in ea numerorum diuerſitate continetur: quòd Propheta quadraginta dierum, Septuaginta verò trium tantummodo meminerint; vt Niniuitæ hac ratione edocerentur, quàm diuerſis terminis Dei miſericordia, ipſiusque iuſtitia claudebantur. Nam ſi Niniuitæ pœnitentiam non agerent, poſt quadraginta dies, meritas ſcelerum pœnas darent: *Adhuc quadraginta dies*; totum illud temporis ſpatium patienter expectans; quin interim arrepto iuſtitiæ gladio in impios deſæuiret. Si autem præcox ſcelerum pœnitentia ſubiret, intra diem tertium miſericordia proſequeretur & venia. Quo aſpectu Septuaginta, pro quadragenario ternarium forte poſuerunt. *Adhuc tres dies*. Et iam vterque numerus, ſub vno eodemque verbo, fuerat à Propheta ſignificatus.

Cæterùm doctiſſimus Ribera, *Ribera.* in Commentarijs Prophetarum minorum ad hunc locum Ionæ, ex multorum ſententia tenet: nec Prophetam in Hebræo: nec Septuaginta in translatione ſua, trium dierum meminiſſe; *Adhuc tres dies*: ſed errorem hunc primi tranſcribentis incuria in codices alios irrepſiſſe. Nam primus, qui exemplaria Septuaginta interpretum in Bibliotheca Ptolomęi Philadelphi ſeruata traduxit, pro quadraginta, tres appoſuit: vnde in alios mendoſa lectio promanauit. Ita cenſuit Theodoret, & Theophylactus: Quin etiam D Auguſtinus lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 12. innu-

meratione annorum primorum hominum, vſque ad diluuium idem accidiſſe teſtatur. Vnde pariter euenit, vt Græci, qui vt plurimùm Septuaginta verſionem ſequuntur, illam hoc loco minimè ſequantur; & ideo cum Aquila, Symmacho, & Theodotione legunt: *Adhuc quadraginta dies*. Et Origenes homil. 5. in Hierem. & homil. 16. in Numeros inquit, *Adhuc tres dies, ſiue vt Hebræi dicunt ſe habere; adhuc quadraginta dies*. Et Chryſoſtom. licèt interdum legat, *Adhuc tres dies*, vt homil. 10. in epiſtol. ad Epheſ. tamen ſæpiùs legit: *Adhuc quadraginta dies*, vt homil. 24. in Geneſ. & hom. 15. in 1. Corinth. & homil. 80. ad Populum Antiochenum, & epiſtol. 5. ad Theodorum lapſum. Præterquàm quòd nullus ad prædicandam pœnitentiam numerus aptior adhiberi poterat; numerus enim quadragenarius Hieronymo teſte, pœnam deſignat, atque ad ieiunium, orationem, lamentaque ſpectat. Moyſes quadraginta dies ieiunando tranſegit, Exod. cap. 34. Totidem Elias inedia ſe macerauit, 3. Regum cap. 19. Et vterque ieiunio ſuo Chriſtum præluſit ieiunantem: vnde hos Prophetas Chriſti ieiuniorum collegas dixit Tertullianus. Chriſtus etiam apud Matth. cap. 4. quadraginta dies ieiunauit. Hinc eſt vt Apoſtoli pro ieiunio, & pœnitentia quadrageſimam inſtituerint. Cur verò hic numerus aptus pœnitentiæ ſit, docet acutè Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 16.

D. Aug. Origen. D. Chryſ.

§. PRIMVM.

Pro D. Petri negationibus ſanctorum Patrum excuſationes piè, ſubtiliterque inuentæ referuntur.

IGitur aſſerto negationum numero, qui vt probauimus ternarium non exceſsit: multimoda ſeſe offert ſanctorum Patrum defenſio. Multi enim pietate magiſtra multiplices Petri negationibus excuſationes obtendunt; quæ licèt culpam non abluant, ſaltem extenuare videntur, & aliqualiter excuſare. Sanctus Ambroſius ex circunſtantia loci magnam ſibi viſus eſt excuſationem mutuari: nam in domo Cayphæ Petrus negauit; à qua veritatis, ſcentiæque ſplendor exulabat, & ſpiſsiſſimis ignorantiæ, ac iniquitatis tenebris premebatur. *Vbi tamen*, inquit, *negat Petrus? Non in monte, non in templo, non in ſua domo, ſed in prætorio Iudæorum, in domo Principis Sacerdotum; vbi veritas non eſt; ibi negat, vbi Chriſtus captus, vbi Chriſtus ligatus*. Ita ille, quod verſatum ſic reddo: Quid mirùm ſi Petrus, ibi in negationis culpam inciderit, vbi tot impellebant ad lapſum, vbi plurimæ D. Ambr.

rimæ cadendi occaſiones, vbi innumera peccati incentiua cernebantur. Hùc etiam illud Paſchaſij ex libr. 12. in cap. 26. Matth. D.Paſc. ſpontè cadentem pertraho. *Non erat*, inquit, *in atrijs Domini, de quibus canitur in Pſalmo: Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem: neque in atrijs domus Dei noſtri, ſed in atrijs Cayphæ, & in domo eius, in quo Ieſus vinctus tenetur: & ideo in ea non agnoſcitur; quia in ea nullus erat, qui lucem videret. Erat quidem in ea ignis ardens, ſed malè conſumens, qui nec frigus pellebat mentis, nec fugabat tenebras noctis: ſed inflammabat ad facinus ardore impietatis*. Ita ille. Ab eodem etiam loco Bachiarius epiſt. de recipiendis lapſis, ad Petri defenſionem diuerſimodè tamen Bachiar. argumentum deſumit. *Require*, inquit, *primùm frater, vtrum qui cecidit, in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus: quia plùs miſericordiæ meretur, quem in certamine hoſtis percuſſerit, quàm ille, quem dormientem latro confoderit. Ego illum certè in prælio vidi conſtitutum; pugnabat cum ſcuto ieiunij aduerſus illecebras gulæ: pugnabat cum taciturnitatis lorica; contra detrectationis iacula; ſed in eo loco, in quo ſecuriorem ſe arbitrabatur eſſe, prolapſus eſt*. Quàm grauiter verè & Chriſtianè: adeoque ad Petri excuſationem accomodatè, vt non mireris ſcribere Tertullianum, de fuga in perſecutione: *Pulchrior eſt miles in pugna prælio amiſſus, quàm in fuga ſaluus*. Vnde iam ſi rectè ſẽtias, Petrum in ipſo tentationis conflictu, militem æſtimabis pulchriorem, quàm ſi in fugam deditus Imperatoris ſui, & Magiſtri ad paſsionis certamen properantis ſequelam deſereret, ſaluusque euaderet: Atque adeo prolapſum intuitus iure dices: Melius vtique excuſari capit, qui victus eſt ſequens, quàm ſi fugiens minimè vinceretur. Et ſanè non ita indecorum eſt, cùm quiſpiam gemens vincitur; etſi fugiens lapſus periculum declinare poſſet. Vnde cùm in Petri corde Chriſti amor, & periculi euadẽdi ſolicitudo cõtenderent: amor, ait, acutè Theodoret. ſerm. de charitate, ad Magiſtri ſequelam incitabat: ſolicitudo, quia meminerat ſibi dictum ter in ea nocte negaturum, à ſequendo reuocabat. Proh in quales anguſtias redactũ cerno Apoſtolum! Niſi ſequar, inquit, minùs amans inueniar: ſi moriturum comitor, negandi periculo me expono. Quid magis fædum? minùs diligens in fuga monſtrari: an in ſequela parum fidus apparere negando? vicit charitas, & poſtpoſito negandi periculo, Petrum impulit ad ſequelam; & fidei potiùs deſertorem apparere conſtrinxit, quàm vt in amore non ita conſtans, & generoſus videretur. Do Theodoretum:

Gg 3 *Hoc*,

Prudent. *Hoc*, inquit, *magnus Petrus ſauciatus deſiderio, nec cùm priùs didiciſſet futuram negationem, latere voluit: ſed ſatiùs duxit ſequens negare, quàm fugiens confiteri. Quod enim ab amore, & non à temeritate proficiſceretur hæc confectatio, res ipſa teſtatur: non enim poſt negationem in animam induxit, vt Magiſtrum relinqueret; ſed fleuit quidē amarè, vt docet hiſtoria. Et quod victus eſſet ſuam defleuit imbecillitatem; aſſedit autem vinculis amoris irretitus*. Pulchra ſunt & fortiſſima charitatis vincula, his Petrus trahebatur: & ideo vt notauit Ambroſius libr. 10. in Luc.

D. Ambr. *Deuotionem conſiderauit; non reſpexit conditionem*; hoc eſt; Propriæ fragilitatis immemor, ſolas affectus vires contemplatur, & ideo Diuus Chryſoſtomus hom. 2. de myſt. cœna, hanc Petri ſequelam amori tribuendam aſſeuerat.

D. Chryſ. *Secutus*, inquit, *per amorem, quem negauerat per timorem*. Et verò cùm amor ex ipſa diligendi ratione vires reſumat: nec, ex Clementis Alexandrini placito, orat. ad Gentes, fortior charitas, quàm à ratione prognata reperiatur: Clemens Alexand. *Valida*, inquit, *eſt, quæ eſt ex ratione dilectio*. Hinc ita fortis euaſit Petri charitas, vt velato ad pericula obtutu, ad ſequendum Præceptorem ſe præcipitauerit: ſolos titulos reſpiciens, quibus ad Chriſti ſequelam aſtringebatur: vnde charitatis præſtantiam, & amoris ſui demonſtrationem cadendi periculo antepoſuit.

Alij ex Patribus, videlicet, Auguſt. tract. 113. in Ioan. Cyrillus lib. 12. cap. 1. in ipſis lapſus circunſtantijs, & grauitate, Petri intentionem excuſant: etenim Petrum non verè, & ex animo, ſed ore tenus Chriſtum negaſſe, fide interiùs illæſa permanente, aſſeuerant. D. Aug. D. Cyrill. Vnde fidem non amiſiſſe ſtatuendum eſt (quidquid hæretici contendant) ſed ſoli externæ confeſsioni defuiſſe, quam vtique præſtare debuerat; vt etiā Prudentius lib. Cathemerin. hymno 1. decantauit.

Prudent.

Fleuit negator denique
Ex ore prolapſum nefas:
Cùm mens maneret innocens,
Animuſque ſeruaret fidem.

Adeſt etiam S. Leonis authoritas, qui ſerm. 9. de Paſſione Prudentio aſſentitur; & inſuper naturalem erga Magiſtrum in Petro amorem, nec ipſius æſtimationem vnquam defuiſſe conteſtatur, *Vidit*, inquit, *in te Dominus non fictā fidem, non dilectionem euerſam: ſed conſtantiam fuiſſe turbatam. Abundauit fletus, vbi non defecit affectus, & fons charitatis lauit verba formidinis: nec tardatum eſt remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis*. D. Leo. Hæc ex Leone. Nec minùs pulchra ſunt, atque ad Petri excuſationem inſeruiunt, quæ Drogon in Dominica de Paſsionis Sacramēto ſcripſit, eſto latroni applaudēs, Petro

aliqualiter obtrectauerit: quia mutatis vicibus, latro peregit in cruce, quòd Petrus in domo Pontificis agere debuerat. Siquidem iam antea, apud Matth. c. 16. n. 16. Chriſtum confeſſus fuerat Dei fi-
Matt. 16. lium: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: modò ſuffuratus Diuinitatem hominem tantummodo appellat, & Diuinitatem à ſe prædicatam
Marc. 14. propalare non audet: *Quia*, inquit, *neſcio hominem iſtum, quem dicitis.* Marc. 14. num 71. Verùm iſta Diuinitatis negatio exterior tantum fuit, nec ex corde proceſ-
Drogo. ſit. Drogonis verba ſunt: *Beatiſſime confeſſor, de totius mundi ſterilitate fidei reliquias collegit Chriſtus. Tu fugientibus diſcipulis, & Petro negante ſocius, & comes paſſionis eius fieri, gauiſus es: Tu Petrus in cruce fuiſti; & Petrus in domo Caypha latro; tandiu hic Petrus latro fuit, quamdiu intus latitans Chriſtum foris negauit; & ideo Petrum præceſſiſti in Paradiſum.* Ita ille.

Eadem ſignificantiùs expreſsit D. Chryſoſtomus ad illa verba
Luc. 22. Luc. 22. *Ego rogaui pro te*, in homil. 83. in Matthæum. *Non dixit*, inquit, *non me negabis: ſed vt* D. Chryſ.
non deficiat fides tua. Cura enim ipſius, & fauore factum eſt, ne omnino Petri fides euaneſceret. Chryſoſtomo concinit Theophilactus: Vnde, etſi Petro tentatione pulſato, dum Chriſtum negauit, verborum folia defuiſſe fateatur; fidei tamen radicem firmam & inconcuſſã in eo aſtruit permãſiſſe. *Quamuis*, inquit, *breui tempore concutiendus ſis; habes recondita ſemina fidei: etiamſi folia abiecerit ſpiritus inuadẽtis, radix tamen viuit, & non deficiet fides tua.* Theoph.
Iam in ſuperioribus, Archielogio 3. hanc Theophilacti loquendi formulam explicauimus, cùm Petri fidem ſtabilem, ac in eo nunquam deficientem ſtatuimus.

Alij Petri excuſationem aliunde eruunt, nimirum ab exemplo ſingularis pœnitentiæ, quod peccantibus æmulandum reliquit. Ita D. Chryſoſtomus homil. in duodecim Apoſtol. tom. 5. *Quia*, D. Chryſ.
inquit, *etiam negans dignus fuit venia, & pœnitens admirabilis: neque enim tam propterea quòd negauit reprehendendus, quàm quòd ſe pœnituerit eſt felix prædicandus: nobis ſiquidem & errãs vtilis fuit; quia citò flens delictum inundatione abluit, ad & modicũ fluctuans in perpetuum inuentus eſt fundamentum fidelium.* Diuus Auguſtinus lib. 50. homiliar. homil. 21. Petri lapſum alia ratione frugiferum extitiſſe affirmat: quia videlicet, *Caſus maiorum timor eſt minorum:* Vnde aduertens, Petrum poſt lapſum glorioſè ſe extuliſſe; ſic adhortatur. D. Aug.
Audiant qui non ceciderunt, ne cadant: & audiant qui ceciderunt, & reſurgant. Reddidit autem D. Chryſoſtomus rationem homil. in Pſalm. 41. *Nemo*, dicens, D. Chryſ.

Gg 4 *præ-*

Præſumat de meritis ſuis; nullus deſperet de malis ſuis.

Alij timore, quo tunc concutiebatur conſiderato, Petri negationem excuſare nituntur: etenim timor vitam amittendi Petrum inuaſit: nec admireris diſcipulum tali formidine commotum fuiſſe, cùm eadem Magiſtrum inuaſerit: nec poterat diſcipulus animoſior Magiſtro apparere. Quod D. Leo ſerm. 3 de Paſſione prudenter aduertit: *Non enim*, inquit, *poſſet Domino ſeruus, & Magiſtro maior eſſe diſcipulus*. Hunc autem Apoſtoli timorem præſtātiſſima ipſius charitas expulit; vbi primū ad Chriſti ſequelam ſe accinxit, quod planè tenuit D. Auguſtin. lib. 83. quæſt. quæſt. 36. *Progreſſus*, inquit, *charitatis diminutio timoris: ſignum perfectionis eius nullus timor: quia perfecta charitas foras mittit timorem*. Conſequenter ad hanc rem D. Bern. ſermon. 64. in Cantic. ſponſæ nomine ita loquitur; *Non timeo, quia amo: paueant, qui nō amant.* Quia verò Petrus timebat; etſi Chriſtum ſequi occeperat prope tamē ſequi auſus non eſt. Vnde ait D. Chryſoſtomus homil. 2. de myſt. Cœn. *Sequebatur eum à longè: ſi enim prope ſequeretur, ſemper Dominū fateretur.*

D. Leo.

D. Aug.

D. Bern.

D. Chryſ.

Cæterùm meo iudicio Petri defenſionē ſublimiùs extulit Cyrillus Alexandrinus in caput 26. Matth. Non enim militum, mortiſue formidini Apoſtoli negationem adſcribit. Quinimo ait, Petrum reueritum, quod ſi Chriſti diſcipulum ſe fateretur è domo Cayphæ à miniſtris expellendum: ideoque negationem elegiſſe, ne inde expulſus dilectiſsimi Præceptoris aſpectu carere conſtringeretur. *Depulit*, inquit, *hæc non timore magis, ne captus eſſet; quā fortaſsis quia pati omnia volebat, dummodo Chriſtum videret.* Miror ſanè Petri amorem, affectus præſtantiā laudo: quippequi culpæ periculo, & innocentiæ diſpēdio Magiſtri ſui præſentiam emere non dubitabit; & potiùs elegit in palatio remanens, negādo fragilitatis infamiam ſubire: quàm ab eo recedens non ita feruidus in amore deprehendi: quia præcipuas amoris delicias, nimirum dilecti præſentia frui non ambiret.

D. Cyril.

Et ſanè Petrum in hoc Præceptori ſuo aliqualiter ſimilē agnoſco: cùm videlicet Zebedei filijs primas Regni ſedes petentibus: *Dic vt ſedeāt hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtrā in Regno tuo.* Matth. 20. Reſpondit: *Non eſt meum dare vobis*, vbi ſicut notauit S. Ambroſius, Dominus Ieſus contrarijs affectibus agitari videbatur. Nam ſi negaret, ſuam lædebat beneficentiam, quam in omnes etiam non rogatus expromit: ſi impotentiam concedendi cauſaretur: iam non omnipotens appareret: cùm tamen nihil vltra ipſius omnipo-

Matt. 20.

nipotentiæ limites ſit conſtitutũ. Quid igitur? minùs potens iudicari voluit, ne minùs bonus appareret. *Bonus*, inquit, *Dominus qui voluit priùs de poteſtate dimittere, quam de bonitate deponere*. Non aliter Petri animum hinc imbecillitatis infamia, ſi negaret; inde amoris tepor ſi fugiẽs dilecti careret aſpectu, inuadebat. Vicit tandem amor, & imbecillis potiùs quàm parum amans voluit inueniri. Vnde in Magiſtri ſequelam vſque ad atriũ Pontificis ſe dedit: *Petrus autem ſequebatur, & introiuit videre finem*. Quod D. Chryſoſtomo hom. 85. in Matthæum viſum eſt commendatione dignum: Nam licet Ioannes etiam ſequens ingrederetur; Pontificis gratia & agnitio prouocabat, qua Petrus deſtituebatur. *Ingens*, inquit, *huius diſcipuli ardor fuit, qui nec cæteris quidem fugientibus territus eſt, ſed ſecutus etiam introiuit: nam etſi Ioannes quoque id fecerat, ſed tamen notus erat Pontifici*.

D. Ambr.

Matt. 26.

D. Chryſ.

Quod ſi Petrus ex quo introiuit, in negationẽ incidit; repentè reſipuit, & priſtinam ſuoque nomini congruentem recepit fortitudinem. Quod Leo ſerm. 9. de Paſsione Domini mirificè commendat: *Cito*, inquit, *in ſoliditatem ſuam rediit petra, tantam inde recipiens fortitudinẽ; vt quod tunc in Chriſti expauerat paſſione, in ſuo poſt ſupplicio non timeret*. Quidni? lapidis ſabulo ſimilis naturam æmulabatur, qui facilè frangitur ac diſſoluitur; vbi verò in aquam immergitur, coaleſcit, & quaſi æreus fieret, roboratur. Talis Petrus Eccleſiæ lapis fundamento ſubſtratus; etſi ad primum tentationis ictum fractus fuerit; vbi primùm inundãte lacrymarum profluuio madefactus eſt; infractam adeo fortitudinem recepit, vt cùm antea mortem formidaret alienam, poſtmodùm excuſſo timore in proprium interitum rueret ſpontaneus, & mortẽ vita dulciorem reputaret. Leonem iterum repeto: *Tantam inde recipiens fortitudinem, vt quod tunc in Chriſti expauerat paſſione, in ſuo poſt ſupplicio non timeret*.

D. Leo.

D. Leo.

S. Ambroſius in Luc. lib. 10. & Hilarius Canon. 32. in Matth. diuerſimodè Petri excuſationem prætexunt; non quòd, vt aliqui opinantur, à peccato mendacioque liberent: illud tantum nituntur, vt commendato Petri affectu, laudataque amoris ipſius præſtãtia, negationis culpam non parũ extenuent. Excelluit in hoc Ambroſius, qui tres Petri negationes expendens, negãtis verba ad culpæ excuſationem inflexit. Quid igitur in prima negatione Petrus? *Non noui illum* inquit: Perbellè ad ſuam mentem. Quis enim tantæ erit audaciæ, vt *illum*, ideſt, Dei filium ineffabilem, incomprehenſibilem, & omnem ſcientiam exuperantem, ſe agnoſcere fateatur?

Ambroſ. Hilar.

tur? Hoc fors Petro menti inſederat,cùm dixit. *Non noui illum.* D.Ambr. *Temerarium quippe erat*, inquit Ambroſius, *vt diceret,quia nouerat eum,quem mens humana non poteſt comprehendere*. Secundò interrogatur à quodam Petrus;an eſſet ex Chriſti diſcipulis? Reſpondit: *O homo non ſum*. Libra cum Ambroſio, & inuenies,quòd Chriſti diſciplinatu indignum ſe ſentiens Petrus potiùs ſe ipſum viſus eſt negaſſe, quàm Chriſtum: D.Ambr. Ambroſij verba ſunt: *Maluit videlicet ſe negare,quàm Chriſtum:* Tertiò poſt horæ vnius ſpatium, vt meminit Lucas, alius, quem Ioannes cognatum Malchi, cui Petrus auriculam abſciderat; ſcribit; cum Petro expoſtulat, ac in horto illũ ſe vidiſſe teſtatur: tum Petrus: *Homo*, inquit,*neſcio quid dicis*; Quod ita reddit Ambroſius: D.Ambr. *Hoc eſt ſacrilegia veſtra neſcio*.

En dedimus præclariſsimi Doctoris defenſionem tribus Petri negationibus appoſitam, & ſanè D.Ambroſius in ea opponenda, Petri amorem reſpexit, quo impellente, ne Chriſti aſpectu careret, in apertum ſe coniecit negãdi periculum, vnde etiam nata eſt imbecillitas, qua tentatus ſuccubuit. Præterea verba,quibus Petrus negauit, quandam videntur ambiguitatem continere;ac iuxta loquentis mentem in vtrumuis ſenſum, bonum, vel malum detorqueri poſſe. Et ideo pietate ſuadente,S. Ambroſius Petri verba quaſi amphibologica in bonã partem accepit, ſaltem quantùm exteriùs poterat (vt monuit Maldonatus in c.26.Matth.) Maldon. etſi Petrus nihil tunc de ambiguitate,& loquẽdi cautela cogitauerit,quod cenſuit Suarez tom 2.in 3. part. Suarez. quæſt.46.diſp.35.ſect.1. Concludit igitur Ambroſius: *Sed nos excuſamus; Dominus autem non excuſauit: non enim ſatis eſt inuoluta reſponſio confitentis Ieſum; ſed aperta confeſſio. Quid prodeſt verba inuoluere, ſi videri vis negaſſe? Et ideo Petrus non de induſtria ſic reſpõdiſſe inducitur; quia poſtea recordatus eſt, & tamen fleuit. Maluit enim ipſe ſuum accuſare peccatum; vt iuſtificaretur fatendo, quàm grauaretur negando. Quare fleuit? quia culpa obrepſit ei:* Non equidem à peccato excuſandum arbitramur Petrum;licèt enim ſanã fuiſſe mentem ipſius admittamus: verba nullatenus capiunt excuſari, quantumuis præmeditata fuerint cautione prolata: Debuerat enim Petrus omni ambiguitate ſecluſa Chriſtum palàm confiteri, aliter peccati reus inuenitur.

S Hilarius Ambroſij iudicio cõſonus, Petrum etiam citato loco eâdem ratione excuſat: quamuis apud Deum culpæ obnoxiũ oſtẽdat, eo quòd ab inimicis rogatus palàm, & dilucidè Chriſtum fateri debuerat:timore tamẽ & imbecillitate detentus, ea foris vſus

eſt

Digitized by Google

eſt loquendi cautela, & ambiguitate, quam culpæ immunem non eſſe poſtea iudicauit. Vnde lacrymis abluit, fletuque diſſoluit amariſſimo. *Propè*, inquit, *ſine piaculo fuiſſe: tamen quia ex infirmitate carnis, vel ambiguus extitit, amariſſimè fleuiſſe recolentem trepidationis iſtius culpã; ſed neque admonitum potuiſſe vitare*. Verùm quamuis Petrus negando deliquerit: quis negabit Deum plurimis de cauſis permiſiſſe, vt in illud peccatum laberetur: quò ſicut facit cum tentatione prouentum, ſic ex peccato, peccatique permiſsione, multa nobis, Apoſtoloque profutura eliceret, vt iam aperiemus. S. Hilar.

§. SECVNDVM.

Plurimi fines, & multiplices cauſæ à Deo intentæ, in permittenda Petri negatione referuntur.

Primùm omnium explodendum eſt Origenis ſuper negatione Petri iudicium, qui tractatu 35. in Matthæum cenſuit, Petrum nullum in negatione peccatum admiſiſſe; cùm tamen fides contrarium doceat. Et quidem Petri in negando peccatum graue admodum extitiſſe probat Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 35. ſect. 1. quæſt. 46. Quòd autem ita ſentiendum ſit, planum eſt: etenim filium Dei negare, peccatũ ſuaptè natura graue eſſe quis negeт? præſertim ipſo apud Matthæum 10. num. 33. dicente: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo ego eum coram Patre meo*. Præterquàm quod ipſemet Petrus delicti ſui grauitatem agnouit: vnde profuſis lacrymis, additaque pœnitentia ſedulò expiauit, quod D. Auguſtinus in cap. 26. Matth. adnotauit. *Agnouit planè*, inquit, *peccatum ſuum infirmitas Petri, prorsùs agnouit, & quantum malum Chriſtum negando commiſerit, plorando monſtrauit: ipſe ſuos redarguit defenſores, & vnde eos vincat, producit lacrymas teſtes*. Item ſerm. 130. de tempore, qui eſt primus de Cruce, & latrone, Feria 6. in Paraſceue, Petrum latroni conferens, ait: *Quando Petrus negauit deorſum; tunc ille confeſſus eſt ſurſum*. Quaſi dicat: quo tempore latronis cõfeſsio ipſum ad Paradiſi ſuperna extulit, eodem Petri negatio ad ima Tartari ipſum præcipitauit. Addit verò Auguſtinus, ſe non deprimendi Petri animo, ſed latronis extollẽdi ergò talia protuliſſe: *Et hæc non vt accuſans beatiſſimum Petrum locutus ſum, quod abſit, ſed latronis magnanimitatem oſtendere volens*. Orig. Suar. 3. Matt. 10. num. 33. D. Aug. D. Aug.

Minùs etiam iis aſſentiendum eſt, qui aſtruunt Petrum Dei filiũ non negaſſe, cùm dixerit: *Non noui hominem*: quaſi tunc verum confeſſus fuerit Deum, & ſolùm hominem purum negauerit. Huic tamen

tamen interpretamento ſe oppoſuit D. Auguſtin.tract.6. in Ioan. quippe quod ſummæ Chriſti veritati contradicit. Vt enim omnem tolleret ambiguitatem, Petro dixit: *Ter me negabis*. Igitur ſanctus Pater: *Quidam fauore peruerſo Petrum excuſare nituntur*, & infra: *Sed quid multis immoror? cùm ipſe Dominus abſtulerit omnes humanæ argumentationis ambages, dicens: donec ter me neges: non accuſemus Chriſtum, cùm defendimus Petrum*. D. Hieronymus in commentar. ad cap.26. Matth. prædictos authores, violentamque ipſorum expoſitionẽ coarguens, ita loquitur: *Scio quoſdam piè affectos erga Petrũ Apoſtolum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent; Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem, & eſſe ſenſum: neſcio hominem, quia ſcio Deum: hoc quàm friuolum ſit, prudens lector intelligit. Sic defendunt Apoſtolum, vt Deũ mendacij reum faciant. Si enim iſte non negauit: ergo mentitus Dominus, qui dixerat, Amen dico tibi hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat, me negabis, non hominem*. Et Epiſtola 149. ad Marcellam, velut ridiculam, & Chriſti veritati repugnantem iſtorum defenſionem explodit. *Si id, quod ait, neſcio hominem, ridiculè voluerit interpretari, non Chriſtum eum negaſſe, ſed hominem; mendacem faciet Saluatorem, qui ſe, hoc eſt, filium Dei, negandum eſſe prædixerat:* Nec ſemel tantùm, ſed ter negauit. Et ſanè trina negatio tricuſpis extitit gladius, qui ſanctiſsimæ Virginis animam transfixit, vt ſenſit Chryſoſtomus Orat. de occurſu Domini, & Simeonis *Ter*, inquit, *negauit Petrus: pertranſiuit igitur animam Mariæ gladius*.

Math.16 Marc.14 Luc.22. Ioan.12. D.Aug. D.Hier. D.Hier. D.Chryſ.

Statutum igitur maneat, Petrum in negãdo grauiter deliquiſſe. Deinde inquiramus primò; Qua de cauſa Dominus Ieſus, cũ futuram Petri negationem præſciret, ei ſoli Eccleſiæ Pontificatum, & Primatum promiſit, & contulit? D. Hieronymus lib.3. aduerſus Pelagianos pulcherrimũ huic interrogationi reſponſum ſubminiſtrat; ibi enim inquirit, cur Chriſtus Dominus ad Apoſtolatum aſſumpſit Iudam, quem traditorem fore certò cognouerat. *Interroga eum*, inquit, *nempè Chriſtum Dominum, cur Iudam elegerit proditorem? cur ei loculos cõmiſerit, quem furem eſſe non ignorabat?* Et reſpondet: *Vis audire rationem? Deus præſentia iudicat, non futura, nec cõdemnat ex præſcientia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat; ſed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis, & pœnitentiæ*. Cùm autem Chriſtus Pontificatum Petro largiendum promiſit; illum iam præ-

Math.16 D.Hier.

præclara Diuinitatis ipſius Chriſti confeſſione promeruerat. Poſt. quàm verò peccatum negationis admiſit; auxilia ei præſtitit, quibus adiutus reſipiſceret, & culpæ pœniteret. Quod ſi Dominus Ieſus permiſit vt ſuus in terra Vicarius, & Eccleſiæ caput in tale delictum laberetur, vberrimos inde fructus colligere intendebat, & plurimos fines, cauſaſque reſpiciebat, quas ſancti Doctores aſsignant, vt mox referemus.

Primam producit S.Chryſoſtomus homil.72.in Ioan.ad illa verba: *Quare non poſſum te ſequi modò? animam meam pro te ponam*, videlicet, vt Petrum imbecillitatis propriæ cōſcium redderet. *Quid dicis*, inquit, *Petre? experientia cognoſces, nihil eſſe dilectionem tuam ſine gratia Diuina. Vnde conſtat hunc caſum Ieſum pro ipſius vtilitate permiſiſſe. Nam cum aſſertioni ſuæ feruore quodam non ſtaret Petrus; non quidem impulit ad negandum ſed deſertum reliquit, vt ſuam ipſe intelligeret imbecillitatem*. Et quidem Petrus nimium ſibi, & ſuis viribus fidebat. Et verò vt Seneca teſtatur, nemo fortiùs quã ſibi quiſque adulando mentitur. *Quis*, ait, *vnquam ſibi ipſi verum dicere auſus eſt? Quis inter blandientium adulantiumque greges poſitus, plurimùm tamen ſibi ipſi aſſentatus non eſt*. Talem cenſuit Caietanus Magdalenam: cùm enim fœmina eſſet imbecillis Chriſti vita functi corpus ſolam ſe exiſtimabat portaturam: vnde ipſum, cùm hortulanum credebat, allocuta, dicebat: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum: & ego eum tollam*. Ioan.20. Quæ verba feriens acutè Caietanus, *Vide*, inquit, *affectum ſine menſura virium propriarum*. Affectum ſuum Magdalis conſiderauit, &, vires metita non eſt; vnde Chriſti corpus tollere poſſe exiſtimabat. Non aliter Petrus, propriæ fragilitatis oblitus, amorem ſuum metitus, noctis illius pericula euaſurum ſe credidit; & ideo, fugientibus alijs, Chriſtum ſequi ſtatuit. Attamen deceptus eſt, nec Magiſtro ſuo videtur crediſſe, dicenti: *Antequàm gallus cantet, ter me negabis*. Et verò cùm omnibus vniuerſim dixit, quòd ab vno tradendus eſſet; ſinguli de ſe ipſis addubitando quærebant: *Numquid ego ſum Domine*. Matth.26. & ſolius Iudæ pectus traditionis ſcelus inuaſerat. Verumenimverò, ait ſanctus Hieronymus in commentarijs in Matth. cap.26. plùs Magiſtro dicenti, quàm conſcientiæ crediderunt. *Plùs*, inquit, *credunt Magiſtro, quàm ſibi; pertimeſcentes fragilitatem ſuam: triſtes interrogant de peccato, cuius conſcientiam non habebant*. Quàm alium ſe Petrus oſtendit, quantũ vires ſuas oblitus ſolum amorem conſuluit, & Præceptoris verba non attendit. Vnde Origenes tract.35.

D.Chryſ. Seneca. Caietan. Ioan.20. Matt.26 Luc.22. D.Hier.

tamen interpretamento ſe oppoſuit D. Auguſtin. tract. 6. in Ioan. quippe quod ſummæ Chriſti veritati contradicit. Vt enim omnem tolleret ambiguitatem, Petro dixit: *Ter me negabis*. Igitur ſanctus Pater: *Quidam fauore peruerſo Petrum excuſare nituntur*, & infra: *Sed quid multis immoror? cùm ipſe Dominus abſtulerit omnes humanæ argumentationis ambages, dicens: donec ter me neges: non accuſemus Chriſtum, cùm defendimus Petrum*. D. Hieronymus in commentar. ad cap. 26. Matth. prædictos authores, violentamque ipſorum expoſitionẽ coarguens, ita loquitur: *Scio quoſdam piè affectos erga Petrũ Apoſtolum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent; Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem, & eſſe ſenſum: neſcio hominem, quia ſcio Deum: hoc quàm friuolum ſit, prudens lector intelligit. Sic defendunt Apoſtolum, vt Deũ mendacij reum faciant. Si enim iſte non negauit: ergo mentitus Dominus, qui dixerat, Amen dico tibi hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat, me negabis, non hominem*. Et Epiſtola 149. ad Marcellam, velut ridiculam, & Chriſti veritati repugnantem iſtorum defenſionem explodit. *Si id, quod ait, neſcio hominem, ridiculè voluerit interpretari, non Chriſtum eum negaſſe, ſed hominem; mendacem faciet Saluatorem, qui ſe, hoc eſt, filium Dei, negandum eſſe prædixerat*: Nec ſemel tantùm, ſed ter negauit. Et ſanè trina negatio tricuſpis extitit gladius, qui ſanctiſsimæ Virginis animam transfixit, vt ſenſit Chryſoſtomus Orat. de occurſu Domini, & Simeonis *Ter*, inquit, *negauit Petrus: pertranſiuit igitur animam Mariæ gladius*.

Math. 16. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 12. D. Aug. D. Hier. D. Hier. D. Chryſ.

Statutum igitur maneat, Petrum in negãdo grauiter deliquiſſe. Deinde inquiramus primò; Qua de cauſa Dominus Ieſus, cũ futuram Petri negationem præſciret, ei ſoli Eccleſiæ Pontificatum, & Primatum promiſit, & contulit? D. Hieronymus lib. 3. aduerſus Pelagianos pulcherrimũ huic interrogationi reſponſum ſubminiſtrat; ibi enim inquirit, cur Chriſtus Dominus ad Apoſtolatum aſſumpſit Iudam, quem traditorem fore certò cognouerat. *Interroga eum*, inquit, *nempè Chriſtum Dominum, cur Iudam elegerit proditorem? cur ei loculos cõmiſerit, quem furem eſſe non ignorabat?* Et reſpondet: *Vis audire rationem? Deus præſentia iudicat, non futura, nec cõdemnat ex præſcientia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat; ſed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis, & pœnitentiæ*. Cùm autem Chriſtus Pontificatum Petro largiendum promiſit; illum iam præ-

Math. 16. D. Hier.

præclara Diuinitatis ipſius Chriſti confeſſione promeruerat. Poſtquàm verò peccatum negationis admiſit; auxilia ei præſtitit, quibus adiutus reſipiſceret, & culpæ pœniteret. Quod ſi Dominus Ieſus permiſit vt ſuus in terra Vicarius, & Eccleſiæ caput in tale delictum laberetur, vberrimos inde fructus colligere intendebat, & plurimos fines, cauſaſque reſpiciebat, quas ſancti Doctores aſsignant, vt mox referemus.

Primam producit S. Chryſoſtomus homil. 72. in Ioan. ad illa verba: *Quare non poſſum te ſequi modò? animam meam pro te ponam*, videlicet, vt Petrum imbecillitatis propriæ cōſcium redderet. *Quid dicis*, inquit, *Petre? experientia cognoſces, nihil eſſe dilectionem tuam ſine gratia Diuina. Vnde conſtat hunc caſum Ieſum pro ipſius vtilitate permiſiſſe. Nam cum aſſertioni ſuæ feruore quodam non ſtaret Petrus; non quidem impulit ad negandum ſed deſertum reliquit, vt ſuam ipſe intelligeret imbecillitatem*. Et quidem Petrus nimium ſibi, & ſuis viribus fidebat. Et verò vt Seneca teſtatur, nemo fortiùs quã ſibi quiſque adulando mentitur. *Quis*, ait, *vnquam ſibi ipſi verum dicere auſus eſt? Quis inter blandientium adulantiumque greges poſitus, plurimùm tamen ſibi ipſi aſſentatus non eſt*. Talem cenſuit Caietanus Magdalenam: cùm enim fęmina eſſet imbecillis Chriſti vita functi corpus ſolam ſe exiſtimabat portaturam: vnde ipſum, cùm hortulanum credebat, allocuta, dicebat: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum: & ego eum tollam.* Ioan. 20. Quæ verba feriens acutè Caietanus, *Vide*, inquit, *affectum ſine menſura virium propriarum*. Affectum ſuum Magdalis conſiderauit, &, vires metita non eſt; vnde Chriſti corpus tollere poſſe exiſtimabat. Non aliter Petrus, propriæ fragilitatis oblitus, amorem ſuum metitus, noctis illius pericula euaſurum ſe credidit; & ideo, fugientibus alijs, Chriſtum ſequi ſtatuit. Attamen deceptus eſt, nec Magiſtro ſuo videtur credidiſſe, dicenti: *Antequàm gallus cantet, ter me negabis*. Et verò cùm omnibus vniuerſim dixit, quòd ab vno tradendus eſſet; ſinguli de ſe ipſis addubitando quęrebant: *Numquid ego ſum Domine*. Matth. 26. & ſolius Iudæ pectus traditionis ſcelus inuaſerat. Verumenimverò, ait ſanctus Hieronymus in commentarijs in Matth. cap. 26. plùs Magiſtro dicenti, quàm conſcientiæ crediderunt. *Plùs*, inquit, *credunt Magiſtro, quàm ſibi; pertimeſcentes fragilitatem ſuam: triſtes interrogant de peccato, cuius conſcientiam non habebant.* Quàm alium ſe Petrus oſtendit, quantū vires ſuas oblitus ſolum amorem conſuluit, & Præceptoris verba non attendit. Vnde Origenes

[Margin notes: D. Chryſ. — Seneca. — Caietan. — Ioan. 20. — Matt. 26. Luc. 22. — D. Hier.]

tract. 35.

Origen. tract. 35. in Matth. dicebat: *Exiſtimauit mendacem poſſe facere veritatem*. Et tamen Chriſtus teſtante Auguſtino ſerm. 128. de tempore, certiùs Petri imbecillitatē, quàm ipſemet Petrus agnouerat. D. Aug. *Dominus*, inquit, *qui nouerat fragilitatē humanam, ſciebat non eſſe in promiſsione, ſed in conſummatione virtutem*. Et licèt ex amore Petrus promiſerit: non tamē ex proprijs viribus, ſed ex Diuina gratia, vt ſubiungit Auguſtinus, polliciti fides conſtat. Auguſt. *Intelligitur dilectionis eſſe quod dicit, ſed quia per ſolum ſui amoris ſtudium, non addito etiā adiutorio Domini, voluit eſſe promiſſū, ſtare non potuit per hominem, quod ſua Diuinitate pendebat.* Redit iterum Chryſoſtomus, & ideo Petrum in negationem labi permiſſum teſtatur homil. 83. in Matthæum, quò viribus ſuis parùm fideret, & plus fidei Magiſtri verbis, quàm propriæ conſcientiæ D. Chryſ. adhiberet. *Idcirco*, inquit, *permiſit, vt caderet, vt in omnibus diſceret Chriſto parere, verioraque dicta illius crederet, quàm quæ ſua ſibi conſcientia teſtaretur*. Et ſtatim ſubdit: *Quare verbis cùm Petrus non crederet, à rebus ipſis eruditur*. Itaque Petri lapſus ei in eruditionem vertitur; & labendo cognouit, quod Chriſtum audiendo, non crediderat.

Secundam negationis, cauſam, primæque affinem tradidit S. Auguſtinus in cap. 26. Matth. nimirum, vt lapſus in culpam ſuperbiam decuteret, temerariæque præſumptionis elationem deijceret. *Audeo*, inquit, *dicere ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placēdo ceciderant; ſalubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quādo fleuit, quàm ſibi placuit, quando præſūpſit.* S. Auguſt. Cùm igitur amicos ſuos Deus ſuperbiæ veneno infectos aduertit, humiliationis antidoto ſalubriter medicatur. Quinimò nonnunquam futuro elationis contagio deiectionis remedium præuenit. Hinc eſt vt monet Theodoretus quæſt. 10. in Exod. Theodor. Quod cùm Moyſem Deum Pharaonis inſtituerit, eique poteſtatē ſupra naturam concefferit, vt pro arbitrio inuerteret, priùs manum pręcepit in ſinum mittere, vnde lepra infectam eduxit. *Protulit*, inquit, *leproſam inſtar niuis, quæ res Moyſem etiam admonuit non ſuperbire debere, ſed agnoſcere naturam, cum recordaretur dexteræ lepra prius infectæ*. Itaque inter Diuinæ illius poteſtatis ſplēdores, lepræ recordatio Moyſis animum temperabat, ne ſe ſupra naturā extolleret, præteritæ memor infirmitatis: vnde cum manum elementis imperantem aſpiceret, & deinde leproſam extitiſſe aduerteret, nullatenus alterius naturæ, & quaſi diuinam ſuſpicaretur, ſed alijs ſimilem humaniſque infirmitatibus obnoxiam cogno-

gnoſceret, & : *Cùm recordaretur dextræ lepra priùs infectæ*, nequaquam extolleretur.

Non aliter cùm Petrus ſupra omnes peccatores conſtituendus eſſet, vt petentibus veniam largiretur: nec paruum ex ea ſublimitate cadendi periculũ immineret; voluit Chriſtus negationis permiſsione periculo occurrere, & elationem ſanare, ſi fortè dum alijs veniam indulget, ſe impeccabilem reputet, & quod gratuitum erat, tanquam ſibi debitum recognoſcat. Tradendæ erant Petro claues Regni cælorum, vt pro libito quibus vellet aperiret, vel obſeraret: timendum erat, ne in tantam euectus poteſtatem, cæli portas nunquam ſibi occludendas exiſtimaret, in elationemque incideret. Igitur labi permittitur vt cælum poſt culpam clauſum aduertẽs, in humilitate ſe teneat, abſciſſaque elatione ſalutis obtinendæ timore nihilo ſecius, quàm alij concutiatur; & peccati conſcius, dignitatiſque oblitus totũ ſe pœnitentiæ dedat.

Alexand. ab Alex. In more poſitum erat apud Romanos, ſicut refert Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 13. vt militibus, quos in audaciam temerè proiectos, in periculaque præcipites aduertebant, ſciſſa vena ſanguis extraheretur; quò, frigente paululum caloris impetu, cautiores euaderent, nec deinceps in pericula temere ſe proijcerent. Sic igitur vt Petri audacia, inconſultaque temeritas ſanetur, & cautior exinde euadat, negationis culpa quaſi phlebothomia adhibetur; quique antea in pericula præceps irruerat, poſtmodũ cautior fieret, & ſalubri formidine tangeretur. Nam vt verè monuit D. Cyprianus de ſingularitate Clericorum. *Expedit plus benè timere, quàm male fidere.* *D. Cypr.* Hic verò timor cadendo acquiritur; & qui labitur in poſterum cautus fieri experimento edocetur. Quod in Eua Anaſtaſius Synaita recognouit: nam poſtquam à ſerpente deceptam ſe vidit, nuſquam cum eo colloquia miſcuit. *Cum,* inquit, *comediſſet mulier ſtans prope ſerpentem tanquã eſſet eius vxor. Deinde ei renuntiaſſet, & ad maritum eſſet conuerſa, non inuenimus eam ampliùs appropinquaſſe, aut cum ſerpente fuiſſe locutam.* *Anaſtaſ. Synaita.* Ita ille in Examer. libro 11. Prudenter autem Eua ſemel illuſa, ne iterum illuderetur, non ſolùm ſerpentis declinauit congreſſum; ſed inſuper odio perſecuta eſt inteſtino.

Tertiam negationis cauſam produxit S. Laurentius Iuſtinianus Venetiarum Antiſtes: Nam lib. de triumphali Chriſti agone cap. 8. Petri lapſum curioſitati adſcripſit, qua ductus in Chriſti ſequelam ſe dedit, *Vt videret finem.* *Matt. 26.* Matth. 26. Ex quo deducit Iuſtinianus ideo negaſſe, quia præ curioſitate ſecutus eſt Præceptorẽ: *Nõ enim,* inquit, *humiliter, neque* *Laurent. Iuſtin.*

con-

conſtanter (vt debuit) *ingreſſus eſt; & fortaſſe ideo corruit, quoniam non vt pugnaret, ſed vt finẽ videret, acceſſit*. Vnde Petri charitas, etiam antequàm ad certamen accederet, aliqualiter refrixiſſe videtur: qui curioſitate impellente, Chriſtum ſequebatur. Poſtea verò cognita culpa in priſtinum rediјt feruorem. Et fortè hoc mihi ſonat illa D. Auguſtini ſententia ex ſerm. 121. de tempore: *Flere cœpit amarè, quia Dominum ſuum cœpit amare*. Itaque flendi initium, amoris fuit exordium. Quid? etiam curioſitas Euam reddidit præuaricatricem: nam, vt ſolerter adnotauit Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 9. Serpens non intra paradiſi ſepta, ſed extra fœminam tentauit: & plurimi Hebræorum tradunt, Euã viuendi, quæ foris agebantur, cupiditate agitatam horti limites tranſgreſſam: vnde à ſerpẽte tentatam, & præuaricationis ream euaſiſſe. Quidni? cùm & vxor Loth curioſitas in peccatum præcipitauerit: vt enim conflagrantis retro Pentapolis incendium cerneret oculos in terga reflexit.

D. Aug. — Rupert.

Quaptopter admonet egregiè ſãctus Ambroſius lib. 2. de Virgin. *Cùm egreſſa fueris, ne reſpicias retro, memor vxoris Loth, quæ naturam ſuam, quia impudicos, licèt caſtis oculis, proſpexit, amiſit*. Proh quanta fœminis mala curioſitas attulit: vt plurimùm ex curioſitate peccant: quin etiã hoc & viris non infrequenter accidit; vt Petro, de quo iterùm Iuſtinianus. *Ideo corruit: quoniam non vt pugnaret, ſed vt finem videret, acceſſit*.

D. Ambr.

Quarta negationis cauſa cenſeri ſolet, improuida Petri in periculum præcipitatio: ideo namque cecidit, quia periculũ amans, animæq. interitum ibi latens in illud ſe immiſit; & tentationis occaſionem minimè declinauit. Hinc meritò dixit Chryſologus ſer. 50. *In perſecutione melius eſt fugere, quàm negare. Petrus, qui fugere noluit, abnegauit. Ioannes ne abnegaret, aufugit*. Quicunque peccata ſtudes euitare, in fugam te dede: qui enim peccandi occaſionem non effugit; peccatũ ipſum declinare reputandus non erit. Vnde Eliæ fugam velut honorificam apud D. Ambroſium, lib. de fuga ſæculi cap. 6. commẽdatam inuenio? Nec tantùm Prophetam laudat quòd Iezabel effugeret; ſed quod peccandi incentiua declinaret. *Non mulierem*, inquit, *fugiebat propheta tãtus, ſed ſæculum. Fugiebat ſæcularem illecebram, & conuerſationis maculoſæ contagionem, & impiæ ac præuaricatricis nationis ſacrilegia*. D. Ambr.

Hinc eſt illa Dauid comprecatio alas columbæ à Deo poſtulãtis: *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ?* Pſal. 54 num. 7. Nota eſt innocua ſimplicitas columbæ: proindeque ſpiritus candorem, & vitæ puritatem deſignat, quam Pſ. 54. 7.

cùm

cùm ſummoperè Regius Vates concupiſceret, columbæ pennas popoſcit, vt fugeret, & fugiendo columbinam vitæ puritatem aſſequeretur. Ita cenſuit S. Gregorius Nazianzenus, orat. 17. ad ciues. *Columba pennas expetit, vel quod leuiores, ac perniciores ſint; vel quod ſpiritum adumbrent, cuius vnius auxilio pericula fugimus: vt quàm longiſsimè ſe à præſentibus malis remoueat.* In eo militis Chriſtiani victoria cõſiſtir, vt peccati occaſionem euitet: qui verò periculis ſe obiectat, improuidèque in tentationes irruit, hũc certè præcipitium manet. Pauciſſimi enim ſunt, qui in tentatione poſiti victores euadant: quapropter ſalubrius eſt fugere, quàm turpiter labi. Et ideo D. Hieronymus in cap. 25. Hieremiæ, Prophetam Vriam Ioachim Regem fugientem meritiſsimò dillaudat. *Quòd fugit non infidelitatis, ſed prudentiæ indicium eſt: ne fruſtra nos offeramus periculo.*

D. Greg. Nazian.

D. Hier.

Aul. Gel. Memorat Aulus Gelius in Athicis noctibus, Romæ inter Vrbis prudentiores, & vrbaniores viros agitatum: vter plus laudis promeruerit, Africanus Scipio, an magnus Alexander: ille dum in Carthaginenſi expugnatione oblatam eximiæ pulchritudinis fœminam equitis Hiſpani filiam inſpexit; intactáq. incredibili continentis animi laude ad parentem remiſit: Hic profligato Dario, cùm ipſius vxorem forma præſtantiſsima ad eum attuliſſent; à videndo abſtinuit, ne concupiſcẽtiæ periculo ſe exponeret. Variæ vtrimque (ait Gelius) Romæ ſuper vtriuſque Ducis continentia ferebantur ſententiæ. Cæterùm præclarius Scipionis facinus exiſtimo, quàm Alexandri: nam Scipio cùm pulchritudinis aſpectu decertauit. Et ſanè, vt cecinit Vates.

Segniùs irritant animos dimiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Vnde non mediocre fortitudinis elogium promeruit. At verò Alexander prudentiæ, & cautelæ gloria nobilitandus eſt; quippequi fœmineam pulchritudinem certiſsimam virorum deceptionem reputans, nec ſibi ſiſus eſt; nec cupiditatis laqueos euadere poſſe credidit, ſi oblatam captiui vxorem intueretur: Vnde prudẽtis potiùs militis ſolertia, quàm imbelli timiditate periculum declinauit. Quod in quolibet milite D. Chryſologus ſermon. 150. non parum commendat. *Bellicoſus,* inquit, *miles, quod in bello fugit, artis eſt non timoris.* Hinc etiam eſt illá D. Hieronymi expoſtulatio, in epiſtol. 47. de vitãdo ſuſpecto contubernio. *Quid tibi neceſſe habes quotidie, aut perire, aut vincere? Quis vnquam iuxta viperam ſecuros ſomnos capit,*

D. Chryſ.

D. Hier.

derunt: Ille Angeli ducatu è carcere egreſſus Actor. 12. num. 9. hic è muro in ſporta demiſſus, Actor. 9. n. 25. vt palàm fatetur, ad Corinth. 2. cap. 12. num. 33. *Per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* Huiuſmodi verò fuga nequaquam Diuo Paulo ceſsit in ignominiam; ſed potiùs pro corona deſeruijt, vt Beda, Gloſſa Ordinaria, alijque apud Lorinum, interpretes cenſuerunt, in Act. Apoſtol. cap. 9. num 25. Omnes autem id ab Aratore ſunt mutuati: is enim ſportam, vel è iunco, vel etiam è palma victoriarum coronæque monumento, vt plurimùm confici teſtatur.

2. Cor. 12 num. 33.

Beda.
Gloſſ. Or.
Lorinus.
Arator.

Sporta ſolet texi iuncis, palmiſque viciſſim;
Tegmina dat Saulo, retinens in ore figuram
Eccleſiæ: nam iuncus aquis, & palma coronis
Semper ineſt.

Chriſti coronam è iuncis textam Archielogio ſuperiori ſtatuimus. Et verò Dominus Ieſus tali corona, gratiæ, & gloriæ nobis diademata promeruit: quin etiam palma victoribus traditur, tanquam inſigne. Dum igitur Paulus iuncea, vel palmari ſporta demiſſus liberatur: planè fugæ præmium, decuſque ſignificat. Ideo enim, Magno teſte Gregorio libro 31. Moralium cap. 14. aufugit; vt ſe maioribus certaminibus reſeruaret. *Paulus*, inquit, *ſeceſſum à certamine petijt, & pugnaturus fæliciùs ad alta ſe bella ſeruauit. Non loco virtus, ſed locus virtuti defuit: & idcirco fortiſsimus miles, ab obſidionis anguſtia certaminis locum quæſiuit.* S. Ambroſius lib. de fuga ſæculi cap. 9 ait: *Paulus fugit, vt Euangelium Domini toto Orbe prædicaret: & ideo in Paradiſum raptus eſt.* Atque vtinam Petrus in ea Paſsionis nocte, ſicut cæteri in fugam ſe dederet: quandoquidem dicente Chriſto: *Sinite hos abire*, fuga eis permitti videbatur. Quia tamen non vocatus in periculum ſe coniecit, tentationique expoſuit; ter negando grauiter deliquit.

D. G. ...
D. Ambr.
Matt. 26.

§. TERTIVM.

Proponuntur aliæ cauſæ, propter quas Petri negationes à Deo permiſſæ reputantur.

INter negationis fines hactenus recenſitos, compaſſionis affectum repono, quem in Petri pectore, Dominus Ieſus poſt negationis lapſum ſperabat, ſciebatque futurum; & ideo vt peccantibus poſtea cõpateretur, in peccatum permiſſus eſt labi: Nuſquã enim compati nouit, qui pati non

 didi-

Digitized by Google

didicit. Inhumanum ſe, ac immitem auarus ille diues, erga Lazarum oſtendit; ita vt nec micis è menſa cadentibus veſci permitteret. Poſtquã verò inferni tormẽta ſuſtinebat: ſic tactus eſt compaſſionis affectu; vt Abraham exhortaretur: Luca 16. *Rogo te pater, vt mittas eum in domo patris mei: habeo enim quinque fratres; ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*. Vnde nam hæc in diuitis animo ſuborta eſt miſeratio? Qua ratione pietatem erga alios oſtendit, qui nuſquam in ſeipſum pius inuenitur? Nam vt perbellè D.Chryſ. dixit Chryſologus ſerm. 123. *Cui pius, qui ſibi ſic impius?* Ex ipſis tormentis, quæ ſuſtinet ad compaſſionem eruditur. Quandiù ſæculi delicijs & voluptatibus fruebatur, Lazarum fame enectum, plagiſque hiantem; & vlceribus quaſi vocibus miſericordiam eſflagitantem, vt dicebat Chryſologus ſer. 121. nec aſpectu quidẽ D.Chryſ. dignabatur. *Quia*, inquit, *obduratis auribus vnius oris nihil erat vox clamantis ad aperiendum cor diuitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in admonendo diuite, tot eſſent pauperis ora, quot vulnera*. Poſtquàm vero Tartari ſenſit cruciatus, cõpaſſione tangitur tormentorum, quæ fratres eodem in loco perpeſſuros, non vanus augur ominabatur.

Eadem de Petri negatione philoſophatur S. Chryſoſtomus, homil. 83. in Matth. D.Chryſ. Niſi enim peccaſſet, fòrs in peccatores non ita mitem, benignumque ſe exhiberet, veniam indulgens, memor quòd ipſe etiam peccator extitiſſet. Cæterùm cùm culpæ ipſius grauitas ante oculos obuerſaretur; neceſſe erat, vt aliorum delicta leuia cernerentur. Vnde illud Iudæ in mentem veniret: *Iuſtificata eſt magis Thamar quã ego*. Gen. 38. num 26. Geneſ. cap. 38. numer. 26. Quæ verba S. Ambroſius lib. de pœnitentia, deuotè ſibi humiliterque adaptat. D.Ambr. *Quotieſcumque peccatum alicuius lapſi exponitur, compatiar, nec ſuperbè increpem, ſed lugeam, & defleam, vt dum aliũ fleo, meipſum defleam, dicens: Iuſtificata eſt magis Thamar, quàm ego*. Deinde pari deuotione, & humilitate ſubiungit: *Fortaſſe adoleſcentula lapſa ſit, occaſionibus, quæ delictorum fomites ſunt, decepta, ac præcipitata; peccamus & ſeniores; repugnat in nobis lex huius carnis legi mentis noſtræ, & captiuos nos trahit in peccatum; vt faciamus quod nolumus. Illi de ætate ſuppetit excuſatio, mihi iam nulla: illa enim debet diſcere, nos docere: ergo iuſtificata eſt magis Thamar, quàm ego*. Tandem aliorum producens peccatorum exempla concludit Ambr. *Si cõmoti fuerimus in quẽquam grauiter, leuiorem cauſam laicus habebat, quàm Epiſcopus*.

eo

Digitized by Google

eo quòd commotus egerit aliquid retractemus nobiſcum, & dicamus: iuſtificatus eſt magis iſte, qui commotionis arguitur, quàm ego. Hæc enim ſi dicamus ipſi nobis cauemus; ne dicat nobis Dominus Ieſus: aut quiſquam de diſcipulis eius: Feſtucam in oculo fratris tui vides, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt non vides. Quidni, Petrum ſimilia, & maiori longè affectu quemlibet ex peccatoribus recordatum iteraſſe, exiſtimes, illudque Iudę repetentem credas? *Iuſtificata eſt magis Thamar quàm ego.* Atque adeo quoties negationis peccatum ipſi occurrebat, aliorum crimina meditabatur, eosq. venia digniores ſe ipſo reputabat: vtpotè qui leuiùs deliquiſſent. Quam ob cauſam permiſſus eſt, vt in negationem laberetur.

S.Ambr. Sextam negationis cauſam aſſignat S. Ambroſius lib. 10. in Lucam, videlicet diuinæ miſerationis exemplum, quod omnibus cōſpectꝰ Petri lapſu, & Chriſti venia, incredibilem erat vtilitatem allaturum. *Etiam*, inquit, *lapſus ſanctorum vtilis eſt; nihil mihi nocuit quod negauit Petrus, profuit quod emendauit.* Eodem refero illud

S. Leo. S. Leonis ex ſerm. 9. de Paſſione, vbi: *Ob hoc*, inquit, *ſicut apparet hæſitare permiſſum; vt in Eccleſiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de ſua virtute confidere.*

Quòd ſi Petrus poſt lapſum in priſtinam rediјt gratiam, & poſt culpæ debitum ampliori amicitiæ fœnore fuit reſtitutus. Quis poſt quorumlibet criminum enormitatem, ſi veram, vt Petrus, egerit pœnitentiam in priori antiqui ſtatus fælicitate reponendum eſſe non ſperet? Præterea, vt tradidit Clemens Romanus, Maldonato teſte, in cap. 26. Matth. præteriti lapſus memoria Petro non parū attulit emolumentum: ſicque admiſsi criminis dolor in ipſius pectus altè deſcendit, vt quandiu vita manſit, gallo canente, vberrimo lachrymarum profluuio ſuffūderetur; ac in genua prouolutus veniam denuo poſtularet. Quo euenit, vt excuſſa palea virtutis granum purius euaderet: & cùm in tentatione fuerit à Dæmone tanquam in cribro concuſſus, inde purgatior exiuit; vt D. Ambroſius in Pſalm. 43. egregiè philoſophatur. *Incidit in tentationes, quædam locutus eſt quaſi palearū plena; ſed locutus eſt verbo, vt ſundatior eſſet affectu. Denique fleuit, & paleas ſuas lauit, & illis tētationibus meruit, vt pro ſe Chriſtus interueniret. Quanto maius eſt patrocinium, quàm perturbationis illius tentamentum? Et ideo pluſquàm paſſus eſt acquiſiuit: Acquiſiuit enim Chriſtum ſibi patrocinantem. Cogitur autem & aduerſarius ſanctos Domini ad ſua damna tentare. Dum enim tentat meliores reddit.* Clemens Roman. Maldon. D.Ambr.

Septimæ negationis cauſæ Au-

thorem laudo Origenem. Is enim tractatu 35. in Matth. Petrum inaduertentiæ damnat, eo quòd dicente Chriſto apud Matthæum
Matt.26. 26 num.51. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta;* ipſe nihil timuerit, immo potiùs
Origen. audacter reſponderit: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nũquam ſcandalizabor*, Ibid.n.33. Cùm autem Chriſtus replicaret. *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequàm gallus cantet ter me negabis:* Inſtitit Petrus, intrepidè temerèque reſpõdit: *Etiamſi oportuerit me tecum mori, non te negabo*. Hìc iam duas delicti cauſas agnouit Origenes: Primam, quia cùm Dominus Ieſus noctis illius ſcandalum omnibus pariter prædiceret: Petrus ac ſi cum ipſo res non ageretur, mendacem reddere ſummam nixus eſt veritatem, inaniter promittens, quòd nunquam
Origen. ſcandalizaretur. *Propter hoc*, inquit, *ſicuti exiſtimo, omnes quidam diſcipuli ſcandalizati ſunt tantùm in Ieſum: Petrus autem, qui exiſtimauit mendacem poſſe facere veritatem; non tantùm ſcandalizatus eſt, ſed etiam derelictus propter audacem ſuam promiſſionem, vltra ſcandalũ etiam denegauit*. Secundam, quia prædicente Chriſto: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta:* Petrus, ait Origenes, pauere, turbarique debuerat, & à Præceptore ſuo ſtabilitatem ſubmiſsè poſtulare; quod ſi præſtitiſſet, forſan lapſum euaſiſſet. *Debuerat* Origen.
enim poſtquàm audiuit, quia omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte, & poſtulaſſe Dominum, & dixiſſe: etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, eſto in me, vt non ego ſcandalizer. Et dona mihi præcipuè gratiam hanc, vt in tẽpore cùm omnes diſcipuli tui fuerint ſcandalum paſſi; ego in denegationem non cadam, nec ab initio ſcandalizer. Si eum poſtulaſſet, forſitan amotis ab eo ancillis cæteriſque miniſtris, non denegaſſet. Neque hìc primò Petrus errans, eo quòd non petierit, inuenitur. Iam olim apud Thabor errantem deprehendo: quia licèt ibi petierit, adeo tenuis fuit petitio: vt propterea ab Euangeliſtis exploſa atque ob ignorãtiæ turpitudinem fuerit reiecta: *Neſciens quid di-* Luc.9.
ceret. Quamuis enim tria popoſcit tabernacula; Chriſti ſolùm, Moyſis, & Eliæ meminit. *Tibi* Matt.17.
vnum, Moyſi vnũ & Eliæ vnũ: Cùm tamen ſibi etiam, & ſocijs petere debuiſſet; ne Dei miſericordiam offenderet; cui cordi eſt, vt largiſsimæ à fidelibus ei petitiones offerantur. Vnde cenſuit optimè D. Bernardus in epiſtola de vita ſolitaria, ſugillandam eſſe Petri in petendo parcitatẽ: quippequi anguſtum reputans Chriſti pectus, non illico ad poſtulanda ſex tabernacula fidens proſiluit: alia tria poſtmodùm, ſi in prima petitione audiretur, petiturus. *In quo*, inquit, *ſi auditus fuiſſet*, D.Bern.

ſa-

Digitized by Google

factlurus proculdubio erat poſtmodùm alia tria, ſibi vnum, Iacobo vnum, & Ioanni vnum.

Cæterùm licèt Petrus hìc impetendo parcum ſe exhibuerit, aliquid tamen petijt. Dum verò ei negatio à Præceptore prædicitur, omnino ſilet; nec pro ſua firmitate quidquam exorat, aut gratiam, qua vincat tentationem, requirit: & propterea ex Origenis ſententia in negationem labi permittitur.

Octaua negationis cauſa eſt prauorum ſocietas, quibus Petrus ea nocte ſe immiſcuit: dum Pontificis domũ ingrediens, cum ipſius miniſtris, & Præceptoris ſui hoſtibus, ad ignem ſedens, ſermones miſcebat: *Sedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.*
Marc. 14 Marc. cap. 14. nu. 54. & Luc. c. 22.
Luc. 22. num. 55. *Erat Petrus in medio eorum.* Quapropter D. Chryſoſtom. homil. 81. in Matth. priſtinam Petri fortitudinem, & præſentem inter blaſphemos imbecillitatem
D. Chryſ. contemplatus, exclamat: *O res nouas, & mirabiles! quando capi Magiſtrum vidit, adeo efferbuit, vt ſtricto gladio ſeruum percuſſerit: quando autem magis indignari, inflammari, ſuccendique debebat; tot tantaque opprobria videndo, atque audiendo, tunc abnegauit.* Sanè magna eſt improbæ ſocietatis vis, in quam vbi primũ quis incidit, è probo redditur improbus, priſtinamque amittit rectitudinem. Vis videre? oculos in Petrum reflecte: in horto intrepidum, gladioque exerto integrã cohortem inuadentem inſpicies: rurſum Pontificis domum adi, & Petrum ibi ab eiuſdem miniſtris quinimmo à vili muliercula tentatum, negantem deprehendes. Cur ita fortis apparet in horto, quem paulò poſt Cayphæ palatiũ trepidantem vidit, & negantem? Ratio eſt, quia Chriſtus dudum in oratione ad Patrem imbecillum ſe oſtenderat; vt Petrus, & ſocij qui in horto aderant, impauidi fortesque redderentur. Hinc eſt illa S. Leonis apoſtrophe ad Petrum, ſerm. 3. de Paſſione: *Non* D. Leo.
te confundat infirmitas, quam recepi: Ego de tuo ſui trepidus, tu de meo eſto ſecurus.

Et verò dum Chriſtus imbecillitatis oſtenſione, propoſitum Paſſionis calicẽ deprecatur, apud Matth. cap. 26. num. 39. ter repetens: *Pater mi ſi poſſibile eſt* Matt. 26
tranſeat à me calix iſte: Iacobũ, & Ioannem video ad potandum calicem intrepidè ſe offerentes: Nam interroganti Chriſto, *Poteſtis bibere calicem, quem ego biturus ſum?* Matth. 20. num 22. animosè, amanterque, vereque reſponderunt: *Poſſumus.* Quis verborum poſitionem adeo contrariam non admiretur? Magiſter calicem deprecatur, & dicit, *Trãſeat à me calix iſte:* diſcipuli ad Matt. 26
illum bibendum alacriter inſurgunt, dicentes: *Poſſumus.* Quin etiam Petrus in hoſtes intrepidus

irruit, & Malchum vulnerat; cùm ſanguineo ſudore perfuſus Magiſter imbecillitatis argumẽta oſtẽdit. At ideo qui ex ſuo fortiſſimus eſt, imbecillis apparet; vt qui pauidi erant & fragiles, fortiſſimi redderentur, & intrepidi. Hinc eſt, vt apud Ioannem c. 12.
Ioan.12. num 27. dicentem audies. *Anima mea turbata eſt*; cùm tamen Petrus dixerit: *Animam meam pro te ponam*. Proh boni ſuperi! Quanta in Magiſtri verbis fragilitas: quanta in diſcipuli ſponſione animoſitas elucet. Libra quæſo, & interim D. Ambroſium lib.2.de fide cap.3. Magiſtri pauorem, & diſcipuli animoſitatem inter ſe conferentem auſculta. *Petrus dixit, animam meam pro te ponam, & Chriſtus dixit, anima mea turbatur. Vtrumque verum eſt, & plenum vtrumque rationis; quòd & ille, qui eſt inferior non timet; & ille, qui ſuperior eſt, gerit timentis affectum*.

Eadem Chriſti verba apud Io. c.12. nu.27. *Anima mea turbata eſt*, verſat ſtudioſè Auguſtinus, tract. 52. in Ioan. & cum alijs, quæ præcedenti numero dixerat artificioſè connectens, hunc in modum ſciſcitatur: *Quid eſt hoc, quomodo ſequi iubes animam meam, ſi turbari video animam tuam? Quomodo ſufferam quid graue tanta infirmitas ſentit; quale fundamentum quæram, ſi Petra ſuccumbit?* Et ſtatim reſpondet: *Sed videor mihi audire in cogitatione mea reſpondentem mihi Dominum meum, & quodammodo dicentem, magis ſequeris, quia ſic me interpono; audiſti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem infirmitatis tuæ. Vires ſuggero, vt curras, nec reprimo quod acceleras; ſed transfero in me, quod trepidas, & ſubſterno, quò tranſeas*. Hæc Chriſti ſocietatis commoda, qui ſeipſum oſtendit infirmum, vt nos redderet impauidos: ideoque in horto mortis pauore cõcutitur, vt quos ſecum habebat, Petrum ſcilicèt, Iacobum, & Ioannem ad mortẽ ſuſtinendam alacres redderet.

Sed Proh dolor quàm alium cerno Petrum poſtquàm ſocietatem immutauit, & prauorum cõcilio adhæſit, ſeque cum impijs, & Chriſti perſecutoribus immiſcuit. Tantùm enim eorum ſocietate à conſtantia, & fortitudine decidit, vt ad muliercula vocem conſternatus negauerit Præceptorem. Quapropter valde timenda eſt & ſummoperè euitanda ſocietas improborum, quæ veluti peſtifero quodam contagio animæ robur exedit, & conſumit. Pulchrè ſanè D. Auguſtinus verba Chriſti ad latronem expendit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, in Luc. 23. num. 43. ijsque improbæ ſocietatis perniciem acutè inſpexit: Non enim dixit, *Hodie eris in Paradiſo*, ſed addidit, *Mecum*, ſocium ſibi illum in itinere adiungens, vt ſecurum redderet: vnde nec latro

tali

tali ſocio iter aggredi timeret; nec cælites latronem vererentur admittere, quem ipſorum Rex Chriſtus in Paradiſum pergens, ſocium deferebat. Sed iam do Auguſtinum, qui in verbo *Mecum* pulcherrimè ludens, ita loquitur: *Ego tibi illic ero victus, & vita: & ne fortè verearis, ne tibi aliquis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro inſidietur; poſſeſsio tibi illic me introducente firmabitur.* Itaque Dominus Ieſus, & latroni ſecuritatem pollicetur, & ab antiqua diaboli ſocietate auertit, & cælites reddit ſecuros, ne latronem admittere vereantur: quippe cùm Chriſti ſocius Paradiſum ingrediatur, nihil ipſis nocebit: aliter adeo peſtifera eſt improbæ ſocietatis contagio, vt nec inter cæli ciues admittendus latro videretur: etſi iã per pœnitentiam immutatus, niſi in Chriſti comitatu ingrederetur: *Me introducente firmabitur.*

August. ſer. 120. de temp.

In idem fere recidit illud D. Maximi homil. 2. *De Petro, & latrone*, vbi vtrumque eleganter confert: *Denique*, ait, *Petrus Dominum ſequitur, & iſte comitatur.* Quaſi dicat: Petrus à principio Chriſtum ſecutus eſt; poſtea verò improbis ſe adiũxit, ex quorum contubernio infirmitatẽ hauſit, vt miniſtrorum interrogationibus tentatus Præceptorem ſuũ negauerit. At verò latro Chriſtum in cruce comitatus, nunquã deſeruit, quouſque Paradiſum ingrederetur, & ſicut patientem ſecutus eſt, ita etiam ait Maximus hom. 1. de S. Latrone, ingredientem in cælum proſecutus eſt Saluatorem. *Et ideo*, ait, *qui conſortio paſſionis vtitur, cõſortio Paradiſi condonatur.* Longè aliter Petrus, qui, vt homil. citata aduertit D. Maximus, Adamo ſimilis, qui à muliere deceptus à Paradiſo excluditur; *Malè*, inquit, *Adam induxit Eua: malè Petrum introduxit ancilla: illa excluſit à Paradiſo, hæc excluſit à Chriſto: illa perſuaſione ſua virum decepit, hæc interrogatione ſua Apoſtolum circumſcripſit: illa ad præuaricandum Adam impulit, hæc Petrum compulit ad negandum. Et idem ſexus in vtraque oſtiariæ officium gerens, aut excluſit à vita, aut includit ad mortem.* Petrus itaque, & Adam fœmineæ ſocietatis nocumẽta malo ſuo didicerunt: nam vterque mulierum ſeductionibus, & tentationibus à Regno excluditur; & Dymas ob Chriſti ſocietatem in illud introducitur; deque ingreſſus ſecuritate certior à Chriſto redditur: *Me introducente firmabitur.*

D. Max.

D. Max.

Domino Ieſu de Antechriſti perſecutionibus verba faciente apud Matth. c. 24. *Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto, tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes.* Illud mihi ponderandum occurrit: cur in perſecutione generali, quæ om-

Matth. 24

nes

nes Orbis Regiones erat vaſtatura, ſolis Iudææ incolis fuga ſuadetur; *qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes?* Nun aliorum ſalutem, & incolumitatem non curabat? Abſit: ſed propterea ad illos præcipuè reſpicit; quippe cũ prauis eſſent ſocietatibus cõmixti, lapſui deceptionique propinquiores erant, vt egregiè S. Hilarius adnotauit. S. Hilar. *Quia*, inquit, *proprius Iudææ erat error, vt qui veritatem reſpuerunt ſuſcipiant falſitatem, Iudæam deſeri monet, & transfugere in montes; ne admixtione plebis illius Antechriſto creditura viſa, vt contagio efferatur; ſed omnibus qui tunc fideles erunt tutiora futura ſint deſerta loca montium, quàm frequentata Iudææ.* Hoc Petrus aduertere debuiſſet, & maculoſæ ſocietatis contagia declinare, nec ſe blaſphemãtibus immiſcere, fortaſſisque in negationem non incideret.

Poſtremas negationis cauſas, Caſsiod. proferunt Caſsiodorus, & Auguſtinus: ille propterea Petrum negare permiſſum autumat, vt notum fieret ſolam Dei Genetricem ſanctiſsimam ab omni culpæ labe immunem eſſe, ac ſoli eidem conceſſum, vt ne vel minima imperfectione laboraret: Cùm tamen Petrus Chriſti Vicarius, quem ſumma decebat ſanctitas negando deliquerit. Auguſtinus tractatu 123. in Ioannem Petri negationẽ ipſius animoſitati adſcripſit, qua priùs Chtiſto, & pro ipſo mortem voluit ſuſtinere, vnde dicebat: *Animam meam pro te ponam:* D. Aug. Ioan. 13. num. 37. *Hunc*, inquit, *inuenit exitum ille negator, & amator: præſumendo elatus, negando proſtratus: flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus: hunc inuenit exitũ, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo ſe moriturum peruerſa feſtinatione promiſerat; faciat eius reſurrectione firmatus quod immaturè pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat vt priùs Chriſtus pro Petri ſalute, deinde Petrus pro Chriſti prædicatione moreretur. Præpoſterum fuit quod audere cœperat humana temeritas, cùm iſtum diſpoſuiſſet ordinem veritas. Animam ſuam ſe poſiturum pro Chriſto Petrus putabat, pro liberatore liberandus; cùm Chriſtus veniſſet animam ſuam poſiturus pro ſuis ouibus, in quibus erat & Petrus. Quod ecce iam factum eſt, nunc tam firmitas cordis ad ſuſcipiendã mortem pro nomine Domini vera ipſo donante ſumatur, non falſa nobis errantibus præſumatur.* Hactenus ille: Petrus verò etſi ob memoratas à nobis cauſas & alias item incognitas in negationẽ incidiſſe permitteretur. Sedulò ſurrexit, & culpã tot lachrymis eluit, vt fôrs non erraueris, ſi vtilem, fœlicem, & frugiferã dixeris culpã, ex qua tot pœnitentiæ aliarumq. fructus virtutum germinarunt.

S. QVAR-

Digitized by Google

§. QVARTVM.

Petrus negationis crimen pœnitentia, & lachrymis delet.

GRaue Petri delictum, vt ipſa nominis notio demõſtrat. Quid enim grauiùs, quàm negare, quem etiam vitæ diſpendio confiteri debuiſſes. Vnde interrogabat olim diſertè Chryſologus ſer-
Chryſol. mone 94. *Negationis crimine quid peius?* Et iam ante ipſum Origenes tractatu 35. in Matth. delicti grauitatem ponderoſiùs
Origen. examinauit. *Quoniam*, inquit, *non ſolùm inconſideratè, ſed penè etiam impiè dixit: etſi omnes fuerint ſcandalizati in te, ego non ſcandalizabor: nec cogitans lubricam naturam humanam, magnũ protulit verbum*; *ideo nec ad modicum eſt derelictus, vt ſcilicet denegaret, ſed abundantiùs derelinquitur, vt ter denegaret, vt arguatur audacia promiſsionis eius per vnam ancillam*. In idem recidit quod preſsius more ſuo dixit contra Marcionem libro 4.
Tertull. Tertullianus. *Nam, & Petrum præſumptoriè aliquid elocutum, negationi potiùs deſtinando zelotem Deum ſibi oſtendit.* Nullibi tamẽ negationis grauitas expreſſiùs quàm D. Marci calamo red-
Marc. 14. num. 71. dita inuenitur. *Ille autem*, inquit, *cœpit anathematizare &, iurare, quia neſcio hominem iſtum quem dicitis*, cap. 14. num. 71.

Verùm culpæ grauitas ideo exaggeratur, vt ſubſecuta pœnitentia, & pęnitẽtis amor eximius commendetur vberiùs, & altiùs efferatur. Etenim quo fortior eſt hoſtis in prælio victus, eò clarior eſt victoris triumphus: idcirco in ſacra Regum hiſtoria, monſtroſa Gigantis ſtatura, ipſiuſque armorum ponderoſa moles enarratur, vt clariorem fuiſſe Dauidis victoriam ſignificetur. Itaque vbi primum Dominus Ieſus aſpectu ſuo Petrum fælicitauit; illico Apoſtolus apertis oculis culpã agnouit, & mutatis in lachrymarũ flumina luminibus in mare amaritudinis totus abijt, in quo negationis culpa ſuo pondere immerſa penitus extincta eſt. Præit mihi S. Leo ſerm. 9. de paſsione, ex quo hæc excerpo: *Dominus autem Ieſus,* D. Leo.
qui intra Pontificale Concilium ſolo corpore tenebatur, trepidationem diſcipuli foris poſiti diuino vidit intuitu, & pauentis animum mox vt reſpexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit. Quis credat? lachrymis ita fortis redditus eſt Petrus, vt poſtmodùm, Diuo Leone teſte, inuincibilis crederetur: nec mirum, quia ex ipſa fragilitate fortitudinem hauſit incredibilem: *Et firmitatem*, in- D. Leo.
quit, *ſtandi, in ipſo cadendi periculo recepiſti*. Cur non ita? Siquidem culpæ dolor Petri cor in ſanguinem per oculos eliquauit: nihil enim aptiùs lachrymas dixeris, quàm ſanguinem cordis: Audi

Au-

Auguſtinum lib. 5. Confeſsionum de lachrymis loquentem, quas pro ipſius cōuerſione mater ipſius fundebat; quibusque tantùm detulit Deus, vt mira pro Auguſtino fuerit operatus. D. Aug. *De ſanguine*, inquit, *cordis matris meæ, per lachrymas eius, diebus, ac noctibus ſacrificabatur, & egiſti mecum miris, & occultis modis*. Quanto melius Petrus, qui non alieni ſed proprij cordis ſanguinem Magiſtro ſuo litabat, dum manantibus oculis in lachrymarū flumina ſoluebatur. Nec minùs lachrymis tribues, ſi luſtralem baptiſmi aquā appellaueris, cum Leone iam citato: quippe quæ Petrum ad amplioris gratiæ ſtatum retulerunt. D. Leo. *Fælices*, inquit, *ſancte Apoſtole, lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere baptiſmatis*. Miro tamē modo, ait Chryſoſtomus hom. 5. in epiſt. ad Roman. amoris flamma in Petri corde ſuccenſa, illud in aquas ſoluebat; cor incendio æſtuabat, & oculi lachrymis enatabant, quas non humana ratio, ſed præteritæ negationis dolor, D. Chryſ. memoriaque extundebant. *Audi igitur*, inquit, *vt Petrus amore Chriſti victus ardeat, & animæ & vitæ, & omnibus rebus illum anteponēs, quem dum abnegaſſet, non ob ſupplicium luxit: ſed quòd quem amabat, eum negaſſe ſe viderat*.

Ne verò quidquam ad pœnitentiæ perfectionem deſideraretur, Petrus qui linguā peccauerat, ipſius miniſterio ad obtinendam veniam non vtitur, ſed oculis innocentibus indulgentiam flēdo poſtulat: pro verbis lachrymas fundit, & in ipſo ſilentio clamat illachrymans, indulgentiamque adipiſcitur; ſicut egregiè pōderauit S. Petrus Damianus tract. 37. cap. 7. *Petrus*, inquit, D. Petr. Damian. *qui ream ſuam linguam, ſcilicèt deliquiſſe cognouit, oculis quibus non peccauit, veniam impetrauit*. Et D. Maximus homil. 3. de pœnitentia Petri: *Petrus*, inquit, D. Max. *iam non vtitur ſermone, quo ſefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiſerat: ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vſus fuerat ad negandum, ac per hoc maluit & cauſam ſuam flere, quam dicere, & quod voce negauerat, lachrymis confiteri*. Quin etiam addit Maximus, linguæ miniſterio ſuperceſsit, vt tacendo monſtraret, nullam ſibi in animo eſſe excuſationem culpæ prætexere, quā ſic amarè flendo eluere nitebatur. *Inuenio enim*, inquit, *quod fleuit, non inuenio quid dixerit, lachrymas eius lego, ſatisfactionē non lego. Rectè planè Petrus fleuit & tacuit, quia quod deſleri ſolet, non ſolet excuſari, & quod defendi non poteſt, ablui poteſt*.

Fortè etiam verecundus pudor vocem Petro abſtulit, & grato fœnore pro verbis lachrymas dedit: quippe cùm in ipſum negantem Chriſtus oculos conieciſſet:

Et

Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Luc.22. num.61. illico pudore impellente domum Pontificis deſeruit, in fletumque diſſolui cœpit amariſsimũ: *Et egreſſus foras fleuit amarè*. Ita mihi videtur D. Maximus citato loco ſubodoratus. *Cauat enim*, ait, *lachryma delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ conſulunt, & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando. Lachrymæ, inquam, tacitæ quodam modo preces ſunt, veniam non poſtulant, & merentur: cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur*.

Luc. 22. num.61.

D. Max.

Et verò non aliunde potuit Petrus ſuam pœnitentiam fæliciùs, quam à pudore & lacrymis auſpicari: poſtquàm Chriſti aſpectu tãquam redargutione feriri ſe ſenſit: Nam vt dixit ſanctus Gregorius Niſſenus homil. 3. in Eccleſiaſt. *Pudor ſequens debiti reprehenſionem, per ſe ſufficit ad caſtigandum eum, qui peccat; ne rurſus in ſimilia incidat*. Hinc eſt, vt abſente pudore, omnia peccata ſubnaſcantur; vt cecinit ſanctus Gregor. Nazian. Carm. ad Olympiadem.

S.Niſſen.

Protinus extincto ſubeunt mala cuncta pudore.

Gregor. Nazian.

S. Bernardus in lib.Medit.c.12. ait: *De die in diem peccata peccatis addo, erubeſcenda video, nec erubeſco: delenda intueor, nec deleo: quod eſt mortis ſignum, & damnationis indicium*. Et ſane pudorem non immerito frænum dixeris peccatorum. Senecam audi lib. 2. de benef. cap. 16. dicentem: *Pudorem rei tollet multitudo peccantium, & definet eſſe probri loco commune delictum*. Addo tragicum in Agãmemnone.

S.Bern.

Seneca.

Periere mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, neſcit pudor.

E cõtra vt ex Niſſeno dicebamus pudor virtutes fouet, vitia perimit, peccata punit, & innocentiam conſeruat. Hæc in Petro dolorem extudit, lachrymas elicuit, & dum vocis vſum abſtulit, cauſam ſuam meliùs docuit fletibus perorare, quàm verbis.

Igitur ſic abundanter fleuit Petrus, vt non duobus tantùm, ſed mille, & ampliùs oculis lachrymas deduxiſſe videatur; vt illud Zachariæ Oraculum cap. 3. num.9. mihi indicat: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna*; vbi Chriſtus angularis Eccleſiæ lapis, & fundamentùm in litterali ſenſu intelligitur, ſuper quo ſeptem oculi, ideſt, ſeptem Spiritus ſancti dona, teſte Iſaia cap. 11. requieſcunt; cuiusque ſculpturam Æternus Pater dicitur cælaturus: quia permiſſurus erat illum clauis lancea, ſpinis, & mille alijs ante & in ipſa cruce perforari: Vnde pro, *Cælabo ſculpturã eius*,

Zach.3. num.9.

eius, Septuaginta interpretes trãſtulerunt. *Ego fodiã foueam*, & Dauid Chriſti nomine dixit Pſal. 21.
Pſal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Peccatum verò quod in ipſo Paſſionis filij ſui die condonaturum pollicetur; humani generis delictum intellige: quoniam tunc quoad ſufficientiã pro parte Dei condonatum remanſit. Nihilominùs citra litteræ violentiã, non erit abs re Zachariæ verba Petro adaptare: quippe qui poſt Chriſtum Eccleſiæ lapis extitit,
Matt. 16 iuxta illud Matth. c. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; & in quem Chriſti oculi tempore, quo patiebatur intenderunt: *Reſpexit Dominus Petrum*; Luc. 22. num. 61. Et verò non corporeis tantùm humanitatis, ſed diuinitatis oculis in ipſum intendit, quos iure infinitos reputabis: Tantundem enim ſeptenarius ille apud Prophetam numerus importat, *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*. Et frequenter in ſacra pagina, ſeptem pro infinitis, ſeu magna multitudine vſurpatur. S. Raphaelem audi apud Tobiam dicentẽ c. 12.
Tob. 12. *Ego ſum vnus ex ſeptem, qui adſtamus ante Deum*; hoc eſt, vnus è millibus millium, qui Dei thronum circumcingunt. Et in Apocalyp. c. 7. eodem ſignificatu dicitur:
Apocal 7 *A ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu eius ſunt*. Vt ſignificaretur, Chriſtum diuinitatis ſuæ oculis Petrum reſpexiſſe ſeptenario vſus Zacharias; *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*, hoc eſt, infinitis in eum oculis intendit: quo aſpectu Petrus dolore ſolutus in lachrymas abijt, quod fors præcinuit Dauid Pſalm. 113. v. 8.
Qui conuertit petram in ſtagna aquarũ, & rupem in fontes aquarum. Pſal. 113 verſ. 8.

Vel certè hos ſeptem oculos, qui ſuper lapidẽ inuigilare à Propheta dicuntur, non alios quàm Petri oculos iuuat intelligere: Nam etſi duos tantùm habuerit, ijs ſic abundanter fleuit, & tot lachrymarum flumina deduxit, vt ſeptem, parum eſt, multò pluribus, audeo, infinitis fleuiſſe videretur, in lapidem verſus ſeptem luminibus, quæ flumina dixeris, adapertus: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*. Zach. 3. Meliùs tamen in ſeptenario oculorum, & Dei, & Petri oculos accipiemus: Dei quibus Petrum reſpexit, & culpæ coarguit: Petri quibus toto vitæ tempore, præſertim audito gallicinio, vt ex Clemente Romano retulimus, inceſſanter in lachrymas eliquabatur. Vnde canente gallo plorante Petro accidiſſe reor, quod Magdali rogantibus Aegelis: *Mulier quid ploras*, Ioan. 20. euenit, Ioan. 20. Ad quid putas hæc Angelorum interrogatio deſeruijt? niſi vt fletum, & ipſius cauſam augeret: dum enim interrogant, demortuum in memoriã reuocant, & plorantem ire iterùm in lachrymas cogunt. Perbelle

Dro-

Drogo Oſtienſis Epiſcopus, Angelos allocutus: *Benè quidem noueratis, ò piiſſimi Angeli, quid ploret: Quare illam commemorando iterum in fletus excitatis?* Ideo tamen commonēt, & ad fletum commonendo impellunt, vt ampliùs plorans reſurgentis gloriam aſpicere, ipſiusque aſpectu quantocyùs delectari mereretur. Iterùm Drogo: *Propè erat inſperatæ conſolationis gaudium; ideo tota vis doloris, & plorationis excurrat.* Non aliter ad galli cantum dum ploraret Petrus multum de Deo promeritus, & oculis aqua natantibus, Dei oculos ad ſe pertraheret; cantus ille negationis quædam interrogatio erat. gallus canebat exteriùs, & Petrus à Chriſto interiùs rogabatur: Cur negauerit: Cur deſertorem Magiſtri ſe exhibuerit: quò dolor interim renouabatur, lachrymas pœnitens iterabat; vt idem vitæ qui plorandi terminus exiſteret, ac Dei oculos iugiter in ſe intentos haberet. *Super lapidem vnū ſeptem oculi ſunt.*

Drogo.

Zach. 3.

Et mirò ſanè modo quò ampliùs madebat lachrymis, eò ampliùs amoris incendio vrebatur, lapidi ſimilis, qui teſte Diſcoride lib. 3. cap. 104. apud Traciam inuenitur; &, *Dum aqua aſpergitur, ardere dicitur, atque inflammari.* Sic perenni viciſsitudine Petri lachrymę cordis incendium fouebant; cor ardens perennes lachrymas manātibus oculis miniſtrabat: vnde flendo ardebat, & ardens in aquas ſoluebatur; eratque vnda flammæ pabulum, & cordis fauillæ in guttas eliquatæ, per oculos iugiter defluebāt.

Dioſcor.

Ingens apud Deum eſt vis lachrymarum, & ipſis plurimùm attrahitur. Audi quid Oſeas c. 12. num. 4. de lachrymis Iacob pronunciauerit: *Inualuit ad Angelū, & confortatus eſt, & fleuit, & rogauit eum; Non dimittam te niſi bene dixeris mihi; & benedixit eū.* Luctanti Iacob & roganti Angelus, ſeu Dei verbum reſtitit; vbi verò plorantem vidit, inflexus eſt, & precanti aſſentitur. Egregiè Rupertus lib. 2. de proceſſ. Spiritus ſancti c. 21. *Non potuit Deus ſe continere ſiēte illo, quin de multitudine viſcerum ſuorum Spiritū paracletum effunderet in eum.*

Oſeas 12 num. 4.

Rupert.

Nec ſolam, vt ita loquar, Dei potentiam lachrymæ emolliunt, & exuperant; ſed ipſius affectum pertrahunt, & amorem quodammodò captiuant, ita vt quaſi reliquarum rerum prouidentiā oblitus in ſolos plorantes intendat; eorumq. lachrymis impenſiùs delectetur. Chriſtum à mortuis excitatum ſub hortulani figura Magdalim repellentem, cum præ abſentis deſiderio plorabat, intuere. Nam dum proprio nomine compellari ſe ſenſit, compellantem agnouit dilectum, ac ad illius pedes ſeſe proiectura ſedulò accurrit; ille accedentem repulit dicēs: *Noli me tangere, nondum enim*

aſcen-

Digitized by Google

Io. 20. 17 *aſcendi ad Patrem meũ.* Ioan. 20. nu. 17. Cur ab amante & plorante recuſat tangi? cùm diſcipulos incredulos ſemel, atque iterum plagas omnes tangere & palpare adhortetur, Luc. 24. num. 39. *Palpate, & videte*; Quodque ampliùs admireris, repulſæ cauſam auſculta: *Quia nondum aſcendi ad Patrem meum.* Nunquid poſt in cælos aſcenſum pedes tangere permittetur? Minimè: quid ergo eſt, *Noli me tangere: quia nondum aſcendi ad Patrem meum?* Niſi plorantem iuxta pedes meos intueri te nolo, quia ſic lachrymis capior; vt quò te videam in lachrymas abeuntem, ego ad Patrem abire quaſi oblitus, aſcenſum differam: ſiſte igitur lachrymas, gemmantes oculorum margaritas, & oris gemitus compeſce: *Quia nondum aſcendi ad Patrem meum.*

Luca 24 num. 39.

Prope ſimilia apud Salomonem deprehendo cum Sponſa Chriſti nomine locutum in Canticis c. 6. num. 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare*, ſeu vt legit Ambroſius: *eleuare fecerunt.* Quid porro in Sponſæ oculis vidit, vt ad eorum conſpectum eleuari, ſeu auolare fateatur? Planè lachrymas: paulò ante Sponſam laudauerat, & haud dubium quod plorantem: *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora*, ibid. nu. 3. Quid enim formoſiùs oculis aqua manãtibus, cùm vel dilecti abſentis deſiderium, vel offenſi dolor illam exprimit? Et certè dilectus tunc aberat, vnde dicebat: *Dilectus meus deſcẽdit in hortum ſuum*; cumque ob ipſius abſentiam plorantem inde proſpiceret, dixit: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Cant. 1. nu. 9. Ideo verò Sponſæ genas turturi æquiparat, quia auis hæc Nazianzeno teſte in carm. ob coniugis abſentiam in aſſiduo fletu vitam tranſigit, nec poſt amiſſum conſortem alteri ſe ſociare contendit, ſed continuis gemitibus ſuám viduitatem lamentatur.

Cant. 6. num. 4.

——— *Turtur viduata marito,* Nazian.
Extinctum gemit aſſiduè, vultuque requirit.
O verè ſapiens volucris. ———

Cùm autem Sponſus turturis inſtar Spõſę genas lachrymis profuſas intueretur, earum pulchritudinem laudauit, dicens: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis,* & deinde adijcit: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora.* Mirum tamen eſt, quòd ipſam à pulchritudine ita laudatam ſeccedere iubeat: *Auerte oculos tuos à me.* Vt quid hæc iubes, ò Sponſe? *Quia ipſi me eleuare fecerũt,* vt cum Ambroſio legebamus, ſic enim lachrymis detineor, vt ijs conſpectis communem cæterarũ rerum prouidentiam quaſi videar obliuiſci: *Quia ipſi me euolare fecerunt.* Cur igitur Petrus plorans Chriſti oculos ad ſe non cõuerteret, & quaſi captos detineret, ac quo tempore, ipſe effuſis la-

Cant. 1. num 9.

lachrymis ad Deum conuerteba-
tur; Deus ad pœnitentem ſuum
non conuerteretur? Siquidem
vt ſcitè dixit Auguſtinus ſermo-
S. Auguſt. ne 141. de tempore: *Vidit ſe in
ſe, doluit ſe in ſe, fleuit ſe in ſe, cō-
uerſus eſt ad Deum qui fecerat ſe:*
& ita conuerſus diuinos in ſe
oculos conuertit: *Super lapidem
vnum ſeptem oculi ſunt.*

Dum Iordanis aquas Chriſtus
à Ioanne baptizandus intrauit,
ſanctus Spiritus, teſte Baptiſta
apud Ioan. cap. 1. nu. 31. columbæ
ſpecie ſuper Chriſtum aduolauit.
Ioan. 1. num. 31. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi
columbam, & manſit ſuper eum.*
Vt quid hæc forma ad apparendū
eligitur? Planè, ait Guerricus,
ob lacrymarum affectum, quas cō-
Guerric. lumbæ gemitus adſignificat. *Ne-
ſcio*, inquit, *ſi Spiritui ſancto, qui
in columba apparuit, alia vox fa-
miliarior gemitu, aut gratior ſit.
Puto quia neque in Apoſtolis locū
inueniſſet paracleti conſolatio, niſi
quia lugebant ſe deſolatos.* Ita ille
ſerm. 2. de Pentecoſt. Et D. Am-
broſius lib. 2. de pœnitent. cap. 8.
Chriſti in Orbem aduentum,
ipſiuſque ex Virgine de Genea-
logia Dauid Natiuitatem, Dauid
D. Ambr. lacrhymis attribuit. *Dauid*, ait,
*dicebat: lauabo per ſingulas no-
ctes lectum meum, lachrymis meis
ſtratum meum rigabo; & ideo
meruit, vt ex eius familia Virgo
eligeretur, quæ nobis partu proprio
Chriſtum ederet.* Et fors eandem
lachrymarum vim attendens Cel-
lenſis Abbas, dixit lib. de panibus Cellenſ. Abbat.
cap. 12. *Lachryma filium Dei ad
nos inclinat.* Quin etiam Tertul- Tertul.
lianus lib. de baptiſmo, propterea
Chriſtum aquis ita affectū nobis
oſtendit; vt in eis prima omnipo-
tentiæ ſuæ argumenta conſecra-
rit; quia lachrymę in corde ſan-
guis, ad oculos tranſmiſſæ, vertun-
tur in aquas: vnde amoris naſci-
tur prærogatiua. *Nunquam*, ait,
*ſine aqua Chriſtus. Prima rudi-
menta poteſtatis ſuæ vocatus ad
nuptias aqua auſpicatur. Cùm
ſermonem facit, ſitientes ad aquā
ſuam inuitat ſempiternam, cùm
de agape docet, aquæ calicē fratri
oblatū, inter opera dilectionis pro-
bat. Apud puteum vires reſumit:
ſuper aquam incedit libenter, &
transfretat.*

Verùm nihil expreſſiùs deſi-
gnat quanto apud Chriſtum, &
ſanctum Dei Spiritum amore ſint,
quàm quòd Spiritus columbæ fi-
guram ſuper Chriſtum in Iordane
apparitus elegerit, in qua ge-
mitus, & lachrymæ ſignificaban-
tur; & ideo in Canticis, deuota
anima columbæ aſsimilatur: *Co-
lumba mea*, cap. 2. num. 10. Hinc Cant. 2. num. 10.
etiam ſponſus, & ſponſa mutua
quadam viciſsitudine alter in al-
terutro oculos columbæ ſimiles
deprædicat. Notatu tamen di-
gnum eſt, quòd dum ſe inuicem
de pulchritudine commendarent,
& varijs vterētur ſimilitudinibus,
quibus omnes corporis partes à
capite exorſi adornarēt, nuſquam

Io. 20. 17 *aſcendi ad Patrem meũ.* Ioan. 20. nu. 17. Cur ab amante & plorante recuſat tangi? cùm diſcipulos incredulos ſemel, atque iterum plagas omnes tangere & palpare adhortetur, Luc. 24. num. 39. *Palpate, & videte*; Quodque ampliùs admireris, repulſæ cauſam auſculta: *Quia nondum aſcendi ad Patrem meum.* Nunquid poſt in cælos aſcenſum pedes tangere permittetur? Minimè: quid ergo eſt, *Noli me tangere: quia nondum aſcendi ad Patrem meum?* Niſi plorantem iuxta pedes meos intueri te nolo, quia ſic lachrymis capior; vt quò te videam in lachrymas abeuntem, ego ad Patrem abire quaſi oblitus, aſcenſum differam: ſiſte igitur lachrymas, gemmantes oculorum margaritas, & oris gemitus compeſce: *Quia nondum aſcendi ad Patrem meum.*

Luce 24 num. 39.

Prope ſimilia apud Salomonem deprehendo cum Sponſa Chriſti nomine locutum in Canticis c. 6. num. 4. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare*, ſeu vt legit Ambroſius: *eleuare fecerunt.* Quid porro in Sponſæ oculis vidit, vt ad eorum conſpectum eleuari, ſeu auolare fateatur? Planè lachrymas: paulò ante Sponſam laudauerat, & haud dubium quod plorantem: *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora*, ibid. nu. 3. Quid enim formoſiùs oculis aqua manãtibus, cùm vel dilecti abſentis deſiderium, vel offenſi dolor illam exprimit? Et certè dilectus tunc aberat, vnde dicebat: *Dilectus meus deſcẽdit in hortum ſuum*; cumque ob ipſius abſentiam plorantem inde proſpiceret, dixit: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Cant. 1. nu. 9. Ideo verò Sponſæ genas turturi æquiparat, quia auis hæc Nazianzeno teſte in carm. ob coniugis abſentiam in aſſiduo fletu vitam tranſigit, nec poſt amiſſum conſortem alteri ſe ſociare contendit, ſed continuis gemitibus ſuám viduitatem lamentatur.

Cant. 6. num. 4.

——— *Turtur viduata marito,* Nazian.
Extinctum gemit aſſiduè, vultuque requirit.
O verè ſapiens volucris. ———

Cùm autem Sponſus turturis inſtar Spõſę genas lachrymis profuſas intueretur, earum pulchritudinem laudauit, dicens: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis,* & deinde adijcit: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora.* Mirum tamen eſt, quòd ipſam à pulchritudine ita laudatam ſeccedere iubeat: *Auerte oculos tuos à me.* Vt quid hæc iubes, ò Sponſe? *Quia ipſi me eleuare fecerũt,* vt cum Ambroſio legebamus, ſic enim lachrymis detineor, vt ijs conſpectis communem cæterarũ rerum prouidentiam quaſi videar obliuiſci: *Quia ipſi me euolare fecerunt.* Cur igitur Petrus plorans Chriſti oculos ad ſe non cõuerteret, & quaſi captos detineret, ac quo tempore, ipſe effuſis la-

Cant. 1. num 9.

lachrymis ad Deum conuertebatur; Deus ad pœnitentem ſuum non conuerteretur? Siquidem vt ſcitè dixit Auguſtinus ſermone 141. de tempore: *Vidit ſe in ſe, doluit ſe in ſe, fleuit ſe in ſe, cõuerſus eſt ad Deum qui fecerat ſe:* & ita conuerſus diuinos in ſe oculos conuertit: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.*

S. Auguſt.

Dum Iordanis aquas Chriſtus à Ioanne baptizandus intrauit, ſanctus Spiritus, teſte Baptiſta apud Ioan. cap. 1. nu. 31. columbæ ſpecie ſuper Chriſtum aduolauit. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam, & manſit ſuper eum.* Vt quid hæc forma ad apparendũ eligitur? Planè, ait Guerricus, ob lacrymarum affectum, quas columbæ gemitus adſignificat. *Neſcio,* inquit, *ſi Spiritui ſancto, qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior ſit. Puto quia neque in Apoſtolis locũ inueniſſet paracleti conſolatio, niſi quia lugebant ſe deſolatos.* Ita ille ſerm. 2. de Pentecoſt. Et D. Ambroſius lib. 2. de pœnitent. cap. 8. Chriſti in Orbem aduentum, ipſiuſque ex Virgine de Genealogia Dauid Natiuitatem, Dauid lacrhymis attribuit. *Dauid,* ait, *dicebat: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo; & ideo meruit, vt ex eius familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Chriſtum ederet.* Et fòrs eandem lachrymarum vim attendens Cellenſis Abbas, dixit lib. de panibus cap. 12. *Lachryma filium Dei ad nos inclinat.* Quin etiam Tertullianus lib. de baptiſmo, propterea Chriſtum aquis ita affectũ nobis oſtendit; vt in eis prima omnipotentiæ ſuæ argumenta conſecrarit; quia lachrymę in corde ſanguis, ad oculos tranſmiſſæ, vertuntur in aquas: vnde amoris naſcitur prærogatiua. *Nunquam,* ait, *ſine aqua Chriſtus. Prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur. Cùm ſermonem facit, ſitientes ad aquã ſuam inuitat ſempiternam, cùm de agape docet, aquæ calicẽ fratri oblatũ, inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires reſumit: ſuper aquam incedit libenter, & transfretat.*

Ioan. 1. num. 31.

Guerric.

D. Ambr.

Cellenſ. Abbas.

Tertul.

Verùm nihil expreſſiùs deſignat quanto apud Chriſtum, & ſanctum Dei Spiritum amore ſint, quàm quòd Spiritus columbæ figuram ſuper Chriſtum in Iordane appariturus elegerit, in qua gemitus, & lachrymæ ſignificabantur; & ideo in Canticis, deuota anima columbæ aſsimilatur: *Columba mea,* cap. 2. num. 10. Hinc etiam ſponſus, & ſponſa mutua quadam viciſsitudine alter in alterutro oculos columbæ ſimiles deprædicat. Notatu tamen dignum eſt, quòd dum ſe inuicem de pulchritudine commendarent, & varijs vterẽtur ſimilitudinibus, quibus omnes corporis partes à capite exorſi adornarẽt, nuſquam

Cant. 2. num. 10.

in eandem ſimilitudinem conue-
nerant. Attende quid de ſponſi
capite dixerit ſponſa: *Caput eius
aurum optimum.* Canticorum 5.
Cant 5. num. 11. num. 11. Quid ille? *Caput tuum
vt Carmelus.* Et de capillis ſub-
Cant. 7. num. 5. dit, *Comæ capitis tui ſicut purpu-
ra Regis,* Cantic. 7. num. 5. & c. 6.
cant 6. num 4. num. 4. *Capilli tui ſicut greges ton-
ſarum.* Illa è contra Cantic. c. 5.
Cant. 5. num 15. nu. 10. *Comæ eius ſicut elatæ pal-
marum, nigræ quaſi coruus.* Pro-
greditur ſponſa pedes ſponſi lau-
datura, & ait: *Crura illius colum-
næ marmoreæ.* Canticorum 5.
num. 15. Ille laudem rependens,
Cant. 7. num. 1. aliter pedes laudat: *Pulchri ſunt,*
ait, *greſſus tui filia principis, in
calceamentis.* Canticor. 7. nu. 1.
Quid? Sponſus ventrem etiam
Ibidem num. 2. ſimilitudine ſua exornat: *Venter,*
inquit, *tuus, ſicut aceruus tritici,
vallatus lilijs.* Canticor. 7. num. 2.
Cant 5. num. 14. Reddit illa, *Venter eius eburneus
diſtinctus ſaphiris.* Cant. 5. n. 14.
Iterùm ſponſus; *Duo vbera tua
Cant 7. num. 5. ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.*
Cant. 1. num 1. Canticor. 7. num. 5. Illa cap. 1. n. 1.
Meliora ſunt verba tua vino. Ille
Cant. 4. num 3. de labijs; *Sicut vitta coccinea la-
bia tua,* cap. 4. num. 3. Illa cap. 5.
Cant. 5. num. 13. num. 13. *Labia eius diſtillantia
myrrham primam.* Quin & de
Cant 5. num 5. Ibid. nu. 14. proprijs manibus locuta, dixit:
*Manus meæ diſtillauerunt myr-
rham:* at verò de Sponſi manibus
ait: *Manus eius tornatiles aureæ
plenæ hyacinthis.* Itaque in tot ſi-
militudinũ varietate, nuſquam in
eandem, præterquàm in laudanda
oculorum gratia conueniſſe reperies?
Etenim Sponſus; Sponſæ
oculos laudaturus: *Quàm pul-* Cant. 4.
chra es, inquit, *amica mea, quàm
pulchra es; oculi tui columbarum.*
Canticor. 4. num. 1. eademque ha-
bentur Canticor. 1. num. 14. Illa
pariter: *Oculi eius ſicut columbæ.* Cant. 5.
Vt quid in ſolis oculis hæc ſimili-
tudinum conuenientia reperitur,
vt vtrique columbæ ſimiles dicã-
tur? Haud dubium quia colum-
bini cùm ſint, lachrymis inundãt,
gemituũque indices habentur; &
nihil lachrymis, & gemitibus Deo
gratiùs. Recole Guerricum di-
centem: *Neſcio ſi Spiritui ſancto,
qui in columba apparuit, alia vox
familiarior gemitu, aut gratior ſit.*
Et ſanè Chriſtum verum animæ
Sponſum, etiam illachrymaſſe
agnouimus, non ſolùm in cruce,
vt D. Paulus teſtatur: *Cùm cla-* Ad Hel. c. 5. n. 7.
more valido, & lachrymis. Item
in reſurrectione Lazari Ioan. 11.
Lachrymatus eſt Ieſus. Et ſæpe Ioan. 11.
alibi. Non potuit verò clariùs de-
ſignari, quanti Sponſus, & Spon-
ſa lachrymas ſuas viciſſim æſtima-
rent; & quantùm ad inuicem fle-
tibus, & gemitibus caperentur,
quàm ſi columbæ ſimilitudine
oculos vtrinque commendarent.
*Oculi tui ſicut columbæ. Oculi tui
columbarum.* Et ſanè ex hac ſi-
militudine, quanti fieri debeant
lachrymę intelliges: ſiquidem
tam magna eſt earum potentia;
vt iam nõ mirer ſcripſiſſe Cellen-
ſem Abbatẽ lib. de panibus c. 12.

Aqua

Aqua hæc aut facit; aut inuenit paradiſum: Cùm enim profuſione lachrymarum irrigatur tota conſcientia, ligna producuntur fructus vitæ producentia.

Hinc quàm ingens ſit Petri ſanctitas agnoſcitur: Nam licèt antea igni proximus frigeret, cùm negauit Præceptorem: *Ad ignem fleuit timore frigido congelatus*, S. Auguſt. dicebat olim Auguſtinus, lib.50. homil. hom.43. Poſtquàm verò fleuit, ſic amore feruebat, & charitatis incendio æſtuabat; vt iam ſuperuacaneum ſit alios virtutis ipſius teſtes, præter lachrymas inquirere. *Non interrogemus*, S. Aug. (ait Auguſt. in Pſalm. 140.) *de Petro niſi lachrymas Petri; fideliores de illo teſtes non inueniemus.* Lachrymis cælatus eſt, vt ex Zacharia dicebamus cap.3. *Ego cælabo ſculpturam eius:* Vnde continuo lachrymarum imbre ſulcatas habuit genas. Nec verò lachrymis Petri amaritudinē ineſſe ſuſpiceris; quia licèt amarus eſſet plorandi affectus, dulces lachrymæ habebantur: quare dixit meritò Ambroſ. in Pſalm. 37. *Vtique non lachrymæ amaræ, ſed amarus affectus, qui eas fundebat.* S. Ambr. Et quidem, fælici ni fallor præſagio, Petrus in mare ſe immiſit, vt aduertit Chryſologus ſerm.78. *Miſit ſe in mare*, Io.21.7. quò denotaret ſe in lachrymarum pelagus immergendum, vbi ſubmerſa aquis culpa, purior exiret. *Miſit*, inquit, *ſe in mare, vt mare dilueret quod negatio taliter ſordidarat*. Sed iam mare hoc emenſi lachrymarū, alio velificemus, & ſecundum noſtri operis librum ordiamur.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS ARCHIELOGICVS,

De prærogatiuis, virtutibus, ſanctitate, doctrina, prædicatione Petri, & Pauli; deque triumphali vtriuſque ſub Nerone martyrio, & inclyto apud Vaticanum ſepulchro.

SYNOPSIS TOTIVS LIBRI.

Tria ſecundus liber Archielogia complectitur, in quibus Petri, & Pauli, excellentiæ, ſub Eccleſiæ apum nomine: ſub Patrum, & Doctorum munere: ſub optimorum Paſtorum exercitio deſcribuntur.

PRimum de ſacris gratia apibus, ſiue de nonnullis Petri, & Pauli virtutibus edisſerit.

Secundum præſtantiſſimam Petri, & Pauli ſapientiam, doctrinamque extollit: vtriuſque prædicationem, fructum, & fidei prorogationem inde ſecutam recenſet; & obiter artis concionandi normas, ac documenta præſcribit.

Tertium de morte, ipſiusque authore & loco agit, vbi pro Chriſto morientes æternam adepti ſunt in cælo coronam, & in ſolo honorificè tumulantur.

ARCHIE-

ARCHIELOGIVM PRIMVM.

DE SACRIS APIBVS GRATIÆ, SEV DE ALIQVIBVS PETRI, ET PAVLI VIRTVTIBVS.

REFERVNT nonnulli (penes expertos ſit fides) duas citharas ad inuicem temperatas, cùm vtriuſque nerui pari cōſonantia fuerint extenti;ita vt graues chordæ, mediæ & acutæ mutuò cohæreant, harmoniam ſimul reddere,concentumque efficere, licèt vnius tantùm fides præſtringantur. D. Paulum ſancti Spiritus lyram dixit olim, & meritò S. Chryſoſtomus: Quoniam ſicut in lyra chordæ graues ſunt, & acutæ: altum hæ, grauem illæ ſonum edunt. Sic in D. Paulo grauia erant & acuta, hoc eſt, humilia & ſublimia; carnis infirmitates, quæ deprimerent, Dei reuelationes quæ extollerent: diuina & humana, quæ ſapientiſsimus fidicen ita compoſuit, atque ad inuicem temperauit, vt iucundiſſimam reddiderit harmoniam, & hominum mentes excantauerit. S. Chryſ.

Petrum ſimiliter citharam dixeris, præſertim ſi neruis extentis crucifixum aſpicias, & illud Dauidicum occinentem auſcultes: *Confitebor tibi in cithara*. Pſalm.42.verſ.14. in quem locum ſcripſit diſertè S. Ambroſius. *Quā gratè hoc dicit martyr. Non ne cithara eſt caro noſtra, quæ dum moritur, viuit: & tormentis aptatur in vſum canendi, & ſeptem vocum diſcrimina numeris obloquitur modulantibus*. Cithara igitur fuit Petrus, in qua graues chordæ, & acutæ Chriſti ſapientiſsimi citharœdi manu percuſſæ ſuauiſsimam Orbi harmoniā reddiderunt: Qemadmodum omnibus primi libri Archielogijs, pro Apoſtolorum Principis defenſione certantes, demonſtrauimus. Pro boni ſuperi! quàm mihi ſonat acutum illud Saluatoris: *Beatus es Simon Bar-iona: quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi*, Matt. cap. 16. Et quàm graue illud eſt, *Vade Satana ſcandalum mihi es*. Matth. 16. Rurſum: Nō tibi præſtringit aures vocis illius grauitas; *Exi à me Domine, quia peccator homo ego ſum*. Luc. cap. 5. Pſal.42. D. Ambr. Matt.16. Matt.16. Luc. 5.

num. 8. ſtatimque demulcet alterius vocis acumen & ſuauitas: *Paſce agnos meos*, Ioan. 21. Fateberis ſi rectè ſentias. Quid beati titulo altiùs, & acutiùs? Quid Satanæ appellatione grauiùs, & depreſsiùs? Quæ grauior, & humilior, vox quàm peccatoris? quę altior, & dulcior, quàm ſupremi Paſtoris? & tamen acuta, & grauia, ſublimia, & abiecta ſic in hac lyra temperantur, vt mitificè reſonent, autesque demulceant.

Vtramque lyram, Petrum videlicèt, & Paulum, Dei Spiritus ſapientiſsimus cytharœdus ira compoſuit, grauia acutis temperans; & qua tendens, qua remittens chordas ad concentum deduxit; vt ſi vtramque percutias, vnam ſolùm reſonare exiſtimes; adeo vniſonæ ſunt, & concordes. ſi alterum tantùm pulſes, altera etiam reſonans audietur. Hinc eſt, vt glorioſi Principes terræ, quos amor vniſonos, concordeſque reddiderat, ſic inſeparabili aſſociatione vixerunt, vt neque ipſa morte potuerint ſeparari. Petrus in cruce diſtentus percutitur, & reſonat. Paulus ipſi contemperatus, ſuum moriens edidit concentum. Laudatur in vita Petrus, neceſſe eſt vt Pauli encomia propter mutuam chordarum harmoniam reboent. Non aliter in noſtris Archielogijs vſu venit; modo vtramque Spiritus ſancti lyram percutimus, quia de vtriuſque Apoſtoli laudibus, & prærogatiuis promiſcuè diſputamus: modo alteram tantùm pręſtringimus, vt in primo libro egimus, quia ſeparatim quæ propria cuiuſque ſunt, & peculiaria tractamus. Quia tamen hæ lyræ mutuò ſibi concinunt, & cohærent: pulſata vna, etiam altera reddit harmoniam. Atque adeo dum Pauli virtutem, doctrinam, ſapientiam, prædicationem, fructus inde prouenientes extollimus; neceſſe eſt vt Petri laus reſonet, impenſusq. in eodem ſtudio labor, fructuum. que vbertas extollatur, vt iam ex dicendis apparebit.

CAPVT PRIMVM.

Propter mellitam virtutum dulcedinem, & melleam cæleſtis ſapientiæ ſuauitatem Petrus, & Paulus apes Eccleſiæ meritiſsimò appellantur.

Mvltis ſanè titulis Apoſtolorum Petri, & Pauli vitæ ſanctitas, admirandaque virtutum perfectio exornatur: præclariſsimis propè diuina vtriusq. ſapientia nominibus inſignitur: egregijs laudum præconijs celſiſſima amborum gloria celebratur. Meritò planè; quæ enim magna ſunt, ad ſui oſtentationem, magnis etiā indigent: nec aliter præſtantiſsima quæque omnium oculis aſpicienda proponi, lucemque aſpicere potuerunt. Verùm quēadmodùm in paruis Natura luſit, ſuam-

ſuamque oſtendit magnitudinem: ſic etiam ars Naturæ æmula, nonnunquam ex paruis clariſsima deſumit argumenta, vt magnarum rerum ſublimitatem magis extollat, vberiùsq. amplificet.

Quid citra Numen, Numiniſque genitricem mihi dabis Petri, & Pauli magnitudine ſublimùs? Quid toto Orbe magnificentius reperies; ſi vtriuſque virtutes, ſapientiam, ſublimitatem contempleris? Ipſi Eccleſiæ ſunt apices; & Eccleſiaſtici Imperij culmina, ſupremaque tenent faſtigia. Quid item apibus humiliùs? Diuinum auſculta oraculum in Eccleſiaſtico, c. 11. n. 3. *Breuis in volatilibus eſt apis*. (*Eccleſ. cap. 11.*) Quid apum mellithurgia quoad ſpeciem humiliùs? Quid ipſarũ mellificio abiectius? Quod nonnunquam terra defoſſum, rupiũ ſciſſuris occluſum, ſeneſcentiumque arborum cauernis abſconditum ſagax deliciarum cupiditas extraxit: & tamen ipsũ nomen, & omen apum, ac mellificium Petri, & Pauli virtutes, ſapientiam, magnitudinem, ſublimitatem mirificè oſtentat. Naturæ Theatrum adi, (*Theatrũ Naturæ.*) ibique apes ab apice dictas inſpicies. Apex verò ſupremum denotat faſtigiũ, & altiſsimum tibi rerum culmen oſtendit. Aſcende, Petrumque, & Paulum Eccleſiæ apes, in Naturæ apibus effigiatos intueberis. Mellificium contemplare, ac in eo vnà cum melle expreſſam è fauis vtriuſque virtutem, ſapientiamque inuenies. Quid melle dulcius? quod dulcoris initium, ſeu inter dulcia principem diuina ſapientia nuncupauit. *Initium dulcoris habet fructus illius*, (*Eccleſ. cap. 11.*) Eccleſiaſt. 11. num. 3. Proh quam mellitæ Petri, & Pauli virtutes extiterunt, quàm dulcis, quàm ſaporata cęleſti ſuauitate fuit vtriuſque ſapientia. Grauiter erres, niſi hæc omnia non tantùm dulcia, & mellita, ſed ipſammet dulcedinem appellaueris.

Iure igitur hos apices apes dixeris, qui verbi diuitias, & cæli opes toto Orbe effuderunt. Meritò apum nomine illos efferes, qui ſuauiſſimos virtutum fauos conſtruxerunt; & cæleſtia diuinæ ſapientiæ mella humanis pectoribus inſtillarunt. Cæterùm nec nouum, nec mirum eſt verba fauos dicere, & mel ſapientiam nuncupare. Fauet mihi Ennodius ſuauiloquentiam Epiphanij, in eius vita ſic deſcribens. (*Ennod.*) *Nitida ſimul labia commendabant dupliciter mella ſermonum*. Nec diſſentit Auguſtinus in Pſal. 80. vbi ita: *Mel ſapientia eſt primatum dulcoris tenens in eſcis cordis*. (*S. Aug.*) Quinimmo quolibet melle dulcior eſt cæleſtis ſapientia, & diuina eloquia omnibus fauis dulciora. Sed vbinam in ſacra pagina ſapientiã melli, & verba fauis æquiparata inuenies? (*Ex. 13. 5. Leuit. 20. 22. Num. 13. & 28. Deut. 5. num. 3.*) Mille ſuppetunt loci, in quibus Deus terram lacte, & melle manantem Iſraelitis ſe daturum pollicetur. Et tamen cum

Iudæa nunquam lacte manarit, & melle: Nec Deus ſuam promiſſionem potuerit non implere; fatendum erit cum Authore imperfecto in Matth. homil.45. pro lacte, melleque terreſtri diuina miracula, & eloquia Deum liberaliter contuliſſe. *Ergo*, inquit, *incarnatio Chriſti promittebatur, qui lacte miraculorum, & melle doctrinæ nutriturus fuerat gentes.*

Author imperf.

Aptiſsimè verò colligit Beda ex cap.24. Prouerbiorum: propterea ſapientiam melli fuiſſe cōparatam: *Quia, nimirum, ſicut hoc cibis, ita illa doctrinis cæteris dulcedinem præſtat.* Addit inſuper Hugo Carenſis ibidem: *In fauo eſt cera luminis nutrimentũ, & dulcedo mellis reficiens guſtum. Ita in ſacra doctrina eſt cognitio veritatis illuminans intellectum, & ſuauitas bonitatis reficiens, & confortans affectum.* Hæc ille, Auguſtinum fortè ſecutus, qui libro 9. confeſsionum cap.4. ad hanc mentis illuſtrationē, & cordis dulcedinem reſpiciens, ſacras litteras, in quibus Dei verba, & eloquia continentur, *De melle cæli melleas* dixit, *& de Dei lumine luminoſas.*

Beda. Hug.Car. S.August.

Qui verò huiuſmodi fauos cōponunt; qui melleos, imò & nectareos inſtillant ſapores: quicūque mel hoc, vt loquitur D.Chryſoſtomus homil. 69.in Matthęum. *Quod non ſylueſtres è floribus apes collegerunt, nec rorem concoctum ſuis aluearibus immiſerunt: ſed ſpiritus gratia pro fauis, & aluearibus in animis ſanctorum impoſuit, auditorum mentibus inſtillat:* Is profectò dicendus erit apis Eccleſiæ; pulcherrimoque apicis nomine, & elogio iure optimo decorabitur. Sed quem mihi in hoc cæleſti mellificio dabis Petro, Pauloque præſtantiorem? Nullum certè: Hos præ cæteris nomen, & omen apum officiumque exornat: Hi Eccleſiæ apices, & culmina ſuper omnes altiſſima extiterunt: vtriuſque verba mellea, amborum mellita ſapientia, & omni fauo dulcior fuit doctrina. Iure igitur Eccleſia opes ſuas ijs apibus attribuens, illarum munere, & titulo gloriatur.

D.Chryſ.

Plurimos ob eximiam eloquij ſuauitatem, admirandamque ſapientiæ dulcedinem apum nomine celebrauit antiquitas. Auguſtinum dixit apem Sulpitius: Ambroſio, cùm adhuc infans vagiret in incunnabulis, examen apum in ſuaui loquentiæ, dulcedinisque præſagium circumuolans, ori inſediſſe tradiderunt. Illud etiam eſt memoratu digniſsimum, quod inter inaugurandum Vbambam Hiſpaniæ Regem, euenit, dum enim Rex acclamatus ſacro, vt moris tunc erat, oleo vngeretur è sūmo capitis vertice prodijt apis quę paulatim euolans ſurſum ferri viſa eſt quouſque diſparuit. Pulchrum ſanè præſagium, quo ſignificabatur Vbambam in ſuos mellitum dulcemque futurum, in hoſtes

Epitom. Hiſtor. Hiſpan.

ſtes

ſtes aculeatum & acerrimum. Sẽſit aculeum Gallia Narbonenſis, ſenſit Africa; melleam dulcedinẽ experta eſt Hiſpania, quæ tam mira Regis ſui dulcedine delibuta adhuc ſuſpirat ademptum. Cæciliam, Damaſus ſummus Pontifex Hiſpaniæ decus, argumentoſam apem in Dei ſeruitio nuncupauit. Profanos mitto: legis veteris Prophetæ, atque etiam Prophetides in ſacris litteris apes dictę memorãtur, vt Orig. & Amb. ſcripſerũt. Sanſon ęnigmate Philiſthinis propoſito, eandẽ complexus eſt veritatem, dum ait: *De forti egreſſa eſt dulcedo*; Iudic. 14. n 4. Quia in ore mortui leonis fauum mellis inuenerat. Et verò D. Proſper de Promiſſion. par. 2. c. 21. in illo fauo, legem Populi ſpiritualem à Prophetis velut apibus inſtructo, diuinique eloquij melle diſtento, ſapienter agnouit. *Fauum, inquit, mellis, quem in ore leonis huius inuenit, legem ſpiritualem Populi huius auditor intellige: quod apes Patriarchæ, atque Prophetæ conſtituentes, in eum mella infuderint diuini eloquij. Hoc ex ore leonis mortui abſtulit, qui repulſis Iudæis, legem ipſam gentibus miniſtrauit*. Hæc ille.

Orig. in 5 Iudic. D. Ambr. 3. de Vir.

Iudic. 14

D. Proſp.

Nec poſſumus diffiteri nomina rebus ſuis multoties conuenire: quapropter apes iure dixeris, qui legis diuinę fauos conſtruxerunt, & ſtyli ſuauitate, doctrinæ dulcedinem artificioſè expreſſam calamo reddiderunt. In quo mirabiliter excelluit Auguſtinus, de quo eſt illud Sulpitij elogium. *O verè artificioſa apes, Dei conſtruens fauos diuini nectaris plenos, manantes miſericordiam, & veritatem; per quas diſcurrẽs deliciatur anima mea, & vitali paſtu, quidquid in ſe minus inuenit, aut imbecillum ſentit, reſarcire, & ſuffulcire molitur*. Nec minor in eadem ſuauitate fuit Ambroſius, vt pulchrum aduolãtis apum examinis præſagium oſtendebat. Laudanda etiam venit Cæciliæ mellita dulcedo, qua Valerianum ſponſum vnà cum fratre, & quadringentos alios illexit, atque in fidei Chriſtianæ traxit obſequium: Vnde canit Eccleſia: *Cæcilia famula tua, Domine, quaſi apis argumentoſa deſeruit*. Sed quo piaculo hic prætercam, quos gentilitium apum ſtemma condecorat; quibus ſub Pontificia ſupremi Paſtoris Thyara inter geminas Petri claues, vel ſub punicanti galero purpureis vndique tęnijs cæſariato, ternæ aurei coloris apes cæruleo campo volantes irradiant? Quique Dei Eccleſiam quotidianis conſtitutionibus veluti fauis mirificè conſtructis, doctrinæque cæleſtis ſuauitate repletis paſcũt; ſanctionibus firmant; ſtatutis roborant; omnigena rerum eruditione inſtruunt; Hymnis ad Muſarum inuidiam compoſitis demulcent; legibus coercent, fælicique & prudenti regimine moderantur. Quos proinde pulchro

Sulpitius epiſt. 37.

nomine, & dextro omine apes ſuas Dei Eccleſia prędicabit. Etenim ex ſacris Scripturarum hortulis; diuinæque & humanæ ſapientiæ viridarijs, ex Muſarum areolis, amœniſsimaque hiſtoriarum ſylua, fauos mellita ſapientiæ dulcedine repletos conſtruunt, quibus pene deficiens nutritur, & mirificè recreatur.

Nullus tamen apum nomen potiori ſibi iure vendicat, quàm Petrus; cui etiam in hac parte Paulus adæquatur. Cæteri ob vnã apis prærogatiuam apes dici meruerunt; Petrum verò, & Paulum omnigenæ apum dotes exornant. Quidquid in apibus ſedulitatis, parſimoniæ, ſtudioſitatis, temperantiæ, frugalitatis, prudentiæ, & ſummæ vtilitatis Natura prælusit; totum, quod in vberrima parabat mellithurgia, Petro & Paulo conferendum diuina gratia, & liberalitas deſtinauerat; vt meliores Eccleſia apes ex gratia, quàm Orbis ex Natura ſortiretur. Cæterùm quæ dignitas apum nomine, quænam hìc maieſtas irradiat? Omniũ certè maxima. Qui enim Eccleſiæ apis eſt, ſancti Spiritus nomine, & munere inſignitur, quẽ D. Bernardus ſerm. 8. in Cantic. dixit Eccleſiæ apem. *Eſt quippe*, ait, *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, qui inſtar apis ceram portantis, & mel habet omnino; & vnde accendat ad lumen ſcientiæ, & vnde infundat ſaporem gratiæ.* Hæc ex ore mellifluo D. Bernardus, qui vt oſtendat nemini poſt Dei ſpiritum apis titulum iuſtiùs quàm Apoſtolis, Petro ſcilicet, & Paulo adaptari poſſe, ſerm. 7 in Cantic. ſic hortatur. *Offeramus cum Apoſtolis in cæleſti conuiuio, & in Dominica menſa fauum mellis.*

D. Bernar.

Age verò, quod in rerum natura nomen fœcũdiùs eſſe potuit, quàm apum: præclariſsima certè Petri Paulique encomia nomen iſtud nobis ſuppeditat. Quid de ipſa natura, prole, fœcunditate, regimine, opificio? Quoquo verſus oculorum aciem dirigas, apes tibi occurrent, laudum omnium ſummam iure optimo vendicantes: ipſæ tanquam florilegæ, ex ampliſsimo Orbis viridario, optima quæque prælibarunt. Vnde tam ingens numerus in titulis, quàm numeroſa in prole fœcunditas æſtimatur: Deus bone quanta bona in vno bono prouidens Natura concluſit. *Breuis in volatilibus eſt apis.* Et tamen in ea corporis breuitate admiranda prorſus ſapientiæ, virginitatis, tẽperantiæ, ſummæq. vtilitatis exẽplaria repræſentat. Spirantes ſoli flores, & micantes cæli ſtellas, citiùs quàm apum dotes enumerabis. Nonnullas ab Hugone carminibus eleganter collectas; hìc appingo.

Eccleſ. 11. n. 3.

Sedula, parca, breuis, vox maior corpore, mel dat.
In grege ſub Rege eſt; perit vncta; reuiuit aceto.

Hugo.

Cru-

Crure ſecat, ſtimulat, vitam cum vulnere ponit.
Caſta facit prolem; pede caſſa eſt; florida paſcit.
Naſcitur ex tauro, ſex angula mania condit.
Fumos, fœtores, ſtrepitum fugit, & lapides fert
In vento: pugnat defuncto Rege, rapitque.
Cedit portanti, palmam colit, & pigra bruma.
Rex fit in examen, qui præualet: & calet omnis.

Vides quot titulis multiplex apum virtus exprimatur; & quàm diuerſis nominibus, admirabilis earum compoſitio, & natura cõmendetur. Ex ijs quæ potiora ſunt ſingillatim, & minùs præcipua coniunctim expendam: atque ſacris Eccleſiæ apibus, Petro ſcilicet, & Paulo conuenienter aptabo; vt liquido conſtet, illos totius Chriſtiani Orbis apes nuncupari meruiſſe: Quoniam, & quas Sol Oriens, Occiduuſque Regiones illuſtrat, virtutum ſuarum opibus apes iſtæ diuitarunt, ſapientiæque dulcedine refecerunt.

CAPVT II.

Admiranda fuit Petri & Pauli in prædicando ſedulitas, quam vtriuſque geſta, & multiplex rerum eruditio propalat.

Celebris apud Mellifographos ſemper extitit apum ſedulitas: hæc prima ipſarũ dos, & prærogatiua: vt enim operetur apis viuit, cunctiſque in opere articulis ita nititur, & tertio à natiuitatis incipit die; vt nullus, permittente cælo, in otio tranſeat. Hinc eſt, quòd Diuinus Spiritus apud Salomonem in Prouerbijs cap. 6. num. 6. pigrum, & otio torpentẽ remittit ad apem, vt ipſius ſedulitate inſpecta, torporẽ excutiat, impigerque ad laborem ſe accingat. *Vade*, inquit, *ad apem*. Quæ Prouerb. 6. nu. 6.
verba ſic ex Hebræo reddita vſurpans Cyrillus Hieroſolymorum Antiſtes, ita cohortatur: Cyrillus Hieroſ.
Vade ad apem, & diſce quàm laborioſa ſit, quomodo per flores omnis generis aberrans, congerit ſibi mel in vſum; vt & tu circumiens diuinas Scripturas, tuam ipſius ſalutem apprehendas. Hæc Cyrillus, quem non tam naturalium apum ſedulitatem, quàm Petri, & Pauli incredibile in virtutum exercitio ſtudium, admirandamque in elargiendo ſapientiæ melle munificẽtiam reſpexiſſe; mihi perſuadeo. Quoniam plùs in ſacris apibus gratia, quàm in ſuis Natura, quòd imitaremur expreſsit: ac longè plura, & præſtantiora ſedulitatis exempla, Petri & Pauli vita, fidelibus imitanda, quàm apum mellithurgia demonſtrat.

Quiſquis igitur ſedulitatem amet, ad apes noſtras Petrũ ſcilicet, & Paulũ ſe conferat, vtriuſque laborẽ, & ſtudium in ſolicita virtutum acquiſitione inſpiciat;

Digitized by Google

& admirabilem in vtroque ſapiẽtiam contempletur. Proh Deum immortalẽ! Quàm ſedulus vterque, quàm mira fuit amborum in Euangelij promulgatione diligentia. Paulus, vt cum ſui nominis appellatione congrueret (Paulum namque multi interpretantur operarium) in opere ſemper, & labore verſabatur. Nec inferior in eo Petrus; quod enim in nominis ſignificatione defuit, totum id operis exercitio diligẽter impleuit. Quà prædicando, quà ſcribendo, quà totum per Orbem diſcurrendo, ſedulitatem apum omnibus modis æmulando ſuperauit. Nonnulla ſub ſpeciali titulo diſtinctionis gratia proſequamur.

§. PRIMVM.

Aemulam apum ſedulitatem in Petro ſpeciatim extitiſſe demonſtratur.

TAm multa pro aſtruenda D.Petri ſedulitate ſe offerũt argumenta; vt longè difficiliùs ſit inuenta digerere, quàm quæ aptè digeras inuenire. Cæterùm nuſquàm ea mihi viſa eſt clariùs quã Romæ illuxiſſe. Dum enim Petrus Romanorum conuerſioni attendit: quidquid operæ, atque laboris, in eorum inſtructione ſedulus impendit, tantumdem mihi eſt; ac ſi omnes Orbis nationes, ſub Euangelij iugum, & Chriſti mitteret ſeruitutem. Quia dũ Romanorum infidelitas quatitur; dum arx illa omnium munitiſſima expugnatur, atque ad Petri prædicationem idola corruunt, & nefanda ſuperſtitio aboletur, omnibus gentibus in Eccleſiam intraturis ianua aperitur. Cùm enim Romanos inanium Deorum cultum deſeruiſſe, & Chriſti fidem amplexos intuerentur; illico abiecta falſi Numinis adoratione, fidei veritatem ſecutæ, Chriſtum Dei filium, totiusque Orbis Redemtorem agnouerunt.

Totum hoc portentoſa Nabuchodonoſoris ſtatua (vt credo) ſignificabat. Daniel c. 2. num. 32. Regi inter ſomniandum immenſæ magnitudinis ſtatuam, quadruplici metallorum varietate compoſitam apparuiſſe memoratur, vt Propheta, de ſomnio rogatus à Rege, palàm fecit. *Statuæ caput ex auro optimo erat: pectus autẽ, & brachia de argento: porro venter, & fœmora ex ære: tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis*, & poſt pauca addit: *Donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuã in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta ſunt quaſi in fauillam æſtiuæ areæ.* Hæc ibi. Daniel 2. num. 31.

Sacrarum litterarum interpretes vnanimi conſenſu; quatuor metal-

metallis totidem Orbis Regna, ſiue imperia ſignificare atteſtantur, quorum vnumquodque naturali ſua proprietate, & qualitate Regni, cuius erat ſignum, conditionem, & proprietatem mirificè declarabat. Et quidem, vt de Chaldæis, Perſis, & Græcis taceam, quorum Imperia, auro, argento, æreque notabātur; Quid ferro magis proprium ad indicandam Romanorum fortitudinem? Quemadmodū enim ferrum omnia conterit & comminuit; ita Romani reliqua Orbis Regna cōtriuerunt, ferroq. & armis ſubiugarunt; Quod ſacer hiſtoricus ibi atteſtatur, & futurum præſignificat: *Quomodo*, inquit, *ferrum comminuit, & domat omnia, ſic comminuet, & conteret omnia hæc*; vt rerum exitus edocuit: Etenim Romani, indomabilem ferri duritiem imitati gentes robuſtiſsimas, immanique ferocitate metuendas ſub ſuam ditionem redegerunt; cuiuſmodi Hiſpani, Galli, trucesque, & præferoces Germani extiterunt, vel etiam Imperij magnitudine elatos, ſicuti Carthaginenſes: ſeu quos maiorum gloria, veterumque præcellens ſapientia claros reddiderat, quales Græcos celebrauit antiquitas; vel omni copiarum genere abundantes, quos Aſia diuitijs præpotens alit; necnon quotquot longiſſima terrarum ſpatia inter vtrunque ſolem currentia ab Orbe noſtro remouerunt, ſicuti Cappadoces, quique Pontum, Armeniam, Albaniam, Scythiam, & Iberiam incolunt: Adde Britanos interfluētis Oceani ſpatio ab Orbe veluti diuiſos. Tandem Iudæos antiqua patrum ſuorum fide, & Religione fidentes, licet poſt Chriſti mortem, omnis eorum religio euanuerit, illiusque ſectatores Deo inuiſos, ac ab eo derelictos opprobrijs omnes excipiunt, & tanquam vanè ſuperſtitioſos abominantur. Nec verò ſola ferri potentia Romanis totum Orbem expugnantibus adfuit; alijs virtutibus, ſapientia, nimirùm, humanitate, clementia, admirabilique in rebus adminiſtrandis prudentia claruerunt, quibus ad ſummū Imperium, & fælicitatem peruenisse credebantur. Quò reſpexit Virg. lib. 6. Æneid. Vaticinij inſtar proferēs, quæ iam in Orbis theatro conſpicienda Romanorum fælicitas extulerat.

Daniel 2 num. 40.

Virgil.

Tu regere Imperio populos Romane memento:
Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Et quidem Imperio non tantùm armis, ſed etiam virtutibus comparato quandam in promptu erat æternitatem ominari: Quid igitur ſibi vult? quòd lapide ſine manibus de mōte abſciſſo, ferreosq. ſtatuæ illius pedes attingente, ipſa corruat, & metalla quibus

erat

erat compoſita, ſtipulatum inſtar vento abrepta euanuerint? Myſterium & Sacramentũ dixit ibid. Daniel, ſomnij interpretationem Barbaro præludens.

Sed quodnam iſtud erat myſterium & Sacramentum? Inter alia (credo) hìc præſignificabatur, qua ratione D. Petrus, parua in petra ſignificatus Romam Imperij ſedem aditurus erat, Chriſtum in ea prædicaturus; Romaniſque fidem ſuſcipientibus, reliquæ Nationes ad eorum exemplum eandem ſuſcepturæ; vnde idolorum cultus euaneſceret, & breui totus pene Orbis ſe eſſe Chriſtianum lætaretur. Id enim auri, argenti, æris, ferrique contritio, & in fauillam redactio præmonſtrabat.

Nec verò ſatis habuit diuina prouidentia rem adeo admirabilem vno tantùm exemplo manifeſtare; fidem tanto miraculo ferrea carceris Hieroſolymitani porta comparuit. Cùm enim (vt Actorum 12. ſcribitur) Petrus vnà cùm Angelo è carcere egrederetur,
Act. 12. ſpontè patuit. *Venerunt ad portam ferream, quæ vltro aperta eſt eis.* Sed quænam iſthæc eſt porta ſpontè ſe aperiens, vt exeũti Apoſtolo præberet egreſſum? niſi ferrea Romanorum duritiees, quæ Petro prædicante emollitur, & vltro reſerata Chriſti Vicarium ſuſcipit; ex quo depoſita propter Euangelij doctrinam feritate, Romani in porta ferrea præſignati ad Chriſtianam Religionem, & manſuetudinem tranſierunt. Nec mirum videatur ferream in terris portam exituro Chriſti Vicario ſponte reſeratam fuiſſe, quandoquidem ad eius imperium adamãtinæ cæli portæ reſerantur, vt in Actis Apoſtolorum eleganter cecinit Arator.

Ferrea quid mirum, ſi cedunt Arator.
oſtia Petro,
Quem Deus æthereæ cuſtodem deputat aulæ;
Eccleſiæque ſuæ faciens retinere cacumen,
Infernum ſuperare iubet ——

Admiranda igitur metallorum omnium, & ferri pariter defauiltio portendebat alia Orbis Imperia, Romani potentia & virtute; Romanorum verò Petri doctrina, & prædicatione ſubuertendum; Gentiliumque Imperatorum diadema, in Pontificiam Thyaram, & profanam Cæſarum maieſtatem in ſanctiſsimorum Patrum, & Põtificum ſanctitatem fæliciter immutandam; atque à primo Chriſti Vicario Petro, continuata diuinæ electionis ſerie, in finem vſque Mundi permanſuram. Ita quòd nunquam ſine ſuis apibus Eccleſia; ſemper in ea fælici ductu (vt modo experitur) gnauiter mellificant, ſuauitate recreant, dulcedine paſcunt, & ſapientia moderantur. Ex quo patet quàm fuerint egregiè hallucinati, qui Romanum Imperium in æternũ duraturum exiſtimarunt propter illud Virgilianum: *Cæſaris adula-*

tione magis, quã veritate plenã.

His ego nec metas rerum, nec tẽpora pono;
Imperium ſine fine dedi.

Cæterùm tàm falſa imperij æternùm duraturi fuit promiſſio, quã falſum Iouis numen, qui Æneadis id promiſerat. Imperium illud excidit, vel potiùs, à ſuperſtitione, in Religionem, ab infidelitate tranſlatum fuit ad fidem. Et quidquid olim Romani armis ceperant, Petrus gladio ſpirituali, ſucceſſoreſque ipſius fide, & Religione comparatunt, atque ad Chriſti Eccleſiam nõ humano, ſed diuino iure, tranſtulerunt. Quod D. Proſper lib. de ingratis, ſub initium prudenter aduertit.

D. Proſp. *Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris*
Facta caput mundo, quidquid nõ poſſidet armis,
Religione tenet.

Conuenientiſsimè autem Romana ciuitas veſtimentum ſalutis accepit, vt poſtmodùm, non iam toga, ſed fidei ſuæ amictu reliqua Imperij membra glorioſiùs opperiret. Quod de toga, quam abiecto pallio Carthaginẽſes ſuſceperant, dixit eleganter in lib. de Pallio Tertullianus. *Proh quantùm circummeauit! à Pelaſgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos: vt ab humeris ſuperioris Populi Carthaginenſes complecteretur.* Libet hìc identidem exclamare: O Petri ſedulitatem admirandam! Proh quantùm fides in Petro circumiuit! Hieronymum laudo teſtẽ, in Cathalogo Scriptorum Eccleſiæ, vbi ita ſcribit; *Petrus poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circunciſione erant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam venit.* Nec his terminis contenta ſtetit apis noſtræ ſedulitas; Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Africam, Siciliam peragrauit, plurimaſque in his Prouincijs erexit Eccleſias, vt Innocentius Primus in Epiſt. ad Decentium teſtatur.

Tertull. · D. Hier. · Innocen. Primus

Sed quid ſibi vult iſte cõmeatus? Cur ab Hieroſolymis in Antiochiam, ex Antiochia, perluſtratis alijs Regionibus, Romam reuertitur? Credo, vt ex humeris magnæ Vrbis, toto Orbe celſioris, fidei ſuæ pallio ipſum Orbem protegeret. Et quotquot ex omnibus mundi partibus illùc cõfluerent guſtato Apoſtolicæ prædicationis melle, cæleſtiſque doctrinæ paſti delicijs, barbariem, & infidelitatẽ deponerent, Chriſtianamque Religionem ſectarentur. Quod D. Leo agnouit, & ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum eleganter ſcripſit. *Hæc autem Ciuitas ignorans ſuæ prouectionis authorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gẽtium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe Religionem; quia nullam reſpuebat*

D. Leo

bat

bat falſitatem. Vnde quantùm erat per diabolum tenaciùs illigata, tantùm per Chriſtum eſt mirabiliùs abſoluta; Ita ille, paucisq. interiectis ſtatim abſoluit: *Beatiſſimus Petrus, Princeps Apoſtolici Ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij; vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet*. Aptiſſimè quidem in rem præſentem. Addo vlterius ſupremi artificis in fidei propagatione, & naſcentis Eccleſiæ ſub alato apis ſuæ tegimine elogium, in quo palàm fiet, qua ratione Petrus Romædum ſiſteret, totũ Orbem, parua licet apis, ſub alarum ſuarum vmbra protegeret. Nauem ab artifice fabrefactam nobili clauo erecto malo, decuſſatis antennis, inſigni carcheſio, extentis rudentibus, & reliquis armamentis ad contemplationẽ ſpecioſis ornatam, apud naturalis

Plinius. Hiſtoriæ authorem recordor inueniſſe, quam apis, ſeruata corporis paruitate, alis deſuper extentis contegebat, ita vt nihil è tota naui emineret, quod non alarũ vmbraculo tegeretur. Laudandum certè opus, & mirabilis ſtructuræ compoſitio! Longè tamen admirabiliùs eſt quod in Petro Dei ſapiẽtia fabrefecit; Eccleſiæ ſuæ nauem apis iſta contegit, alarum extenſione coronat, & qua ſedulitate deſuper aduolat, contra ſæuientes inimicorũ procellas, incolumen ſuſtentabit. Felix ſub apibus Eccleſiæ Nauis auſpicium: quandiù ſub illis ſteterit, ſecura naufragij fluctus ridebit, atque in medio mari tanquam in portu tranquillitate fruens iucundiſſimè conquieſcet.

Ad Romanos iterũ reflecto calamum, quem nauis & apis artificium tantiſper retraxit. Igitur dum Romani tot partis victorijs innumeras, pene Orbis nationes ſub ſuam redegerunt poteſtatem, nullo modo fortunæ blandientis, aut in humanis rebus ludentis arbitrio, ſed Dei conſilio factum exiſtimo; vt dum Romani, quorum potentiam, & ſapientiam Nationes aliæ venerabantur, Petro Romæ prædicante, Chriſti fidem ſuſciperent, aperta ferrea porta reliquarum gentium conuerſioni aditus facilè pateret. Et quandiù Roma fælicitatem ſuam falſis Numinibus acceptam referebat: interim Deus nouis augebat victorijs, Imperijque ſpatia dilatabat; vt teſte D. Leone in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli ſerm. 1. expugnata infidelitatis arce omniũ munitiſsima, & Chriſti fidem profitente, reliquæ Nationes ſocietatis fœdere colligatæ, fidei præcones admitterent, & faciliùs ſequerentur. *Diſpoſito namque diuinitus operi maximè cõgruebat, vt multa Regna vno confœderarētur Imperio, vt citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuita-* D. Leo.

uitatis. Hæc ille.

Ex quibus non incongruè deduco, cæteras Orbis Nationes fidem ſuam, & conuerſionem Petro debuiſſe, qui Romanos perduxit ad fidem, quorum ſecutæ exemplum Chriſtianam Religionem ſuſceperunt. Vnde licèt apis noſtræ ſedulitas Romæ limites non tranſcenderet: non proinde minoris eſſet æſtimanda, quàm ſi totum Orbem perluſtraret. Nullum ibi, nec alibi diem, Petrus in otio tranſegit, etiam renuente cælo; aliter apes ſolent; etenim ſæuientibus procellis intra aluearia continentur: At verò apis noſtra cùm cælum amplius detonaret, cùm vincula, carceres, verbera, mortem ipſam minitaretur; nuditate, fame, ſitique enecta, ſed magis ſedula cæleſte mellificium nullatenus deſerebat. Sed quis militem in acie dimicãtem admiretur? Quis in ſtadio currentem dilaudabit? aut in loco laboribus deſtinato, laborandi exercitio diſtentum non expectabit? Illud certè plurimi faciendum eſt in Petri ſedulitate, quòd etiam in loco ſummæ quietis, apud Thabor, quem glorioſa Chriſti Domini transfiguratio cęleſtis glorię theatrum reddiderat, ad laborandum ſedulus feſtinabat, impigerque operarius, alijs quieſcẽtibus, fieri pollicebatur. Ipſum Magiſtro colloquentem auſculta. *Domine, ſi vis faciamus hic tria tabernacula*. In quæ verba ſcripſit elegantet D. Ambroſ. ad cap. 9. Luc. *Nec laudaſſe contentus, non ſolùm affectu, ſed etiam factorum deuotione præſtantior, ad exædificanda tabernacula, impiger operarius communis obſequij miniſterium pollicetur. Et quanuis neſciret quid diceret, tamen pollicebatur officium; in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat*. Hæc ille.

Matt. 17. | D. Ambr.

Cæterùm nec nouum eſt, nec mirum, vt ſerui magni Patris familias ad laborandum ſedulos ſe exhibeant, & ſpontaneam promittant ſolicitudinem: quod eos feciſſe memorat D. Matth. cap. 13. num. 28. qui ad euellenda tritico ſuper ſeminata zizania ſe ſe obtulerunt. *Vis*, inquiunt, *imus, & colligimus ea?* quam promptitudinem expendens D. Petrus Chryſologus ſerm. 47. ita fatur. *Sic deuoti ſerui indefeſſum laborem promittunt*. Quid igitur magna, & feruentiſsima Petri deuotio, & Eccleſiæ apis ſedulitas non exhiberet? quando ſeruorum communis deuotio, non fatigandam labore diligentiã pollicetur. Nec poſtea Petro defuit, in quo polliciti laboris fidem exoluit: etenim, vt refert Epiphanius teſte Lorino Actor. 11. num. 36. Romæ, in qua ſedem Pontificiam collocauerat, fere nunquam quieſcebat, ſed inſtituris Lino, & Cleto Epiſcopis, in varias partes ipſe ad animarum aucupiũ euolabat,

Matt. 13. num. 28. | S. Chryſ. | Epiphan. Lorin.

aſſiduoque in motu, quietis neſcius verſabatur. Vnde tam ipſe, quàm D.Paulus titulũ, quo apud Zachar. cap. 3.n.7. diuinum oraculum Apoſtolos nobilitauit, tanquam proprium ſibi potuit vendicare. *Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt:* en diuini oraculi promiſsio. Sed quinam ambulantes ſunt iſti; quos ſe daturum pollicetur? Non alios ego arbitror, quam Eccleſiæ apes, Petrum, ſcilicet & Paulum, de quo ſtatim; Quis vnquam Petrũ, vidit quieſcentem? Rotæ ſimilis motu agitabatur aſſiduo, cæleſtis ſponſi ſedulitatẽ imitatus, quem, vt ſcitè dixit Bernardus, ſponſa quietum, & ſtantem nunquam viderat, ſed currentem. *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum, ſuper montes Bethel,* Cantic. 2. *Porro,* inquit, *currentem vidit, non quieſcentem.* Sic non aliter Petrum quàm ambulãtem, ſeu volantem inſpicere licuit: alata ſedulitate prælitus erat, atque ex adſtantiũ numero (hoc eſt Angelorum) propter eximiam vitæ puritatem, & diſcurrendi velocitatem dicebatur.

Zachar. 3 num 7.

Cant. 2.

Magni quidem facienda ſedulitas, quam magis admirandam effecit animi generoſitas, qua nullam inde terrenam ſperabat vtilitatem; ſed eorum, qui fidem ſuſcipiebant, lucrum meditabatur: fidem ipſe ſeminabat, vt alij gloriam meterent. Quis tritam apud Hebræos paræmiam non nouit? *Alius eſt qui ſeminat, alius qui metit.* Quis etiã ignorat apes nõ ſibi ſed alijs mella conficere? Qua igitur ratione fieri poterat, vt qui apum ſedulitatem in conſtruẽdis doctrinę fauis æmulabatur, imò & longè ſuperabat, eadem prærogatiua non excelleret? Atque adeo quemadmodum illæ non ſibi, ſed alijs fauos conſtruunt, & mella cõponunt; vnde eſt illud Virgilianũ.

Sic vos, non vobis fertis aratra boues: Virgilius

Sic vos nõ vobis mellificatis apes:
Sic vos nõ vobis vellera fertis oues:
Sic vos non vobis nidificatis aues:

Sic etiam Petrus nõ ſibi prædicabat, ſed pro ſubditorũ vtilitate, apis inſtar in mellificio verſabatur. Ideo S. Spiritus, araneã non adduxit in ſedulitatis exemplum, cùm tamen admodùm laborioſa ſit, infatigabiliq. ſtudio, ſurſum, deorſũ, & in orbem commeans texendo euiſceretur. Nec mediocre eſt telarũ artificiũ, quod nõ parùm extollit demiraturque Auguſtinus. Cur igitur pigrum, & deſidioſum araneę ſedulitatem, & laborẽ contemplari non exhortatur, ſed ad apẽ remittit, *Vade,* inquit, *ad apẽ?* Iure optimo, quoniam apis, præterquàm quòd ſedulitate polleat, nõ ſibi, ſed alijs mellificat. At verò aranea veneno perfunditur, texendo prædæ inhiat, nec tela conficit ad profectũ; ſed vt muſcas, & vilia capiat animalcula: Noxius igitur eſt alijs aranearũ labor, & damnoſa ſedulitas: idcirco non imitanda

Prouerb. 6. nu. 6.

pro-

proponitur,ſed tanquam omnino euitanda ſilentio præteritur.

Fuge venenum,& deteſtare ſedulitatem araneæ,quicunque torpes otio, & deſidia contabeſcis, vel ſi laboras,& ſedulus es,araneę labores imitaris,hoc eſt,inanẽ captas gloriam,tibi commodum, & alijs paras venenum. Apem reſpice,ad ipſius æmulationem quoad poteris enitere, torporẽ excutè; & qui apes Eccleſiæ eximia ſedulitate laborãtes nõ vides & æmularis:Regem apum Dominum Ieſũ ſub magni paris familias nomine, & officio pigritãtes & otioſos apud Matth.20.ſuggillantẽ audi.
Matt.20. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Quaſi dicat:vt quid totum vitæ diem, adoleſcentiæ mane,perfectæ ætatis meridiem,ſenectutis veſperam abſconditis in ſinu manibus torpentes,& otio marcidi trãſigitis? Labori incumbite,ſalutemq; operamini;ſin minus vobiſcũ expoſtulabit ethicus ille prudentiſſimus. *Quo prætergreſſus? quid agis? quid omittis agendum?* Sed iam Pauli ſedulitas animum & calamũ prouocat,hactenus in ſedulitate Petri iucundiſsimè detentum.

§. SECVNDVM.

Alterius Eccleſiæ apis Pauli nimirum,ſedulitas,ipſius vitæ exẽplo,& prædicationis ſtudio exornatur.

TAm ſedulus in prædicatione,& doctrina Paulus ſemper extitit, vt omnem ipſius vitã ſedulitatis exẽplar,& apis ſtudioſè laborantis ſimulacrum,iniuriùs fit, qui non credat; ingratus niſi aperto (quod aiunt) ore buccinetur. Quis vnquam Paulo magis ſedulus, quis vnquam illius ſolicitudinem,labores, inſtantiam, non dico ſuperauit,ſed nec quidẽ exęquauit? Ipſum ſi fortè dubitas ad Corinth.minimè iactãter dicentẽ auſculta: *Plus omnibus laboraui.* 1.Cor.15 num.10.
Nulla dies Paulum otio torpentẽ vidit:nulla nox pro Chriſti Eccleſia non ſolicitum,nec infatigatum excepit. Iterum loquentem audi. *Inſtantia mea quotidiana,& ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* Quis 2.Cor.11 num.28.
rerum mutationem ſatis admiretur? Is qui apes Eccleſiæ tanquã merops, antea voraciſsimus deuaſtabat; vbi primum mutatur in apem Proh quàm magnam præſtitit ſolicitudinem, quàm alacri animo, quã ſedulo ſtudio,apis factus,tertio à natiuitatis die labori ſe accinxit quietis impatiẽs. *Cum,* Ad Galat 1.nu.15.
inquit, *placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ,vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum ingentibus,continuò nõ acquieui carni,& ſanguini, ſed abij in Arabiam.* ad Galat.1. n.15.16.& 17. vbi vix natum,ſeu renatum vides,& continuò ſolicitum & minimè quieſcentem deprehendis. Damaſcũ olim pergebat; ex equo in itinere deijcitur, cæcus & pene exanimis illuc portatur. *Et erat ibi tribus diebus,& non manducauit, neque bibit.*

Actor. 9. num. 9. Actor.9. triduoque exacto viſum & cibũ recipit, baptizatur, ab Anania inſtruitur, diſcipulos adit, ſeq. ipſis ſociũ adiungit: & quid deinde? Actor. 9 num. 20. *Continuò in Synagogis prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei*. O ſedulitatem omnium prędicatione digniſsimam! ex aqua & ſpiritu renatus, in apem immutatur, & ſtatim poſt triduum (non enim longiores patiebatur moras tanta ſedulitas) in opere ſic nitebatur, vt vitam illam, & gratiã ad operandum ſolummodò accepiſſe videretur. Nec mirum, ſedula erat apis, quæ vt operaretur viuebat, & quietem prorſus ignorabat. Galat 1. num. 17. *Continuò* ait, *non acquieui*. Anguſtos Imperij Romani terminos feciſſe Palladij curſoris diligentia memoratur, ſed longè laudabilior fuit Pauli ſedulitas, quã Palladij: totus Orbis Paulo erat anguſtus; & prius terræ ipſi defuit ſpatium, quàm ſtudium prędicãdi: alios quærebat Orbes Pauli ſedulitas: Vnde quemadmodum de Alexandro dictum;

Vnus Pelæo iuueni nõ ſufficit orbis.

Sic etiam Paulo Mundus erat exiguus: mille alios, ſi darentur, alata eius ſedulitas peruolaret. Sed quodnam ex hac inſtantia emolumentum, quam ex Euangelij mellificio vtilitatem reportauit? Non equidem aliam, quam ex mellificãdi ſedulitate apes cõſequũtur; de quibus iterũ replico.

Sic vos non vobis mellificatis apes.

Totum Pauli ſtudium eò tendebat, vt ſuus labor alijs proficeret, mellitamque ſapientiã & doctrinam melle dulcioré omnibus inſtillaret, nemini oneroſus, cunctis ſemper gratus, & proficuus. *Inſtabiles*, inquit, *ſumus, & laborámus operantes manibus noſtris*. 1. Cor. 4. Volupe etiam erit ipsũ Epheſios alloquentem, cùm vltimũ vale dixiſſet, audire. *Argentum, & aurũ, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, laborauerũt manus iſtæ*. Act. 20. num 33. Actor. 20. n. 33. Quis apũ ſedulitatẽ in Paulò non amet, ac demiretur? Nam ſicut illæ mellis opes, quas nomine ſuo præferunt ſedulò conficiũt, & gratis largiũtur: ita etiã Paulus operas ſuas, ipſo nomine ſignificatas, hoc eſt mellita eloquia, & pluſquàm melleam doctrinæ ſuauitatem inſtanter, ſtudioſèque auditoribus ſuis, omnibus parcens expenſis, inſtillabat. Et licèt alij de Euãgelio victitarint: *Dignus eſt enim operarius mercede ſua*. 1. ad Timoth. 5. 1. ad Timoth. 5. & 1. ad Corinth. 9. 1. Cor. 9. *Qui ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt: & qui altari deſeruiunt, cũ altari participãt; ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere*.

Veruntamẽ apis noſtra hanc peculiarẽ ſibi gloriam vendicauit, vt alijs Euangeliũ adminiſtrans; ſibi etiã miniſtrauerit. Vnde Actor. 18. Act. 18. num. 3. apud Iudæũ eiuſdẽ artis diuerſatus, eidem labori intẽdebat. *Qui eiuſdem erat artis, & operabatur;*

ait

ait ibi ſacer Hiſtoricus. Et licèt apud alios cōmodiùs, imò & lautiùs habere poſſet hoſpitium, & laborandi exercitio parcere: noluit tamen, ait ibi Chryſoſtomus homil. 39. cuius aurea verba hìc
D. Chryſ. excudo. *Apud illum igitur manet, & non confunditur manere, ſed manet; imò propter hoc ipſum manet, quia commodum diuerſorium nactus erat, & quauis regia magis idoneū; & operabatur prædicans: Erubeſcamus nos, qui etiam abſque prædicatione, viuimus otioſè*. Hæc ille.

Nec immeritò ſedulitatis exēplo, quæ in Paulo mirabiliter eluxit, deſides, & ignauos ſugillat: Quoniam homo natus ad loborē, & auis ad volatum; vt cæleſte pro-
Iob 5. 7. didit oraculum. Vnde cùm primus omnium parens Adamus in paradiſo terreſtri ſummæ fælicitatis loco recenter creatus à Deo collocaretur. Propterea ait ſacer Hiſtoricus Geneſ. 2. n. 15. id
Geneſ. 2. num. 15. ita factum; *Vt operaretur, & cuſtodiret illum*. Et quidem labor ille à Deo iniunctus, non eius cōditionis erat, qui laborantem defatigaret: Summæ namque fælicitatis ſtatui, vel minima corporis afflictio repugnabat: imò potiùs ex Auguſtini ſententia, labore impoſito, voluntas non parum recreationis nactura videbatur.
D. Auguſt. *Non enim*, inquit, ille, *erat laboris afflictio, ſed exhilaratio voluntis*. Verumtamen teſte D. Baſilio in c. 1. Iſa. hac ratione hominem erudiuit, vt non ideo ſe creatum exiſtimaret ad vitam otio marceſcentem; ſed labori etiam ludicro indulgeret. *Primum igitur*, inquit, D. Baſil.
& maximè propriū humanæ conditionis ſtudium eſt, vt operetur, ita, vt iners otium ſit præter hominis naturam, qui initio ſuæ conditionis poſitus eſt in paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Hæc ille. Modo verò ex quo in alio ſtatu homo reperitur, in quo neceſſe eſt otium excutere, labori ad ſalutis remedium ſe dedere, ſomnolentiamque expellere; ſedulitatem Pauli, & Chriſti Domini laborandi ſtudiū ſapienter prouidit; de quo dixit egregiè D. Bernardus epiſt. 254. ad Guarinum.
Ipſe hominis, ſæculique Author, D. Bern.
quandiu cum hominibus conuerſatus eſt. Nunquid ſtetit? Et quidem teſte Scriptura pertranſijt benefaciendo & ſanando omnes. Pertranſijt ergo ſicut non infructuoſè, ita non remiſsè, non pigrè, non lento gradu, ſed quemadmodum de eo ſcriptum eſt: exultauit vt Gigas ad currēdam viam. Quid ad hæc otio contabeſcentis hominis ignauia reſpondebit? dum Chriſtum pro ipſius ſalute ſedulum, & ſe ipſum pigritantem deprehēdit: præmium ſedulis deſtinatum amittere reformidet, & Paulum audiat 1. ad Corinth. 9. ita exhortantem. *Omnes quidem* 1. Cor 9.
currunt, ſed vnus accipit brauiū, ſic currite vt comprehendatis. Aduerte quod omnes curſum arripere,

pete, & vnum ſolummodo palmam ferre atteſtetur. Quod longè aliter euenit in ijs, qui pro obtinenda cæli corona in ſtadio huiuſmodi contẽdunt. Omnes enim vt aſſerit D. Thomas, dummodò metam pertingant palmam indubitanter aſſequuntur, idcirco dixit Apoſtolus: *Sic currite vt cõprehendatis*. Quod D. Thomas ita reddit. *Non ſic eſt de Euangelij præmio, vel de curſu, & brauio, quia hic vnus accipit brauiũ, hi omnes accipere poſſunt.*

1. Cor. 9.

D Thom.

Cæterùm Chriſtus in hoc ſtadio currentib is præmium, & corona proponitur. Vnde fieri nequit, vt properantem, & currentem ſedentarij, & deſides aſſequãtur. Audiant iſti D. Bernardum, & pudeat currentem non ſequi, quem deſiderant coronantem. *Si illo currente tu gradum ſiſtis; non Chriſto appropias, ſed magis elongas, timendumque tibi eſt, quod ait Dauid: Ecce qui elongãt ſe à te Domine, peribunt.* Hæc ille in epiſtola ſuperiùs citata. Nec certè Dei vindictam effugiet iſta deſidia. Time qui deficis, & in medio curſu laſſus conſiſtis, nec Chriſtum currentem aſſequi feſtinas. Cùm tamen in Mundi ſtadio identidem currẽdo non leuiter inſudes, nec laboribus parcas, & periculis, vt inanem mũdi gloriam aſſequatis. Quod tibi opponit elegãter Tertullianus Martyres alloquutus c. 4. *Si tantum*, inquit, *terrenæ gloriæ licèt de corporis, & animi vigore, vt gladiũ, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant, ſub præmio laudis humanæ. Poſſum dicere; modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis. Si tanti vitrũ quanti verùm margaritum? Quis ergo non libentiſſimè tantùm pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo.* En dedimus Tertullianum.

D Bern.

Tertul.

Videamus modo Petrum, & Ioannem ad Chriſti ſepulchrum alacriter currentes. Ioan. c. 20. *Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum, non tamen introiuit.* Vt quid ergo feſtinat ad curſum; qui primus ingredi non ſtuduit? an quia erat adoleſcentior & corporis viribus robuſtior, & ideo ſeniorem currendo ſuperabat: vel fortè quia ſemel tantũ & Petrus bis ad ſepulchrum acceſſerat; primò apud Luc. 24. Secundò hic apud Ioannem 20. quod in oration. 2. de Reſurrectione D. Gregorius Niſſenus atteſtatur. Vnde ab ſpiritu ductus Ioãnes prior acceſſit, non tamen auſus eſt ingredi. *Non tamen introiuit*. At verò Petrus, vbi primum propior factus intrepidè ingreditur, quo ardebat amore ſtimulatus. *Venit ergo Simon Petrus ſequens eũ, & introiuit in monumentum.* Et ſtatim ipſum ſecutus, vt ſcripſit Origenes, introiuit Ioannes. *Intrat*, inquit, *Petrus in monumentum;*

Ioan. 20. n. 4. & 5.

D Niſſen.

Origen.

tum; deinde Ioannes. Non enim decebat, ait Origenes, qui ſimul cucurrerant, non ſimul intrarent? *Ac ſi ambo currunt; ambo intrant:* quoniam in cæleſti ſtadio quotquot currunt, & Chriſtum quærere ſtudet, nullatenus ſtudij præmio defraudantur, idcircò D. Paulus 1. Corinth. cap. 9. dicebat:
1.Cor. 9. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum*. Vbi magnum inter eos qui ob temporale præmium currunt, diſcrimen D. Anſelmus deprehendit, ideoque Apoſtoli no-
D.Anſel. mine ita fatur. *Non curro quaſi in incertum, ſicut illi, qui currũt ad ſæculare brauium, nec ſi poterunt accipere, ſunt certi*. Vides quam ſedula ſit Eccleſiæ apis, vt nunquam quieſcat, non vno contenta loco, mille circuit, in omnibus mellificium vigilanter exercet.

Propter admirandam Sophoclis dulcedinem, eximiamque ipſius eloquij ſuauitatem, Athenarum apem ipſum prædicauit Antiqui-
Suidas. tas; vt Author eſt Suidas, & re-
Volater. fert Volater. lib. 19. Sed longe præſtantior fuit Pauli dulcedo, & iucundior in prędicando ſuauitas, quam non vno tantùm loco ſedulus inſtillauit; non Athenis, cùm in Areopago mellea verba profũdens, plurimos Athenienſium ad Chriſti fidem pertraxit: vnde non vnius tantùm loci, ſed Eccleſiæ vniuerſæ, Orbiſque totius ſedula apis dici promeretur; aptiſſimeque in ipſum quadrat illa Io-

bi interrogatio cap. 38. num. 25. *Quis dedit vehementiſsimo imbri* Iob 38.
curſum? Et quem alium, ait D. num. 25.
Thom. in cap. 15. Epiſtolæ ad Ro- D.Thom.
manos. Imber iſte vehementiſsimè decurrens, aptiùs quã D. Paulum ſignificare potuit? cuius ſedulitas ſic admiranda fuit, vt apem iſtam ad totum Orbem peruolandum, teſte D. Chryſoſtomo promptiorem reddiderit, quàm ſi magnarum alarum remigio prędita extitiſſet. *Tanquam pennatus*, D.Chryſ.
inquit, *totum docendo peruolauit Orbem, & veluti incorporeus labores omnes, periculaque contempſit*.

In Elia Regem Achab curſu ſuperante, D. Pauli ſimulacrum agnoſco. Currebat, inquit Sacer textus 3. Reg. c. 18. Rex Achab, ſed ipſum currendo Propheta ſuperabat. Nec miror, quia vt ibi
dicitur: *Manus Domini facta eſt* 3.Reg.
ſuper Eliam, accintiſque lumbis cap. 18.
currebat ante Achab. Exiſtimat verò Caietanus, curſum Prophetæ Euangelicam prædicationem
deſignare: *Curſus iſte*, ait, *erat* Caietar.
manifeſtatio diuini Verbi. In quo D. Paulus reliquos Apoſtolos, quemadmodum Elias Achabum ſuperauit. Meritò ſane, quia in prædicando, non currentem hominem, ſed aquilam volantem referebat: Et cur non volaret, potiùs quam curreret is, quem Dei manus portabat? *Manus Domini erat ſuper eũ.* Manus iſta, ſi ita fas eſt loqui, vt Regius

Digitized by Google

Pſ-l. 26. num. 24. Vates pollicetur: *Quoniam Dominus ſupponet manum ſuam*, Pauli pedibus ſuppoſita, vel currentem eleuans; ita celerem effecit ad curſum, vt volantis aquilæ ſimilitudinem referret. Hinc eſt illud Chryſoſtom. in Panegyrico D.Chryſ. Principum Apoſtolorum. *Paulus magnus præco veritatis, vniuerſi terrarum Orbis gloria: in cælis homo, & in terra Angelus, decus Eccleſiæ, in ſublimibus aquila*. Et verò dum audis Paulum aquilam à Chryſoſtomo dictum: Non quamlibet, non communem tibi aquilam, ſed miraculoſam propone, illam videlicèt, quam Eſdras lib. 4. cap. 11. ſe vidiſſe Eſdras lib. 4. cap 11. teſtatur. *Vidi*, inquit, *& ecce aſcendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum; & capita tria; & vidi, & ecce expandebat alas ſuas in omnem terram, & omnes venti cæli inſufflabant in eam*. Nec fruſtra duodecim alis prædita deſcribitur; ſed vt daretur intelligi Paulũ tantum telluris, quantũ reliquos Apoſtolos obijſſe. Singulis obtigerunt ſingulæ Orbis Prouinciæ: At verò D. Paulo totus fuit Orbis deſtinatus. Tria habebat capita, in quibus tres Pauli coronæ, & Laureæ, Virginis, ſcilicèt, Martyris, & Doctoris gentium notabantur. Ideoque *Expandebat alas ſuas in omnem terram*: quia nulla penè mundi Regio deſignabitur, in qua Pauli ſedulitas præclariſſima cæleſtis mellificij monumenta non impreſſerit. Suã fidem, chriſtianæque pietatis dulcedinẽ Paulo debere, cæcus erit mundus niſi cognoſcat, & impudens niſi libere fateatur. Fauit tàm fortibus auſis cælum, & volantem aquilam cæleſtis gratia, Dei fauor, paradiſi afflatus ſuauiter aſpirans deducebat. Idcirco dicitur: *Omnes venti cæli inſufflabant in eam*.

Magna, fateor, eſt alarum celeritas cùm ventorum impulſu adiuuatur. Quid igitur non eſſet ſperandum de Pauli aduolandum celeritate, cui & duodecim alæ dantur, & gratiæ cæleſtis fauonio deducitur? Non alias quàm Orbis metas apis huius in prædicando ſedulitas, & magnæ aquilæ in volando præpes agilitas agnouit: Vnde potuit verè dicere *Plus omnibus laboraui: non ego, ſed gratia Dei mecum*. 1.Cor.15 num. 10. Pulchrè addidit labori proprio gratiæ diuinæ cõſortium. Quippe quæ mirabili metamophorſi Pauli pedes mutauit in alas, vt qui animarũ conuerſioni ſtudens, non ambulare contentus, currere feſtinabat, etiam peruolaret. Quàm aliter Simoni Mago (vt norunt omnes) euenit. Dei filium præſtigiator iſte ſe mentiri ſtuduit, aſcenſumque per aëra ſimulauit, vt refert Egeſippus lib. 3. de excidio Vrbis Egeſipp. Hieroſolym. ſed Petrus mentito volatu properantem deiecit ad terram, & fractis cruribus didicit, vlciſcente Deo, carere pedibus, qui

qui non ambulare contentus ad volatum inhiabat; ſi vera eſt D. Maximi ſententia, homil. 5. de Petro, & Paulo, vbi ſic: *Vt qui pauloante volare tentauerat, ſubitò ambulare non poſſet; & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret.* Digna in Magum Dei vindicta, & dignius Pauli præmium, cui pedes mutantur in alas, imò & totum corpus redditur alatum, vt prædicationis curſum mira celeritate conficeret, ac in Dei ſeruitio ipſamet feſtinatione celerior redderetur. D. Max.

Apum Eccleſiæ ſedulitatem inſpeximus, in qua ſic pares extiterunt; vt nulla ceſsiſſe alteri videatur. Petrus pro grege ſolicitus inuigilabat aſsiduè, laboribus, & periculis ſe obijciens. Eodem prorſus affectu Paulus in omnes partes ſuum verſabat ingenium, nihil relinquens intentatum, vt per medios etiam labores, extremaque vitæ pericula cæleſti mellificio intenderet, atque ad animarum lucrum totis viribus niteretur. Quàm bellè nouerant apes iſtæ ſedulitatis ſuæ Sacramentum. *Etiam in pace*, vt olim ad Martyres dixit Tertull. *labore, & incommodis bellum pati didicerunt, deambulando, campum decurrendo, de vmbra ad ſolem, è ſole ad cælum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.* Hæc ille; & apes Eccleſiæ Orbiſque Doctores nequaquã vmbratiles extiterunt; nec ex eorum genere, quos ignauia, & vmbra delectat. Impigros operarios iuuat ſolicitudo; nec quidquam magis arridet, quam labor aſsiduus, & indefeſſum alieni profectus ſtudium. Quod in ipſo vocationis ſuæ exordio didicerunt, cùm ex piſcatoribus piſcium, in piſcatores hominum permutãtur. *Venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum*, Matth. c. 4. vbi prudenter admonet D. Chryſol. ſer. 28. *Expende quod captores piſcium, fiunt hominum piſcatores, de labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſſeſcere meditatus. Omnia quæ de vſu veniũt, non fatigant; virtus exercitio perſeuerat. Hinc eſt, quod Apoſtolos ſuos Chriſtus humanis laboribus exercere voluit, vt eos indefeſſos redderet in diuinis: voluit eis Deus manere fortitudinẽ, de exercitio præſtare virtutem. Et quia fructus prouenit ex labore, voluit eos laborem nõ perdere, ſed mutare.* Verè quidem, & diſertè Chryſologus, non enim quieſcere poſſunt, qui ſe ad laborandum vocatos agnouerunt. Tertull. Matth. 4. D. Chryſ.

Sed genus ignauum, qui tecto gaudet & vmbra,

vt alius perbellè iactabat, ſedulitatem laborem, ſolicitudinemque faſtidit. Nec mirùm, quia Dei conſilium erga ſuos ignorat, cui maximè cordi eſt, vt Apoſtolicæ gratiæ viros quos diligit, labor aſsiduus exerceat: nec vnquam

quam in vita præſenti quietem nanciſcantur, quia futura adueniente requiem accumulare decreuit. Quod, ni fallor, acutè D.Chryſ. vidit D. Chryſoſtomus homil. de Lucæ.16. diuite in cap.16. Lucæ, vbi mortuo Lazaro in domo diuitis mendicante, hæc ait: *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinũ Abrahæ.* Nec Angelos portantes admireris. *Portatur poſt tantos labores, quia defecerat, ne ſaltem ambulans laboraret,* dixit ibidem Chryſoſtomus, quem ego ſic interpretor: Innumeros labores ægritudinem, nuditatem, vlcera, ſitim, famemque extremam incredibili patientia Lazarus ſuſtinuit: vnde etiã non illepidè dixit Chryſologus ſerm.122. Deum in Lazari corpore multa ora perfodiſſe, quibus in extrema cõſtitutus inopia diuitis auxilium poſtularet. D.Chryſ. *Quia obturatis auribus vnius oris nihil erat vox clamantis; ad aperiendum cor diuitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in commonẽdo diuite, tot eſſent pauperis ora, quot vulnera.* Conſentaneum verò fuit, vt qui tot labores, & plagas tolerauerat, ab Angelis portaretur, ne laſsitudinẽ ſentiret, itinerisq. faſtidiũ tantis portatoribus alleuaret. *Ne ſaltem,* ait Chryſoſtomus, *ambulans laboraret.* Quod ideo liquet dictum, vt Dei ſolicitudinem in remunerãdis iuſtorum laboribus declararet. Quis enim erit ita hebes, vt animam, in itinere ad cælum, fatigari exiſtimet? Qua facilitate ignis ſurſum tẽdit in ſpheram; lapis deorſum præcipitatur in centrum, eadem anima ad locum ſibi deſtinatum euolat. Verùm vt omnibus innoteſcat, quàm incredibili ſtudio & ſolicitudine corporeos iuſtorũ labores Deus ipſe præmijs cumulet, perbellè dixit Chryſoſtomus, Lazarum ab Angelis deportatum, vt itineris laſsitudinem ſubleuarent. *Ne ſaltem ambulans laboraret.* Nec minus venuſtum eſt, quod ſtatim addit, Angelos nimirum geſtientes, gratiſsimoque oneri certatim ſubire feſtinantes, Lazari plagas, & vlcera Dei oculis gratiſsima contrectaſſe: *Gaudet vnuſquiſque* D.Chryſ. *Angelus tantùm onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauãtur:* Si tamen, vbi tanta inerat in portãdo voluptas, aliquod oneris grauamen ſentiri potuiſſet.

Heus tu, quem ignauia detinet; torporem excute, ſedulitatem amplectere, labori te accinge: moueat ſolicitudinis præmium, quem apum Eccleſię non impellit ſedulitatis exemplum. Si homines faſtidis, Angelos ſuſpice, & nuſquam videbis quieſcentes, vt contigit Iacob, qui Geneſ. 28. num. 12. *Vidit in ſomnis ſcalam* Geneſ.28 *ſtantem ſuper terram, & cacumẽ illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes.* In quem locum ignauos & perfectionis parum ſtudioſos

ſos

ſos aculeata oratione pungit acri. ter D. Bernardus epiſt. 154. ad Guarinum Abbatem: *Nuſquam*, ait, *vir iuſtus arbitratur ſe comprehẽdiſſe: nuſquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſitítque iuſtitiã; ita vt ſi ſemper viueret, quantum in ſe eſt iuſtior eſſe contenderet, ſed ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Vidit enim ſcalam Iacob, vbi nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur.* Hæc ille.

D.Bern.

Cæterùm apes Eccleſiæ non ſolùm Naturæ apum, ſed etiam Angelorum, quos vitæ ſimilitudine referunt, ſedulitatem & ſolicitudinem æmulabantur. Ita enim labori inſtabant, vt nefas ducerẽt, & grande piaculum, vel minimum quieſcere, cùm animarum ſalutis occaſio, & neceſsitas ad laborandum prouocaret. Vnde cùm magis aſcenſu veloces Angeli extollerentur, nihil ibi demorantes ſũma feſtinatione ad deſcenſũ alijs futuri auxilio properabant. Quod Paulus ſe feciſſe teſtatur, dicens; *Siue mente excedimus Deo:* En aſcenſum ad ſuperiora: *Siue ſobrij ſumus propter vos.* En propter animarum vtilitatem cogitur ad deſcenſum, illarum captui ſe attemperans, altitudinemque dimittens. Nec mirum quoniam ſic apis nomen, ominiſque ratio abſtringebat. Quicunque igitur Eccleſiæ apum ſucceſſor extitit, & pulcherrimo apum ſtemmate decoratur, gemino, & Pontificij muneris, & clari ſtemmatis præſagio, magnam pro grege ſibi cõmiſſo ſedulitatem impendere pollicetur. Et quàm abundãter exoluit ille, quem iam ab hinc tredecim annis in Petri ſolio reluctantem, ſed digniſsimum ac merentem Roma excepit gratulabunda; & in præſenti Chriſtianus Orbis eodem in loco nitidiſsimis ſapiẽtiæ, magnanimitatis, & benificentiæ radijs fulgurantem ſuſpicit & veneratur.

2.Cor.5. num.13.

CAPVT III.

Laudanda Petri, & Pauli, in ſũma rerum potentia, & ſublimitate frugalitas, & parſimonia inculcatur; Magnatibuſque imitanda proponitur.

MIra quidem eſt apum frugalitas, & nunquam ſatis laudata à melliſographis parſimonia: Vnde apes ſummæ frugalitatis exemplaria iure optimo nuncuparunt. Quoniam ipſæ mellis opes modicis ſumptibus nobis largiſsimè ſuppeditant; & cùm mella conferant ad delicias, nihil ſibi pro alimentorum neceſsitate reſeruant. Quapropter nihil gratius, nec magis aptum, vt inde Petri & Pauli parſimoniæ, frugalitatique laudandæ, clariſsimum mutuemur argumentum. Apes illi Eccleſiæ extiterunt; & quemadmodum ſedulitatem apum; vt ha-

ctenus

quam in vita præſenti quietem nanciſcantur, quia futura adueniente requiem accumulare decreuit. Quod, ni fallor, acutè vidit D. Chryſoſtomus homil. de diuite in cap. 16. Lucæ, vbi mortuo Lazaro in domo diuitis mendicante, hæc ait: *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinũ Abrahæ*. Nec Angelos portantes admireris. *Portatur poſt tantos labores, quia defecerat, ne ſaltem ambulans laboraret*, dixit ibidem Chryſoſtomus, quem ego ſic interpretor: Innumeros labores ægritudinem, nuditatem, vlcera, ſitim, famemque extremam incredibili patientia Lazarus ſuſtinuit: vnde etiã non illepidè dixit Chryſologus ſerm. 122. Deum in Lazari corpore multa ora perfodiſſe, quibus in extrema cõſtitutus inopia diuitis auxilium poſtularet. *Quia obturatis auribus vnius oris nihil erat vox clamantis; ad aperiendum cor diuitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, vt in commonẽdo diuite, tot eſſent pauperis ora, quot vulnera*. Conſentaneum verò fuit, vt qui tot labores, & plagas tolerauerat, ab Angelis portaretur, ne laſsitudinẽ ſentiret, itinerisq. faſtidiũ tantis portatoribus alleuaret. *Ne ſaltem*, ait Chryſoſtomus, *ambulans laboraret*. Quod ideo liquet dictum, vt Dei ſolicitudinem in remunerãdis iuſtorum laboribus declararet. Quis enim erit ita hebes, vt animam, in itinere ad cælum, fatigari exiſtimet? Qua facilitate ignis ſurſum tẽdit in ſphæram; lapis deorſum præcipitatur in centrum, eadem anima ad locum ſibi deſtinatum euolat. Verùm vt omnibus innoteſcat, quàm incredibili ſtudio & ſolicitudine corporeos iuſtorũ labores Deus ipſe præmijs cumulet, perbellè dixit Chryſoſtomus, Lazarum ab Angelis deportatum, vt itineris laſsitudinem ſubleuarent. *Ne ſaltem ambulans laboraret*. Nec minus venuſtum eſt, quod ſtatim addit, Angelos nimirum geſtientes, gratiſsimoque oneri certatim ſubire feſtinantes, Lazari plagas, & vlcera Dei oculis gratiſsima contrectaſſe. *Gaudet vnuſquiſque Angelus tantùm onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauãtur*: Si tamen, vbi tanta inerat in portãdo voluptas, aliquod oneris grauamen ſentiri potuiſſet.

D.Chryſ.
Lucæ. 16.
D.Chryſ.
D.Chryſ.

Heus tu, quem ignauia detinet; torporem excutè, ſedulitatem amplectere, labori te accinge: moueat ſolicitudinis præmium, quem apum Eccleſię non impellit ſedulitatis exemplum. Si homines faſtidis, Angelos ſuſpice, & nuſquam videbis quieſcentes, vt contigit Iacob, qui Geneſ. 28. num. 12. *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumẽ illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes*. In quem locum ignauos & perfectionis parum ſtudioſos Geneſ. 28

ſos aculeata oratione pungit acriter D. Bernardus epiſt. 154. ad Guarinum Abbatem: *Nuſquam*, ait, *vir iuſtus arbitratur ſe comprehēdiſſe: nuſquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiā; ita vt ſi ſemper viueret, quantum in ſe eſt iuſtior eſſe contenderet, ſed ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Vidit enim ſcalam Iacob, vbi nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur.* Hæc ille.

D.Bern.

Cæterùm apes Eccleſiæ non ſolùm Naturæ apum, ſed etiam Angelorum, quos vitæ ſimilitudine referunt, ſedulitatem & ſolicitudinem æmulabantur. Ita enim labori inſtabant, vt nefas ducerēt, & grande piaculum, vel minimum quieſcere, cùm animarum ſalutis occaſio, & neceſsitas ad laborandum prouocaret. Vnde cùm magis aſcenſu veloces Angeli extollerentur, nihil ibi demorantes sūma feſtinatione ad deſcensū alijs futuri auxilio properabant. Quod Paulus ſe feciſſe teſtatur, dicens;

2.Cor.5. num.13.

Siue mente excedimus Deo: En aſcenſum ad ſuperiora: *Siue ſobrij ſumus propter vos.* En propter animarum vtilitatem cogitur ad deſcenſum, illarum captui ſe attemperans, altitudinemque dimittens. Nec mirum quoniam ſic apis nomen, ominiſque ratio abſtringebat. Quicunque igitur Eccleſiæ apum ſucceſſor extitit, & pulcherrimo apum ſtemmate decoratur, gemino, & Pontificij muneris, & clari ſtemmatis præſagio, magnam pro grege ſibi cōmiſſo ſedulitatem impendere pollicetur. Et quàm abundāter exoluit ille, quem iam ab hinc tredecim annis in Petri ſolio reluctantem, ſed digniſsimum ac merentem Roma excepit gratulabunda; & in præſenti Chriſtianus Orbis eodem in loco nitidiſsimis ſapiētiæ, magnanimitatis, & benificentiæ radijs fulgurantem ſuſpicit & veneratur.

CAPVT III.

Laudanda Petri, & Pauli, in sūma rerum potentia, & ſublimitate frugalitas, & parſimonia inculcatur; Magnatibuſque imitanda proponitur.

MIra quidem eſt apum frugalitas, & nunquam ſatis laudata à melliſographis parſimonia: Vnde apes ſummæ frugalitatis exemplaria iure optimo nuncuparunt. Quoniam ipſæ mellis opes modicis ſumptibus nobis largiſsimè ſuppeditant; & cùm mella conferant ad delicias, nihil ſibi pro alimentorum neceſsitate reſeruant. Quapropter nihil gratius, nec magis aptum, vt inde Petri & Pauli parſimoniæ, frugalitatique laudandæ, clariſsimum mutuemur argumentum. Apes illi Eccleſiæ extiterunt; & quemadmodum ſedulitatem apum; vt ha-

ctenus

Digitized by Google

ctenus vidimus, ſunt æmulati: ſic etiam in imitanda ipſarum parſimonia, Pontificibus & viris Magnatibus clariſsima reliquerunt frugalitatis monumēta. Quæ adeo nota ſunt, vt calamo deficiente, oculis ſe obijcianr,& ſpontè offerant imitanda. Petrus Eccleſiaſtici caput erat Imperij: & Paulus electionis vas, vt Dei nomen in omnes Orbis Regiones deferret, ac omnium gentium Doctor exiſteret: & tamē cùm tales eſsēt, mirum eſt quàm magna fuerit vtriuſque parſimonia, quàm admiranda in omnibus frugalitas; vt vel etiam hoc ſolo nomine apum Eccleſiæ titulo adornari promeruerint. Apes enim, vt in naturali (Plinius.) hiſtoria Plinius teſtatur, mellis diuitias hominibus largiter ſuppeditant: nec eo ad victum niſi parciſsimè vtūtur, ſibi parcæ, in alios profuſiſsimæ.

Hanc apum Eccleſiæ frugalitatem reſpiciens Petrus Damiani, aureum redire Apoſtolorum ſæculum cupiebat: (Petrus Damian.) *Reparetur*, ait, *nunc aureum Apoſtolorum ſæculum*. lib. 1. epiſt. 1. Antiphraſis quædā eſt, vbi aurea dicuntur ſæcula, quia nihil in ipſis fiebat aurum, ſed tanquam vile quid Apoſtolorum pedibus conculcandum offerebatur. Huc etiam, ni fallor, reſpiciens Cellenſis Abbas, Nouarino teſte cap. 24. elect. ſacr. Chriſti Apoſtolos auri circulos (Cellenſis Abbas.) nuncupauit. *Nulla*, inquit, *inteis obliquatio falſitatis, nulla interruptio vanitatis, nullus exceſſus ſuperfluitatis, nulla coarctatio imperfectionis. Totum rotundum de veritate, totum æquale de æquitate*.

Proh quàm circinnati extiterunt, quibus tantùm abſuit vt ſuperflua eſsēt, quòd etiā ad victum & veſtitum neceſſaria non haberent; Vnde fame, ſiti, nuditateque prope enectus dicebat Corinthijs Paulus: *In fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate*, 2. Corinth. 11. (2. Cor. 11) Nec ſemel tātùm hæc paſſus eſt incommoda, extremamque rerum indigētiam ſuſtinuit. Ab ipſo conuerſionis ſuæ exordio, fame, & ſiti, non aliter quàm exquiſitiſsimis epulis, delicatiſque obſonijs ſtudioſus apum frugalitatis æmulator delectabatur. Iterum ad Corinthios 1. cap. 4. (1. Cor. 4.) *Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus*; Vbi ait eleganter D. Thomas lect. 2. illud, *Vſque in hanc horam* expendens: *vſque in hanc horam, ideſt, continuè à conuerſione mea, vſque in præſens tempus eſurimus, & ſitimus*. Nec verò Petrum in eodem frugalitatis exemplo imparem agnoſco; ſed eandem in victu, atque veſtitu indigentiam ſuſtinuit & nuditatē. Vterque igitur Chriſti imitator fuit eximius: vtrumque ad vitæ ſuæ imaginem efformauit, in vtroque ſanctitatis ſuæ viua quædam ſimulacra reliquit. Nam Petrus Eccleſiæ caput extitit, vt Dei poteſta-

teſta-

teſtatem, & Paulus electionis vas factus, vt nominis ipſius maieſtatem oſtentaret. Quod D. Maximi calamo, homil. 5. in Natali Petri, & Pauli eleganter redditum huc transfero. *Nam Petro ſicut bono diſpenſatori clauem Regni cæleſtis dedit, Paulo tanquam idoneo Doctori Magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit, ſcilicèt, vt quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem; vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat Regna cælorum.* Pauciſque interiectis ſubdit. *Ambo igitur claues à Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſaurus iſte largitur. Sunt enim ſcientiæ theſauri, ſicut ſcriptum eſt: In quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Hactenus ille.

Nazian. Petrus verò Eccleſiæ caput cũ eſſet, ita frugi erat, vt teſte Nazianzeno, Orat. de amore pauperum, & Baron. in Annal. ad Chriſti annum 34. lupinis tantùm, nec ad extinguendam famem, veſceretur. Et quàm parca in epulis menſa, tàm vacua apparatus extitit: vnde eſt illud Ambroſ. ſerm. 68. *Pranſuro Petro deſunt coquorum apparatus, deſunt obſequia famulorum, ſed quod eſt melius miniſteria diuina non deſunt, & vtiliori commutatione S. Viro quod deeſt in terra, abundat in cælis. Vt reficiatur enim Petrus non cellarium ſolicitè reſeratur, ſed cælum ipſum protinùs aperitur. Legimus S. Eliam coruis miniſtrantibus paſtum: Quãto meliùs Petrus, cui non paruam eſcam terræ auis porrigit, ſed integrum conuiuium multitudo Angelica ſubminiſtrat.* Nec mirùm vt Petrus (de quo Nazianzenus ſcripſit, *Petrum Principem Apoſtolorum ferè ſemper ieiunaſſe*) *Nazian.* terrena faſtidiens obſonia, cæleſtes epulas, & Angelorum obſequia mereretur. Quoniam tàm magna eſt abſtinentiæ, & parcitatis dignitas, vt inter Deum, & hominem quandam videatur æqualitatem conſtituere, ſicut lib. de ieiunijs aduerſus Pſychicos cap. 6. dicebat olim Tertullianus. *Tertull.* *Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem re uera pari.*

Baron. *D. Ambr.*

Iam verò Pauli frugalitas in omnibus pariter enitebat: Etenim ea tantùm pro victu, & veſtitu quærebat, quibus vt cunque viueret, & tegeretur. *Habentes quibus tegamur & his contenti ſimus*, 1. ad Timoth. c. 6. num. 8. Vnde cum in animarum inſtitutione totus verſaretur, innumeriſque magni momenti negotijs pro Dei cauſa eſſet diſtentus; ijs omnibus ſe ad tempus ſuffurabatur, vt proprio labore artis ſceno factoriæ, quam exercebat victum ſibi pareret, & veſtitũ, vt Act. 20. num. 34.

ctenus vidimus, ſunt æmulati: ſic etiam in imitanda ipſarum parſimonia, Pontificibus & viris Magnatibus clariſsima reliquerunt frugalitatis monumēta. Quæ adeo nota ſunt, vt calamo deficiente, oculis ſe obijciant, & ſpontè offerant imitanda. Petrus Eccleſiaſtici caput erat Imperij: & Paulus electionis vas, vt Dei nomen in omnes Orbis Regiones deferret, ac omnium gentium Doctor exiſteret: & tamē cùm tales eſsēt, mirum eſt quàm magna fuerit vtriuſque parſimonia, quàm admiranda in omnibus frugalitas; vt vel etiam hoc ſolo nomine apum Eccleſiæ titulo adornari promeruerint. Apes enim, vt in naturali

Plinius. hiſtoria Plinius teſtatur, mellis diuitias hominibus largiter ſuppeditant: nec eo ad victum niſi parciſsimè vtūtur, ſibi parcæ, in alios profuſiſsimæ.

Hanc apum Eccleſiæ frugalitatem reſpiciens Petrus Damiani, aureum redire Apoſtolorum ſæculum cupiebat: *Reparetur*, ait, *nunc aureum Apoſtolorum ſæculum*. lib. I. epiſt. I. Antiphraſis quædā eſt, vbi aurea dicuntur ſæcula, quia nihil in ipſis fiebat aurum, ſed tanquam vile quid Apoſtolorum pedibus conculcandum offerebatur. Huc etiam, ni fallor, reſpiciens Cellenſis Abbas, Nouarino teſte cap. 24. elect. ſacr. Chriſti Apoſtolos auri circulos nuncupauit. *Nulla*, inquit, *in eis obliquatio falſitatis, nulla interruptio vanitatis, nullus exceſſus ſuperfluitatis, nulla coarctatio imperfectionis. Totum rotundum de veritate, totum æquale de æquitate*.

Petrus Damian.

Cellenſis Abbas.

Proh quàm circinnati extiterunt, quibus tantùm abfuit vt ſuperflua eſsēt, quòd etiā ad victum & veſtitum neceſſaria non haberent; Vnde fame, ſiti, nuditateque prope enectus dicebat Corinthijs Paulus: *In fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate*, 2. Corinth. II. Nec ſemel tātùm hæc paſſus eſt incommoda, extremamque rerum indigētiam ſuſtinuit. Ab ipſo conuerſionis ſuæ exordio, fame, & ſiti, non aliter quàm exquiſitiſsimis epulis, delicatiſque obſonijs ſtudioſus apum frugalitatis æmulator delectabatur. Iterum ad Corinthios I. cap. 4. *Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus*; Vbi ait eleganter D. Thomas lect. 2. illud, *Vſque in hanc horam* expendens: *vſque in hanc horam, ideſt, continuè à conuerſione mea, vſque in præſens tempus eſurimus, & ſitimus*. Nec verò Petrum in eodem frugalitatis exemplo imparem agnoſco; ſed eandem in victu, atque veſtitu indigentiam ſuſtinuit & nuditatē. Vterque igitur Chriſti imitator fuit eximius: vtrumque ad vitæ ſuæ imaginem efformauit, in vtroque ſanctitatis ſuæ viua quædam ſimulacra reliquit. Nam Petrus Eccleſiæ caput extitit, vt Dei po-

2. Cor. II

I. Cor. 4.

teſta-

teſtatem, & Paulus electionis vas factus, vt nominis ipſius maieſtatem oſtentaret. Quod D. Maximi calamo, homil. 5. in Natali Petri, & Pauli eleganter redditum huc transfero. *Nam Petro ſicut bono diſpenſatori clauem Regni cæleſtis dedit, Paulo tanquam idoneo Doctori Magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit, ſcilicèt, vt quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem; vt quorum corda Paulus pateſecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat Regna cælorum.* Paucisque interiectis ſubdit. *Ambo igitur claues à Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſaurus iſte largitur. Sunt enim ſcientiæ theſauri, ſicut ſcriptum eſt: In quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Hactenus ille.

Nazian. Petrus verò Eccleſiæ caput cũ eſſet, ita frugi erat, vt teſte Nazianzeno, Orat. de amore pauperum, & Baron. (Baron.) in Annal. ad Chriſti annum 34. lupinis tantùm, nec ad extinguendam famem, veſceretur. Et quàm parca in epulis menſa, tàm vacua apparatus extitit: (D. Ambr.) vnde eſt illud Ambroſ. ſerm. 68. *Pranſuro Petro deſunt coquorum apparatus, deſunt obſequia famulorum, ſed quod eſt melius miniſteria diuina non deſunt, & vtiliori commutatione S. Viro quod deeſt in terra, abundat in cælis. Vt reficiatur enim Petrus non cellarium ſolicitè reſeratur, ſed cælum ipſum protinùs aperitur. Legimus S. Eliam coruis miniſtrantibus paſtum: Quãto meliùs Petrus, cui non paruam eſcam terræ auis porrigit, ſed integrum conuiuium multitudo Angelica ſubminiſtrat.* Nec mirùm vt Petrus (de quo Nazianzenus ſcripſit, *Petrum Principem Apoſtolorum ferè ſemper ieiunaſſe*) (Nazian.) terrena faſtidiens obſonia, cæleſtes epulas, & Angelorum obſequia mereretur. Quoniam tàm magna eſt abſtinentiæ, & parcitatis dignitas, vt inter Deum, & hominem quandam videatur æqualitatem conſtituere, ſicut lib. de ieiunijs aduerſus Pſychicos cap. 6. dicebat olim Tertullianus. (Tertull.) *Tanta eſt circunſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem re uera pari.*

Iam verò Pauli frugalitas in omnibus pariter enitebat: Etenim ea tantùm pro victu, & veſtitu quærebat, quibus vt cunque viueret, & tegeretur. *Habentes quibus tegamur & his contenti ſimus*, 1. ad Timoth. c. 6. num. 8. Vnde cum in animarum inſtitutione totus verſaretur, innumeriſque magni momenti negotijs pro Dei cauſa eſſet diſtentus; ijs omnibus ſe ad tempus ſuffurabatur, vt proprio labore artis ſcenofactoriæ, quam exercebat victum ſibi pareret, & veſtitũ, vt Act. 20. num. 34.

Digitized by Google

num. 34. Epheſios alloquens te-
Act. 20. ſtatur. *Quoniam ad ea quæ mi-*
num. 34. *hi opus erant, & his qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ.* Nec dubium eſt; quod ea miniſtratio, qua ſibi, & alijs neceſſaria comparabat, de labore intelligenda ſit, vt ex verbis primæ ad
Prouer. 4 Corinth. 4. *Laboramus operanti-*
num. 12. *bus manibus noſtris;* apertè deducitur.

Et quidem veluti rogatus: Qua ratione ſe prædicandi miniſterio ſubtraheret, ad vitæ neceſſaria labore proprio conquirenda; cũ fidelium charitas hoc ei quemadmodum cæteris Euangelij miniſtris ſuppeditare potuiſſet: Reſpondit ad Theſſal. 1. cap. 2. nu. 9.
1. ad *Memores enim eſtis fratres labo-*
Theſſ. 2. *ris noſtri, & fatigationis; die, ac*
num. 9. *nocte operantes, ne quem veſtrum grauaremus.* Hæc ille tanquam vera Apis Eccleſiæ parſimoniæ apum æmulatrix. Quæ neutiquã dominis onoroſæ, ipſis mellificant, nec viciſſim pro mellificio mercedem repoſcunt. Vnde ad Theſſalon. 1. cap. 3. num. 8. dice-
2. ad bat: *Nõ inquieti ſumus inter vos,*
Theſſ. 3. *neque gratis panem manducaui-*
num. 8. *mus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus: non quaſi non habuerimus poteſtatem; ſed vt noſmetipſos formã daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denũciabamus vobis; quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* Hæc ibi. Solius autem panis fortè meminit, quia illo tantùm vtebatur ad victum, vel vt plurimùm herbis, aut leguminibus veſcebatur.

Cùm verò Athenis diſcedẽs Co-
rinthũ proficiſceretur, vt Act. 18. *Act. 18.*
num. 1. D. Lucas enarrat, etiam *num. 1.*
dilectæ ſibi parcitatis exemplaria deferebat. Itineris huius rationes excogitauit D. Chryſoſtomus ho-
mil. 39. in Acta: atque in hunc *D. Chryſ.*
modum ſcripſit: *Merito in Co-* *hom. 35.*
rinthum à ſpiritu ducitur, in qua *in Acta.*
manere oportebat. Athenienſes enim quãuis nouæ doctrinæ amatores eſſent, attamen non attendebant, neque enim hoc curabãt, ſed vt ſemper haberẽt noui aliquid quod fabularentur, ſtudebant. Cæterùm Paulus nullum præter Aquilæ, & Priſcillæ, qui nuper ab Italia venerant, hoſpitium requiſiuit; quia cùm eiuſdem eſſent artis, apud eos manẽs operandi occaſionem obtinebat; vt ibi nu. 3.
ſacra narrat hiſtoria. *Et quia eiuſ-* *Act. 18.*
dem erat artis, manebat apud eos, *num. 3.*
& operabatur (erant enim ſcenofactoriæ artis) Vt etiam illud ad victus tenuitatem adderet, quòd non gratis & precariò, ſed ſudore & labore partis viueret alimẽ-
tis: ſeu, vt inquit D. Chryſoſtom. *D. Chryſ.*
Ne quem grauaret; vt alios prouocaret exemplo ſuo ad vitandũ otium; vt deterreret Pſeudoapoſtolos, qui quæſtus cauſa prædicabant, vt haberet vnde neceſſitatẽ tribueret patienti. Quin imò ſicut

ne

ne alijs eſſet oneri,laborãdo victitabat, ſic etiã vt ſe quoquomodo tegeret Timotheum fuit deprecatus, vt veniens relictã apud Troadem penulam deferret: *Penulam quam reliqui Troade apud Carpũ veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas*, 2. ad Timoth. 4. vbi D. Chryſoſt. Pallium hic penulam dicit,quę fortè, vt ſentit D. Hieronymus, trita erat, & obſoleta: Nec ſuam dicere auſus eſt, vt ſe verum pauperem exhiberet, qui nihil ſuum agnoſcere conſueuerunt. Cæterũ qualis qualis eſſet, Timotheũ, vt afferat exhortatur: At cur? eo in loco inquirit D.Chryſoſtomus, & reſpondet, *Penulam quærit, ne hanc ab alijs accipere ſit opus*. Vnde in Epiſtolam ad Galat.intulit acutè, vt ſolet, D. Auguſtinus: neminem æquius D. Paulo beneficentiã erga pauperes, nec potiori ratione ad præſtandum in neceſsitatibus ſubſidium cogere, & exhortari potuiſſe: Quippe qui proprio labore indigentibus opitulari ſtudebat. *Bona opera* (eleemoſynas puta & ſimilia) *nemo maiori fiducia debet præcipere, quàm hic Apoſtolus, qui manibus ſuis victum tranſigens, hæc in ſe nolebat fieri, vt maiori pondere propter eorum magis vtilitatem, qui hæc exhiberent, quàm propter eorum quibus exhibent, ea ſe monere omnibus demonſtraret*. Hæc ille.

2. ad Timoth. cap. 4. num. 13.

D. Chryſ.

D. Hier.

D. Aug.

Nec parui faciendum eſt, quòd ad Apoſtolorum dignitatem euectus artem ſcenofactoriam valdè humilem non deſeruit, ſed eam ſæpiùs exercendo, quandiù per Orbem prædicans diſcurrebat, alimenta ſibi comparauerit, vt ſcripſit S. Chryſoſtomus homil. 2. in epiſt. ad Rom. *Tabernaculorũ texendorum hic artifex non modo Siciliam, atque Italiam, verum vniuerſum terrarum Orbem verbum Dei prædicaturus peragrauit, cùm interim artem non intermitteret, ſed vel tunc quoque pelles cõſueret; ſuæq. officinæ præeſſet; neque enim ea res patricios, aut magnates offendebat, idque iure optimo, non enim artes, aut ſtudia, ſed conficta dogmata deſpicabiles reddere ſolent præceptores*. Ita ille, vbi vides artem ſcenofactoriam in texendis è corio papilionibus verſari; Quod etiam innuit Origenes homil. 17. in Numer. vbi Paulum vocat tabernaculorum artificem, & cum Petro è piſcatione ad Apoſtolatum euocato confert. *Sicut ex piſcatione piſcium Petrus piſcator factus eſt hominum; ita iſte à faciendis tabernaculis terrenis, ad cæleſtia conſtruenda tabernacula tranſlatus eſt*. Id etiam cecinit Arator lib. 2. in Acta.

D. Chryſ.

Origen.

Arator.

Myſtica ſigna duces præmittunt laudibus artis:
Piſces Petrus agens, homines capit: æquoris hoſpes
In ſacris perſiſtit aquis. Habitacula Paulus

Dum

Dum terrena leuat, docet vt cæleſtia condas,
Factaque ſæpe manu, nunc conſtruit atria verbo.

Quæ hactenus dicta ſunt, ſatis ſuperque Pauli frugalitatem manifeſtant, vel eo ſolùm nomine commendandam, & plurimi faciendam, quia tempore non obſtante, quòd prædicando, docendo, magniſque itineribus totum per Orbem diſcurrendo conſumebat, adhuc alius laudãdæ parſimoniæ titulus ſupererat, quòd laborãdo ſedulus acquirebat, vnde proprijs, & quod magnæ charitatis eſt, alienis neceſsitatibus ſubueniret. In quo ſibi parciſsimus pane contentus & aqua, nec vnquam vinum adhibuit, teſte Baronio tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 57. num. 193. & alibi. Verùm quia aurei Eccleſiæ circuli, quales ex Cellenſis Abbatis ſententia diximus Apoſtolos, omni ex parte, orbe læuore, candore commendabiles extiterunt: nec ſolam victus, ſed etiam veſtitus, & aliarum rerum parſimoniam coluerunt; vt Chriſti imaginem, ad quam aſſuerimus efformatos, omnibus modis referrent: Neceſſe eſt, vt ipſum totius parcitatis Archetypum repræſentemus, hoc eſt, de admiranda Saluatoris noſtri parſimonia diſſeramus, vt liquidò conſtet, quàm ad viuum, Petrus, & Paulus, quos etiã mũdi Saluatores effecerat, diuinæ parcitatis ſimilitudinẽ expreſſerunt.

Baron. tom. 1. Annal. ad annũ Chriſti 57. n193

§. PRIMVM.

De Chriſti parſimonia erudimur; cuius in Petro, & Paulo Eccleſiæ apibus ſimilitudo enituit.

QVidquid in omni virtutum genere magnum eſt, atque laudabile: totũ de Saluatoris noſtri ſimilitudine, ſeu imitatione procedit. Ipſe enim virtutes omnes docuit verbo, & firmauit exemplo: ab ipſiſque ſtatim incunabilis, è præſepio velut ex cahedra ſaluberrima nuditatis, & paupertatis documẽta propoſuit. Eadẽ qua cæteri nuditate fuit exortus, *Qui coruos alit, & flores agri veſtit*, vt lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 21. dixit olim Tertullianus. Nec verò cùm audis apud Lucam cap. 2. quòd Mater piiſsima, *Pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio*; purpuram auro intextam cogites, aut ſplẽdentem byſſum, monet D. Cyprianus: *Pannuuli pro purpura, pro byſſo in ornatu regio laciniæ congeruntur. Genitrix eſt & obſtetrix, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, iungit oſcula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio. Nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio.* Hæc ille. In eandem rem eſt illud venerabilis Bedæ in c. 2. Luc. num. 12. vbi verba illa Angeli ad paſtores vigilanter expendẽs: *Et hoc*

Tertull.

Luc. c. 2. num. 7.

D. Cypr.

Beda.

hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio: Et notandum, inquit, *ſolertiùs, quod ſignum nati Saluatoris datur: Infantem non Tyrio exceptum oſtro, ſed pannis ſqualentibus inuolutum, non in ornatis auro ſtratorijs, ſed in præſepibus inueniendum.*

Quin adeo præſepe ipſum, in quo vice cunarum ille recens natus recubuit; non alijs, quàm parſimoniæ, & egeſtatis ornamentis fuerat excultum. Vnde, ſiue lapideum, ſiue luteum extiterit, magis tunc inuidendum, & D. Chryſoſtomi votis omnibus expetendum, quàm modo, poſtquàm pietas Chriſtiana auro gemmis interludentibus ſuper inducto paupertatem illam operuit, ac ditauit. D. Chryſ. *O ſi mihi liceret videre illud præſepe, in quo Dominus iacuit. Nunc nos Chriſtiani quaſi pro honore tulimus luteum, & poſuimus argenteum, ſed mihi pretioſius eſt, quod ablatum eſt.* Digna quidem Chryſoſtomi affectu exclamatio, quam homil. 1. in Lucam reperies. Communis tàmen Eccleſiæ traditio præſepe illud ligneum fuiſſe manifeſtat. Et re vera Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem, vbi ſumma veneratione, & Religionis cultu aſſeruatur; ſtatutis diebus populo adorandum proponitur. Quo etiã in loco. Diuus Hieronymus ſepelitur, caſtoque & humili ſilentio paupertatem, vilitatemque præſepij veneratur, eiuſdem principis incunnabula, qui ſtellata Empyrei palatia extruxit, ampliſſimaque Angelicis ſpiritibus auro gemmiſque diſtincta cælorum amphitheatra compoſuit. Et quod, dum vita maneret, epiſtola 18. ſcripſit; *Præſepe in quo infantulus vagijt, ſilentio magis, quàm infirmo ſermone venerandum eſt*, hoc idem mortuus & ſepultus voce reſonat omni tuba clariori. D. Hier.

Et quidem non ſatis habuit Dominus Ieſus paupertatem, & parſimoniam dum naſceretur eligere, niſi etiam toto vitæ ſuæ curſu eandem impensè diligeret, ac modis omnibus ſectaretur. Hinc eſt illud eiuſdem Saluatoris apud Matth. cap. 8. *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*. Quem locum verſans Eutymius, Chriſti nomine ita fatur: *Vulpibus, & volucribus ſum pauperior, neque enim receptaculum habeo, nec quantum ſufficiat ad caput reclinandum, tales autem eſſe volo eos qui me ſequuntur*. Illud autem venit adnotandum, quòd Chriſtus Dominus cuidam diuiti, qui eius doctrinam amplecti ſtudebat, hæc verba reſponderit, quem affectu diuitem cùm agnouiſſet, ſtatim à ſchola reiecit, vt D. Auguſtinus, in quæſtionibus Euangelicis ex Matth. quæſt. 4. ſolerter adnotauit. Matth. 8. Luc. 9. Eutym.

tauit. *Chriſtus ſuperbum quemdã quantùm. intelligitur ex verbis ipſius Domini, vltro ſecum ire cupientem, à ſuo diſcipulatu reuocauit.* Hæc ille, & Hieronymus lib. 1. Commentar. in Matth. c. 8. *Oſtenditur autem* (inquit) *nobis & ob hoc ſcribam repudiatum, quod ſignorum videns magnitudinem ſequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operũ miraculis quæreret; hoc idem deſiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat. Talis ergo fides iuxta ſententiam Domini condemnatur, & dicitur ei: quid me propter diuitias, & ſæculi lucra cupis ſequi, cum tantæ ſim paupertatis, vt ne hoſpitio tum quidem habeam, & non meo vtar tecto?* Quibus non immerito addenda ſunt quę Diuus Chryſoſtomus in eandem rem eleganter ſcripſit, nimirùm ſtrictam parſimoniam, & rerum omnium indigentiam, quam Dominus Ieſus in vita ſua profitebatur diuiti affluentiam meditanti nullatenus conuenire. Propterea affectum magis taxans, quàm ſequelam repudians, dicit: *Vulpes foueas habent, &c.* Sed iam Chryſoſtomus homil. 28. in Matth. *Hæc Chriſti verba non erant repellentis, ſed eius qui & prauam illius opinionem carperet, & poteſtatem daret, ſi cum ſpe huiuſmodi ſequi vellet.* Perbellè Diuus Chryſoſtomus, in Chriſti verbis repulſam non agnouit: Quomodo enim

Matth. 8.

D. Chryſ.

repuliſſe credendus eſſet venientem? qui reſilientes à ſe, & auerſos ſtudioſiſsimè quærit, atque ad vniuſcuiuſque oſtium ſolicitas agit excubias, vt ad ſe pertrahat. In idem recidit illud ab Eutymio dictum. *Hæc dicendo non vetuit Chriſtus ſcribam ſe ſequi, ſed docuit quòd ſi ſequeretur, non inuenturus eſſet lucrum, quod quærebat.* Hæc ille. Et quod nam in tanta paupertate lucrum diues ille reperiret? cùm in Chriſti diſciplinatu paupertas tàm ſtudiosè coleretur, vt apud eum ex miraculo pecuniam inueniri fatendum ſit; iuxta illud Matth. c. 17. cùm ad ſoluendum Cæſari tributum, quod exactores requirebant, Petro imperauit, vt extracto è mari piſce inuentumque in ipſius ore ſtaterem, exigentibus tributum largiretur. Quod ex doctrina Diui Hieronymi lib. 2. Comment. in Matth. cap. 17. *Aedificat auditorem; dum tantæ Dominus fuit paupertatis, vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo ſolueret, non haberet.*

Eutym.

D. Hier.

Cæterùm nequis D. Hieronymo obijceret, Iudã, de quo apud Ioannem dicitur loculos habuiſſe, ipſe ſibi opponit. *Et quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam?* Statimque reſpondet. *Rem pauperum in ſuos vſus conuertere, Chriſtus neſas putauit.* O magnum parſimonię paupertatiſque ſtudiũ! Quod clariùs Apoſtolicæ

Hieronymi ibid.

huius

huiuſ virtutis exemplum poterit excogitari? Cùm aliunde ſoluendo tributo pecuniam non haberet, quæ pauperum erat intactam relinquens, pecuniæ oſor, & parcitatis amator, ad patrandum miraculum ſe conuertit, pauperumque indigentiæ conſulens, potentiæ vires exprompſit. Quod ibi Gloſſa Interlinealis annotauit: *Mira potentia, quæ hoc dicendo creauit ſtaterem*. Hanc Chriſti Domini egeſtatem commendat D. Paulus 2. ad Corinth. cap. 8. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter nos egenus factus eſt.*

Gloſſa in terlin.

2. Cor. 8.

Cùm autem Saluatoris noſtri vita totius perfectionis eſſet exēplar: nihil aliud cuidam ipſum ad perfectionem ſequi ſtudenti conſuluit, quàm vt venditis omnibus quæ poſsidebat, ac in pauperes diſtributis, ad ſequelam feſtinaret, & ipſum imitaretur. *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me*; Matth. 19. num. 21. ſtatimque ſubiunxit rem eſſe difficilem, vt diues quilibet æternam ſalutem aſſequeretur. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in Regnum cælorũ.* Ideo Petrus tanquam ob paupertatem, & vitæ parſimoniam de ſalute hilaris, & ſecurus reſpondit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Matth. 19. nu. 27.

Matt. 19. num. 21.

Matt. 19. num. 27.

Cæterùm illud eximiam Chriſti Domini paupertatem, & parſimoniam vberiùs commendat: quòd ſæpe ſępius in eam redactus eſt rerum indigentiam, vt ſtipem corrogare, & precario viuere cogeretur; vt indubitatum credit, & conſtanter ſuſtinet Vvaldenſiis lib. 4. doctrin. fidei antiq. Catharin. lib. 2. contra Caietanum, & Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliot. annot. 118. & 137. Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 28. ſect. 2. Et facilè oſtenditur: quoniam interprete D. Auguſtino, illud Chriſti ad mulierem Samaritem Ioan. 4. *Mulier da mihi bibere*, actionem innuit mendicandi. Quin etiam ex multorum placito, dum Zachæum hortatur, vt feſtinus ab arbore deſcendat, domum adeat ipſum in ea hoſpitem recepturus: *Zachæe in domo tua oportet me manere*, Verba hæc mendicitatem olent, certamque precandi victum rationem ea ætate conſuetam demonſtrant.

Vvalden.
Catharin.
Sixtus Senenſ.
Suarez.
D. Aug.
Ioan. 4.
Luca 19. num. 5.

Præterea cùm duodecim eſſet annorum, & apud Hieroſolymam relictis parentibus triduum remaneret, collecta oſtiatim ſtipe cibum ſibi comparaſſe D. Bernar. & Bonauent. crediderunt, vt videre eſt *In ſermon. de Puero Ieſu perdito*. Quin immo addit Suarez; quæ ſibi eſſent neceſſaria, vt plurimùm precabatur: Maximè verò id præſtitit cùm prædicationis cauſa diuerſa loca peragraret: Quod quid aliud eſt, quàm mendicare? Non enim veriſimile eſt illius ætatis homines ita in Chri-

D. Bern.
D. Bon.
Suarez.

Ll 2 ſtum

tauit. *Chriſtus ſuperbum quemdã quantùm, intelligitur ex verbis ipſius Domini, vltro ſecum ire cupientem, à ſuo diſcipulatu reuocauit.* Hæc ille, & Hieronymus lib. 1. Commentar. in Matth. c. 8. *Oſtenditur autem* (inquit) *nobis & ob hoc ſcribam repudiatum, quod ſignorum videns magnitudinem ſequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operũ miraculis quæreret; hoc idem deſiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat. Talis ergo fides iuxta ſententiam Domini condemnatur, & dicitur ei: quid me propter diuitias, & ſæculi lucra cupis ſequi, cum tantæ ſim paupertatis, vt ne hoſpitio tum quidem habeam, & non meo vtar tecto?* Quibus non immerito addenda ſunt quę Diuus Chryſoſtomus in eandem rem eleganter ſcripſit, nimirùm ſtrictam parſimoniam, & rerum omnium indigentiam, quam Dominus Ieſus in vita ſua profitebatur, diuiti affluentiam meditanti nullatenus conuenire. Propterea affectum magis taxans, quàm ſequelam repudians, dicit: *Vulpes foueas habent, &c.* Sed iam Chryſoſtomus homil. 28. in Matth. *Hæc Chriſti verba non erant repellentis, ſed eius qui & prauam illius opinionem carperet, & poteſtatem daret, ſi cum ſpe huiuſmodi ſequi vellet.* Perbellè Diuus Chryſoſtomus, in Chriſti verbis repulſam non agnouit: Quomodo enim repuliſſe credendus eſſet venientem? qui reſilientes à ſe, & auerſos ſtudioſiſsimè quærit, atque ad vniuſcuiuſque oſtium ſolicitus agit excubias, vt ad ſe pertrahat. In idem recidit illud ab Eutymio dictum. *Hæc dicendo non vetuit Chriſtus ſcribam ſe ſequi, ſed docuit quòd ſi ſequeretur, non inuenturus eſſet lucrum, quod quærebat.* Hæc ille. Et quod nam in tanta paupertate lucrum diues ille reperiret? cùm in Chriſti diſciplinatu paupertas tàm ſtudioſè coleretur, vt apud eum ex miraculo pecuniam inueniri fatendum ſit; iuxta illud Matth. c. 17. cùm ad ſoluendum Cæſari tributum, quod exactores requirebant, Petro imperauit, vt extracto è mari piſce inuentumque in ipſius ore ſtaterem, exigentibus tributum largiretur. Quod ex doctrina Diui Hieronymi lib. 2. Comment. in Matth. cap. 17. *Aedificat auditorem; dum tantæ Dominus fuit paupertatis; vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo ſolueret, non haberet.*

Matth. 8. | D. Chryſ. | Eutym. | D. Hier.

Cæterùm nequis D. Hieronymo obijceret, Iudã, de quo apud Ioannem dicitur loculos habuiſſe, ipſe ſibi opponit. *Et quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam?* Statimque reſpondet. *Rem pauperum in ſuos vſus conuertere, Chriſtus nefas putauit.* O magnum parſimonię paupertatiſque ſtudiũ! Quod clariùs Apoſtolicæ Hieronymi ibid.

huius

huius virtutis exemplum poterit excogitari? Cùm aliunde ſoluendo tributo pecuniam non haberet, quæ pauperum erat intactam relinquens, pecuniæ oſor, & parcitatis amator, ad patrandum miraculum ſe conuertit, pauperumque indigentiæ conſulens, potentiæ vires exprompſit. Quod ibi Gloſſa Interlinealis annotauit:
Gloſſa in terlin. *Mira potentia, qua hoc dicendo creauit ſtaterem*. Hanc Chriſti Domini egeſtatem commendat D. Paulus 2. ad Corinth. cap. 8.
2. Cor. 8. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter nos egenus factus eſt*.

Cùm autem Saluatoris noſtri vita totius perfectionis eſſet exēplar: nihil aliud cuidam ipſum ad perfectionem ſequi ſtudenti conſuluit, quàm vt venditis omnibus quæ poſsidebat, ac in pauperes diſtributis, ad ſequelam feſtinaret, & ipſum imitaretur. *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me*; Matth. 19. num. 21. ſtatimque ſubiunxit rem eſſe difficilem, vt diues quilibet æternam ſalutem aſſequeretur.
Matt. 19. num 21. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in Regnum cælorū*. Ideo Petrus tanquam ob paupertatem, & vitæ parſimoniam de ſalute hilaris, & ſecurus reſpondit:
Matt. 19. num. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Matth. 19. nu. 27.

Cæterùm illud eximiam Chriſti Domini paupertatem, & parſimoniam vberiùs commendat: quòd ſæpe ſępius in eam redactus eſt rerum indigentiam, vt ſtipem corrogare, & precario viuere cogeretur; vt indubitatum credit, & conſtanter ſuſtinet Vualdenſiis lib 4. doctrin. fidei antiq. Catharin. lib. 2. contra Caietanum, & Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliot. annot. 118. & 137. Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 28. ſect. 2. Et facilè oſtenditur: quoniam interprete D. Auguſtino, illud Chriſti ad mulierem Samaritem Ioan. 4. *Mulier da mihi bibere*, actionem innuit mendicandi. Quin etiam ex multorum placito, dum Zachæum hortatur, vt feſtinus ab arbore deſcendat, domum adeat ipſum in ea hoſpitem recepturus: *Zachæe in domo tua oportet me manere*, Verba hæc mendicitatem olent, certamque precandi victum rationem ea ætate conſuetam demonſtrant. — *Vualden. Catharin. Sixtus Senenſ. Suarez. D. Aug. Ioan. 4. Lucæ 19. num. 5.*

Præterea cùm duodecim eſſet annorum, & apud Hieroſolymam relictis parentibus triduum remaneret, collecta oſtiatim ſtipe cibum ſibi comparaſſe D. Bernar. & Bonauent. crediderunt, vt videre eſt *In ſermon. de Puero Ieſu perdito*. Quin immo addit Suarez; quæ ſibi eſſent neceſſaria, vt plurimùm precabatur: Maximè verò id præſtitit cùm prædicationis cauſa diuerſa loca peragraret: Quod quid aliud eſt, quam mendicare? Non enim veriſimile eſt illius ætatis homines ita in Chri- — *D. Bern. D. Bon. Suarez.*

tauit. *Chriſtus ſuperbum quemdã quantùm intelligitur ex verbis ipſius Domini, vltro ſecum ire cupientem, à ſuo diſcipulatu reuocauit*. Hæc ille, & Hieronymus lib. 1. Commentar. in Matth.c.8. *Oſtenditur autem* (inquit) *nobis & ob hoc ſcribam repudiatum, quod ſignorum videns magnitudinem ſequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operũ miraculis quæreret; hoc idem deſiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat. Talis ergo fides iuxta ſententiam Domini condemnatur, & dicitur ei: quid me propter diuitias, & ſæculi lucra cupis ſequi, cum tantæ ſim paupertatis, vt ne hoſpitio tum quidem habeam, & non meo vtar tecto?* Quibus non immerito addenda ſunt quę Diuus Chryſoſtomus in eandem rem eleganter ſcripſit, nimirùm ſtrictam parſimoniam, & rerum omnium indigentiam, quam Dominus Ieſus in vita ſua profitebatur. diuiti affluentiam meditanti nullatenus conuenire. Propterea affectum magis taxans, quàm ſequelam repudians, dicit: *Vulpes foueas habent, &c.* Sed iam Chryſoſtomus homil.28.in Matth. *Hæc Chriſti verba non erant repellentis, ſed eius qui & prauam illius opinionem carperet, & poteſtatem daret, ſi cum ſpe huiuſmodi ſequi vellet*. Perbellè Diuus Chryſoſtomus, in Chriſti verbis repulſam non agnouit: Quomodo enim

Matth.8. D.Chryſ.

repuliſſe credendus eſſet venientem? qui reſilientes à ſe, & auerſos ſtudioſiſsimè quærit, atque ad vniuſcuiuſque oſtium ſolicitas agit excubias, vt ad ſe pertrahat. In idem recidit illud ab Eutymio dictum. *Hæc dicendo non vetuit Chriſtus ſcribam ſe ſequi, ſed docuit quòd ſi ſequeretur, non inuenturus eſſet lucrum, quod quærebat*. Hæc ille. Et quod nam in tanta paupertate lucrum diues ille reperiret? cùm in Chriſti diſciplinatu paupertas tàm ſtudiosè coleretur, vt apud eum ex miraculo pecuniam inueniri fatendum ſit; iuxta illud Matth. c.17. cùm ad ſoluendum Cæſari tributum, quod exactores requirebant, Petro imperauit, vt extracto è mari piſce inuentumque in ipſius ore ſtaterem, exigentibus tributum largiretur. Quod ex doctrina Diui Hieronymi lib. 2. Comment. in Matth. cap.17. *Aedificat auditorem; dum tantæ Dominus fuit paupertatis; vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo ſolueret, non haberet*.

Euthym. D. Hier.

Cæterùm nequis D. Hieronymo obijceret, Iudã, de quo apud Ioannem dicitur loculos habuiſſe, ipſe ſibi opponit. *Et quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam?* Statimque reſpondet. *Rem pauperum in ſuos vſus conuertere, Chriſtus nefas putauit*. O magnum parſimonię paupertatiſque ſtudiũ! Quod clariùs Apoſtolicæ huius

Hieronymi ibid.

Digitized by Google

huiuſ virtutis exemplum poterit excogitari? Cùm aliunde ſoluendo tributo pecuniam non haberet, quæ pauperum erat intactam relinquens, pecuniæ oſor, & parcitatis amator, ad patrandum miraculum ſe conuertit, pauperumque indigentiæ conſulens, potentiæ vires exprompſit. Quod ibi Gloſſa Interlinealis annotauit:

Gloſſa interlin. *Mira potentia, quæ hoc dicendo creauit ſtaterem*. Hanc Chriſti Domini egeſtatem commendat D. Paulus 2. ad Corinth. cap. 8.

2. Cor. 8. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter nos egenus factus eſt*.

Cùm autem Saluatoris noſtri vita totius perfectionis eſſet exēplar: nihil aliud cuidam ipſum ad perfectionem ſequi ſtudenti conſuluit, quàm vt venditis omnibus quæ poſsidebat, ac in pauperes diſtributis, ad ſequelam feſtinaret, & ipſum imitaretur. *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me*; Matth. 19. num. 21. ſtatimque ſubiunxit rem eſſe difficilem, vt diues quilibet æternam ſalutem aſſequeretur.

Matt. 19. num 21. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in Regnum cælorũ*. Ideo Petrus tanquam ob paupertatem, & vitæ parſimoniam de ſalute hilaris, & ſecurus reſpondit:

Matt. 19. num. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Matth. 19. nu. 27.

Cæterùm illud eximiam Chriſti Domini paupertatem, & parſimoniam vberiùs commendat: quòd ſæpe ſępius in eam redactus eſt rerum indigentiam, vt ſtipem corrogare, & precario viuere cogeretur; vt indubitatam credit, & conſtanter ſuſtinet Vvaldenſiis lib 4. doctrin. fidei antiq. Catharin. lib. 2. contra Caietanum, & Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliot. annot. 118. & 137. Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 28. ſect. 2. Et facilè oſtenditur: quoniam interprete D. Auguſtino, illud Chriſti ad mulierem Samaritem Ioan. 4. *Mulier da mihi bibere*, actionem innuit mendicandi. Quin etiam ex multorum placito, dum Zachæum hortatur, vt feſtinus ab arbore deſcendat, domum adeat ipſum in ea hoſpitem recepturus: *Zachæe in domo tua oportet me manere*, Verba hæc mendicitatem olent, certamque precandi victum rationem ea ætate conſuetam demonſtrant.

Vvalden. Catharin. Sixtus Senenſ. Suarez. D. Aug. Ioan. 4. Luc. 19. num. 5.

Præterea cùm duodecim eſſet annorum, & apud Hieroſolymam relictis parentibus triduum remaneret, collecta oſtiatim ſtipe cibum ſibi comparaſſe D. Bernar. & Bonauent. crediderunt, vt videre eſt *In ſermon. de Puero Ieſu perdito*. Quin immo addit Suarez; quæ ſibi eſſent neceſſaria, vt plurimùm precabatur: Maximè verò id præſtitit cùm prædicationis cauſa diuerſa loca peragraret: Quod quid aliud eſt, quàm mendicare? Non enim veriſimile eſt illius ætatis homines ita in Chri-

D. Bern. D. Bon. Suarez.

Digitized by Google

ſtum affectos extitiſſe; vt omnia quibus indigeret, ſponte miniſtrarent. Vnde iure optimo apud
Pſal. 39. Dauid Pſalm. 39. dicitur: *Ego autem mendicus ſum, & pauper.* Sanè D. Paul in epiſt. ad Hebræos, Pſalmum hunc de Chriſto intelligit; quemadmodum & illud, ex
Pſal. 148 Pſalm. 148. *Perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum.* Et cùm perſecutor fuerit Iudas, vt
Act. 1. D. Petrus Actor. 1. declarauit; Optimè infert ex eodem loco D.
Hieron. Auguſt. Theodor Hieronymus, Auguſtin. & Theodoret. Chriſtum Dominum vere mendicum, & egenum extitiſſe.
Baſil. Quod etiam tenuit D. Baſilius in Regulis breuioribus, Reg. 262. vbi conſequenter ad hanc ſententiam, iuxta Græcorum proprietatem, verba illa D. Pauli 2. ad Corinth. c. 8. tranſtulit in hunc mo-
2. Cor. 8. dum: *Propter nos mendicus factus eſt.* Quò reſpiciens Seraphicus Pater Franciſcus Apoſtolicam, & Euangelicam inſtituens regulam, decreuit vt ipſius filij Chriſti paupertatem imitati precario
Seraph P. Franc. victitarent. Ibi cap. 1. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc ſæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter; nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo.* Notanda verò ſunt, quæ ad hunc locum in expoſitione regulæ congeſsit Corduba: plurima namque Euangelij loca cũ Diui Franciſci Regula conferens, incredibilem inter Euangelium, & noſtram Fratrum Minorum Regulã, quin etiã & Chriſti vitam interuenire harmoniam, & conſonantiam teſtatur; itemque Fratrum Minorum mendicitatem à ſanctiſsimo Parente, ad Chriſti imitationem ipſis præceptam fuiſſe non dubitat. Ex quibus & alijs ab Vvaldenſi in eandem rem eruditè congeſtis, Chriſtum Dominum verè, & propriè ex mendicatis, vt plurimũ vixiſſe comprobatur. Cordub.

§. SECVNDVM.

Chriſti parſimonia in veſtibus, & calceamentis proponitur ante conſpectum in Petro, & Paulo eiuſdem virtutis ſimulacrum.

VIctus parſimoniam veſtium paupertate, & vilitate Chriſtus exæquabat: Ita enim virtutũ pulchritudo exigit, vt ſibi inuicẽ ad animæ ornatum, ſanctitatisque perfectionem correſpondeant: Idcirco vtraque magna fuit, vt aduerſus Religionis oppugnatores contendit, & eruditè probat D. Thom. Opuſc. 19. c. 81. Vbi hęc: *Nõ eſt credibile quod Dominus Ieſus Chriſtus pretioſis veſtibus indueretur, qui Ioannẽ commendabilem oſtendit, quòd nõ erat mollibus indutus: alioqui Phariſæi, qui exteriorẽ ſãctitatẽ oſtendebãt, ſicut* D. Thom.

de

Digitized by Google

de eo dicebant, quòd erat vorax, & potator vini, & publicanorum amator; ita de eo dixiſſent, quòd eſſet mollibus indutus. Milites etiam qui ei illudebant, non ei veſtem purpuream induiſſent, in ſignum Regiæ dignitatis, ſi tunica inconſutilis auro & ſerico contexta fuiſſet. Sed quod tunicam eius milites diuidere noluerunt, hoc non fuit propter pretioſitatem veſtis, ſed propter numerum, quia quatuor partibus ſuperfuerat, quas milites de veſtibus Chriſti fecerunt, & ſi diuiſa fuiſſet, omnino fuiſſet inutilis, in quo manifeſtè apparet, quòd non erat de pretioſa materia. Hactenùs D. Thomas, cuius authoritas tanta eſt, vt alijs non indigeat probationibus, vt Chriſtum Dominum vilibus vti ſolitũ veſtimentis aſſeramus.

Addo tamen D. Chryſoſtom. homil. 34. in Ioan. vbi de Chriſti tunica inconſutili, ac per totum deſuper contexta locutus, hæc

D.chryſ. ſcripſit: *In Palæſtina, ex duobus pannis veſtes contexuerunt, quod ſignificans Ioannes inquit, deſuper contexta: Quod mihi dicere videtur, vt veſtimentorum vilitatem oſtenderet. Nam quemadmodum in alijs omnibus, ita in habitu vilem ſpeciem præferebat.* Chryſoſtomo adhæret Eutymius.

Eutym. *Indumenta*, ait, *Chriſti viliora fuerunt, quàm latronum, qui cum ipſo crucifixi erant.* Et tamẽ nec latronum veſtes diuiſiſſe, nec ſuper eis iactis ſortibus contendiſſe memoratur: vnde inferunt Chryſoſtomus, & Theophylatus D.chryſ.
in cap. 5. Marc. per ludibrium, Theoph.
& irriſionẽ iactas à militibus ſortes, vt hac ratione Chriſtum, qui ſe dixerat Regem inſolentiùs irriderent; ideoque vt maior eſſet illuſio, veſtes in quatuor partes diuiſerunt; & ſuper inconſutili, cui eorum obueniret, ſortis arbitrio diffiniendum ſtatuerunt, vt Ioan. cap. 19. nu. 23. & 24. teſtis ſcripſit oculatus. *Milites ergo cũ* Ioan.19.
crucifixiſſent eum, acceperunt ve- num.23.
ſtimenta eius, & fecerunt qua- & 24.
tuor partes vnicuique militi partem, & tunicam: Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum: dixerunt ergo ad inuicem, non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit; vbi mihi videntur non cupiditatis affectu, ſed irriſionis opprobrio, & diuiſione, & talorum iactu de veſtium acquiſitione contendiſſe. Quaſi dicerent: Nemo ſit, qui ludibrioſi iſtius Regis donatiuum aliquod non habeat; veſtes iam diuiſimus, de inconſutili ſortiamur, vt cui pretioſa hæc ſuppellex obtigerit, ditiſsimus euadat.

O cæci, & amentes! Quod enim illudendo fecerant, in magni ſignificationem myſterij Dei ſapiẽtia conuertit. Ideo namque teſte Athanaſio *Serm de Cruce,* Athanaſ.
& Paſſione, diſpoſuit vt inter carnifices, & immaniſsimos hoſtes crucifixi veſtis integra ſeruaretur: Cùm templi velũ intra Sanctuarij

Digitized by Google

adyta, Sacerdotum cuſtodia ſeruatum, à ſummo vſque deorſum reſcinditur, vt Iudæorum impietatem hac ratione confunderet. *Carnifices*, ait, *deterrebat, ne tunicam ſcinderent, vt ea manente, maneret Iudæorum opprobriũ; quod non multo poſt accidit, nimirùm cùm velo ſciſſo, tunica Chriſti ne à carnificibus quidem diuiſa eſt, ſed integra manſit*. Nõ abludit D. Bernardus in Apolog. ad Guill. vbi hanc Chriſti tunicam charitatis indiuiduæ ſymbolum appellat. Propterea namque ait, *Tunicam hanc fuiſſe inconſutilem, propter indiſſolubilis charitatis indiuiduam vnitatem*. D. Bern. Et D. Auguſtinus in Pſal. 21. expoſit. 2. agens de eadem inconſutili Chriſti tunica, ait: *Quæ eſt iſta tunica, quam nemo poteſt diuidere? quæ eſt iſta tunica, niſi vnitas? In ipſam ſors mittitur, nemo illam diuidit*. D. Auguſt. Vnde ipſe argumento ab integritate huius tunicæ deſumpto, in qua Dominus pacem Euangelicam, & concordiam ſignificabat, eiuſdem pacis, & concordiæ turbatores arguit, & ſugillat. *A militibus non eſt diuiſa veſtis pendentis in cruce, & à vobis dilaceratur Sacramentum ſedentis in cælo*. Hæc Auguſtinus. Quaſi diceret: Propterea milites eam tunicam non auſi ſunt ſcindere, quia pacis Sacramentum in ea fuerat ſignificatum. Vos autem qui Chriſti fidem profitemini, nec ipſum iam in cruce doletis pendentem, ſed in cælo poteſtate fulgentem veneramini, pacem, & concordiam reſcinditis; Et quod olim impius non auſus eſt miles, hodie Chriſtianus immo & Sacerdos admittere non veretur.

Non hìc prætereunda eſt Ruperti hac ſuper re exiſtimatio, lib. 13. Commentar. in Ioan. c. 19. vbi rationem inquirens, ob quam milites tunicam inconſutilem nõ diuiſerint, aptiſsimè reſpondet: *Dum veſtimenta Domini diuidunt, tunicam tamen non ſcindunt, hæreticorum temeritatem comparare licet, qui quamuis, & Scripturam ſacram in prauos ſenſus diſtraxerint, tamen fidẽ Chriſti, vel catholicam eius Eccleſiam ſcindere non potuerunt*; Rupert. Statimq; rem magis enucleans adijcit: *Plura namque Domini veſtimenta, multa ſcripturarum, quibus vnũ Dei Verbum indutum eſt, ſignificant volumina. Tunica verò inconſutilis, & deſuper contexta per totum, videlicèt qualem dilecta eius Maria fortè diligenter contexuerat, vnam integram, atque inuiolabilem Catholicæ Eccleſiæ fidem congruè deſignat*. Hæc Rupertus.

Et ſanè veſtem hanc ſanctiſsimæ Deiparæ manibus contextam fuiſſe, Rupertus modo citatus exiſtimare videtur, communiſque nec probabilitate carens tenet opinio, quam refert Maldon. in Maldon. cap. 27. Matth. & iam olim, teſte Euty-

Eutym. Eutymio, plures ex antiquioribus, quos ſequitur, in eadem fuerunt ſententia. Hæc autem veſtis, vnà cum Chriſto infante, nunquam trita, & obſoleta ad virilem creuit ætatem. Ex Recentioribus idem ſcripſit Nouarinus in vmbra virg. lib 4. excurſion. 37. Noſtrum ego addo Bernardinum de Buſtis, ſerm. 3. de tempore Mariæ. Eius verba ſunt: *Ipſa Maria fecit filio ſuo paruulo tunicam incõſutilem, quæ ſicut corpus creſcebat, & illius proportioni ſemper conueniebat, quam vſque ad crucem portauit.*

Nouarin. Bernard. de Buſtis

Quo etiam argumento ſatis conuincitur, Chriſti tunicam vilem admodum, pauperemque fuiſſe; quoniam Virgo ſanctiſsima non aliam filio ſuo veſtem texuiſſe exiſtimanda eſt; niſi quam ipſius paupertatis amor, parſimoniæque affectus poſtulabat. Et quidem Deiparæ veſtes viles admodum, & pauperes extiterunt, vt ſenſiſſe videtur B. Vincentius Ferrer. *ſerm. in vigiliam Natiuit.* vbi aſſerit Dei Matrem omnia veſtium ornamenta neglexiſſe. *Beata Virgo non curabat de ornamẽtis:* videndus etiam ſerm. de Natiuitate Domini vbi ita exhortatur: *Cogitate ſi Virgo Maria habebat frigus, quia non legitur, quod portaret veſtes ſoderatas, propter hoc poſuit filium ſuum in præſepio, vt animalia calefacerent eum cum anhelitu.* Eſt verò hac in re magni ponderis, & momẽti D. Gregorij Turonenſis authoritas; in cuius manuſcriptis teſtatũ inuenitur, hanc veritatem fuiſſe diuinitus manifeſtatã, vt refert Franciſcus Ximenius Patriarcha Hieroſolymitanus lib. 2. de vita Chriſti cap. 47. verba illius ſunt. *Gregorius in libello de ſalutatione Angelica ſcripſit, ſe diuino oraculo monitum cognouiſſe, Deiparam, ex quo templum ingreſſa eſt, ſine cilicio beatam illam carnem pungente, vixiſſe nunquam. Illius veſtes è viliſsima lana, nullo infecta colore; ſomno ipſius ſemper humo nuda, vel duris tabulis adhærebat, nullo inſtructis lecto.* Hactenus ille ex Turonenſi.

S. Vincen. Ferrer.

D. Greg. Turon.

Franciſcus Xim.

Author verò imperfecti operis in Matth. homil. 2. edifferens quo habitu Virgo Beatiſsima Bethlemico in antro inuẽta fuerit à Magis, cùm illuc Chriſtum recẽs natum adoraturi ab Oriente conuenerant, ita fatur. *Nunquid viderunt palatiũ marmoribus ſplendidum? Nunquid matrem eius diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem? Nunquid puerum auro, & purpura inuolutum? Nunquid aulam regiam diuerſis populis perſonantem? Sed quid? Pandochium tenebroſum & ſordidum, & magis animalibus, quàm hominibus aptum in quo nemo contentus erat ſecedere, niſi itineris neceſsitate coactus. Matrem eius vix vnam tunicã habentem, non ad ornamentum corporis, ſed ad tegumentum nu-*

D. Chryſ.

ditatis proficientem, quam habere poterat vxor Carpentarij. Addo quod Nicephorus lib. 2. hiſtor. cap. 21. luculenter ſcripſit, nimirum, Beatam Virginem inſtante morte. S. Ioanni Enangeliſtæ pręcepiſſe; vt duas ipſius tunicas viduis ſibi vicinis, quæque præcipuo charitatis, & pietatis affectu Deiparam percolebant, veluti ex teſtamento legatas largiretur. Quid igitur eſt, quòd admiremur Dei filium totius paupertatis, parſimoniæ, humilitatiſque Magiſtrum vilibus tegumētis indutum? cùm ſat eſſet talem habuiſſe matrem, cui in amore ac delicijs paupertas fuit, & humilitas. Vnde cum filio tunicam texere decreuiſſet, non pretioſam, ſed vilem materiam elegit; qualiter Orbis Redemptorē, & Euangelicæ paupertatis Doctorem decere non ignorabat. Coronydis inſtar appono quod Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 74. ſcriptum reliquit. *Erat autem tunica eius inconſutilis, deſuper contexta per totum. Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtantur; apud quos etiam maximè huiuſmodi veſtis genus, fieri ſolet arte quadam, vt pectoralia, retractim conſutum*. Hæc ille, cui potius ſtandum, quàm talorum iactibus, & militum ludo, vel ludibrio, vt Chriſti veſtem non pretioſam, ſed vilē, non Athalicam, ſed ita pauperem fuiſſe atteſtemur, ſicut parcitatis Euangelicæ decebat Authorem.

Niceph.

Peluſiot.

Veſtium parſimoniæ calceamētorum paupertas etiam conſonabat. Vnde magnæ authoritatis viri & Doctores clariſsimi, Chriſtum nudis pedibus inceſſiſſe tradiderunt. Præit D. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch. de cuſtodia virginitatis. *Moyſes*, ait, *& Ieſus Naue nudis in ſanctam terram pedibus iubentur incedere, & diſcipuli ſine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem Euangelij deſtinātur, & milites veſtimentis Ieſu ſorte diuiſis, caligas non habuere, quas tollerent: nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat ſeruis*. Quo quid clariùs dici potuit? Et quidem indecorum Diuo Hieronymo videbatur, quòd diſcipulos ad prædicandum ſine calceamentis Saluator mitteret, cùm tamen ipſe caligis, & calceis vteretur. Aptiſsima planè ratio, quam probat, & ſequitur D. Bonauētura in opuſc. vbi in epiſtola ad Concionatorem aliter ſentientē, ex D. Hieronymi authoritate, ſic ſcribit: *In hac authoritate perpendere poteſt tua prudentia, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non tantùm calceamenta tempore paſſionis non habuit, ſed etiam habere primò nō potuit: cœpit enim facere, & docere*. Actor. 1. quaſi diceret; non ſolùm paſſione inſtante, cùm iam eſſet è vita diſceſſurus, ſinè caligis inuenitur; ſed etiam toto vitæ, quæ præ-

D. Hier.

D. Bonau.

Actor. 1.

præceſſerat decurſu, calceamenta non adhibuit. Cùm enim ob perfectionis gradū diſcipulis præceperit, vt à calceis abſtinerent: qua ratione fieri poterat, vt qui factor, & doctor eſſe cœperat, illud idem non obſeruaret, quod diſcipulis præceperat obſeruandum.

In eadem ſententia fuiſſe videtur Auguſtinus, lib. 22. contra Fauſtum cap. 67. necnon in vita S. Martialis, vbi ſic: *Sanctus Domini Martialis pergens ad prædicandum, non equo vehebatur; aut aſino, non quolibet iumento, nec calceamenta proprijs induebat pedibus, ſed iuxta Domini & Magiſtri ſui ſententiam, quam ipſe ſibi & alijs Apoſtolis inculcare ſolebat, vt pergentes de ciuitate in ciuitatem, non ſacculum, neque peram ſecum tollerent, nec calceamenta, nudis incendens pedibus imitator Chriſti, atque B. Petri Apoſtolorum Principis conſanguinei ſui: in omnibus, quæ ipſe Dominus præcepit, exiſtere curabat.* Hactenus Auguſt. verba, ex quibus colliges eum apertè ſenſiſſe Chriſtum nuſquam calceamenta geſtare ſolitum; quod etiam Abulenſis quæſt. 68. in cap. 3. Matth. Lyranus ibid. & Luc. 7. Dionyſius Carthuſianus & plures alij tradiderunt.

S. Auguſt. Abulen. Lyranus. Carthuſ.

Plauſibilior tamen alijs apparet eorum exiſtimatio, qui Dominum Ieſum non ſemper nudis pedibus, ſed ſandalijs quādoque, calceis nunquam coopertis inceſſiſſe docuerunt. Ita Ianſenius in Conçord. cap. 55. Tolet. in cap. 1. annot. 65. & conſequēter ad præceptum quod, D. Marco c. 6. referente, Apoſtolis iniunxit: Ne dum ad prædicandum mitteban. tur, quidquam præter virgam sādaliaque deferrent. *Præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgā tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs; ſed calceatos sādalijs.* Vnde par eſt exiſtimare, Chriſtum non alio calceamenti genere, quàm ſandalijs vſum, quę diſcipulis, quos ſui volebat imitatores, geſtanda permiſerat. Et certè parſimoniæ integritas, & paupertatis Euangelicæ perfectio nequaquam geſtatis ſandalijs offendebatur: quinimo valde conſona vtrique debet iudicari: nam iuxta Gloſſ. ad illa verba capitis citati, *Calceatos ſandalijs*, illud calceamenti genus nec pedem omnino tectum, nec omni ex parte nudum relinquebat. Verba Gloſſæ D. Bonauentura citatus adducit in hunc modum. *Vt neque pes tectus ſit, neque nudus ad terram.*

Ianſen. Tolet. Marc. 6. Gloſſ. D. Bonau.

Quod ideo præceptum à Chriſto arbitror, vt Apoſtolos edoceret, nihil in eis inueniēdum, quod terrenū eſſet, cùm neque terram ipſam pedum nuditate contingere permitterentur; & ideo ſolearū adhibere munimina præcepit, cum ea tamen parcitatis menſura, vt pedes magna ex parte nudi, atque

atque intecti remanerent: Quam ob cauſam Chriſtus, in quo nihil ſuum mundus agnouit, & parcitatis ſtudioſiſsimus, paupertatiſque Magiſter habebatur, ſandalia pro calceamentis adhibuit. Nec ſine myſterio, quod Diuus Gaudentius tractatu 5. in Exod. agnouit.
S. Gaud. *Non propter ſe*, ait, *calceatus eſt; ſed propter nos quoniam terra ſuſtinere non poterat, maieſtatis eius nuda veſtigia*. Nec obſtat, quod
Io. 1. 27. D. Ioannes Baptiſta dixerit: *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius*. Ioan. 1. vt enim eius officij, quod Ioannes pollicetur veritas conſtare poſſit, ſat eſt, quòd ſandalijs vteretur: quibus nunc Fratres Minores, Euangelicæ in hac parte perfectionis viua ſimulacra, vti conſueſcunt. Vnde etiam colliges, quid reſpõdendum ſit ad illud Luc. 7. vbi Maria Magdalena, Chriſti pedes apud Simonem conuiuantis vnxiſſe perhibetur. Nam vt docuit Barrad. tom. 2. Concord. in cap. 7.
Barrad. Luc. *Reſponderi poteſt, Chriſtum ſandalijs vſum, quæ totum pedem minimè contegunt; atque adeo potuiſſe fœminam apertas pedum partes perungere*. Hæc ille. Quin etiam addo, Ioannem vſum fuiſſe paremiaſtica, ſeu prouerbiali loquendi formula, illa tempeſtate familiari, qua ſe indignum, qui vili etiam abiectoque ſeruiret mini-
Suarez. Barrad. ſterio, fatebatur: quod Suarius ſupra citatus & Barradius tomo 2. Concordiæ libro primo, capitulo quinto, improbare non audent.

§. TERTIVM.

Petrus, & Paulus Omnigena rerum parſimonia Chriſti ſimilitudinem expreſſerunt.

CHriſtum Dominum totius parcitatis archetypum, atque paupertatis Euangelicæ primum exemplar hactenus inſpeximus: admirandam vitæ ipſius inopiam, & penè extremam rerum omnium indigentiam, victus frugalitatem, veſtium pauperiem, & pedum nuditatem Euangelicæ diſciplinæ profeſſoribus imitanda propoſuimus. Supereſt, vt qua ratione Petrus, & Paulus vitæ ſuæ imaginem ijſdem Chriſti coloribus animarunt, inſpiciamus. Vt enim victus abſtinentia Magiſtri ſimilitudinem retulerũt; ſic etiam veſtium, & calceamentorum frugalitate, perfecti eiuſdem æmulatores extiterunt: vnde non ſatis habuerunt omnia reliquiſſe, quod Petrus tàm magni facinoris gloria lætabundus feciſſe dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te*.
Matth. 19. niſi etiam voto ſe obſtringerent. Ita enim exiſtimauit Matt. 19.
D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. vbi aſſerit D. Petrum, & alios Apoſtolos, qui ad Chriſti imperium omnia reliquerant, paupertatis votum emiſiſſe; quod excellentiſsimæ fuit parſimoniæ argumen- D. Tomas

mentum. *Apoſtoli*, inquit, *intel-
liguntur vouiſſe pertinentia ad
perfectionis ſtatum, quando Chri-
ſtum relictis omnibus ſunt ſecuti.*
Quinimmo non ſolius pauperta-
tis, ſed etiam caſtitatis, & obe-
dientiæ votis ſe obſtrinxerunt, vt
S. Auguſt. ſenſiſſe videtur D. Auguſtinus,
lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 4.

Expendendũ tamen eſt; quod
D. Chryſoſtomus, homil. 65. in
Matth. mirificè commendat, ſci-
licèt, quàm breui compendio Pe-
trus vniuerſam Euangelicæ perfe-
ctionis, vitæque rationem à Chri-
ſto commendatam fuerit aſſecu-
D. Chryſ. tus. *Tu*, ait, *illud expende*,
*quàm exquiſitè duo illa quæ Chri-
ſtus à diuite petijt, vt ſcilicèt pau-
peribus ſubſtantiam ſuam diſtri-
bueret, & Chriſtum ſequeretur,
breuiter Petrus complexus eſt, di-
cens: Ecce nos reliquimus omnia,
& ſecuti ſumus te.* Hæc ſcitè
Chryſoſtomus. Nec tamen op-
ponas, Petrum antequã ad Chri-
ſti magiſterium accederet, admo-
dum pauperem extitiſſe; nec vl-
tra arundinem, & retia quid re-
linqueret poſsidere: Quoniam
pluris omnibus alijs æſtimari de-
bet affectus, quo ad Redempto-
ris nutum parua illa, & patui fa-
cienda relinquere non dubitauit.
Quapropter dixit non immeritò
D. Hieronym. lib. 3. Commentar.
D. Hier. in Matth. cap. 19. *Grandis fidu-
cia: Petrus piſcator erat, diues non
fuerat, cibos manu, & arte quæ-
rebat; & tamen loquitur confi-
dẽter: Reliquimus omnia, & quia
non ſufficit tantum relinquere, iũ-
git quod perfectum eſt, & ſecuti
ſumus te.* Tantum animi gene-
roſius omnia contemnentis affe-
ctus æſtimatur; quem ego, ex
D. Gregorij ſententia, homil. 5.
in Euang. plus quàm rerum ma-
gnitudinem attendo. *Affectum*, D. Greg.
inquit ille, *debemus potiùs in hac
re penſare, quàm cenſum.* Nec
minor in hoc argumento fuit Ori-
genes, cuius eſt illud homil. 9 in
Matth. *Puto quod Petrus magis* Origen.
*confidens de affectu ſuo, quàm de
ipſa quantitate relictarum rerum,
fiducialiter interrogauit: Ecce nos
reliquimus omnia, & ſecuti ſu-
mus te: Quid ergo erit nobis?*
Theophylatum addo Petri affe-
ctum, ac in ſequenda Saluatoris
parſimonia æmulum ſtudium lar-
giùs proſequentem. *Tametſi*, in- Theoph.
quit, *videatur Petrus non dimiſiſſe
magna, vtpote pauper: ſed diſce
quod re ipſa multum etiam ipſe re-
liquerit; etenim & paruarum re-
rum magna tenemur affectione;
Sed & omnes voluptates Petrus
reliquit, & cum parentibus amo-
rem carnis; illæ enim affectiones
non ſolùm contra diuites, ſed etiã
pauperes militant.* Hactenùs ille.
Age verò quàm perfecta decurſu
temporis euadet parcitatis effi-
gies; cùm prima ſolum adhibita
manu, hoc eſt, Chriſti diſciplina-
tus initio, tantũ perfectionis oſtẽ-
tet; vt iam in diſcipulo, & Tyro-
ne, Magiſtri frugalitatis effigies
ex-

expreſſa videatur.

Et ſanè non parum momenti habet, quòd Petrus vxorem demiſerit, & coniugij voluptatibus nuntium ſpontè remiſerit, caſtitatem exinde perpetuam amplectens, vt D. Hieronymus libr. 1. aduerſus Iouinianum cap. 14. atteſtatur. *Petrus*, inquit, *& cæteri Apoſtoli (vt ex ſuperfluo interim concedam) habuerunt vxores, ſed quas eo tempore acceperũt, quo Euangelium neſciebant. Qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum relinquunt officium coniugale.* Hæc eo in loco, & Epiſt. 34. ad Iulianum ſpeciatim de Petro locutus, ita ſcribit: *Habuit Petrus vxorem, & tamen eam cum reti & nauicula dereliquit, vt verba illa; ecce nos reliquimus omnia, ſatis demonſtrant.* Quod quidem omni prædicatione dignum arbitror: licèt enim præcipiente Magiſtro nihil prorsùs reliquiſſet: attamen animi celſitudo, & generoſitas qua omnibus modis paupertatem, & parſimoniã fuit amplexus, ſatis ſuperque reſignationis illius tenuitatem compenſabat.

D. Hier.

Vnde non minus laudanda mihi videtur hæc Petri bona omnia renunciantis animoſitas, quam Eliæ pallium dimittentis, dum igneo curru per aërem triumphabundus mundi contemptor veheretur, vt 4. Reg. 2. Sacra refert hiſtoria. Et verò D. Hieronymus, epiſtola 54. ad Iulianum hoc Eliæ factum diſcutiens, & quaſi rationem reddens; cur in cælum aſcenſurus pallium demiſerit, ita fatur. *Elias ad cælorum Regna feſtinans, non poteſt ire cum pallio.* Nec tamen ideo credendus eſt illud reliquiſſe, quia aſcendenti magno futurum eſſet impedimento, ſed (vt adijcit idem Hieronymus) *Mundi in mundo veſtimenta dimiſit.* Et ſanè vitæ huius bona pulcherrimo & peruenuſto metaphoræ colore DiuusHieronymus veſtimẽtis ſignificauit, quam ego tranſlationem quotidiano exemplo ſic illuſtro. Vſu venit aliquando, vt ſacrarum veſtium domum Sacerdos quilibet ſacris operaturus ingrediatur; ſacris ſe induit paramentis, ad altare prodit, ſacrificium peragit, regreditur, veſtibus ſe ſpoliat, ſuoque in loco reponens elabitur. Adeſt ſtatim alius, ſimili conatu, & exitu reſũpta ad ſacrificium paramenta dimittens, quem morem ſequuntur omnes qui Deo litaturi ſacris veſtibus induuntur: quoniam earum dominium ad ſolam Eccleſiam ſpectat. En clariſsimum cernis ſpeculum, in quo rerum omnium huius ſæculi euentus repræſentatur: etenim qui decedunt, etſi dum vita maneret bonis vterentur, peracta ſcena, etiam inuiti relinquunt; nec vlla ipſis irrogatur iniuria, quoniam vt optimè infert D. Chryſoſtomus homil. 11. in epiſtolam 1. ad Timot. talium bonorum proprietatem nõ habent,

4. Reg. 2. — D. Hier. — D. Chryſ.

vix-

vixque ſolus vſus ipſis conceditur. *Non eſt*, inquit, *hæc vera poſſeſſio, vſus eſt, nec ipſe quidem ſatis proprius, quandoque te expirante, velis, nolis, alij tua omnia accipient*. Egregiè cordatus ille eſt, & maximè laudandus, qui non expectato vitæ fine, quemadmodum Petrus omnia bona in retibus & cymba, ſicut in Eliæ pallio ſignificata minimè cunctanter dimiſit, ad Chriſtique ſequelam properauit intrepidus. In quo, ni fallor, Petrus Eliam pallium dimittentem ſuperauit. Vnde quemadmodum Elias, vt pallio exutus apparuit, dignus inuenitur qui in cælum reciperetur; ita Petrus Apoſtolorum Princeps, Orbis Chriſtiani apex, & Eccleſiæ apis illuſtrioribus laudum titulis inſigniri, gloriæq. amplioris choragio dignus eſt cumulari; ſiquidem eum non mortis inſtantia, non hinc decedendi neceſsitas, ſed Chriſti obedientia, prompta, & generoſa voluntas ad omnia relinquenda incitauit. *Ecce nos reliquimus omnia*. Matt. 19

Sed iam nonnulla præſtringo, ex quibus appareat quàm magna fuerit apis huius parſimonia, & quam exactè parcitatis, iniuncta ſibi documenta obſeruarit. Audi quid Dominus, Matth. 10. præcipiat. Matt. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*. Eadem fere apud Marc. cap. 6. inuenies: *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, ſed calceatos ſandalijs*. Marc. 6. Nec diuerſus abit Luc. cap. 9. *Nihil tuleritis in via, neque peram, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis*, Luca. 9. quæ iterum cap. 10 replicans, ait: *Nolite portare ſacculū, neque peram, neque calceamenta*. Luca 10. Saluatoris monita, & præcepta audiuimus; neceſſe eſt vt inſpiciamus quo pacto non ſpiritualiter tantùm, quod aiunt, ſed re ipſa, vt littera ſonat, Apoſtoli obſeruauerint. Euſebius lib. 6. Hiſtoriarum cap. de laudibus Origenis, ex mente ipſius hæc ſcripſit: *Ante omnia Origenes præcepta Euangelica, & voces Saluatoris ſummo amore & ſtudio implenda eſſe cēſebat, quibus præcipitur duas tunicas non habendas, neque calceamentis vtendum, neque de craſtino cogitandum*. Euſebius. Et ſtatim de ipſo Origene, qui Apoſtolicam pedum nuditatem imitabatur, adiecit: *Ita denique per multos annos abſque omni calceamento nudis traditur inceſſiſſe veſtigijs*. Eandem continet doctrinam laudandum illud D. Gregorij Nazianzeni deſiderium. *Optabam*, inquit, *homines videre, qui viuerēt ad exēplū prædicatorum Euangelij Chriſti, nudis pedibus incedentes; propter Regnum pauperes, propter paupertatem Reges*. D. Greg. Nazian. Quin adeo D. Bonauentura tom. 1. Opuſcul. in epiſt. cuius initium eſt, *Talis*

lector, tali lectori; in quendam prædicatorem productis Origenis, & Nazianzeni authoritatibus inuehitur. *Cernis puto ſi propriè ſapis, quòd dico: Illuſtriſsimi Græcorum Doctores, præceptum Euãgelicum de non portandis calceamentis, ad litteram cenſuerunt obſeruandum*. Atque vt eorum doctrinam corroboret; illud Ioſue 5. adducit: *Solue calceamenta de pedibus tuis*; vbi Gloſſa, *Hi ſunt pedes, quos lauit Ieſus*; quam in aduerſarium vibrat D. Bonauentura, vt reluctantem conuincat: *Non autem*, inſtat, *ignorat prudẽtia tua Ieſum non tantùm pedes Apoſtolorum ſpirituales, ſed etiam corporales humiliter abluiſſe*. Hæc ille; Nec viciſſe contentus, pulcherrimum victoriæ addidit elogium D. Franciſci exemplo illuſtratum. *Patet etiam poſtremo per glorioſum Chriſti ſignïferum Franciſcum, qui Spiritu ſancto reuelante iuxta litteralem intellectũ prædicti præcepti, Ordinem ſuum, & Regulã inſtituit, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, & etiam ſeruauit. Et iuxta hunc intellectum per ſe ad prouidẽtiam ſignis præcedentibus confirmationẽ meruit obtinere*. Hæc Doctor Seraphicus, cui ex aduerſo ſe opponere, quis auſit? Adeſt Chriſti præceptum, Doctorum interpretamenta de litterali obſequentia, & ſequela, adſunt eorumdem exempla miraculis, & Dei imperantis oraculo confirmata: igitur, non ſpiritualiter tantùm, ſed verè, & propriè commendatam pedum nuditatem, & in reliquis abſtinentiam ab Apoſtolis fuiſſe obſeruatam arbitrari debemus. Vnde ſatis acutè & eleganter Bonauentura aduerſarium iam pene victum pungit, & exhortatur. *Tu igitur, qui Euangelij Doctor es, & ſectator; ſi huius Euangelicæ perfectionis apicem non attingis vſu, attingas ſaltem affectu pio, affatu veridico, & catholico intellectu: & noli Euangelij candidiſsimam margaritam tortis expoſitionibus conculcare, noli contra Euangelicorum pedum nuditatem pelles mortuas defenſare. Si enim contra ſententias Euangelij calceamenta defenderis, timendum eſt ne duas tunicas, & cum pera pecuniam defendere contendas. Doceat ergo te vnctio veritatis, vt ſi quid incautiùs contra Euangeliũ prædicaſti, ſtudeas reuocare*. Hactenus Bonauentura.

D. Bonau. | Ioſue 5. | Gloſſa. | D. Bonau. | D. Bonau.

Quapropter explodendi ſunt, qui abſque vllo fundamento & ſanctorum Patrum reluctante doctrina, aſtruunt Chriſti præceptum quod de parcitate, & paupertate in victu veſtituque obſeruanda, Apoſtolis iniunxerat, temporale extitiſſe non perpetuum: atque adeo poſt primam miſſionem, quam diſcalceati prędicãdo obierant, ſublatum. Licèt verò plurima huic errori fas eſſet opponere, iis tamen ſuperſedeo: quia

inſtar

inſtar omnium mihi eſt Maldonati ſententia ſagaciſsimi litteræ interpretis; quemque hæreticorum flagellum,& ætatis ſuæ Auguſtinū iure optimo nuncuparunt. Is igitur ad illa verba Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentū, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, ita fatur: *Aſſentiri non poſſum ijs, qui iſtam Chriſti prohibitionem vniuerſalem eſſe nolunt, ſed ad iſtam tantùm primam Apoſtolorum miſſionem pertinere; quaſi hoc veluti præludio, & ipſorum patientiam voluerit experiri, & vt diuinam ipſi prouidentiam experirentur, non ſolùm quia hæreticos, malos omnino ſequuntur authores: ſed quia hæc interpretatio, & inſtituto Chriſti, & alijs huius loci circūſtantijs, & omnibus antiquis, ac bonis repugnat authoribus, qui hoc præceptū perpetuum eſſe putant: nec ad hanc ſolam miſſionem, ſed ad omnes; & omnino ad totum Apoſtolorum officium pertinere. Hilar. Chryſoſtom. Ambroſ. Hieronym. Auguſtin.* Hæc ille. Solent etiam qui prædictā quæſtionem diſcutiunt, citatis Patribus addere Origen. Baſil. Eutym. Naziauzen. Theophyl. Bed. Anſelm. D. Thom. Bonauent. & alios.

Verùm licèt hoc Saluatoris noſtri præceptum de ſeruanda in rebus omnibus parcitate Apoſtolos omnes comprehenderet, ad ſui que obſeruātiam obſtringeret: attamen Petrum, & Paulum, in quibus cæleſtis Magiſter propriā figuram exculpſit, & quos Euangelicæ prædicationis anteſignanos elegit, primaque & firmiſſima ædificandæ Eccleſiæ iecit fundamenta, potiſsimùm obſtringebat. Propter eaque ex D. Chryſoſtomi ſententia, in cap. 9. Lucæ omnimodam à rebus huius ſæculi abſtinentiam præcepit, vt ſoli prædicationi attenderent; leueſque, & expediti ad vitæ perfectioris culmen aſcendere potuiſſent. Do Chryſoſtomum: *Sublimioris vitæ fundamenta voluit Chriſtus iacere: nam cùm ad Orbis magiſterium Apoſtolos miſſurus eſſet, non iniuria ad Angelicam (vt ita dixerim) diſciplinam, ex humana vita traducit, ab omni cura rerū ſæcularium liberos reddens, vt vni rei, prædicationi, videlicet Euangelij vacarent.* Hæc ille. Plenius tamen dixiſſet, & cumulatiùs dilaudaret, ſi non ſolùm ad Angelicam vitam, ſed etiam ad ſublimiorem & pene diuinam traductos affirmaret. Qui enim Chriſti Dei filij ſimilitudinem admiranda in rebus omnibus parcitate abſtinentiaque expreſſerant, non aliorum hominum tantùm, ſed etiam Angelorum perfectionem, & ſublimitatem tranſcendere. Illud tamen velim vt aduertas, quòd licèt Apoſtoli omnes Eccleſiæ fundamenta dicantur à Chryſoſtomo, nomen hoc & munus in Petrum & Paulum qua- D. Chryſ.

drare

drare potiſsimum: Petrus enim caput extitit Apoſtolorũ, Paulus in labore cæteris præſtãtior: vterque veſtitus pariter, & victus parſimonia, ac pedum nuditate in Chriſti imaginem immutatus, magnam ſui toto in Orbe admirationem excitauit. Quod Dominus, teſte Eutymio, parſimoniæ paupertatiſque obſeruatione intenderat: *Dat*, inquit, *Chriſtus eis legem perfectæ paupertatis, volẽs, vt non ſolùm ſine ſuſpicione, ſed etiam in admiratione ſint: nihil enim tam admirandos reddit ſicut vita frugalis, ac quibuslibet obuijs contenta*. Hæc ille. Sed iam Apoſtolorum imaginem parſimoniæ coloribus inceptam perficiamus: & quemadmodum in ciborũ frugalitate Magiſtro ſimiles ſupra oſtendimus, eandem quoque in veſtibus & calceamentis vilitatẽ, & parſimoniam obſeruaſſe demonſtremus.

Eutym.

§. QVARTVM.

Chriſtus nuditatis ſuæ imaginem, tam in veſtitu, quàm in calceamentis, in vtroque Apoſtolorum Principe delineauit.

APoſtolis omnibus adhuc inter eos viuens præceperat Dominus Ieſus, ne quis eorum duabus tunicis vteretur; aut calceamenta portaret, vt ex locis Euangeliſtarum ſuperiùs adductis apertè cõuincitur. Quod parcitatis documentum & præceptũ, D. Petrus integertimè cuſtodiuit. Licèt verò D. Paulus tum temporis ſub Chriſti Magiſterio non ageret: attamen vbi primum ex lupo mutatus fuit in agnum, paſtoris ſecutus exemplar, eandem quam cæteri Apoſtoli in rebus omnibus parcitatem exactiùs, & perfectiùs cuſtodiuit. Et quidem vt veritatis huius aſſertio probata ad poſteros in parcitatis formã exemplumque tranſiret, acceſſit Diuinum Oraculum apud Ioannem 21. vbi cùm Petrus Ioannem audiret dicentem, *Dominus eſt*; *Tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus*. Item Actor. 14. num. 13. *Barnabas & Paulus conſciſſis tunicis ſuis, exilierunt è turba clamantes*. Quibus in locis datur intelligi eos propter obſeruandùm Chriſti præceptum vnam tantummodo tunicam geſtare ſolitos. Et verò hoc non ſinè myſterij ſacramento factum arbitror, ſed vt ij, in quibus Dei ſpiritus parciſsimas Eccleſiæ apes præludebat, clariſsimo parcitatis exẽplo fidelibus prælucerent. Idcirco ſuperuacaneum non fuit, quod Euangeliſta non duas, ſed vnam Petri tunicam dixerit in ſingulari: Nec Paulus, & Barnabas veſtimẽta, ſed tunicas, quiſque ſuam, qua ſolum vtebatur, ſcidiſſe referuntur.

Ioan. 21.

Actor. 14

Quod eò magis laudandum, quò nõnulli duabus tunicis ſimul

vti

vti poſſe arbitrantur, Chriſti præcepto non obſtante, quo duas tunicas geſtare vetuit. Illud enim de mutatorijs intelligit D. Hieronimus, quarum vsũ Chriſtus Dominus Apoſtolis interdixerat. *In duabus tunicis videtur mihi duplex intelligere veſtimentum. Non quò in locis Scythiæ, & glaciali niue regentibus vna quis tunica debeat eſſe contentus, ſed quò in tunica veſtimentum intelligamus; ne alio veſtiti, aliud nobis futurorum timore ſeruemus*. Hęc ille, cui D. Thomas ad cap. 10. D. Matth. ſuffragatur. *Non præcepit Dominus quòd non haberent niſi vnam tunicam, ſed quòd non haberent duo paria veſtimentorũ, ita quod vnum reconderent, & aliud indueretur*. In idem recidit, quod Diuus Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum lib. 2. cap. 3. ſcripſit. *Hoc de duabus tunicis intelligendum eſt; ne quiſquam Apoſtolorum præter eam qua eſſet indutus, aliam portandam putaret, ſolicitus ne opus eſſet*. Ita ille.

D. Hier.

D. Thom.

S. Auguſt.

Cùm igitur Chriſtus Dominus duas eis tunicas interdixerit, mutatorias intelligẽdus eſt vetuiſſe; ne ſcilitet duo haberent veſtimẽta, alterum quo induerentur, alterum quod ad mutationem repoſitum aſſeuerarent. Et quidem D. Hilarius Canon. 10. in Matth. hanc Saluatoris prohibitionem allegoricè verſans eleganter digreditur: *Non duas tunicas. Sufficit enim nobis Chriſtus indutus; ne ve poſt intelligentiam veram, altera deinceps, vel hæreſis, vel legis veſte induamur*. Laudo Hilarij monitum. At verò ſi Chriſti Domini prohibitio non vrgebat, ita quòd ex horum Patrum ſententia, duabus tunicis vti poſſent Apoſtolicæ vitæ ſectatores; laudabilior Petri, & Pauli frugalitas euaſit; quippequi etiam ijs, quibus licitè poſſent vti ſpontanea ſe oblatione defraudarunt, vt omnibus modis Magiſtri ſui parſimoniam æmularentur.

D. Hilar.

Cæterùm Auguſtini; & aliorum ſententiæ videtur obſtare illud apud Marc. cap. 6. *Præcepit eis ne induerentur duabus tunicis*. Non multum negotij faceſſit huius loci interpretatio: quoniam citra omnem flexum ac violentiam, cum Ianſenio, & Maldonato, ſic interpretor: Duarum tunicarum vſum interdixit, hoc eſt, vetuit ne duabus tunicis, modo hac, modo illa viciſſim vterentur. Alij in quibus Lyranus, Barrad. tom. 2. concord. lib. 9. cap. 11. Cordub. ſuper Regul. 5. Franciſci q. 22. cap. 2. planius, & magis obuium exiſtimant, Chriſtum vna tantùm tunica, præter pallium, Apoſtolos vti voluiſſe, quæ in Regione illa admodum temperata, addit Lyranus, pro integumento ſufficiens credebatur. Vna igitur tunica communi ſenſu & planiori intelligendi ratione, non integrũ deſignat veſtimentum, ſed vnicam

Ianſen. Maldon.

Lyran. Barrad. Cordub.

Lyra.

Digitized by Google

& ſimplicem veſtem; qua corpus tegeretur. Pro hac inſtar omnium mihi eſt fidiſsimus Euangelicæ legis interpres Seraphicus Pater Franciſcus, Apoſtolicæ vitæ imitator, è cuius teſtamento hęc verba depromo. *Eramus contenti vna tunica intus & foris repetiata, & nolebamus plus habere.* Hęc filijs magnus ille Pater teſtamento legauit. Et in Reg. cap. 2. *Et qui iam promiſerunt obedientiam, habeãt vnam tunicam cum caputio.* Ex parte verò Chriſti Domini extremam pene diſcipulis nuditatem præcipientis, ratio ſeſe offert probatiſsima, vt ſcilicet ſuæ prouidentiæ fidem quæreret, ac eos erudiret; quod eximiam amplexi rerum omnium parcitatem, non propterea neceſsitate & indigentia permerentur. Vnde apud Luc. 22. num. 35. ita cùm eis expoſtulat: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera: nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.* Quò reſpiciens D. Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum, de laude vitæ ſolitariæ, ſic ediſſerit: *Non pera tibi ſumenda, non virga eſt; affatim diues eſt, qui cum Chriſto pauper eſt.* Vnde etiã Pauli Eremitarum Archimãdritæ vitam enarrans, dum tunicæ, quã primus ille eremi cultor, paupertate magiſtra, ex palmarum folijs texuerat ad diuturnum corporis integumentum meminiſſet, in hęc verba paupertatis affectu plenus erupit, & inuidioſus: *Elegerim potiùs tunicam Pauli cum meritis ſuis, quàm Regum purpuras cum Regnis ſuis.* Hæc Hieronymus, cuius ego affectum laudo, deſideriumque amplector: etenim longè ditior eſt, & beatior pauperis tunica palmis negligẽter foliata, clamyde Regia operoſis ex auro & ſerico amœnitatibus eleganter depicta.

S. P. Fran.

Luc. 22. num. 35.

D. Hieron.

D. Hier.

Hinc eſt, quòd dum Chriſtus Dominus apud Luc. 12. num. 33. conſuleret: *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam*, ſtatim addit: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis.* Quid porro commune habet, pro elargiendis eleemoſynis res omnes ſub haſta defigere, cum ſacculi, & theſauri præuentione? Quo pacto iubet in theſauro reponere, ac in ſacculis aſſeruare, quæ antea pauperibus iuſſerat elargiri? Ne dubites, monet Chryſolog. ſerm. 22. paucis rem docebo. *Tali monitu Chriſtus Dominus te ditare voluit, non nudare, manere tibi tua voluit, non perire, perpetuari, non vacuari ſacculos imperauit.* Hæc ille. Non igitur extremam pati indigentiam reformidet, qui ob Chriſti amorem voluntariam ſequitur paupertatem: ideo enim theſauros præcepit in cælo reponere, vt inde prouideat indigentibus. Vnde Apoſtolicæ vitæ nuditatis & parſimoniæ imitatori Franciſco promiſit, nec ei, nec ex filijs cuiquam aliquid defuturũ; aſſiduoq;

Luc. 12. num. 33.

D. Chryſ.

mi-

miraculo fidē ſuam Chriſtus exoluit. Quis non videt, teſte experientia, quàm largè numeroſam D. Franciſci prolem, abſque argento, & auro, ſine redditus annui prouiſione, ad paupertatis menſam delicioſiùs alat, quàm ſi Regum ſympoſijs opipare veſcerentur? Quis paupertatem vidēs non inuideat, nuditatemque & pene extremam inopiam omnibus integumentis pretioſorem identidem non exclamet?

Seneca. Intrauit olim, vt dicebat Stoicus in conſolatione ad Heluiam, Socrates carcerem, ignominiam carceri detracturus. Non aliter Frāciſcus, & alij paupertatis Euāgelicæ ſectarores omnem ei iniuriam, & ignominiam ademerunt. Fallor, iam Chriſti ſapientia id præuenerat: quidquid enim in paupertate ærumnoſū erat, quidquid in pœnis dolendum abſtulit, atque in fælicitatem & beatitudinem immutauit, vt Sedul. lib. 5. cecinit eleganter.

Sedul. *Pœnam veſtiuit honore;*
Ipſaque ſanctificans in ſe tormenta beauit.

Petrum & Paulū frugalitatis ſpecula, & parſimoniæ ſimulacra videamus; in illis namque Dei ſapientia mirabiliter oſtentat fælicē paupertatis in abundantiam metamophorſim. Deus bone quàm ad plenum vterque in ſumma parcitate, rerum ſenſit affluentiam; quam certā in laboribus requiē, in pœnis delicias, in tormentis ornamenta, in ærumnis beatitudinem inuenit. Petrus pro tunica humili, & obſoleta, Pontificis thyaram adeptus eſt. Cymbam pene diſſipatam, ruptaque mille locis retia dimiſit, & totius Orbis dominium comparauit. Quam rerum mutationem expendens Diuus Chryſoſtomus homil. 7. in epiſtolam ad Romanos hunc in modum ſciſcitatur. *Quid magni Petrus dedit? Nonne rete confractum, & calamum & hamum ſolum? ſed tamen terræ illi vniuerſæ domos aperuit, & terram, & mare expandit, ac nemo non illum in ſuas ædes vocauit. Atque adeo omnia bona ſua à ſe diuendita ad illius pedes deferebant. Actor. 4. num 35. Neque enim in manus conijciebant, vt qui non id ſibi audentiæ ſumebant: tantum illi honorem vnà cum munificentia tribuebant.* Hæc Diuus Chryſoſtomus. D. Chryſ.

Verùm quia ſuſpenſa manu duas ſanctorum Patrum diſſidentes omnino ſententias retulimus circa Saluatoris præceptum; quo duas tunicas geſtare diſcipulis prohibuit; neceſſe eſt vtramque redigere in concordiam, ita vt quòd magni Patres illi aſtruunt, per tunicam intelligi debere integrum veſtimentum: Lyranus, Corduba, Barradius, & alij, per tunicam vnam tantum accipiendam eſſe atteſtantur, non inter ſe opponi, ſed omnino cohærere videatur. Lyranus. Cordub. Barrad.

Igitur ſuppono Chriſtum Dominum, eandem Apoſtolis ſuis veſtium parcitatem obſeruandam præcepiſſe, quam ipſe apud illos agens cuſtodiuit. Et licèt nonnulli quinque fuiſſe Chriſti veſtes exiſtimarint: Hoc tanquam ineptum explodit Eutymius, in c. 27. Matth. Ianſenius concord. c. 143. Barrad. tom. 2. lib. 9. c. 11. & to. 4. lib. 2. cap. 2. Eutymij verba ſunt: *Quidam dixerunt veſtimenta Chriſti fuiſſe quinque, quatuor quidem militibus diuiſa, quintam verò tunicam inconſutilem.* Hoc tamen reijciens, addit: *coniectātes ergo dicimus, tria fuiſſe Chriſti veſtimenta, vnum quidem fuiſſe tunicam corpori applicatam in modum ſubuculæ, dico ſanè tunicam hanc inconſutilem; alterum autem, quo ſuper primum veſtiebatur, & tertium ſuperiùs indumentum* Hæc ille: Rem tamen enucleatiùs tradidit Ianſenius; nam licèt, inquit, quatuor fuerint milites, qui Dominū Ieſum cruci affixerant, ipſiuſque veſtimenta inter ſe diuiſerant, non vnicuique integra veſtis obuenit: quinimo pallium, & exteriorem tunicam in quatuor partes diuiſerunt, ſeruata interim inconſutili, qua Dominus inſtar ſubuculæ, ſeu camiſiæ vtebatur, vt iactis ſortibus indiuiſam obtinerent. Atque in hunc modum intelligendum eſt Dauidis illud vaticinum: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Pſalm. 21.

Eutym.
Ianſen.
Barrad.
Pſal. 21.
D. Ambr.

Iam verò cùm apud Ioannem c. 13. diſcipulorum pedes abluturus veſtimenta poſuit, & linteo ſe præcinxit, ibi: *Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe:* Non credas omnino nudum, ſoloque linteo opertum remanſiſſe (quod Origenes myſticus magis more ſuo, quàm litteræ adhærens ſcripſit) ſed pallio depoſito tunicam exteriorem exuit, inconſutili retenta, linteoque præcinctus ſeruile illud miniſterium obijt. Et quidem non videtur ita decorum, vt in ea actione coram diſcipulis nudus appareret omnino, niſi fortè prçludere vellet, quod nudus cruci affigeretur, quemadmodū Adā ſteterat in paradiſo, ſi Ambroſ. in cap. 23. Luc. fides eſt adhibenda. *Nudus*, inquit, *in crucem aſcendit, & talis aſcendit, quales authore Deo nos natura formauit: qualis in paradiſo homo primus habitauerat, talis paradiſū homo ſecundus intrauit.* Hæc ille.

Ioan. 13.
Abulenſ.

Indigna tamen alijs Chriſti in cruce pendētis nuditas apparuit; vnde licèt Dominus Ieſus de voluptate patientiæ ſaginatus diſcedere voluiſſet, hāc nuditatis ignominiam ſubire detractauit, vt ſuſtinet Abulenſis parad. 5. capitulo 37. & meritò, quia & ſuo, & aliorum pudori conſultum iri exiſtimabat: *Non enim ſolus ille offenderetur ea nuditate, ſed virorū etiam, & fœminarum oculis*, addit

D. Thom.

Barrad. in fauorem huius ſententiæ Barrad.tom.4. lib.7. cap.12. Et quidem magnam fuiſſe vtriuſque ſexus adſtantium multitudinem dubitare non licet, in quibus, vt ex
S.Brigit. Reuelationibus S. Brigittæ refert Carthuſianus, non defuit qui nuditatem Chriſti abhorrens velum quo ſe tegeret aſportauit. Alij ſanctiſsimam Dei genitricem capitis velamine filij ſui nuditatem contexiſſe aſſeuerant. Abulen. citato loco ſcribit: milites detractis veſtibus, pudoris cauſa fœmoralia tantùm reliquiſſe, ſuper inducto fortaſſis velo, quod pia fœmina tegendo ab vmbilico vſque ad crura corpore obtuliſſet Verùm neque hac ratione vitatur offenſa, nec nuditatis ignominia reſarcitur.

Maximè verò dolendum fuit, vt qui ſe mori ſentiebat, veſtes amicis relinquere non potuiſſet: quinimo ab ipſis interfectoribus diſcerpi & ſortibus auferri, non ſine maximo doloris ſenſu moribundus inſpexit, vt Rupertus libro 13.comment.in Ioan.prudē-
Rupert. ter aduertit. *Adeo tanquam reus, & peccator proſcriptus Dominus, vt nec veſtimenta ſua charis ſuis pro magno theſauro ſeruaturis, diuidere ſibi licuerit, ſed in corpore ſuo ſaturatus opprobrijs, ſua quoque veſtimenta in mercedē vidit cedere interfectoribus ſuis.* Hæc Rupertus, cui Ianſenius in c.143. cōcordiæ adſtipulatur; ſentit enim Chriſtum in cruce nudum obijſſe, quod maximè ignominioſū fuit, & ſuis qui aderant lamentandum.
Magna enim fuit ignominia veſtibus omnibus detractis Dominū nudum pendere in cruce coram tanta multitudine, eundemque coram videre veſtes ſuas diuidi, atque ſuper eas mitti ſortes, & à militibus vendicari, quaſi nulla eſſet vlterioris vitæ reliqua ſpes. Ita ille. Quodquàm maximo dolore ſit plenum, meditandum, potius quàm loquendum. Ianſen.

Quidquid tamen ſit de his exiſtimandum. Illud pro certo ſtatuendum eſt, tres tantùm fuiſſe Chriſti veſtes: duas quas inter ſe milites diuiſerant: aliam quam minimè partitam iactis ſortibus retulerūt. Quod ſi opponas Chriſti veſtimenta, vt iam probatum reliquimus, admodum vilia extitiſſe: vt quid ergo à militibus diuidenda erant, quæ vix integra, nedum in partes diuiſa vſui eſſe poterant? Rupertum lib.13.comment.in Ioan.cap.19. egregiè reſpondentem auſculta. *Non enim,* Rupert.
ait, *vilia putabantur veſtimenta, de quorum fimbrijs contactis virtus extre conſueuerat: Neque tūc in illo ſpectaculo deerant, qui ad comparandum ea certatim ſe ingererent: Nam vt taceam de Matre, & diſcipulo quem diligebat Ieſus ſtantibus iuxta crucem eius; ſtabant inquit Lucas, omnes noti eius à longè & mulieres, quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.* Hactenus ille.

Et quidem credibile eſt milites non latuiſſe in vili admodum veſtimentorum materia magnam virtutem deliteſcere, ac licèt veſtes illæ quoad ſpeciem contemptibiles viderentur, multorum opinione maximi fieri: vnde vel minimam ipſorum particulam ſummo pretio comparare niterẽtur. Fidem facit D. Franciſci habitus, Chriſti veſtibus vilitate ſimillimus, quem (vt etiam filiorũ, quibus cap. 2. Regulæ præcepit vilia gerere indumenta, *Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur*) Fideles piè exoſculantur, religioſè colunt, viui ſuſcipiunt, & etiam morientes amplectuntur.

Ex ijs quæ hactenus diſſeruimus, liquidò conſtat tres tantùm fuiſſe Chriſti veſtes, paupertateque inſignes; neque ad huius veritatis probationem quidquã ſupereſt addendum. Ea tamen ſic ſtatuta facilè eſt duas ſententias extremè oppoſitas in concordiã reuocare. Qui duas tunicas à Chriſto interdictas Apoſtolis arbitrantur; hi certè non negabunt Chriſtum Dominum, eandem quam ipſe colebat veſtium parſimoniam, Apoſtolos ſuos ſequi & obſeruare voluiſſe: Nec enim credendum eſt, eum qui dixerat: *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, ſed ſufficit diſcipulo ſi ſit ſicut Magiſter eius*, diſcipulis præcepturum, vt perfectiori veſtium parſimonia, & nuditate ipſum anteirent. Quod reuera eſſet, ſi præceptum illud ita deberet intelligi, vt iuxta litteræ ſonum vnam tantummodo tunicam geſtare permitterentur.

Matt. 10. num. 24.

Sed enim Chriſtus duabus tunicis, exteriori nimirum, & interiori, pallio inſuper adiecto vtebatur: quis neget earumdem vſum Apoſtolis conceſsiſſe? Ita quòd vltra interulam veluti ſubuculam, aliud veſtimenti genus, & penulam ſiue pallium deferebant. Cùm verò ipſis præcipitur, ne duabus tunicis vtantur; de ea dictum intellige, quæ ſupra interulam geſtabatur, quam Dominus nulla ratione permiſit eſſe geminatam. Ex quo inferes, D. Hieronymum, S. Thomam, & alios aſſerentes, per tunicam integrum intelligi veſtimentum, nihil aliud voluiſſe quàm vt tunicæ exteriori ſubmitteretur interula, ex quibus & pallio ſuperiecto integrum conficiebatur veſtimentum; quo Chriſtus vtebatur, Apoſtoliſque parcitatis ſuæ imitatoribus permiſit. Vnde facta de exteriori tunica mentione, interior pariter & penula intelliguntur, ex quibus veſtimenti integritas parabatur. Atque hinc Authorum diſſidium componitur: quoniam omnes tandem fatentur, Apoſtolos quemadmodũ & Chriſtum tribus veſtibus vti conſuetos, interiori nimirum, & exteriori tunica, quibus palliũ adijciebant.

Aſſertam huiuſmodi veritatem,

Se-

Seraphici Patris noſtri Franciſci Regula, ex reuelatione tradita nõ leuiter corroborat. Etenim c. 2. ijs, qui iam profeſsionem emiſerunt, habitum deſignans, ita decernit. *Qui iam promiſerunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui voluerint habere*; vbi aduerte, primam tunicam ſubuculæ æquiparari, & aliam cui aſſutum eſt caputium, propriè & rigoroſè habitum Religionis & indumẽtum apellari, ſupra quod ex permiſsione pallium geſtari conſueuit; licèt illius Regula non meminerit: quemadmodum, nec item Euangelia Apoſtolorum penulas meminerunt: & tamen eis conceſſas non diffitemur. Igitur quæ hac ſuper re vtriuſque ſententiæ Authores ſcripſerunt, ſi rectè perpendantur, in idem placitum conſpirant, eandemque aſtruunt veritatem. S.P. Frã.

Vltimam addamus manum, & à veſtimentis ad calceamenta deſcendamus: in illis enim etiam videbimus apes Eccleſiæ, Petrum, & Paulum parſimoniæ Chriſti imitatores præſtantiſsimos; vt nulla deeſſet pars, in qua Saluatoris, & Magiſtri ſui ſimilitudinem non Marc. 6. referrent. D. Marcus cap. 6. *Omnes calceatos ſandalijs*, ſcribit; ſpeciatim verò Petri ſandalia cõmemorat D. Luc. Act. 12. vbi Angelum Petro ſic loquentem intro- Act. 12. ducit: *Calcea te caligas tuas*, quæ interprete Diuo Chryſoſtomo, & alijs Græcorum, cum Gloſſ. Ord. ex Græco fonte hauſta ſapiunt *Sandalia*; & probat multorum D. Chryſ. relatio aſſerentium, Romæ ex Petri ſandalijs vnum cuſtodiri. Nec ille tantùm, ait Abulenſis in c. 10. Abulen. Matth. quæſt. 60. & 83. ſed reliqui Apoſtoli ſandalijs calceati inceſſerunt. Quin immo Tertull. Tertull. lib. de Pallio, & expreſsiùs Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. Clement. Alexan. c. 11. morem fuiſſe veterum Chriſtianorum vti ſandalijs, aſſeuerãt: quem ſecuti morẽ Petrus, & Paulus, Apoſtolicæ parcitatis Magiſtri, apes Eccleſiæ, Saluatoris ſimulacra pulcherrimis frugalitatis coloribus depicta, ſandalijs vtebantur.

Licèt verò in ſacra pagina ſolius D. Petri, vt vidimus, ſandalia expreſsè referantur: attamen cùm in ſuperioribus Chriſtum Dominum ſandalijs vſum fuiſſe probauerimus; dubitare non licèt, D. Paulum ijſdem vſum, vt in hoc etiam ad Chriſti ſimilitudinem compoſitus, ipſius vitam omnibus numeris referret. Vnde potuit nõ inaniter iactare, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*: Ita perfectam ipſius vitæ imaginem repræſentabat; vt Paulum videns falli potuiſſes, & Chriſtum crederes te videre, ad cuius mortificationis exemplar corpus ſuũ macerabat. Vnde quòd Beati aſſequuntur in patria, vbi gloriã Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformantur. Hoc Ad Gal. 2. nu. 20.

Paulus in exilio quodãmodo aſſecutus videtur, dum Chriſti parſimoniam ſpeculatus, ad ipſius ſimilitudinem ſe compoſuit, ac efformauit. Nec ſibi tantùm, ſed alijs hanc gloriam communicari ſtudebat: idcirco omnes adhor-
2. Cor. 4. num. 10. tabatur: *Semper mortificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes*, 2. ad Corinth. cap 4. num. 4.

Sed quid ego D. Pauli ſandalia à ſacris Scriptoribus ſilentio inſepulta exiſtimem? Cùm non leui conectura de ijs inuolutè ſaltem in ſacris litteris fieri mentionem mihi liceat affirmare, vt videre eſt Act. 13. num 51. Vbi D. Paulus puluerẽ de pedibus ſuis excuſiſſe perhibetur, vt Domini ſatisfaceret præcepto, quod ait;
Act. 13. num. 51. *Excutite puluerem de pedibus veſtris*: quod apud Matth. c. 10. interprete Abulenſi quæſt. 83. nihil aliud eſt, quàm colliſis adinuicem ſandalijs collectum puluerem ab-
Abulen. ſtergere. *Modus autem* (inquit) *excutiendi fortè erat, quod puluis calceamentorũ excuteretur, quia puluis illorum dicitur puluis pedũ. Apoſtoli autem calceamenta non habebant, ſed habebant ſoleas, quæ vocantur ſandalia, Marc. 6. ſcilicèt, calceatos ſandalijs. Tollentes ergo ſoleas de pedibus colliderẽt eas inuicem, & ſic puluerem de illis excuterent contra Ciuitatem: nam de pedibus puluerem extergere poterant, vel radere, non tamen excutere; & tamen excutiebant, vt dicitur hic, & Marc. 6. & Luc. 9. ergo ſoleas collidebant.* Ex quo rectè inferes, Paulum, & Barnabam ſandalijs vtrimque cõploſis puluerem excuſsiſſe, vt ibi dicitur: *Excuſſo puluere pedum venerunt Iconium*: vnde ſaltem inuolutè in ſacra pagina de Pauli ſandalijs facta mentio reperitur.

Verùm vt omnem prorsùs dubitandi occaſionẽ abſcindamus, Euangeliſtarum dicta primo aſpectu contraria neceſſe eſt, vt conformia, & omnino cohærentia demonſtremus. Igitur cùm apud Matth. 10. & Luc. eodem calceamentorum vſus Apoſtolis interdicitur, & apud Marcum cap. 6. ſandalia permittuntur; litem ita compone, Abulenſi arbitro quæſtione 60. in Matth 10. Bonauentura, Hugone, Piſano, Corduba, & alijs Seraphici Patris N. Franciſci Regulam exponentibus, qui omnes ad cap. 2. vnanimiter aſſeuerant calceamentum propriè ſumptum eſſe pedum cooperimẽtum de corio ita conſutum, vt nulla pedis pars intecta remaneat: Vnde ſandalia, ſeu ſoleæ, quæ magna ex parte nudum pedem oſtenrant, non niſi impropriè, & citra conſuetudinem calceamenta appellantur. Atque adeo & ſi ab Apoſtolis geſtarentur, non proinde Euangelicæ parcitatis rigorẽ, præceptũmque à cæleſti Magiſtro pedum nuditatem aliqua ratione violarent. Sed iam aliud apum ſymbolum euoluo.

Matt. 10. Luce 10. Marc. 6. Abulenſ. D. Bona. Hugon. Piſan. Cordub.

CA-

CAPVT QVARTVM.

Pulcherrimo apum breuitatis argumento, Petri & Pauli in ſumma dignitate humilitas prædicatur.

Notiſsima quidem eſt apum breuitas, & diuino Oraculo commendata. *Breuis*, ait, *in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Eccleſiaſt. cap. 11. Cæterùm magna, & prorsùs admiranda ſub ea corporis paruitate deliteſcunt. Luſum naturæ credas, tam magna, paruis adeo, & exiguis occultare. Luſit, fateor, vt Eccleſiæ apum in ſumma dignitate humilitatem in ſuis apibus præluderet. Perbellè quidem, nam ſicut apes par-uo incorpuſculo magna continēt, & naturæ miracula oſtentant; Ita pariter quos cæleſtis gratia Eccleſiæ apes dedit, Petrum exiſtima, & Paulum, in admiranda rerum maieſtate, & amplitudine humilitatis paruitatem tenuerunt. Quod rarum eſt, & miraculo ſimillimum, teſte D. Bernardo, cuius eſt illud. *Magna prorsùs, & rara virtus eſt humilitas honorata*, homil. 4. Super miſſus eſt. Et vice verſa in ſumma paruitate pluſquàm humanam in ſuis apibus magnitudinem Dei ſapiētia conſtituit: quod D. Gregorius lib. 14. Moral. c. 6. Petri, & Pauli in paruitate magnitudinem contemplatus agnouit. Quippe cùm ſanctitate eximiij virtute ſublimes eſſent, & potentia præcellentes: attamen paruitate humiles, & humilitate paruos ſe exhibuerunt. Hinc ſanctiſsimus Doctor aduertit, quòd D. Paulus, & ſi in ſeminanda Euangelij doctrina plùs operæ atque laboris, quàm cæteri poſuerit: Nihilominùs D. Petri, & aliorum vitæ perfectionem, & ſanctimoniam admiratus, ſeipſum inter eos minimum reputauit. Gregorij verba ſunt: *Cùm cæterorum ſanctorum ſolicitudinem in prædicatione robuſtiùs laborando tranſcenderet; vt ab elatione ſe premeret, & vires ſuas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis ſuæ antiquæ non immemor, Apoſtolorum omnium innocentiam contemplatus, ait: Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Cernis qualia de ſe præferat, & quā abiectè ſentiat Paulus Eccleſiæ apis: Intuere quæſo in hac humilitate, & paruitate ſapiētiæ magnitudinem, quam Petrus, ac ſi æquali præditus non eſſet, mirificè prædicat, & extollit. Iterum do Gregorium. *Et tamen eorumdem omnium Apoſtolorum primus quaſi accepti Principatus oblitus, ac ſi minus ipſe aliquid ſaperet, in Paulo ſapientiam miratur, dicens: ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis, 2. Petri c. 3. ſicut in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in*

Eccleſ. cap. 11.

D. Bern.

D. Greg.

D. Greg.

Digitized by Google

quibus ſunt quædam difficilia intellectu. Hæc ille. Nec ſatis habuit Pauli admirationem ob eximiam Petri, aliorumque virtutē expendere; niſi etiam inſpectis Apoſtolorum Principis de Pauli ſapientia laudibus, admirabilem vtriuſque humilitatem pulcherrimo coronaret elogio. *Ecce Paulus*, inquit, *in Apoſtolis miratur innocentiam. Ecce Apoſtolorum Princeps miratur in Paulo ſapientiam. Quid eſt hoc? Niſi quòd ſancti viri, dum virtutum conſideratione, ſibi alios præferunt, volantia animalia alarum percuſſione ſe tangunt, vt eò aduolatum ſe altiùs excitent, quò humilius alter in altero, quod admiretur videt*. En veluti in ſpeculo apes Eccleſiæ paruitate inſignes, humilitate admirandas, ſub vno tantùm aſpectu repręſentatas inſpeximus. Iuuat ſeorſim contemplari, & cuiuslibet magnitudinem in tanta breuitate, ac in magnitudine paruitatem, ſeu humilitatem demirari. Præibit Petrus vt Princeps, poſtmodū Coapoſtolus eius Paulus ſubſequetur.

§. PRIMVM.

Petrus Eccleſiæ apis, in ſummo apice paruus, & humilis demonſtratur.

IN ſuperioribus Petrum in lapide ſine manibus de monte abſciſſo figuratum aſſeruimus: Et meritò, ipſum enim Petri nomen lapidem ſignificat. Paruus deinde lapis dicitur, licèt poſtea in montem excreuerit, vt ibi ſacer hiſtoricus teſtatur. Quo quid aptiùs vt Petri humilitatem, & ſubinde magnitudinem ſignificaret? Quid enim Petro humilius, & præ humilitate magis paruum? Quis item in ea humilitate in tantam excreuit magnitudinē? Ipſe profectò Eccleſiæ apis, breuis corpore, ideſt humilitate paruus: Ipſe lapis Eccleſiæ fundamentū, qui naturam lapidis imitabatur: Nam ſicut lapis ad humilia loca naturæ impetu deſcendit, & in illis conquieſcit; ſic etiam Petrus Eccleſiæ apis & lapis, apicem tenens ſublimia reſpuebat; humilia verò & abiecta, toto cordis quærebat affectu, in eiſque libentiſsimè quieſcebat.

Marci Euangelium inſpice, ac in eo veluti in ſpeculo apis huius prærogatiuam mirificè expreſſam demiraberis. Etenim quidquid in Petri laudem & honorem cedere potuiſſet, perfectiſsimi præceptoris diſcipulus, gloriæ refugus, humilitatis ſtudioſus, ſilentio inuoluit. E contra quidquid imbecillitatis, ignominiæ, & dedecoris argumētum apparebat, pleno (quod aiunt) ore prædicauit, & exultanti calamo deſcripſit: Et quod alij tranſcurſim, & veluti coactè indigetant, Marcus in iis enarrandis lentiùs immoratur. Quin imò Magiſtri negationem,

quam

quam alij, neſcio an pudore, & Eccleſię apis & capitis reuerentia leuiter præſtrinxerunt, Marcus intrepidè propalauit. Petrum Da-
Marc.14. num.68. mianum ſerm. 1. de Marco Euangeliſta, hac in re ſequor pręeũtem:
D.Petr. Damian. cuius eſt illud: *Cùm cæteri Euãgeliſtæ, quod à Petro dictum eſt leuigent, ſolus iſte duriùs loquitur, & tanquam crimen exaggeret, incautiora Magiſtrum verba effudiſſe teſtatur: cæpit, inquit, anathematizare, & iurare, quia neſcio hominem iſtum quem dicitis.*
Marc.14 Hæc Damianus. Eſt verò animaduerſione dignũ, quòd ſolus Marcus verbo illo, *anathematizare*, ſit vſus, quod valde ignominioſum erat & negationis turpitudinem, ac fœditatem magis amplificabat.

Præterea apud Thabor, cùm ibi Petrus gloriæ cupiditate in-
Matt.17. cenſus in illa verba erupit, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnũ, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Matth. 17. A cauillatione abſtinuit Euangeliſta, cenſuram non impegit, atque neſcij vocabulo pepercit, quod Marcus minimè reueritus eſt euulgare: vnde ſta-
Luc 9. tim adiunxit; *Non enim ſciebat quid diceret*, ignorantiam Præceptoris manifeſtans, quam Matthæus occultandam iudicauit.

Cæterùm vt in ijs, quæ Magiſtro dedecori, & ignominiæ erant commemorandis profuſus; ita in laudabilibus, & quæ cederent in honorem, parcus, & illiberalis extitiſſe deprehenditur, vt cernere eſt in magnifica Petri confeſſione; in qua, cæteris tacentibus, ſolus Chriſti Diuinitatem prædicauit, dicens; *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matt.16. Quam adeo magni Chriſtus æſtimauit, vt ſtatim beatitudinis titulo, largiſſimaq. Eccleſiæ Principatus remuneratione compenſarit. *Beatus es Simon Bar-iona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et quidem D. Matth. cap. 16. num. 16. Omnia hæc exactè & dilucidè cõmemorat; Cùm tamen Marcus aliqua preſſerit ſilentio, etenim confeſſionem referens, verba illa, *Filius Dei viui*, non appoſuit; dixiſſe contentus: *Tu es Chriſtus.* Marc.8. num.30.
Quod non ita cõmendabile, nec tam larga videbatur remuneratione compenſandum. Siquidem Saul licèt antea bonus, poſtea tamen reprobus, & quilibet ex Sacerdotibus ſacro oleo perunctus, Chriſtus dicebatur. Præterquàm quòd magnifica Chriſti encomia, quibus Petrum ad beatitudinem extulit, & de firmitate commendauit, Matthęus luculenter ſcripſit, & Marcus omnino tacuit. Quinimo cap. 8. cùm præceptorẽ ſuum Beatitudinis titulo illuſtratum referre noluerit, eundem à Chriſto Satanam appellatum libenter deprædicat; *Vade retro* Marc.8.

me

Digitized by Google

me Satana. Eodem etiam tegendæ magnitudinis artificio vſus mihi videtur idem Petri diſcipulus, dum illam Cayphæ principis Sacerdotum interrogationem, & Chriſti ad eam reſponſionem lentiùs conſidero.

Ad Cayphæ tribunal ſiſtitur Diuinus Saluator, ex quo Pontifex hunc in modum adiurans ſci-
Matt. 26. ſcitatur. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei?* Matth. 26. *Quid* ad hæc Chriſtus Dominus? Idem Matth. ibid. *Tu dixiſti*. At verò
Marc. 14. num. 62 Marcus cap. 14. diuerſum fuiſſe reſponſum ſcribit, nimirum; *Ego ſum*. Quis autem non videat, quantum diſtent, *Tu dixiſti*, & *Ego ſum*? vt palàm fiet conſulenti
Auguſt. Auguſtinum libro 3. de conſenſu
Eutym. Euangeliſtarum cap. 1. Eutymium
Caietan. Caiet. D. Thom. in cap. 26. Matth.
D. Thom. Clem. Rõ & Clementem Romanum lib. 5. conſtitut. cap. 13. Cæterùm Marcus ſcriptum à Matthæo reſponſum ſuppreſsit: quia fortè illud Petro magis honorificum fore reputabat. Cùm enim Petrus Chriſti amore incenſus ab eius ſequela non deſiſteret, quouſque finem videndi ergô Pontificis atrium ingrederetur, vt ibidem refert
Matt. 26. num. 58. Euangeliſta: *Petrus autem ſequebatur eum à longè, vſque in atriũ Principis Sacerdotum*: cenſet verò Chryſoſt. homil. 85. in Matth. Petri ſequelam ab ingenti amo-
D. Chryſ. re profectam. *Multus enim erat, inquit, feruor Petri, qui cùm alios fugientes vidiſſet, non fugit, ſed ſtetit & intrauit*. Et fortè ibi aderat, vbi à Chriſto facilè conſpiceretur; vnde cùm Pontifici reſpondet; *Tu dixiſti*, ad Petrum Matt. 26 etiam, ni fallor, reſponſum dirigebat: quoniam primus ipſe Chriſtum eſſe filium Dei viui ſolemni confeſsione prædicauerat; quod nunc Cayphas interrogat. Igitur dum Pontifici interroganti, & Petro tacenti, ſimul reſpondet, *Tu dixiſti*; perinde eſt, vt non leuiter coniicio, ac ſi diceret; Attende Petre, quod iſti ex me, an ſim Dei filius ſciſcitantur, ac de eo dubitant; &, *Tu dixiſti*. Atque adeo ex tua confeſsione veritatẽ hanc ſatis, ſuperque addiſcere potuiſſent.

Ex aurea D. Thomæ Catena D. Thom. annulum adnecto, vt mentis noſtræ conceptus pulchrior, & firmior euadat. Chriſti reſponſum illud ad Pontificem, *Tu dixiſti*, Matt. 26 expendit Angelicus Doctor, & quaſi reddens rationem, cur Dominus ſe eſſe Dei filium Cayphæ non patefecerit, ita fatur, apud Matth. cap. 26. *Non erat dignus Chriſti doctrina; propterea non eum docet; ſed verbum oris eius accipiens in redargutionem conuertit*. Quod ſi vt noſtra fert opinario, ad vtrumque Chriſti reſpõſum dirigebatur, conſtans magis, & manifeſta eſt ſuggillatio. Quaſi dicat: Cernis Petre quod iſti me arguunt, & à te vicißim arguuntur: quoniam illud idem quod

quæ-

Digitized by Google

Matt 16. quærunt, & mihi imputant, *Tu dixiſti*: aduerſus eorum ignorantiam conſtans accuſator, & teſtis laudatiſsimus. Et quia Petrum non mediocrem inde gloriam cõſecuturum Marcus fortaſſe arbitrabatur; idcirco Magiſtri genio indulgens: pro *Tu dixiſti* appoſuit, *Ego ſum*.

Miror, non enim diſcipuli affectus iſte videtur, vt Magiſtri encomia deprimat, magnifica extenuet, quinimò obliuione ſepeliat; è contra parum decora, quæque in præceptoris opprobriũ cederent, ſtudioſiùs enarret. Quid agis ò Marce, quæ mens, quæ ratio, aut conſilium impulit, & adegit, vt Magiſtri encomia tacitus prætereas, & probra exultãti calamo deſcribas? Petrum Damianum cum Euangeliſta ad eum locum expoſtulantem adduco.

D.Petr. Damian. *Cur igitur* (ait ille) *à tot Magiſtri præconijs calamum reprimis, & ſola quæ infirmitatis ſunt ad poſterorum memoriam ſtylo committis*. Hæc ille objicit, quibus ſtatim in Petri laudem effuſus ita reſpondet: *Credendum eſt, quia cùm vnus vtrumque ſpiritus impleat; alter ab altero, ille in docendi, iſte in ſcribendi ſtudio non diſcordat, ſicut enim Petrus à ſua propria laude abſtinuit; ita veridicus illius interpres ab ea, quam in Magiſtro nõ didicit, ſuæ deſcriptionis articulum refrænauit. Ad magnum quippe eſt noſtræ ædificationis exemplum, vt & ille de ſe non efferenda, ſed reprehendenda proferret, & iſte ſic per veritatis lineam rectius incederet, vt ne ad Magiſtri quidem fauorem aliquatenus declinaret*. Egregium ſanè D. Petri Damiani reſponſum, quod iterum replico, & interpretor: Petrus decora ſua, & ornamenta ſilentio contegit: minus honorifica, & nimium probroſa vbique humilis oſtentat. Quam humilitatem fidus interpres, & charus Magiſtro diſcipulus omnino ſecutus, nihil in Magiſtri laudem putauit ſcribendum ex ijs, quæ ipſe ſtudioſo, humilique ſilentio prætermiſerat.

Magnum certè, inauditumque humilitatis encomium; quod lõgè præſtantius euadet, ſi quod Marcus ſcripſit Euangelium, à Petro dictatum aſſeramus. Et quidem ita cenſuit Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 5. *Euangelium*, inquit, *quod Marcus edidit Petri affirmatur, cuius interpres Marcus*. Vbi etiam Lucæ Euangelium attribuit D. Paulo. Tertullianum ſequitur D. Hieronymus epiſt. 150 ad Hebidiam quæſt. 11. ibi: *Euãgelium Marci, Petro narrante, & illo ſcribente compoſitum eſt*. Eiuſdem ſententiæ Authorem do Nicephorum lib. 2. cap. 15. *Petri*, inquit, *quod ſecundum Marcum eſt dicitur Euangelium*. Accedit Euſebius Cæſarienſis, libr. 3. demonſtrat. Euangel. cap. 7 vbi quæ hactenus diximus conſtanter affirmat. *Omnia* Tertull. D.Hier. Niceph. Euſeb. Cæſar.

nia enim quæ apud Marcum leguntur, narrationum, ſermonumque, Petri dicuntur eſſe commentaria. Ita ille. Statim verò adijcit Marcum nihil ex tot, & tantis à Chriſto in Petri gratiã Matthæo cap. 16. ſcribente prolatis, retuliſſe. *Cùm tàm multa dicta ſint Petro à Ieſu, Marcus nihil horum commemorat: propterea quòd ne Petrus quidẽ talia in ſuis narrationibus enunciauit.* Hæc Nicephorus.

Quæ ſi verum habent profundiſſimam Petri humilitatẽ incredibiliter extollunt. Cùm enim ſcripſiſſet Euangelium magna de ſeipſo, & vera præterijt; nec ab interprete paſſus eſt euulgari, quæ ab alijs iam ſtylo credita nõ ignoraret; non aliam ob cauſam, niſi, quia in maximum Petri decus & ornamentum ceſſura credebãtur. Ea verò, in quibus apparebat infirmitas, probroque, & ignominiæ duci poterant, plùs quam humanæ gloriæ contemptor, & vltra omnem humilitatis menſuram exquiſitè ad poſterorum memoriam tranſmiſit.

Cæterùm alijs arridet, Marcum non ſolum interpretem, ſed Euãgelij ſui Authorem extitiſſe; quod Euſebius ex Clement. Papa lib. 2. cap. 45. Athanaſ. in Synopſ. ad fin. Hieronym. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Epiphan. hæreſ. 51. & alij teſtantur, licèt circa Euangelij conſcribendi rationem diuerſimodè opinentur, & varia ſcribant, inter quæ, nebulas velut & fumos, adamantina Petri humilitas clariùs eniteſcit, ſemperque eadem, & ſibi conſtans demonſtratur. Clemens in Commentar. epiſt. 1. D. Petri, quem apud ſanctorum Patrum Bibliothecam tomo 6. reperies, ita ſentit: *Marcus Petri ſectator, prædicante Petro Euangelium palàm Romæ coram quibuſdam Cæſarianis equitibus, & multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis, vt poſſent quæ dicebantur memoriæ commendare, ſcripſit ex ijs quæ à Petro dicta ſunt Euangelium, quod ſecundum Marcum vocatur.* Admittamus libenter quod Clemens opinatur. Quis neget Petro clariſſimum humilitatis ſuæ triumphum? Nonne eiuſdem meriti eſt quod probra, & indecora de ſeipſo prædicarit, atque ipſo prædicante Marcus interpres ſtylo fideliter reddiderit, ac ſi prædicator eadem ſcripſiſſet?

Euſeb. Athanaſ. Hieron. Epiph. Clemens.

Aliter ſenſit Epiphanius loco ſuperius citato, verba dabo ex quibus Authoris mentem clarius deprehendes. *Statim* ait, *poſt Matthæum inſecutus eſt Marcus iuſſus à ſancto Petro Romæ Euangeliũ edere, & vbi ſcripſiſſet mittitur à ſancto Petro in Aegyptiorum Regionem.* Cùm enim Matthæus in Euangelio quod ſcripſerat admirandas Petri prærogatiuas, fidẽ, amorem, firmitatem, conſtantiam, largiſsimas Chriſti, propter hæc & alia magni facienda, promiſ-

Epiph.

ſiones

Digitized by Google

ſiones, & vtroque in æuo remunerationes accuratè recenſuerit; è contra defectus, redargutiones, Satanæ titulos, & alia quæ non ita decora videbantur, tacitus omiſerit: Petrus, & calamum in magnis, ac ſpecioſis, & ſilentium in minimis, & abiectis pari humilitate quaſi indignatus Marco præcepit, vt variatis vicibus deleret elogia, taceret excelſa, in abiectiſque & Magiſtro parum decoris ſcribendis ſedulus inſiſteret. O profundam humilitatis abyſſū! Quid ni apis Eccleſiæ, & lapis ſponte ſua tenderet in ima hæc & abiecta, apices deſerens, in profundis libentiſsimè conquieſcens? Suſpice humilem, qui ſublimē intueris, & qui ſublimitatem inhias, humilitatem æmulare.

D. Hier. de Scrip. Eccleſiaſt. D. Hieronymus aliam aperuit viam, in qua etiam Petri ſe oſtentat humilitas. Scribit igitur Marcum Apoſtoli diſcipulum, & interpretem Euangelium à ſe compoſitū Magiſtro attuliſſe, vt emēdaret; cùmque ibi magnifica de ſe ſcripta deprehenderet, & abiecta ſilentio inuoluta conſpiceret, illa ſtatim expungere, & hæc imperauit reponere. Hinc eſt, quod Marcus Petri negationes ſcribēs, ſtateris miraculum pro ſoluendo tributo in ore piſcis inuenti nullatenus meminit, quia ex negationibus ignominia, ex miraculo autem, & tributi ſolutione, in qua Chriſto videbatur adæquari,
Matt. 17. iuxta illud, *Da eis pro me & te* magna D. Petro gloria naſcebatur: Si D. Chryſoſtomo credimus, qui homil. 49. in Matthæum hæc expendens, ita fatur. *Hunc locum* D. Chryſ. num. 26.
Marcus, qui Petri diſcipulus fuit, ideo non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor Magiſtro deferebatur, ſed negationem quidem ille quoque diligētiſſimè ſcripſit, hæc verò quæ ad Magiſtri laudem pertinent, ipſo forſan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omnino ſiluit. Itaque Marci Euāgelium in omnes partes verſa, opiniones de ipſius authore expende, ſiue magiſter, ſiue diſcipulus, ſiue ſcriptor alter, & corrector alter extiterit, ſemper admiranda ſibi Petri humilitas occurret, ac in Marci Euangelio veluti in ſpeculo pulcherrima ludet ipſius humilitatis imago, nūquam nō ipſum in ſublimitate humilem, in humilitate ſublimem deprehendes.

§. SECVNDVM.

Eandem Petrus humilitatem moriens prætulit, quam viuens tenuerat.

NEc ſibi diſsimilis Petrus extitit moriens, ſed quam ſemper in vita cuſtodiuit humilitatem, eandem moriturus obſeruare decreuit. Quid porto cauſæ eſt, vt D. Petrus verſis in cælum veſtigijs elegerit in cruce ſuſpendi? An eandem quam ibi Chriſtus figuram tenuit, ipſe detractabat?

Non

Non equidem, ſed Chriſti gloriã fugiebat, vt in Pſam. 118. ſcripſit elegranter D. Ambroſius. *Non fuit opprobrio Petro crux Chriſti, quia tantùm eius gloriæ dedit, vt inuerſis Chriſtum honoraret veſtigijs; metuens, ne ſi ea ſpecie crucifixus eſſet, qua Dominus; affectaſſe Domini gloriam videretur.* Eandem ſententiam elegantiùs expreſsit his carminibus Prudentius Hymn. 12. D. Amb.

Prudent. *Prima Petrum rapuit ſententia legibus Neronis,*
Pendere iuſſum præminente ligno.
Ille tamē veritus celſæ decus æmulando mortis,
Abire tanti gloriam Magiſtri,
Exigit vt pedibus merſum caput imprimant ſupinis,
Quò ſpectet imo ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter ſola verſus in cacumen:
Hoc mente maior, quo minor figura.

Verè humilis Petrus, qui ingentem à Chriſto gloriam in cruce partam agnoſcens, inuerſo corpore eligit crucifigi, moriendi cupidus, gloriæ inimicus. Idcirco quidquid ignominioſum eſt, ambit; Et quod honorificum, refugit ac faſtidit. Sed proh humilitatis ingenium! Petrus dum gloriam quam ſibi Chriſtus ex cruce reporrauerat ſtudioſiùs detrectat, & inuerſo corpore ſuſpenditur, viam ſibi aperit ad cæleſte Regnū, vt D. Chryſoſtom. Orat. in Principes Apoſtolorum adnotauit. *Gaudes*, inquit, *Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad magiſtri ſimilitudinem recta quidem figura, ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti; ſed magis inuerſo capite veluti in terra ad cælum iter parans.* Hæc ille. Neque hìc tantùm humilitatis ſtetit ingenium, ſed dum ſic in cruce ſuſpenditur, Chriſti mutatur in vmbram; Quo quid honorificentius exiſtimari poteſt? Vmbræ ſitum & formam inſpice, remque omnibus notam deprehēdes; ſemper enim vmbra partibus inuerſis corpori, cuius eſt vmbra, reſpondet: vnde Petrus verſis in cælum pedibus dum crucifigitur, & Chriſti fit vmbra; locum vbi caput Chriſtus habuerat, pedibus attingere promeretur. O magnum humilitatis faſtigium! Quanto plùs eſt ipſummet locum vbi caput ſuum Chriſtus habuerat, pedibus opprimere, quàm ſupra Saluatoris caput manus eleuare, quod Ioanni apud Iordanē Chriſtum baptizanti eueniſſe refert Euangeliſta? Nec aliā, credo, ob cauſam, niſi vt Baptiſtæ extolleretur humilitas, qua ſe deijciens indignum fatebatur, qui ſolueret calceamenti corrigiam: idcirco dum Baptiſtæ miniſterium exercet, manum ſupra caput extollit. Ita cenſuit D. Chryſoſt. homil. 38. ad Popul. *Quia dixit Ioannes, non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius, factus eſt amicus ſponſi & manum, quā dixit calceamento eſſe indignam,* D. Chryſ.

hanc

Digitized by Google

hanc ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit. Hæc ille. Plus tamen Petri fælicitatem, & tantæ humilitatis faſtigium admiror, qui non manus, ſed pedes vſque ad Redẽptoris caput quodammodo extuliſſe prædicatur. Quinimò dum cruci affixus Chriſti vmbra fieri dignus euaſit, ſpecialem adeptus eſt prærogatiuam, vt ſcilicet vmbra ſua ederet miracula, quod de nullo alio, etiam Chriſto Domino, Euangeliſtæ retulerunt.

Cæterùm Petrus hæc ipſa miracula præ humilitate edere recuſabat, ſponſæ ſimillimus, quæ ſpõſum allocuta, ſic precabatur. *Fuge dilecte mi aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorũ ſuper montes Bethel*. Cantic. 8. Sed cur ò ſponſa vt fugiat adhortaris ſponſum, cuius præſentiam deſideras, & conſuetudine ſic impensè delectaris; vt ſine illo viuere mortem exiſtimes acerbiſſimam? Rem ego teneo, ait, hoc loco Rupertus: Humilitas fugam ſuadet, quam aliàs amoris doleret affectus. Ad ſponſi præſentiam magna, & planè admiranda operabatur ſponſa: & tamen hæc humilitatis ſtudio, & amore recuſat; ideo ſponſum rogat, vt ſibi auferat virtutem: perinde namque eſt, *Fuge dilecte mi*, ac ſi, teſte Ruperto, diceret: *Non quæro gloriam in præſenti vita, ſed deſidero gratiam, non quæro claritatem miraculorum, ſed opto remiſſionem peccatorum*. Hæc ille.

Cant. 8.

Rupert.

Mirum tamen eſt, quàm ad viuum Petrus Eccleſiæ apis, humilitate breuis, hanc ſponſę paruitatem affectu, verbisque expreſſit. Ad Chriſti Domini imperium magnam piſcium multitudinem Petrus in rete concluſit, & cùm antea per totam noctem laborans nihil ceperat, ad miraculum obſtupeſcit, pauent & alij, quos ex alia cymba futuros auxilio conuocauerat. Quid inter hæc Petrus? Chriſtum in cymba ſtantem ſic alloquitur. *Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſum*. Luc. 5. Quid agis ò Petre? Nonne rogatus aliquando an velles à Chriſto diſcedere? Reſpondiſti: *Quo ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Cur ergo Chriſtum modo adhortaris, vt à te diſcedat? Diuus Ambroſius lib. 3. de Virginibus aptiſſimè reſpondet. *Vir ſapiens & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ fundamentum, & magiſteriũ diſciplinæ, nihil vtilius eſſe proſpexit, quàm ne ſecundantis operis extolleretur euentu, & ideo*, inquit, *exi à me Domine. Non rogat vt deſeratur, ſed ne inflectur*. Hæc Ambroſius. At tu incredibilem expende humilitatis affectum, quo Petrus ſic æſtuabat, vt licèt alioqui à Chriſti præſentia diuelli non pateretur: Veritus tamen inter miraculorum magnitudinem aliquod humilitatis periculum, Saluatoris præſentiam quodammodo reſpuit, vt humilitatem retineat. Vel certè quia

Lucæ 5.

D. Amb.

Non equidem, ſed Chriſti gloriã fugiebat, vt in Pſam. 118. ſcripſit elegãter D. Ambroſius. *Non fuit opprobrio Petro crux Chriſti, quia tantùm eius gloriæ dedit, vt inuerſis Chriſtum honoraret veſtigijs; metuens, ne ſi ea ſpecie crucifixus eſſet, qua Dominus; affectaſſe Domini gloriam videretur.* Eandem ſententiam elegantiùs expreſsit his carminibus Prudentius Hymn. 12.

D. Amb.

Prudent. *Prima Petrum rapuit ſententia legibus Neronis,*
Pendere iuſſum præminente ligno.
Ille tamẽ veritus celſæ decus æmulando mortis,
Abire tanti gloriam Magiſtri,
Exigit vt pedibus merſum caput imprimãnt ſupinis,
Quò ſpectet imo ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter ſola verſus in cacumen:
Hoc mente maior, quo minor figura.

Verè humilis Petrus, qui ingentem à Chriſto gloriam in cruce partam agnoſcens, inuerſo corpore eligit crucifigi, moriendi cupidus, gloriæ inimicus. Idcirco quidquid ignominioſum eſt, ambit; Et quod honorificum, refugit ac faſtidit. Sed proh humilitatis ingenium! Petrus dum gloriam quam ſibi Chriſtus ex cruce reportauerat ſtudioſiùs detrectat, & inuerſo corpore ſuſpenditur, viam ſibi aperit ad cæleſte Regnũ, vt D. Chryſoſtom. Orat. in Principes Apoſtolorum adnotauit. *Gaudes*, inquit, *Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad magiſtri ſimilitudinem recta quidem figura, ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti; ſed magis inuerſo capite veluti in terra ad cælum iter parans.* Hæc ille. Neque hìc tantùm humilitatis ſtetit ingenium, ſed dum ſic in cruce ſuſpenditur, Chriſti mutatur in vmbram; Quo quid honorificentius exiſtimari poteſt? Vmbræ ſitum & formam inſpice, remque omnibus notam deprehẽdes; ſemper enim vmbra partibus inuerſis corpori, cuius eſt vmbra, reſpondet: vnde Petrus verſis in cælum pedibus dum crucifigitur, & Chriſti fit vmbra; locum vbi caput Chriſtus habuerat, pedibus attingere prometetur. O magnum humilitatis faſtigium! Quanto plùs eſt ipſummet locum vbi caput ſuum Chriſtus habuerat, pedibus opprimere, quàm ſupra Saluatoris caput manus eleuare, quod Ioanni apud Iordanẽ Chriſtum baptizanti eueniſſe refert Euangeliſta? Nec aliã, credo, ob cauſam, niſi vt Baptiſtæ extolleretur humilitas, qua ſe deijciens indignum fatebatur, qui ſolueret calceamenti corrigiam: idcirco dum Baptiſtæ miniſterium exercet, manum ſupra caput extollit. Ita cenſuit D. Chryſoſt. homil. 38. ad Popul. *Quia dixit Ioannes, non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius, factus eſt amicus ſponſi & manum, quã dixit calceamento eſſe indignam,*

D. Chryſ.

D. Chryſ.

hanc

Digitized by Google

hanc ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit. Hæc ille. Plus tamen Petri fælicitatem, & tantæ humilitatis faſtigium admiror, qui non manus, ſed pedes vſque ad Redẽptoris caput quodammodo extuliſſe prædicatur. Quinimò dum cruci affixus Chriſti vmbra fieri dignus euaſit, ſpecialem adeptus eſt prærogatiuam, vt ſcilicet vmbra ſua ederet miracula, quod de nullo alio, etiam Chriſto Domino, Euangeliſtæ retulerunt.

Cæterùm Petrus hæc ipſa miracula præ humilitate edere recuſabat, ſponſæ ſimillimus, quæ ſpõſum allocuta, ſic precabatur. *Fuge dilecte mi aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorũ ſuper montes Bethel.* Cantic. 8. Sed cur ò ſponſa vt fugiat adhortaris ſponſum, cuius præſentiam deſideras, & conſuetudine ſic impensè delectaris; vt ſine illo viuere mortem exiſtimes acerbiſſimam? Rem ego teneo, ait, hoc loco Rupertus: Humilitas fugam ſuadet, quam aliàs amoris doleret affectus. Ad ſponſi præſentiam magna, & planè admiranda operabatur ſponſa: & tamen hæc humilitatis ſtudio, & amore recuſat; ideo ſponſum rogat, vt ſibi auferat virtutem: perinde namque eſt, *Fuge dilecte mi*, ac ſi, teſte Ruperto, diceret: *Non quæro gloriam in præſenti vita, ſed deſidero gratiam, non quæro claritatem miraculorum, ſed opto remiſſionem peccatorum.* Hæc ille.

Cant. 8.

Rupert.

Mirum tamen eſt, quàm ad viuum Petrus Eccleſiæ apis, humilitate breuis, hanc ſponſę paruitatem affectu, verbiſque expreſſit. Ad Chriſti Domini imperium magnam piſcium multitudinem Petrus in rete concluſit, & cùm antea per totam noctem laborans nihil ceperat, ad miraculum obſtupeſcit, pauent & alij, quos ex alia cymba futuros auxilio conuocauerat. Quid inter hæc Petrus? Chriſtum in cymba ſtantem ſic alloquitur. *Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſum.* Luc. 5. Quid agis ò Petre? Nonne rogatus aliquando an velles à Chriſto diſcedere? Reſpondiſti: *Quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Cur ergo Chriſtum modo adhortaris, vt à te diſcedat? Diuus Ambroſius lib. 3. de Virginibus aptiſſimè reſpondet. *Vir ſapiens & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ fundamentum, & magiſteriũ diſciplinæ, nihil vtilius eſſe proſpexit, quàm ne ſecundantis operis extolleretur euentu, & ideo*, inquit, *exi à me Domine. Non rogat vt deſeratur, ſed ne infletur.* Hæc Ambroſius. At tu incredibilem expende humilitatis affectum, quo Petrus ſic æſtuabat, vt licèt alioqui à Chriſti præſentia diuelli non pateretur: Veritus tamen inter miraculorum magnitudinem aliquod humilitatis periculum, Saluatoris præſentiam quodammodo reſpuit, vt humilitatem retineat. Vel certè quia

Lucæ 5.

D. Amb.

verè humilis magna fugiebat, abiectis & vilibus delectabatur, & captandæ gloriæ occaſionem ex miraculis non quærebat. Ambroſium laudo teſtem, cuius eſt illud ad cap. 5. Luc. *Admiratur dona diuina, & quo plùs meruerat, eò præſumebat minus.* Vera igitur apis Eccleſiæ Petrus euaſit, quippequi animi humilitate, in illo ſupremæ dignitatis apice, breuitatem apum æmulabatur, exemplo futuris Eccleſiæ apibus prælucens; vt qui Pontificiam dignitatem ſucceſſiuo electionis diuinæ tractu obtinerent, etiam quid imitarentur haberent. Et certè plurimas Eccleſiæ apes paruitatis & humilitatis huius æmulas antiquioris & recentis æui tulit ætas. In quibus ex auro flaues centes & Vrbanę, neſcio quid dulcius ſtillant, & ſpirant gratius. Non minor eſt aureus Pontificiæ dignitatis ſplendor, quàm humilitatis ſtudium. In ſumma celſitudine paruitas, de Chriſti, & Petri humilitate veniens, atque in ea paruitate irradiat celſitudo.

D. Amb. Lucæ 5.

Quam bellè Orientis Solis, & occidui ſtemma ipſi adaptatur, in ſcriptione appoſita, *Et alius & idem.* Alius eſſe cœpit, dum Senatus Apoſtolici ſuffragijs in Petri ſolio collocatur: vt veluti nouus, & cæleſtis Athlas Chriſtianum Orbem ſuſtentaret. *Et idem,* quia in ſupremo dignitatis apice, vt ſe veram Eccleſiæ apem demõſtraret, eandem ſpiritus humilitatem retinuit, ac prodigio ſimillimum veteri æuo rarum, & recenti inauditum moderati animi ad poſteros tranſmiſit exemplum. Nota ſunt quæ in iconibus Pontificum ſubtiliter exarata, & calamo eleganter reddita tradidit Victorellus, in quibus hæc apũ prærogatiua, vt in magnitudine paruitas, in paruitate niteat magnitudo mirificè præluxit. Ibi enim ſacro plaudente Senatu, diuinoq. afflante ſpiritu cernes creari Pontificem, qui ſponſam dicentem: *Fuge dilecte mi*, & Petrum: *Exi à me Domine*, æmulatus, apis breuitate, & humilitate contentus, ſupremi apicis celſitudinẽ reſpuebat, humanæ gloriæ generoſus contemptor.

Cant. 8. Lucæ 5.

Sed iam alterius Eccleſiæ apis breuitas non minus commendanda pauliſper digreſſum & cunctantem reuocat, Paulum dicò, cuius paruitas apum æmula non vno tantùm, ſed triplici nomine dilaudatur. Breuis corpore, breuis nomine, humilitate breuiſſimus; incredibilique rerum viciſſitudine quaſi alius, ſed ſemper idem; in paruitate corporis incredibilem animi magnitudinem oſtentauit. Singula ſeorſim illuſtrabimus. Primò corporis, & nominis paruitatem ponderabimus: poſtea de humilitate, quam in ſuprema tenuit celſitudine, dicemus.

§. TER-

§. TERTIVM.

Breuitas ſtaturæ in D. Paulo, ac in ea virtutem latuiſſe admirabilem ſtatuitur.

QVidni apis Eccleſiæ breuitatis prærogatiua fruereтur? Et quemadmodum in naturæ apibus, diuino teſtante oraculo paruitas eminet, & quæ in ea latent virtutes, pluris æſtimantur: ſic apes ſuas gratia breues dedit, magnis tamen in breuitate virtutibus cumulauit. Paulum tibi ob oculos propone, gratiæq. exemplum naturæ æmulum inſpicies, Ille breuitate corporis deſpiciendus, & minimè ſpecioſus, prout illum his coloribus depinxit Nicephorus lib. 1. c. 37. *Paulus paruo fuit corpore, & contracto, & quaſi incuruo, atque paululum inflexo.* Nec miror, quoniã pulchritudo naturalis ad virtutum ornamenta, & veros gloriæ fructus decerpendos minimũ conducit. Vnde monuit diſertè D. Chryſoſtomus in Pſalm. 50. quam plurimas eſſe arbores proceritate conſpicuas, patulaque ramorum opacitate circinnatas, quæ tamen fructu carent, vel ſi quemquam ferunt, in porcorum eſcam deputatur. At verò vitis depreſſos habet palmites racemorum pondere incuruos, & humi repentes: Talis Paulus, vix à terra ſe extollẽs tricubitalis namque fuit, ſed in tanta paruitate, magnis excelluit virtutibus; foliorum amœnitate, hoc eſt, externa decoris ſpecie caruit: & tamen vberrimis fuit ſapientiæ fructibus onuſtus. *Nam* (ait Chryſoſtom) *roboreæ arbores cùm denſæ ſint folijs & altitudine excelſæ; attamẽ non habent fructum hominibus aptum, ſed porcis afferunt cibum: vinea autem per terram repens maturum vuarum refert fructũ.* Magnis igitur ne fide corporibus, animos inſpice, qui menſuræ non ſubijciuntur. Virtutem contemplare, quæ nullatenus in ſtateris exploratur. Nec rupes, quia magnæ, paruis vnionibus ſunt præſtantiores. Quid inter volatilia breuius ape, & in ſpecie abiectius? Quid pauo pulchrius? qua colla florent, omni conchylio depreſſior, & omni patagio in auratior, qua terga fulgent, & omni ſyrmate ſolutior, qua caudæ iacent; multicolor, & diſcolor, & verſicolor ac dum gemmantes ad plauſum pennas explicat, & quærit honores nuſquam ipſa, ſemper alia, totieſque mutanda, quoties mouenda. Nihilominus eodem teſte Chryſoſt. præſtãtior apis eſt, & vtilior, in eaque corporis paruitate, magnas includit prærogatiuas. O qualẽ in cõtracto, breui, & incuruo Pauli corpore, veluti in theſauro ſapientiam, & virtutum omniũ congeriem Dei liberalitas concluſit. Corporis paruitate fuit deſpicabilis, doctrinæ tamen ſplendore, cæleſtium donorum vbertate, animi candore,

Niceph.

D. Chryſ.

& magnitudine venerandus.

Cole igitur in paruitate celſitudinem; nec in magnis deſpiciēda tibi paruitas occurrat, diuini Oraculi monitum auſculta apud Eccleſiaſticum c. 11. *Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo.* Quod in Pauli gratiam &, fauorem editum interpretor. Quaſi vellet ipſum à ſiniſtra opinione, qua vt plurimum laborant corporis deformitate inſignes, vendicare. Nota verò quòd dum ait: *Neque ſpernas hominem in viſu ſuo*, formula vtitur Hebræis familiari, in qua per tranſnominationem potentia pro ipſius obiecto, ſeu quod perinde eſt pro re viſa, ipſius aſpectus, ſeu viſio vſurpatur. Vnde vertit conſequenter Tygurina: *Ne laudes virum de pulchritudine ſua, nec quemquam ob formam ſuam vituperes.* Syrus item: *Ne laudaueris hominem, qui ſpecioſus eſt in aſpectu ſuo, & ne contumelia afficias hominem, qui vilis eſt in aſpectu ſuo.* Quæ verba ſic expendit, & interpretatur Rabanus. *Prohibet ne quis iuxta ſpeciem corporis æſtimet qualitatem mentis: quia ſicut diuiſa eſt natura animæ, & corporis, ita dignitas eorum eſt diuerſa, nec conſequens eſt, vt ſtaturæ dignitatem ſequatur modus ſapiētiæ.* Hæc ille.

Eccleſ. 11 · *Tygur.* · *Syrus.* · *Rabanus*

Quibus ego Pauli paruitatem, & contemptibilem corporis ſpeciem ſatis defendi, imò & exornari non dubito, ita enim verſiones adductæ, & Rabani commenta in ipſum quadrant, vt Pauli aſpectu dicta, & ſcripta videantur, cui certè contigit diſpenſatione diuina; quod naturæ indulgentis beneficio non rarò ſolet euenire, vt quibus magnitudinem corporis, & ſpecioſitatem denegauit fœneraria quadam viciſsitudine magnarum virtutum ornamenta largiatur. Exemplo ſit apis, de qua diuinum Oraculum: *Breuis in volatilibus eſt apis, & initium*, ſeu vt alij legunt *principatum dulcoris habet fructus illius.* Proh quā breui corpuſculo magnam ſapiētiam natura concluſit, qualis in vniuerſa mellificij conſtitutione ſplendeſcit. Vnde.

Eccleſ. 11 · *Virgil.*

Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Aethereos.

Georgic. c. 4. cecinit Mantuanus. Cæterùm quod in apibus natura præluſit, in hominibus facere condiſcebat. Vnde illuſtriores ſunt intus; quam foris appareant, & quod de ſuo Socrate dixit Alcibiades, ſub externa figuræ vilitate incredibilem ſapientiæ profunditatem, & neſcio quid Numinis occultant. Quapropter huiuſmodi viros aptiſſimè cum Silenis contulit Alcibiades, in dialogo Platonis de Amore, & Socratis firmauit exemplo. Silenos dicunt imagunculas ita fabricatas, vt clauſæ monſtroſam, tibicinis figuram oſtentarent, apertæ verò, & deductæ, biſariamque diuiſæ,

Deo-

Digitized by Google

Deorum imagines præferebant. Nonne Paulum ijs ſimilem iure optimo appellaueris; qui externa ſpecie inops, breuis corpore vt apis, interna verò opulentiſsimus extitit. Et licèt quandiù clauſus eſſet,& integer propter externam vtilitatem contemni poſſet, dum tamen vel calamo ſcribēs, vel ore detonans prædicando ſeſe quodammodo aperiebat latentem intus diuinæ ſapientię figuram oſtētabat. Vnde 2.Corinth. cap. 10.
2.Cor.10 dicebant quidam: *Epiſtolæ graues ſunt, ſed præſentia corporis infirma, & ſermo cōtemptibilis.* Oculos auertite ò Corinthij, à corporis præſentia, quæ vobis infirma videtur, Paulum aſpicite, pulcherrimas aſpicietis virtutum imagines, & ſub cōtemptibili ſermone admirabilē ſenſus profunditatem abſconditam reperietis. Nam, vt dixit egregiè Rabanus:
Raban. *Sicut apis aculeo pungit, & opera mellis conficit, ſic in breui corpuſculo ingenioſa inhabitat anima, quæ, & à cumine viget, & doctrina ſua nouit proferre ſermonem ſapientiæ.* O quale Pauli acumen, quàm viuax ingenium, quā dulcis ſapientia! Breuis quidem erat corpore, & parum ſpecioſus attamen ſapientiæ magnitudine, quotquot Orbis dedit magnos fortè ſuperauit.

Immenſum ſapientiæ theſaurum in mellifico opere reconditū quis neget? Amariſsimos fruticum,herbarum, & florum ſuccos, ita condire, & artificioſa quadam immutatione conuertere; vt non iam dulces,ſed ipſam dulcedinem dixerit in ſua parabola fortiſſimus Sanſon: *De forti egreſſa eſt dulcedo*; Et propterea dulcium initium, vel inter dulcia principatū dicatur obtinere, quis ita Batauus, vt rarum ſapientiæ opus nō exiſtimet. Admirandum plane opus naturæ eſt Dei ſapientiam æmulantis, & humanis mentibus inacceſſum. Vnde iure optimo Melliſographi, Chimicorum vanitatem, & animi falſa ſperantis figmenta irridentes: quippequi nunquam aurum chimica, ſeù potius chimærica arte eliquarunt; apum ſapientiam deprædicant, quia quod chimiſta non potuit, apis fecit; Quid enim mel aptiùs dixeris, quam aurum eliquatum, & potabile? niſi magis cum Plinio lib. 11. cap. 12. velis dicere *Mel eſſe cæli ſudorem; ſeu quandam ſyderum ſaliuam, ſiue purgantis ſe aëris ſuccum purum, & liquidum,magnamq. caleſtis naturæ voluptatem afferre.* Iudic.14 Plinius.

Mellificam tranſmutationis artem ab apibus inuentam Paulus Eccleſiæ apis, corpore breuiſsimus, & minimè vanus chimiſta, ſed ſapientiſsimus Dei amator, præſtantiori materia æmulabatur, quippequi magiſtro amore, quē ſcitè Nazianzenus, artem chimicam appellauit, vitæ huius amaro res in dulcedinem immutauit,opprobria, verbera, fella, ſapienter Naz.

eliquauit in mella, nec ſolum reddidit potabilia, ſed etiam faſtidioſiſsimis expetenda. Mirare, corporeque in exiguo, ſapientiam latere, incredibilem non ambigas, Catonemque audi exhortantem.

Cato. *Corporis exigui vires contemnere noli*
Ingenio pollet, cui vim natura negauit.

Concinunt Lyricus, & Romæ eloquentiæ Antiſtes, quorum illud eſt acroama. *Valentiſſimo quique corpore longiſſimè abeſt à ſapientia.* Euripidis addo calculum. Euripid. *Animus*, inquit, *ſpectandus eſt, nihil pulchritudo iuuat, cùm quis mentem non bonam habet*. Verè quidem; vnde alibi dicebat. *Deformis ſim potius, quam pulcher, & malus*. Laudanda electio. Et ſanè quid ampliùs dixiſſet ethnicus; ſi aliquando oris pulchritudinem, & corporis proceritatem à Deo reiectam agnouiſſet: quod Samuelis exemplo in Reg. hiſtoria celebri confirmo, & illuſtro.

Abiecto propter improbitatem Saule, præcepit Deus Samueli, vt de filijs Iſai Regē eligeret Iſraëlitico imperio ſucceſſorem. Quid ille? Domum adijt Iſai, omnes ipſius filios iubet accerſiri: Adeſt primò natu maior, procero corpore, oris elegantia & venuſtate ſpectandus, Eliab ipſe dicebatur; inſpecta adoleſcentis pulchritudine illectus pariter & deceptus Samuel, vt credidit Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. c. 2 illum (Clemens Alexand.) deſtinauit in Regem. Falleris, ò Samuel, non magna in magno corpore regnat virtus, non ſemper exornat ſanctitas, quos venuſtat ſpecies. Ab oris pulchritudine, corporiſque proceritate oculos auerte, animum introſpice. Mentis deceptio eſt corporis ſpecies ijs, qui latentem animum non intuentur. Ita eum Reg. 1. cap. 16. Diuinum oraculum admonuit. (1. Reg. c. 16. n. 7) *Ne reſpicias vultum eius; Neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis Ego iudico: homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autē intuetur cor.* Quanto ſatiùs fuiſſet Eliabo, ſi, quod gentilis optabat corpore deformis, animo pulcher eſſet, paruitate potiùs contemptibilis, quàm proceritate ſpectandus; quia fortaſſe imperio dignus haberetur. Longè fælicior Pauli ſors, & mihi magis inuidenda, quem quantò viliorem paruitas corporis oſtendit, tantò ſublimiorem virtutum celſitudo manifeſtat. Qua propter illud Eccleſiaſt. ex c. 11. citatum iuxta Syriacam verſionem, ita replico: (Eccleſiaſt cap. 11.) *Ne contumelia afficias hominem, qui vilis eſt in aſpectu ſuo, quia contemptibilis eſt in auibus apis, & ſuperior bonitate cæterorum fructuum eſt fructus eius*. In idem pene recidit illud Tygurinæ. *Parua quidem inter volucres apis eſt, ed fructus eius eſt origo dulcium*. Nec contenta ſolū in animātibus natu-

Digitized by Google

natura paruitatem virtute compenſauit: erga homines eodem vſa eſt artificio, ſtatura puſillos magnarum virtutum dotibus inſigniuit; diuinaque accedēte gratia, eò celſitudinis peruenerunt vt anthonomaſticè magni, & inter magnos maximi iure optimo dici mererentur. Paulum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Gregorium Nazianzenum, breuis ſtaturæ fuiſſe, probat Cornelius ad cap. 4. Zachar. num. 50. Seraphicum addo Franciſum, D. Paulo in corpore menſuratum. Antoninus etiam, vt nomen ipſum præfert, puſillus erat, etenim propter paruitatem Antonium dicere noluerunt. Innumeros prætereo Eccleſiæ Doctores, qui velut apes paruitate corporis inſignes, eandem Eccleſiam ſuarum virtutum magnitudine, & ſplendore illuſtrarunt.

Pulchritudinem non reprobo, quæ ex apta membrorum compoſitione & figura ſimul cum ſuauitate coloris efflorescit. Nec item proceram corporis ſtaturā; quam venuſtaſ elegātia deteſtor. Licèt enim pulchritudo ſit temporis ludibrium, & fragile bonū, vt dixit Poeta.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos.
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Quinimo fallacem, & inanem Prouerbiorum 31. ſacra dicit Scriptura. Multorum tamen virorum & fœminarum decorem, elegantiam & venuſtatem commendat. Nec immeritò, quoniam vt dixit eleganter Tertullianus. *Pulchritudo eſt vrbana veſtis animæ.* Sępiuſque addit Ambroſius; *Species corporis figura eſt probitatis, & natura magnis mentibus pulchra corporum domicilia metata eſt.* Vnde non rarò naturale pulchritudinis corporeæ donum nonnullis Deus concedit, vt ſit latentis animæ pulchritudinis indicium: qualem Deiparæ Virgini conceſſam inficiandum non eſt. In qua etiam mirum in modum Ioſeph Spōſus excelluit alteri Ioſepho ſimilis, qui ſacræ Scripturæ teſtimonio decorus aſpectu perhibetur. Fuit autem Ioſeph, vt ſcripſit Gerſon in ſua Ioſephina, Chriſto ſimilis, vt eius filius videri poſſet.

Tertull.

D. Ambr.

Cæterùm hoc pulchritudinis donatiuum, vt prudenter aduertit D. Auguſtinus, lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 22. non ſolùm Matri, & Sponſo, alijſque amicis & iuſtis, ſed etiam malis, & peccatoribus Deus propediem elargitur, & non rarò iuſtis denegat; ne magnum hoc bonū ipſis videatur, alioſque contemnant, quos ſtatura puſillos, vultu parum ſpecioſos, & inſtar apum corpore breuiſſimos inſpexerint: quia vt ex Eccleſiaſtico nuper dicebamus. *Ne contumelia afficias hominem, qui vilis eſt in aſpectu ſuo; quia contemptibilis eſt in auibus apis,* Eccleſ. 11

D. Aug.

& ſuperior bonitate cæterorum fructuum eſt fructus eius. Et multoties ſub ea paruitate, & corporis deformitate pulcherrima virtutis effigies delitescit. Vnde ſi lynceis oculis homines vterentur, & eorum viſus obſtantia penetraret, ſub abiecta deſpicabilique figura, formoſiſsimā internæ virtutis imaginem introſpicerent.

Salubre igitur erit inſpecta apum Eccleſiæ paruitate, ad earum imitationem, & magiſterium vitæ noſtræ rationem inſtituere. Sed quid ab apibus edocemur? Tria potiſsimum, ait Varro lib.3. de re ruſtica, cap.16. *Ab his opus facere diſcunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere, tria enim harum cibus, domus, opus; neque idem quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus.* Quàm adamuſſim gentium Doctor Paulus, vt poſtea videbimus, veluti Eccleſiæ apis ab apibus didicit ſuauiſsimum ſapientiæ mel conficere; vitæque Euangelicæ documenta, cæleſti dulcedine eliquata, fidelium animis inſtillare. Neque id feciſſe contentus ex doctrinæ fauis ceram expreſſit, hoc eſt, prædicationi lucem addidit. Non enim in tenebris iacuit Pauli ſapientia, quippequæ non ſolùm de melle cæleſti mellea, ſed de Dei lumine fuit luminoſa: quod de Scripturarū doctrina dixit Auguſtinus. Vnde toto Orbe non cereæ facis inſtar, ſed fulgentiſsimus veluti Sol irradiauit; ſicque mellifluus ipſe, & ſplendore coruſcans, iactis magnarum virtutū fundamentis, in cæleſti Hieruſalem, vbi iam animo morabatur, domum extruxit, & alios ad ſimilem ſubſtructionem ſuo erudiuit magiſterio, & prouocauit exemplo.

§. QVARTVM.

Nominis mutatio Sauli in Paulum, eandem apis paruitatem oſtendit.

NOn ineptè cecinit olim ille alius, quod in D.Paulo manifeſtam continet veritatem. *Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis.*

Nam cùm antea Saulus diceretur, Paulus poſtea, hoc eſt, paruulus appellatur: vt nominis diminutio corporis puſillitati conueniret, & ſubinde mentis humilitatem præſeferret. Nam vt Diuus Auguſtinus ſerm.42.de Sanct. adnotauit. *Illa nominis permutatio perinde fuit, ac ſi nomen ſuperbi in humilem, ſeu minimum tranſmutaret: de Saulo Paulus, hoc eſt, de ſuperbo minimus. Vnde nomen ſuum quodammodo interpretatus, ait; ego ſum minimus Apoſtolorum.* Nec alia de cauſa, vt ſcripſit idem Auguſtinus lib.de ſpiritu & lit. c.7.in 3.tom. hanc nominis mutationē D. Paulus elegit, niſi vt toties quoties S.Aug.

erat,

erat, corpore, nomine, & quod magis eſt animo humilitatem prædicaret; elatoſque, & ſuperbientes damnaret, qui vanis aſsũptis nominibus, & corporum, & animorum magnitudinem mentiuntur.

D. August. *Paulus cùm Saulus priùs vocaretur; non ob aliud, quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, niſi vt ſe oſtenderet paruum tanquam minimum Apoſtolorum: multum contra ſuperbos, & arrogantes, & de ſuis operibus præſumentes pro commendãda Dei gratia fortiter, atque acriter dimicãs.* Hæc Auguſtinus.

D. verò Bernardus ſerm. 2. de conuerſ. S. Pauli hanc ſuperbi nominis mutationem in aliud humile & abiectum, in ipſo ſtatim conuerſionis momento, factam atteſtatur: vnde de ipſomet conuerſionis die locutus hęc ſcripſit:

D. Bern. *Conciſus eſt hodie Paulus: imò Saulus conuerſus, verſus eſt in Paulum; ſiquidem factus eſt tanquam Euangelicus ille paruulus, de quo Dominus ait Matth. 18. Niſi cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruulus, &c.* Hæc Bernardus. Nec abludit in Enchiridio Prudẽtius vbi ita cecinit.

Prudent. *Hic lupus ante rapax, veſtitur vellere molli:*
Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus.
Mox recipit viſum, fit Apoſtolus, ac populorum
Doctor, & ore potens coruos mutare columbis.

Affulgente cæli luce ex equo præcipitatur, ſi fortè eques tunc incedebat: equitabundũ fors dixi, quia cõmuniter ſcribentiũ calamo, & pictorũ penicillo reſupino deiectus equo effigiatur. Verùm quemadmodum cecinit Lyricus.

------ *Pictoribus atque Poetis*
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Vnde ſicut pictori licuit equitantem depingere; ſic etiam vati (quiſquis ille fuerit) picturæ licentiam redarguere licuit.

Mentitur pictor, Paulum qui pingit equeſtrem.
Cùm clarè conſtet, quod fuit ille pedes.

Cæterùm firmiùs quàm poetæ licentia pedeſtre Pauli iter extitiſſe ſtatuamus: nã equorum vſus ad itinerandum Gentilium proprior erat, quàm Iudæorum; hinc eſt illud Baſilij, ad illa verba Pſalmographi. *Fallax equus ad ſalutem.* Pſalm. 32. *Excluſus eſt,* inquit, *ab vſu ſanctorũ equus; neque Iſrael in obeundis bellis quantumuis proſperè ſe geſſerit, videtur vſus aliquando equeſtri comitatu, nec ſanctorum aliquis priuatim equo vti exiſtimauit. Pharao equeſtri vſus exercitu, & Senacherib ſuperbus equorum multitudine narratur: Et lex per Moyſem promulgata, hæc de Regibus ſancit. Non multiplicabis tibi equum.* Et D. Hieronym. in illud Pſal. 75. *Dormitauerunt, qui aſcenderunt equos.* D. Hier. *Præceptum,* inquit, *eſt in le-*

lege, vt Hebræus nõ habeat equos. Cùm autem Paulus profeſsione Phariſæus & ſupra modum paternarum traditionũ obſeruator exiſteret, nullatenus equitem inceſsiſſe credendum eſt; etſi Damaſcus ſeptem itineribus ab Hieroſolymis diſtaret. Præterquàm quòd ſacer Hiſtoricus nullam equi mẽtionem fecit; cùm tamen miraculi magnitudinem non parum amplificabat, quod equitantem præcipitaret, nec tamen feriret, aut occideret. Iuerit autem eques vt calamus, & penicillus oſtentat; vel pedes, vt Vates contendit, & forſan ratio perſuadet. Illud certum eſt quòd vbi primum terram contigit, & puluere fuit conſperſus, dictu mirum, ad terræ pulueriſque contactum, in terram corruens, ab altitudine cordis etiam deijcitur, elatique & ſuperbi nomen Sauli, in Paulum, hoc eſt, humilem immutauit. Vnde antequàm conuerteretur, vel in ipſo cõuerſionis tempore, apis ſimilitudinem expreſsit. Nonne apes ſub vno Rege in turmas, & cuneos diſtributæ ſæpe numero ad certamina concurrunt; ſicque ordinatè procedunt: vt non animalcula certatura, ſed confertiſsimas hominum acies inire præliũ exiſtimes. Vnde Virgil. 4. Georg. pugnaturi examinis ordinem, ſtationes, munia, Duces, & reliqua militaris diſciplinæ documenta adamuſſim obſeruata conſiderãs, quaſi non apes, ſed homines prælium inituros depingeret, ita cecinit:

Magnanimoſque duces, totiuſque *Virgil.*
ex ordine gentis,
Mores, & ſtudia, & populos, &
prælia dicam.

Vbi videre eſt, vt ſe bombo tanquam claſsico ad bellum prouocent, vt ſtimulos acuant, vt ordines teneant, vt hoſtem laceſſant, vt ruant in plagas, vt aculeos infigant, vt inuolent, vt reuolent, vt fremant, vt ſterpant, vt totus in anguſtiis militibus deſæuiat Mauors. Sed quid remedij, vt tam pertinax concertatio dirimatur? vt tam conferta pugna tranquilletur? Optimè Mantuanus quarto Georg.

Hi motus animorum, atque hæc *Virgil.*
certamina tanta,
Pulueris exigui iactu compreſſa
quieſcunt.

En Pauli ſimulacrum: Non vna tantum apis ille, ſed integrũ examen apum, ſeu agmem videbatur, aculeatus ruebat in præliũ, fremebat elatus, Chriſtianis internectionem, & exitium minabatur: epiſtolas Principum deferebat; vt collecto milite profligaret, quos præ furore, & inſania ardebat, extinguere: *Saulus adhuc,* *Act. 9.* & minimè Paulus, vt fortè innuit Euangeliſta; & aduertit D. Chryſoſtomus homil. de ferend. reprehenſ. ſeu de conuerſ. Pauli, & homil. 9. de laudibus eiuſdẽ. *Adhuc,* *D. Chryſ.* inquit, *ferocientem, adhuc inſanientem, adhuc in vigore furoris*

exi-

exiſtentem adhuc cæde feruentẽ attraxit Chriſtus; non expectans, vt expleret furorem, vt oſtenderet morbum, vt extingueret flammas affectionum, & fatigatus debacchando manſueſceret, & tunc tandem eum traheret: ſed dum vigeret furor ipſum cepit, vt oſtẽderet potentiam ſuam; vincens, & ſuperans perſecutorem in media inſania. Hactenus ille.

Pulcherrimum ſanè genus victoriæ. Sed quo pacto acciderit videamus, qua arte Dominus ferocientem, & indomitum cicurauit, ex ſuperbo conuertit in humilem, atque ex aculeata ape ſic in plagas fidelium exerto aculeo inuolante, vt integrum referret examen, in manſuetam apem immutauit, & aculeo expertẽ: qua-
Senec. l. lem eſſe apumRegem dixit Senec. lib. 1. de clementia cap. 19. Vel
Baſilius. ſi, vt placet Baſilio homil. 8. in Examerón aculeum habet, nuſquam illum exerit ad vulneran-
Act. 9. dum. *Cum iter faceret* (ait ſacer hiſtoricus) *contigit vt appropinquaret Damaſco, & cadens in terram, &c.* Elatione tumidus ferocitate metuẽdus, aculeo obarmatus, in chriſtianorum ruebat interitum: ſed pulueris iniectu cadens in terram: protinus furorem poſuit, tumorem deiecit animum cædes fidelium ſpirantem trãquillauit, & confeſtim ex Saulo mutatur in Paulum, fælicemque nominis mutationem, motum, affectuum, & animi mutatio fuit cõſecuta. Quod D. Ambroſ. ſer. 31.
Romanæ editionis agnouit. *Erat* D. Ambr.
blaſphemus, perſecutor, & Saulus: at vbi pluuia ſuper eum lauacri cæleſtis influxit, necatur blaſphemus perſecutor necatur & Saulus, viuificatur Apoſtolus, viuificatur & Paulus; vſque adeo autem perdidit veterẽ cum actibus hominem, vt cum moribus mutaret & nomen. Hæc ille. Eandem nominis morumque mutationem, D. Damaſus his carminibus celebrauit.

Mutatus poſtquàm placuit de nomine Paulus. Damaſ.
Mira fides rerum, ſubito trans æthera vectus.
Noſcere promeruit, proſint quid præmia vitæ.

O rerum mutationem admirandam! quem antea fideles, vt apẽ aculeatam, præferocem, aculeum in plagas exerentem formidabãt, modo cicurẽ manſuetum, humilem amplectuntur. Iam non minitatur ſtimulos, non deſæuit in cædes, ſed fauos conſtruit, & mellis ſuauitatem inſtillat. Tantùm pulueris exigui iactus potuit im-
mutare. *Cadens in terram*, ibi Act. 9.
elationem perdidit, furorem amiſit, cicur & manſuetus euaſit, Rex apum ſine aculeo, vt in Euangelicæ doctrinæ mellificio ſedulus laboraret.

Neque abs re erit expendere, quo temporis momento huius apis volatum deiecerit; *Cum iter faceret.* Puta quando epiſtolis arma-

ma-

Digitized by Google

matus furore percitus, iracundia excandeſcens Chriſtianorum ſanguinem ſitiebat. Quid tunc? *Cōtigit vt appropinquaret Damaſco.* Act. 9. Quid mirùm vt eueniret Damaſcū accedere; Nonne Hieroſolymis egreſſus illuc pergebat, vt inde Chriſtianos vinctos educeret. Vbinam igitur eſt aduentus iſtius admiratio? vt propterea dixerit Luc. *Cōtigit, vt appropinquaret Damaſco*, ibid. Credo, quia cum Saulus priſtinum adhuc retinebat ingenium, nondum furorem, tumiditatem, & aculeum ad vulnerandum depoſuerat: quod, interprete D. Chryſoſtom. ſonant illa verba: *Saulus adhuc*: idcirco notatu dignum, & miraculo ſimillimū fuiſſe, quod furens; immaniterque in Dei ſeruos deſæuiens Damaſco appropinquaret; nec Deus omnipotens fulmine ad inferos currentem adigeret, aut terra dehiſcēte Hieroſolymis egreſſus ſorberetur. Quinimò ſeptem itineribus perdendi animo properantem ſuſtinuit, quouſque Damaſco fieret vicinus; *Contigit vt appropinquaret Damaſco*; vbi diſtrictus imminebat accuſator, ſanguis nimirum Abel, quem Saluator noſter ipſi fuerat minitatus, cùm apud Matth. 23. dixerat: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes & Scribas, & ex illis occidetis, & flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de Ciuitate in Ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, à ſanguine iuſti Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ.* Quo in loco iuxta litteram, de perſecutione, ac ſeditione quam aduerſus Chriſtianos Saulus excitauerat, locutus videtur: Cùm ille aculeum exerens chriſtianos acriter vulnerabat. Et quidem D. Hieronymus aſpectu S. Stephani verba illa, *Et Scribas*, adhibita fuiſſe arbitratur: Quoniā Paulus adhuc Saulus Iudæorum animos commouit, vt ipſum lapidibus obruerent. Hinc, vt D. Auguſt. ſerm. 4. de S. Stephano aduertit, ſucceſſu lætabundus, omnium manibus reputandus eſt lapidaſſe. *Qui*, inquit, *cum ſanctus Stephanus lapidaretur, omnium veſtimenta ſeruabat, & tanquam manibus omnium lapidabat.* Quinimò & Saulus, Actor. 22. verſ. 20. id ingenuè fatetur. *Et cum*, ait, *ſunderetur ſanguis Stephani teſtis ſui, & ego adſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum*: Stephanus, & Paulus fratrueles erant, & ſub eodem Gamalielis diſciplinatu educati, vt Oecumenius enarrat, vnde flamma tanto vehementior exarſit æmulationis, & fraterni odij maius incendium; quod non obſcurè indicat verbum illud, *Conſentiebam*, pro quo, interprete Lorino ad hunc locum, legendum eſt, *Complacens* quaſi diceret ſe non ſolùm Stephano lapidando operas adhibuiſſe, ſed

D. Hier.

D. Aug.

Act. 22. verſ. 20.

etiam

etiam ſibi nimium complacuiſſe, quòd aduerſus martyrem eam perſecutionem excitauerit, ſi Diuo Hieronymo fides eſt adhibenda. Et quidem adeo peruulgatum erat apud fideles, perſecutionem illam à Saulo profectam, vt etiam poſtquàm fuerat immutatus, cùm Petrum inuiſendi gratia quæreret, valde extimuit, & tamen iam perſecutor eſſe deſierat, & de Saulo perſecutore, in Paulum tranſierat Chriſti præconem. Vnde Auguſtin. ſerm. 25. de Sanctis, Petrum timoris ſecurum reddens
August. ſic alloquitur. *Noli timere beate Petre, quia Saulus non te quærit, ſed Paulus vas electionis te cupit videre. O beate Petre, quia conuerſus eſt Saulus miraris, qualis es tu, erit & ipſe talis, & vnus vobis erit natalis, qui fecit ex Saulo Paulum, ipſe fecit ex Simone Petrum.* Hæc ille. Cæterùm Petrus, nuſquam hoſtis inuenitur, nec prompſit aculeum, vt Eccleſiã perſequeretur, ſicuti Saulum feciſſe deprehendimus; vt in præſenti cernere eſt, cùm obtentis à Pontifice epiſtolis Damaſcum proficiſcebatur, vt Chriſtianos inde extraheret, vinctoſque in Hie-
Act. 9. num. 2. roſolymam deportaret. *Petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres vinctos perduceret in Hieruſalem.* Et cùm immani feritate deſæuiret in Chriſtianos,
Gloſſ. Interlineal. iam ex vicinis locis, vt ibi Gloſſa Interlinealis appinxit, multos cõprehenderat, ligatoſque tranſmiſerat in Hieruſalem. Cur ergo Dominus diſſimulat, & Damaſcũ attingere permittit? *Contigit vt appropinquaret Damaſco:* Quo Act. 9. num. 3.
in loco ſanguis Abel adhuc ebulliens edito veluti clamore tam immanis ſæuitiæ ſupplicium poſtulabat. Quod Saluatoris noſtri ſententia apud 23. Matthæi fuerat pronunciatum. Et quidem Matt. 23.
apud Damaſcum Abel occiſum fuiſſe à Caimo, & terram eo in loco occiſi ſanguinem ſuſcepiſſe memoratur. *Quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem Abel.* Gene. 4. num. 11.
neſ. 4 verſ. 11. quam ob cauſam, teſte D. Hieronymo ad c. 7. Ezechiel, Damaſci nomen vrbi poſtea datum, quod idem, ac *bibens ſanguinem*, ſignificat; eo quòd morientis ibi Abel ſanguinem hauſerat. D. Hier.

Cùm igitur Dominus Ieſus Saulo minitatus fuerit ſanguinem Abel. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt à ſanguine Abel iuſti.* de induſtria Saulum Damaſco proximum fieri permiſit, ac in eum deduxit locũ, in quo Abel ſanguis vitæ Sauli tortor, ipſiuſque crudelitatis accuſator efferuebat; atque apud diuinæ iuſtitiæ tribunal efferatæ inſolentiæ vindictam proclamabat. Matt. 23. num. 35.
Contigit vt appropinquaret Damaſco: Mirum dictu, & hac in hiſtoria valde memorandum. Cæterum, inquit Auguſtinus fælicem ego Saulum exiſtimo, quoniam Act. 9. 3.

vbi

vbi ſanguis Abel vltionem poſtulabat, Stephani ſanguis veniam precabatur. Ille ſupplicium de ſuperbo, & hoſte ad Dei tribunal exigebat, vt relicto Sauli nomine punitus ad malorum ſtatueretur exemplum. Iſte orationis auxilio, quam Chriſto inſpectante habuerat, *Et Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei*, ſe vidiſſe teſtatur, à quo pro inimicis orare didicerat, nomen Sauli in Paulum, ſuperbi in humilem, perſecutorē in prædicatorem mutari flagitabat. Mira contentio, hinc vltio, inde venia poſtulatur: anceps potuit apparere victoria, quoniam apud Deum plurimum valebant ij, qui in oratione certabant, vicit tamen Stephanus. Quid ni? apud clementiſsimum Dominum plus impetraret veniam rogans, quàm qui de hoſte pœnas exigebat. Itaque ſanguis Stephani palmam tulit, quem lex gratiæ ignara vindictæ effuſum inſpexit, & facta pro inimicis oratio plurimum adiuuit. Vnde Auguſtinus ſerm. 4. de Sanctis, ad illa verba Actor. 9. *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris*, Eiuſdem Saluatoris nomine Saulum ſic alloquitur. *Quare te erigis contra me malo tuo? Sed contra tanta mala, quæ committis in me, olim quidem debui perdere te (nec tandiu vſque in præſens tempus expectare) ſed Stephanus meus orauit pro te. Eliſus eſt ſæuiens, erectus eſt credens; Eliſus eſt lupus, erectus eſt agnus. Eliſus eſt perſecutor, erectus eſt prædicator. Dicam planiùs dicā apertiùs* (proſequitur idem Auguſtinus) *eliſus eſt filius perditionis, erectus eſt vas electionis; eliſus eſt Saulus, erectus eſt Paulus.* Sed quænam tam admirandæ repentinæq. mutationis cauſa fuit? Cur Dei punientis vindictam non ſenſit, pro qua iuſti ſanguis identidem proclamabat, ſed potiùs clementer recipitur, & mirabiliter immutatur, vt Eccleſia Paulū prædicatorem haberet, & magiſtrum, quæ antea Saulum perſequutorem doluerat, & inimicū: Totum oranti Stephano tribuendum cenſuit eodem loco D. Aug. *Nam ſi*, inquit, *Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulū non haberet, ſed ideo de terra erectus eſt Paulus; quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.* Hæc ille. Dum verò Saulus ad terram deijcitur, & inſtar apis (parum eſt integrum referebat examen) iniecto puluere tranquillatur; nō parum profuit terra, quam tetigerat cadens; & in qua Stephanum pro venia oratorem, & Abelis victorem obtinuit: vnde licet Dei miſericordia ſuper omnia ipſius opera ſemper efferatur, ne tamen queri poſſet iuſtitia, quod innocentem relinqueret inauditum: poſtquam Saulus, nominis & animi mutationem ſubijt, ſub Paulo pœnas ſuſtinet, qui in Saulo veniam promeruit. Do Auguſtinum ſerm. 25. de Sanct. *Patitur*

Margin notes: Act. 7. num. 55. — Actor. 9. — D. Aug. — D. Aug.

Pau-

Paulus, quod fecerat Saulus: Paulus lapidatus eſt, Saulus Chriſtianos virgis affecit: Paulus pro Chriſto quinquies quadragenas vna minus accepit: Saulus perſecutus eſt Eccleſiam Dei; Paulus ſubmiſſus eſt in ſporta; Saulus vinxit, Paulus vinctus eſt. Et dum Saulus ſæuiens quærit minuere numerum Chriſtianorum, & ipſe acceſſit ad numerum Confeſſorum. Hactenus ille. At tu vide qua ratione ſic veniam fuit aſſecutus, vt etiam iuſtitiæ ſatisfaceret; ac dum Stephani ſanguis miſericordiam precatus auditur, ſanguis Abel vltionem exigens poſtulatis non omnino fraudatur. Cecidit itaque ſuperbus, & humilis erigitur, Eccleſiæ fit apis gemina corporis, & nominis breuitate commendabilis.

§. QVINTVM.

D. Pauli humilitas ſeu animi paruitas, corporis, & nominis paruitatem exornauit.

HActenus, D. Paulum & corpore & nomine paruum inſpeximus; iam quanta fuerit ipſius animi paruitas ſeu humilitas videamus. Ita enim paruum ſe ac humilem æſtimabat; vt Coapoſtoli Petri, & apis Eccleſiæ æmulator eximius, ſublimia, & magna contegeret, abiectaque & parum decora gloriabũdus eſſerret. Ne dubita, epiſtolas eius diligenter euolue, millieſque ſe inſipientem & ſtultum nominaſſe reperies, vt prudenter aduertit Chryſoſtom. homil. 23. in epiſtolã ſecundam ad Corinth. cap. 11. D. Chryſ. Quin etiã epiſtola 1. ad Corinth. cap. 15. num. 9. minimum Apoſtolorum, eoque nomine indignum, qui vocetur, & Eccleſiæ perſecutorem ſe dicere non erubeſcit. Quid? in epiſt. ad Epheſ. 3. nu. 8. inter fideles ſe minimum reputat. Et quod magis mirere 1. ad Timoth. 1. num. 13. & 15. blaſphemũ; contumelioſum, incredulũ & peccatorum omnium primum ſponte ſe ipſum pronunciat, milleque opprobria & calumnias ſibi paſſim inurit. Quapropter dixit egregiè loco citato D. Chryſoſtomus. *Talis eſt hic ſanctus noſter,* D. Chryſ. *peccata ſua vel nemine impellente perpetuò verſat, excantatque in omnibus epiſtolis, ſe notatione atra deſcribens, palamque faciens, non ſolùm eius ætatis hominibus, ſed etiam omnibus poſteris. Præconia vel vrgente neceſſitate grauatur, vel potiùs refugit enarrare.* Hactenus ille.

Cæterùm nullibi Pauli humilitas illuſtrior apparet, nec magnificentiùs triumphat, quàm dum ipſe 2. Corinth. 11. nu. 23. quoſdam Pſeudoapoſtolos quodammodo redarguens, in hæc verba, 2. Cor. 11. num. 23. non iactabundus, ſed ſupra humanam fidem humilis, & verecundus erupit. *Miniſtri Chriſti ſunt*

vt

D.Chryſ. (*vt minus ſapiens dico*) *plus ego.* Admirabilis eſt hoc loco D.Chryſoſtomi lectio, & homil. 11. in Geneſ. ſic enim vertit. *vt delirãs dico, plus ego.* Sed quis emuncti licet iudicij Paulum hic delirantẽ aſſequetur? An quia alijs ſe prætuliſſe nõ erubuit,& delirij quoddam genus ſit aliorum gloriam velle ſupprimere, atque eos prædicandi miniſterio anteuertere? Verùm hi de quibus agitur, teſte D.Chryſ. Chryſoſtomo veri non erant Apoſtoli,ſed præſtigiatores mendacijs & deceptionibus dediti; quique mentita Apoſtolorum figura ſanctitatis opinionem venabantur;vt ex eodem cap. epiſt. ad Corinth. num. 13. apertè colligitur. Quid ergo delirij eſt? vt verus Dei Miniſter Paulus,electionis vas,Pſeudoapoſtolis, impoſtoribus, & lucro potiùs,quàm Chriſti miniſterio ſeruientibus ſe præferat. Non ego hic delirium agnoſco. Sed cùm Paulum audio dicentem. *Vt delirans dico, plus ego* Magnũ humilitatis ſuſpicor artificium. Nec fallor, facem mihi præfert D.Chryſoſtomus hom. 25 adeum locum, vbi hæc: *Licèt manifeſta haberet eminentiæ ſuæ argumenta: attamen inſipentiam etiam ſic rem vocat quamuis cùm Pſeudoapoſtoli eſſent, non opus erat hac excellentiæ comparatione; poterat enim ſimpliciter negare illos eſſe miniſtros.* Hæc ille. Quaſi diceret: hinc D. Paulum veritas: inde premebat humilitas: illa nihil indignum ſuadebat, vt ſe falſis miniſtris ſuperiorem fateretur. Hæc veritatem cum humilitatis diſpendio non proferendam hortabatur: ſacrum inter ſaxumque poſitus confugit ad delirium; idcirco ait: *Vt delirans dico, plus ego.*

Illud tamen hìc mihi videtur admirandum, quòd nec miraculis, ac prodigijs doctrinaque & ſapientia, quod iure optimo poſſet, his Pſeudoapoſtolis ſuperiorem, ſed, *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs,in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter;* Verè & humiliter ſe ipſum deprædicet, quod Theodoret. prudenter adnotauit. *Dicit*, inquit, *quanam ratione eos antecellat, non adducens in mediũ miracula, nec & mortuos, qui reſurrexerunt, nec Dæmones, qui fugati ſunt: nec ea quæ vniuerſo Orbi allata eſt ſalutem; ſed ea quæ pro Euangelio perpeſſus eſt.* Et verò mentis humanæ captum excedit, admirandumque & inauditum videtur humilitatis & propriæ abiectionis artificium; quinimò & prodigium valde inſolitum; vt proprerea ſe delirantem Paulus fateatur. *Vt delirans dico, plus ego.* Quia falſis & deceptoribus Euangelij miniſtris nõ prodigijs cæleſtibus; ſed laboribus, & ærumnarum tolerantia præcellere, veritate ipſa cogente,prædicauerit.

2.Cor.11 num.23.

Theodor.

Eandem Pauli humilitatem alio

alio nec minus venuſto ſchemate exorno . Raptum memorabilem vſque ad tertium cælum, factas ſibi in eo reuelationes,cogente neceſsitate , Paulus in 2. Corinth. cap.12. à nu.1. hunc in modum enarrat . *Veniam ad viſiones, & reuelationes Domini : ſcio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim ,ſiue in corpore neſcio , ſiue extra corpus neſcio,Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum, & ſcio huiuſmodi hominem,ſiue in corpore,ſiue extra corpus, neſcio,Deus ſcit ; quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba , quæ non licet homini loqui* . Hæc ibi Apoſtolus, quæ ſera æſtimatione ſi perpendas, non Apoſtolicæ magnitudinis elogium , ſed extremæ abiectionis præconium reperies. Omnia ſingillatim verſo , ſicut à multis factum accepi . *Veniam*, inquit , *ad viſiones & reuelationes Domini* : Cur non potiùs dixit meas : Nam eodem capite de laboribus,& infirmitatibus locutus eodem vſus eſt poſſeſſiuo, *Gloriabor in infirmitatibus meis* ; vetuit hoc humilitas,quę magna& ſublimia Deo , humilia verò & abiecta ſibi adſcribere ſuadebat . Ita placuit D.Hieronymo,cuius eſt illud in hoc loco : *Sibi infirmitates , Domino viſiones adſcribit* . Vlteriùs proſequor : *Veniam* , ait, *ad viſiones , & reuelationes* . Quis hæc audiens multitudine viſionũ obrui non ſperaret, atque earum numeratione pluſquam mille paginas impleri non ſuſpicaretur ? Et tamen vnam retuliſſe contentus,calamũ quaſi pœnitens,& pudibundus retraxit. Pulchra mihi videtur D. Chryſoſtomi adnotatio . *Magna certè hæc reuelatio eſt; nec tamen hæc ſola fuit , ſed aliæ complures:verùm ipſe vnam è multis ponit . Nam quod multa eſſent , audi quid dicat : ne magnitudo reuelationũ extollat me* . Ita ille . Sed cur viſiones enarrare pollicetur , & vnam tantùm producit ? Fortè quia pollicitis diues quilibet eſſe poteſt . Non ita : facillimum erat Paulo Eccleſiæ api fidem polliciti exoluere : verumtamen obſtabat paruitas , & retardabat humilitas , quæ nec vnam viſionem , niſi cogeret neceſsitas, euulgare pateretur.

2.Cor.12 anno 1.

D.Hier.

Cæterùm & hanc enarrãs,in humilitatis cuſtodia firmiter ſtetit , dicentem auſculta,*Scio hominem*; Cur non ſeipſum , non Paulum , ſed quaſi de alio loquutus , *Scio hominem* , dicit ; quo viſionem potiùs opprimere viſus eſt & occultare , quam in publicum edere . Si humilitatis ſtudioſus hoc præſtitit , nonne ſatiùs eſſet omnino tacuiſſe, quam talia inſinuãs in maiorem ſui admirationem audientium animos excitare?Chryſoſtomũ cum Apoſtolo quaſi expoſtulantem in medium adduco . *Si eas premere,atque occultare cupiebat , omnino nec ſignificandam quidem vllam quamlibet obſcuram*

D.Chryſ.

D.Chryſ.

Digitized by Google

ram dare. Nec quidquam huiuſmodi dicere debebat? Sin autem dicere in animum inducebat, faciendum ipſi erat, vt aperte eas dilucidèque exponeret. Quid igitur afferri poteſt? Quamobrem nec perſpicuè eas expoſuit, nec omnino reticuerit? Hæc ex aureo Chryſoſtomi ore, cuius aurea eſt, & præclara reſponſio. *Ideo*, inquit, *factum eſt, vt hinc quoque oſtendat inuitum ſe ac repugnantem ad id accedere.*

Et certè proferendi neceſſitas & occultandi ſtudium in pectore Pauli decertabant. Veritas palàm fieri, quidquid in viſionibus contigerat, & humilitas omnino tegere conabatur. Verùm ſicut alibi omnibus omnia factus, ita hîc humilitatem cuſtodiuit, & veritati non defuit, vtrique deſeruiens. Sed qui Eccleſiæ apis erat, animi paruitate inſignis, plus detulit humilitati, quæ de veritate viſa eſt hoc loco triumphare. Nã obſcurè, & quaſi ænigma proponens reuelationem patefecit. Sed quo tempore id prȩſtiterit attende, *Ante annos quatuordecim*. O ſilentium diuturnum, ſola humilitas in euulgandis cæli fauoribus tarda eſt, & moroſa; quinimo & muta, nec niſi magnis de cauſis cõpulſa, in voces, quibus ſua depromat, erumpere conſueuit. Totum à D. Chryſoſt. vbi ſupra acceptum refero. *Ob idque etiam*, ait,
D.Chryſ. *quatuordecim annorũ tempus poſuit. Neque enim fruſtra huius temporis mentionem fecit, ſed vt demonſtraret, quòd qui tot annos tacitum id tenuerat; haud quaquam id nunc enunciaſſet, niſi ſumma eum neceſſitas impuliſſet. Verùm æque tacuiſſet niſi fratres pereuntes vidiſſet.* Hæc ille. Conciſiùs tamen idem ab Ambroſio ſcriptum reperio in Pſalm. 36. *Ante annos* D.Ambr
quatuordecim reuelatũ ſibi dicit, nec dixiſſet, niſi vtile nõ iudicaſſet vt diceret: iuuenis ipſe non gloriatus eſt, ſenex gloriaretur?

Iam verò cùm teſte Mendoza Mend.
to. 3. in lib. 1. Reg. c. 12. annot. 10. ſect. 4. Apoſtolus de prima reuelatione antequàm ab incredulitate reſipiſceret ſibi facta loqueretur, quod etiam plurimi interpretes atteſtantur, pluſquàm ante annos viginti dicere potuiſſet, totidem namque, & amplius ab eo tẽpore vſque ad illud, in quo ſecundã ad Corinth. epiſt. ſcripſit, indubitanter decurrerunt. Cur ergo, *Ante annos quatuordecim*, tantũmodo dixit? Credo perſuaſum ſibi habuiſſe Apoſtolum veram Eccleſiæ apem, corporis paruitate inſignem, animiq humilitate præſtantiſsimũ, humilitatis opus, humilitate alia cõtegere. In quo Saluatoris noſtri humilitatẽ mirabiliter fuit æmulatus. Qui cùm naſci deberet ob nos natos, elegit ſtabulũ, & paleas inter & bruta animantia primam lucem aſpexit, ad eam vſque vilitatem deiectus, vt Diuinitatis ſplẽdor eclypſim quodammodo paſſus videretur. Illud

ta-

tamen vigilanter adnotandum, quod totũ hoc Dei ab æterno eligentis decreto fuerat ſtatutum:& tamen verus humilitatis Magiſter Euangeliſtæ calamum ita flexit;vt quod ab extremæ deiectionis ſtudioſa electione prouenerat,neceſ-
Luc.2.7. ſitati adſcriberet,dicens: *Quia nõ erat eis locus in diuerſorio*. Solus qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo potuit ad hanc humilitatis abyſſum deſcendere: ſola Dei ſapientia magnitudinem ſuam naſcendi humilitate contegere, & humilitatem neceſsitatis velo occultare potuiſſet. Huius humilitatis magiſterium ſecutus Apoſtolus reuelationem viginti, & amplius annos humili ſilentio compreſſit. Et tamen quatuordecim occultatã tenuiſſe confitetur. O extremum ſeſe deijciẽtis ſtudiũ! Non equidẽ videtur humana mẽs vlterius ad ſui dimiſſionem tendere potuiſſe, quàm vt humilitatẽ humilitate dimiſsioniſque affectũ alio affectu omniũ oculis, & exiſtimationi ſubtraheret.

Verùm neque hìc ſtetit humilitatis pondus,adhuc ad ima feſtinat deſcendere. Audi quid addat. *Raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum*. Vide quod raptum ſe dicit, non ductum, quod etiam ex humilitate factũ ne dubita: raptum namque illum nullo modo ſibi, ſed Deo tribuendum affectabat: qui enim ducitur,aliquo modo ducenti cooperatur; non ita qui trahitur, & violenter rapitur. Non effugit hoc D. Bernardi acumen,quærit ipſe: *Quare raptum, & non potiùs ductum?* Reſpõdet acutè, vt aſſolet: *Raptum ſe dicit fuiſſe quò nec doctus ſciuit,nec ductus potuit peruenire,ne qui procul dubio minor ſum Paulo ad tertiũ cælũ nulla mea virtute, nullo meo labore peruenire poſſe præſumam*. Hæc ille. Bernard. de grad. humil.

Nec minùs admirandũ quod veluti colophonẽ vltimo appoſuit. *Audiuit arcana verba*. Quiſnam iſte fuit auditor?Nonne idem ipſe qui reuelationem ſcribis,ò Paule. Quare igitur quaſi de alio locutus dicis. *Audiuit arcana verba*, & non potiùs, audiui, cũ ipſe auditor extiteris. Quia reor,ſuadebat humilitas,vt nõ ipſe,ſed alius tam magnificæ reuelationis arbiter crederetur. Nec mihi ſed Ambroſio ſuperius citato fides adhibenda. *Non dixit,audiui,ſed quod alter audierit non negauit. Verecundè itaque teſtem ſe maluit ſignificare,quam Vatem,& refugit videri cæleſtium arbiter ſecretorũ.* D.Ambr. Ita ibi. Nec prætereũda D.Chryſoſtomi adnotatio homil.26. vbi aduertit,Apoſtolum de raptu locutum pariter dixiſſe,*ſcio hominẽ:* D. chryſ. Quaſi de tertio loqueretur:Et tamen dum ærumnas,infirmitatesq. recẽſeret,in propria perſona,quaſi gloriabundum in ea verba prorupiſſe. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*,quas expreſsè manifeſtabat. At verò raptum non niſi inter nebulas oſtendit, & ait:

Pro huiuſmodi gloriabor. Ex quo arguit optime D. Chryſoſtomus. *Quid ita? ſi enim alius raptus eſt, quid tu gloriaris?* Cæterùm ſicut inter humilitatis encomia referẽdũ quod reuelationes ſilẽtio preſſerit, nec niſi de ijs, quaſi de tertio loqueretur, ita etiam eiuſdem abiectionis erat ſtẽma, vt labores, infirmitates, & ærumnas palàm & vbique prædicaret, in quo humilitati ſtudebat, ea ſemper euitans, quæ elationem gignere potuiſsẽt; abiecta & parùm decora ſectatus quæ cordis ſubmiſſionem, & modeſtiam conſeruarent; idcircò nihil reliqui fecit ex his quæ videbantur abiecta, quin minutiùs & quaſi regustans memorauerit. Vide 2. ad Corinthios 11. numero 31. & 32. vbi ex muro in ſporta ſe demiſſum enarrat. *Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula ſcit quod non mentior. Damaſci præpoſitus gentis Aretæ Regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehẽderet; & per feneſtrã in ſporta dimiſſus ſum per murũ.* Hæc ille. In quibus aduerte tantumdem valere, illud, *Deus ſcit*, ac ſi iuramentũ emitteret, quod põderauit Anſelmus. *Quaſi diceret*, ait, *ſolito mihi iuramento iſtud cõfirmo, iuratio enim eſt quod dicitur, Deus ſcit.* Ad quid autem hæc iuramenti ſolemnitas? Manifeſtabat humilia de ſeipſo, carceres, vincula, opprobria detegebat, idcirco vilitati ſuæ, & abiectioni applaudens iuramenti ſolemnitatẽ adhibet: à qua tamẽ abſtinuit dum reuelationes, & Diuinos fauores recenſeret, quia hæc inuitus, nec niſi ſub ænigmate, & quaſi nõ ſua potiùs premere, quàm propalare videbatur, occultandæ gloriæ, detegendæque ignominiæ ſtudium ſectatus. Vnde multoties in hac enarratione verbum, *Neſcio*, immiſcuit, *ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio*, & iterum *ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio*. Non ne poterat Paulus ignorantiam iſtam præterire? Vt quid ergo toties repetit? *Neſcio.* Humilitatis artificiũ iſtud fuit, teſte D. Chryſoſtomo, quæ ipſum abiecta promere, & ſublimia abſcondere edocuerat. *Vide*, inquit, *quemadmodũ hic quoque modeſtè ſe gerat, cùm quædam narrat, quædam autem ſe ignorare confitetur. Et quidem ſufficiebat cùm raptum ſuum commemoraſſet, tacere: at nunc pro ſua modeſtia, hoc quoque adiungit*. Nec importunum exiſtimes additamentum, ſed valde congruum, & apis noſtræ paruitati conſentaneum; ex qua diſces magna premere, & humilia oſtentare; ſiquidem, vt ſcripſit Diuus Ambroſius in Pſalmo trigeſimoſexto. *Non de ſcientia, ſed de ignorantia gloriatur.*

[Margin: 2.Cor.11 n.31.& 32. — Anſelm. — D.Chryſ. — D.Ambr.]

Depone igitur faſtum humana tumiditas, preme arrogantiam ſuperba, & ambitioſa mortalitas: & Chriſti Eccleſiæ apes

humi-

humilitatis exemplaria tibi propoſita inſpice, & pudor ſit eorum humilitatem in vita nō amplecti, quorum gloriam in cæleſti Hieruſalem aſſequi non diffidis. Sed quænam erit iſta fiducia, vt gloriæ faſtigium ambias, & in profunda humilitatis abyſſo quodammodo ſepeliri reformides? Cernis Eccleſiæ apes in empyreo ſupremū apicem obtinentes; audi quòd per diuturnum temporis ſpatium eorum corpora Romæ apud ſanctum Sebaſtianum extra muros, profundo in puteo & cęnoſo (Catacumbas vocant) ſepulta iacuerunt. Cæterùm, ò admirabilem Dei omnipotentis in ſeruorum ſuorum amplificandis honoribus prouidētiam! Admirabatur olim, vt in lib. 4. reuelation. S. Brigittæ cap. 107. ſcribitur, Prior quidam Siculanus, Religione & pietate inſignis, cur Petri & Pauli corpora tandiu vili, & abiecto loco deliteſcerent; cur Orbis lumina, Eccleſiæ ſoles, cæli culmina, in putei abyſſo, cœno & ſabulo ſepulta premerentur, & D. Brigittam rogat, vt hac ſuper re Dominum conſuleret. Annuit Dei ſerua, rem ſibi manifeſtari Chriſtum exorat; cui ipſe reſpondit, ideo ſic permiſiſſe: *Quia nondum erant illi nati; quibus honor ille exaltationis Apoſtolorū debebatur*: Pauciſque interiectis addidit, toto illo tempore Angelos ibi adſtitiſſe, qui ſacras Apoſtolorum cuſtodiebant, & venerabantur reliquias cæleſtique melodia, & ſuauiſsimo concentu vtriuſque laudes & encomia perſonabant. Ita firmiter creditur, & paſſim ab ijs enarratur, qui apud Catacūbas ad præſens commorantur.

Lib. 4. reuelat. S. Brigitta cap. 107.

Nec dubito quod ita euenerit, quoniam Deus, vt in futuro ſæculo, ſic etiam in præſenti ſanctorum ſuorum laudes, illuſtri commendat teſtimonio; ne deſit in hac vita corporibus celebritas, qua in paradiſo beatorum animæ perfruuntur. Quòd autem Deus in cæleſti patria coram ampliſsimo beatorum theatro nobile panegyricum ſuis decantet, Regium Vatem auſculta præcinentem, & deprecantem: *Viſita nos in ſalutari tuo: ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua*. Pſalm. 105. verſ. 5. Notat verò D. Bernardus ſerm. 5. in feſto omnium Sanctorū non dixiſſe: *Vt lauderis ab hæreditate tua, ſed cum hæreditate tua, vt communis intelligatur futura laudatio*. Sed inquirit deinde Bernardus, à quonam laudandi ſunt in paradiſo, qui ibi demorantur. *Neque enim*, ait, *ſinguli ſe glorificant, quia ſcriptum eſt: non laudet te os tuum. Non viciſſim alter alterum laudat; quia in laudem conditoris intenti, & extenti; in quo, nimirum, tota eis repoſita eſt beatitudo mutuis nunquam vacare laudibus poſſunt*. Hæc ille. Quid igitur dicendum vnde

Pſal. 105 verſ. 5.

D. Bern.

Digitized by Google

nam communis iſta laus orietur, quam Dauid in cæleſti patria futuram pollicetur? Egregiè reſpõdet Bernardus: *Si ipſa laudat hæreditas Dominum, hæreditatem quis laudet? Ab Apoſtolo audiamus. Tunc laus erit vnicuique à Deo*. 1. Corinth. 4. num. 5. *Magnus laudator, & vehemẽter ambienda laudatio, fælix commutatio laudis, vbi & laudare beatum eſt, & laudari*. Hæc ille; Vbi vides quàm grata viciſſitudine Dominus ſeruorum ſuorum laudes rependat: nec contẽtus quod olim noſtrum in ſæculo moriens pretium fuerit, modo viuens in cælo ſit præmium, ſit etiam noſtrarum virtutum encomiaſtes. Bernar.

Quid ni, communi laudis præmio etiam in hac vita Petri, & Pauli corpora exornaret? quoniam iſti præ cæteris abiecta præmij ſpe heroicos labores in fidei propagatione cõtinuò & generosè pertulerunt.

Mirabatur non immeritò Dinus Chryſoſtomus homil. 3. de Iob. Cur athletæ huic fortiſſimo cùm Dæmone luctaturo nihil de præmio dictum fuerit, ſicut Apoſtolis factum ſcribit Matth. cap. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*. Item: *cùm perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter nomẽ meum gaudete, & exultate; quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*. Perbellè reſpondet Chryſoſtomus. *Si non dixit Iob, quare ratione pari Apoſtolis dimicationem nõ tacuit? Solus Iob certauit, pro ſemetipſo deſudauit: Apoſtoli autem erant præcones terræ, Orbiſque Doctores, ipſis occultari poterat lucrum; ſed res Mundo detrimentum fuiſſet; potuerat Paulus ſine coronæ promiſſione certare, ſed non vbique Paulus; non vbique Petrus*. Elegans certè clauſula. *Non vbiq.* dicit, *Paulus, non vbique Petrus*. Iure optimo, rarò enim quæ pretioſa ſunt inueniuntur: quis vnquam prodigia frequenter inſpexit? lapidibus Orbis abundat, ſummi pretij adamantes, vix Regum Imperatorumque monilia exornant. Petrus & Paulus, pretioſiſsimi, & fortiſsimi adamantes ſummum, atque altiſsimum humilitatis pretium in corporis breuitate, & animi paruitate inſtar apum retinentes extiterunt. Matth. 5. D. Chryſ.

Qui igitur laudum tuarum præconem Deum in cæleſti patria futurum expectas, vel etiam in exilio Angelorum harmoniam, encomiaque ſuſpiras, hìc abijci, & cõtemni vehementer appete, omnique ſtudio apum Eccleſiæ paruitatem, & humilitatem æmulare: Magnum quippe eſt humilitatis artificium, virtutem dum tegit, auget: honorem dum minuit, amplificat; & quò profundiùs te deijcit, eò altiùs euehit & extollit. Humilitatis ſtudio Paulus cùm antea Saulus diceretur, Pauli nomen

Digitized by Google

men elegit, quod paruulum, minimum ſignificat, & abiectum: ſed, teſte D. Hieronymo in epiſtola ad Philemonem, idemmet nomen victoriam deſignat, & triumphum. Vnde, qui in nominis mutatione humilitatem, & abiectionem quærebat; ampliſſimam victoriæ coronam, palmariumque triumphum adinuenit; Et qui veluti paruus abſcondi, ac in tenebris inglorius latere geſtiebat, non ſolùm hominum, & Angelorum, ſed etiam Dei laudantis teſtimonio celebratur. Alia ſequitur apum prærogatiua.

CAPVT QVINTVM.

Apoſtolicæ prædicationis ſonitus humana paruitate maior, ac diuinæ immenſitatis æmulus, Orbem repleuit vniuerſum.

Diſertè quidem more ſuo dixit olim Tertullianus, in lib. de Pallio Chamæleontis nomen irridens. *Qui Chamæleontem audis, aliquid amplius tibi eſſe exiſtimes, quam cum leone.* Auguſtius leone, & grandius nomen habet Chamæleon: at verò corpus exiguum eſt, valdeque deſpiciendum: vnde qui nominis magnitudine terreret non viſus, vbi primum aſpectui ſeſe offert ad ſui contemptum prouocat, irriſionemque inuitat. Non aliter qui perſtrepentium apum bōbos lōgè lateque nemoribus perſonantes acceperit, aliquid ſibi amplius exiſtimet quàm cùm apibus habendum: Prope quidem erit non apum examina, ſed militum vtrinque decertantium agmina cogitare. Cæterùm apes illæ ſunt, quarum prærogatiua eſt vocem edere corpore maiorē. Deus bone, quàm benè in ſuis apibus natura præſulit, quod in Eccleſiæ apibus magna cum admiratione vniuerſus Orbis inſpexit; Teſte namque Dauid. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Vnde quis neget voces illas corporibus maiores extitiſſe, cùm Petri, & Pauli prædicationem toto in Orbe reſonantē audierit? Quis item eorum paruitatem, ac breuitatem contemplatus, non humanas, ſed diuinas exiſtimet voces, quæ magnitudine ſua omnes mundi Regiones impleuerunt, incredibilique efficacitate mortalium pectora debellarunt. Primò igitur Petri vocem, ipſiuſque magnitudinem extollamus.

Tertull.

Pſal. 18. verſ. 5.

§. PRIMVM.

Petrus Eccleſiæ apis edito prædicationis bombo, ſeu tonitruo infideles terruit, ac expugnauit.

Vocis magnitudine Petrum Eccleſiæ apem excelluiſſe

pulcherrima ſimilitudine depinxit Eccleſiaſticus capite 43. *Vox*, ait, *tonitrui eius verberauit terram*. Quod teſte Cornelio ibidem, perinde eſt, ac ſi per hypallagen diceret, tonitruum vocis, ſeu tonitruum vocale, & magna voce reſonans. Tàm enim ipſum tonitru, quàm eius vox, & fragor verberat terram, & terrigenas. Et quidem tàm ingens fuit Petri vox, ſic longè lateque omnia compleuit, audientium aures Regum etiam, & Imperatorum terribili ſonitu verberauit, incredibilique pauore concuſſit, vt ad ipſius prædicationem, non aliter quam ad tonitrui fragorem expaueſcerent; atque præ ingenti metu & dolore, quam mente conceperant fidem parturirent. Vnde perCatechreſin verba ſuperius citata Ianſen. & Tygurina reddiderunt: *Sonitus tonitrui eius terram dolore commouet*, ſeu quod ibi ſonat Græcum, *Facit parturire*. Sed qui nam iſte tonitrui ſonitus? niſi Petri vox, & prædicatio, quę non ſolum Eccleſiæ apem,& Euãgelij præconem,ſed prę vocis magnitudine vocale tonitruum iure optimo nuncupabis.

Eccleſ. cap. 4.
Cornel.
Ianſen. Tigur.

Iobo dicebat olim Dominus: *Si habes brachium ſicut Deus, & ſimili voce tonas*, cap. 4. num. 4. Significans id ſibi peculiare eſſe, ac mortalium nemini datum, vt brachio, hoc eſt diuina potentia, voce terribili, ingenti & magnifica tonitrui inſtar homines perterreret. Verùm quod Iobo negatum fuit, Petro conceſſum diffiteri non licet. Brachium habuit ille ſicut Deus, diuinam in terris potentiam exercuit, Regni cælorum claues ipſi traditæ,ligandi, atque ſoluendi habuit poteſtatem,ſimili voce toto pene Orbe detonuit, ideſt, tonitruo prædicationis gentiles terruit, barbaros emolliuit, atque ad Religionem Catholicã perduxit; Romæ præſertim, cuius Eccleſiæ primum fundatorẽ extitiſſe D. Hieronym. in Cathalog. Scriptorum Eccleſiaſticorum atteſtatur. *Petrus*, inquit, *poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ,& prædicationem diſperſionis eorum, qui de circunciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit; ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit,vſque ad vltimum Neronis annum*. Et quidem D.Petri Romam proficiſcendi ſtudium nõ ab ambitione profectum exiſtimo, eo quòd in Vrbe omnium ampliſsima Romani Imperij ſede, & totius Orbis capite, ac moderatrice Chriſtum prædicare inſtituiſſet. Sed cùm partito inter Apoſtolos Orbe, vt ſinguli eas Regiones perluſtrarẽt, quæ vnicuique ſorte obtigiſſent, ac in eis legemEuangelicam promulgarent; Petro Roma contigit, vt in ea Eccleſiaſtici Imperij ſedẽ collo-

Iob 4. num. 4.
D. Hier.

collocaret, & ideo neceſſum habuit illuc ſe conferre, vt inde tanquam tonitruum magnum toto in Orbe perſonaret. Ita cenſuit D. Leo ſerm. 1. de Natal. Apoſt.
D. Leo. *Cum Apoſtoli*, inquit, *imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent: Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici Ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij*. Hanc aggreſſus eſt prædicatione expugnandam, & licèt alij Euangelium prædicaturi per varias Orbis Regiones vagi, & inſtabiles diſcurrerent, Petrus Romæ ſedem fixit, in eaque diuturno temporis ſpatio, vt ex D. Hieronymo retulimus, ſtetit immobilis, quia vocis eius magnitudinem tonitrui inſtar ingenti fragore reſonantis Orbis vniuerſus audire poterat. Alij verò, qui ſimili voce nequaquam detonabant varias mundi plagas obire cogebantur, vt eorum prædicatio non ita potens, atque admirabilis audiretur.

Fuit autem maxime congruũ, vt Petri vox, de qua Regius Vates Pſalm. 28. prædixerat terrenos homines delicijs deditos, ambitioneque elatos terribili virtute
Pſal. 28. confracturam. *Vox Domini*, inquit, *ſuper aquas: vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros*. Et quæ nam
Raban. vox iſthæc eſt? niſi, vt Rabanus, &
Cornel. Cornelius ad locum Eccleſiaſtici citatum interpretantur, Apoſtolorum, Petri præſertim, prædicatio, quæ terram, & aquas, ideſt populos commouit ad pœnitentiam: cedros, & montes, ideſt ſuperbos & elatos homines confregit. Conſentaneum inquam fuit, vt hæc vox, quæ magna adeo atque admiratione digna eſſet editura, Romæ primum detonaret; elatumque ambitione, & diuitiarum magnitudine orbis caput infringeret, ſuperbientesque fortunæ leniter aſpirantis afflatu Romanos commouens, ac decutiẽs ad pœnitentiam, fidemque pertraheret. In quo vocis huius maieſtas, & magnificentia plurimum enituit.

Erant enim Romani valde indomiti, Idolorum cultui addictiſſimi, & qua pollebant ſapientia opinionis propriæ nimium tenaces. Quapropter admirandum planè fuit, & prodigio ſimillimũ, D. Hieronymo teſte, in epiſtola ad Romanos, vt audito hoc tonitruo perterriti conciderent, & penitus confracti ad pœnitentiã mouerentur; atque adeo tumiditate, & elatione depoſita Idolorum cultum repudiarent, Chriſtianamque Religionem amplecterentur. *Omni mundo mirum* D. Hiero.
fuit, Romanos credidiſſe, qui Idolorum nimia fuerant cultura poſſeſſi, ita vt Dijs omnium gentium, quas vincerent, deſeruirent. Hæc D. Hieronymus. Me verò non iſta percellit Orbis admiratio, qui vocalis tonitrui, ſeu prædicantis

cantis

cantis Petri vocis magnificentiam contemplor. Quis neget, quod alius verè occinuit.

Humanas motura tonitrua mentes?

Illud ego admirarer, niſi hæc, & multo maiora noſtræ apis vox tonitruo ſimilis, tùm Romæ, tùm in alijs mundi partibus edidiſſet. Etenim licèt Romani diuitiarum cupiditate eſſent incenſi, ſuperbia faſtuque elati, & captandæ gloriæ auidiſſimi extitiſſent, cuius cauſa prælia mouebant, ad propagandumq. Imperium ſumma vi, & aſtu nitebantur, & præterea omnem humanæ fælicitatis gloriam in Imperij amplitudine, diuitiarum copia, dignitatum nitore, victoriarum fortuna collocabant: vnde foret difficillimum, Chriſti contemptum, crucis opprobria, flagella, ſpinas, mortemque amplecti, ijs relictis ad quæ prolectātē libidine cæco impetu ferebantur. Verùm tonitrui vocis potentia his omnibus maior erat, atque adeo magnitudine ſua Romanorum potentiam terruit, cupiditatem, quæ inſtar ignis eſt, interdicit, elationem, pompam, dominandi ſtudium confregit; Romanosque humilitatem crucifixi, ac in humilitate potentiam, in eaque Dei ſapientiam (quam antea putabant ſtultitiam) ſalubriter edocuit. Quod Chryſoſtomus in cap. 6. epiſt. ad Galat. Verbis expreſsit diſertiſſimis. D. Chryſ. *Romani*, inquit, *vehementer admirabantur, & expetebant res mundi huius proſperas, diuitiarum abundantia, potentiæ magnitudine, dominationis amplitudine, honorum ſplendore, victoriarum gloria, ſummum bonum, & fælicitatem determinabant. Quinetiam Imperatores ſuos, & Deos nominabant, & vt Deos habebant, & aris, & templis, & ſacrificijs dignabantur.* Ita Chryſoſtomus. Verùm hîc tonitrui Euangelici potentia magis enituit, hîc vocis magnitudo protentiùs inſonuit, vbi maior durities, & reſiſtentia cernebatur, ibi validius omnia confregit, & fortius impetiuit. Admirentur alij Romanorum diuitias, prælia, victorias, Imperium, triumphos; Ego plus admiror D. Petrum Eccleſiæ apem prædicationis bombo, parum eſt, doctrinæ tonitruo, & vocis magnificentia, de his omnibus triumphantem.

At verò dum Petrum tonitrui inſtar Romanos commouiſſe edocēris: nullatenus credas eam voci dulcedinem defuiſſe, quam Sponſus laudabat; & cupiebat audire. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis:* Cantic. 2. n. 14. Cant. 2. num. 14. Pulchro dramate ſub Sponſæ nomine Eccleſiæ prædicatores alloquitur, præſertim Apoſtolos; & ſuadet, vt mira vocis, & prædicationis ſuæ dulcedine, vocem illam horridam, impietatiſque raucedine interclusam, qua olim Synagoga clamitabat, dicēdo; *Crucifi-*

Io. 19. 6. Matt. 27. num. 25. *ciſige, crucifige* : Itemque, *ſanguis eius ſuper nos*, hauſto medicinali ſanguinis poculo, in canoram Euangelij ſuauitatem immutarent; vt dulcior facta non ſolùm potentia & virtute commoueret, ſed etiam ſuauitate dulcedineque alliceret, vel ſi magnitudine & fragore perterritos à peccatis auerterent, concentu & harmonia delinitos ad virtutem pertraherent. Quod mirum in modum Petrus adimpleuit: ita enim apis iſta ſtrepentis bombi raucedinẽ temperauit; tonitruique fragorem tam dulce fregit in melos, vt dubites, an plus fecerit, dum ſuauiter loquendo Romanorum pectora deliniuit, atque ad amplectendas Chriſti iniurias, & mortem ipſam pro illius amore fortiter obeundam pellexit; an dum tanquam vocale tonitruum reboans, elatos confregit, ſuperbiẽtes cõminuit, atque ſuperſtitionibus deditos ab impietate penitus auertit. Vtroque excelluit, terrore vicit, & dulcedine pellexit: ita enim ſuauitatem & fragorem, ſapienter immiſcuit, vt vtrumque eſſet, & ex vtroque mirificè compoſitus videretur.

§. SECVNDVM.

Alterius Eccleſiæ apis, D. Pauli nimirum, vocis magnitudo, id eſt prædicationis potentia declaratur.

VOcem corpore maiorem habuiſſe D. Paulum quis neget? Siquidem vas, ſeù organum à Deo fuit electum, vt ipſum Chriſti nomen, fidemq. magnificè reſonans totus Orbis audiret. Adeo potens, plena, & reſonans fuit Pauli vox, vt ipſum non immeritò totum vocem dicere potuiſſes: quod olim de luſcinia ab aucupe dictum ſcripſit Adagiographus. Inter ſpiſſos arborum ramos, mali ignara vocem molliter delicateq. inflectens modulabatur: cùm auceps vocis magnitudinem, & ſpiritus pertinaciam admirans, prædam meditatur; circuit, ſpeculatur, collineat, & collimat, auiculæque modulamen vertit in interitum: ac vbi primum ad terram mortua deijcitur, feruidus accurrit, apprehenſam identidem premit, inſpectaque paruitate corpuſculi proijcit, dicens; *Tota vox, & pennæ.* Quis D. Pauli Eccleſiæ apis ingentem bombum, ſeù vocis illius cæleſtis boatum, & magnitudinem; quis ſpiritus pertinaciam ipſinſq. prædicationem toto Orbe reſonantem contemplatus: quis etiam innumeros labores, tormenta, carceres, flagella, & acerbiſsimas

quas

Digitized by Google

quas pertulit pęnas, recenſentem audiens,nō identidem exclamet? *Totus vox, & pœnæ*: Non quæ in altum eleuarent, ſed quibus in terra depreſſus acerbiſſimè torqueretur.

Totus vocalis erat Apoſtolus; quidquid in eo erat, vox erat; ita vehemens, & omnia longè,lateq. implens, vt non hominem prædicantem, ſed cælum magno tonitruum fragore reſonans exiſtimares. Quod D. Hieronymo non ipſum audienti, ſed legenti, vt ipſe memorat, euenit. *Paulum Apoſtolum profero, quem quotieſcumque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.* Ita ille, in Apolog.ad Pamach.contra Iouin. Eodem etiam fragore Paulus, quin etiam & Petrus, Venantij Fortunati aures perculerũt. Vnde lib.3. carmin. cecinit.

D.Hier.

Venant.

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi.
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.

Fælices ego arbitror, qui Paulum tonitrui more reſonantem audierunt; vtinam ſic eſſent fortunati, vt tonitrui huius afflatu perterriti reſipiſcerent. Fælicem terruit vocis magnitudine,& prædicationis potentia D. Paulus. Nam vt Actorum 25.dicitur,dum ipſum de iuſtitia, caſtitate, & futuro iudicio diſputãtem audiret; *Tremefactus eſt fælix*: Non aliter quam ſi nubibus ſeſe inuicem collidentibus, ingenti diſruptione fragor detonaret; ſic potens erat Apoſtoli vox, vt tonitrui ſimilitudine auditorem fallere,& in ſtuporem agere potuiſſet. Eandē vocis potentiam & virtutem ſenſit, & confeſſus eſt Feſtus, apud quem ita vehementerPaulus prædicauerat, tantaque animi, & vocis contentione impium ad Chriſtianam pietatem hortabatur, vt non prædicare, ſed inſanire crederetur; vnde timore perculſus dicebat: *Inſanis, ò Paule,* cui ille reſpondit: *Non inſanio optime Feſte, ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor*. Actorum.26. Verba loqui ſe dixit, & fulgura eiaculari potiùs dixiſſet. Non enim loquebatur Paulus, ſed detonabat,quot ex ore verba effluebant, tot reſonabant tonitrua, quæ impios pauore concuſſos, in melius commutabant, obfirmatoſque peccatorum animos ita commouebant, vt quaſi fulminis ictu impetiti præ criminum dolore pœnitentiæ fletibus liquarentur. Quapropter homil.4. de laudibus Pauli ſcripſit egregiè Diuus Chryſoſtomus. *Sicut radijs ſolis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt ſe fures, & latrones: ſic prædicatione fulgente,& Euangelium diſſeminante Paulo,fugabatur error, veritaſque remeabat. Idololatria, & ebrietates comeſſationes, ſtupra, adulteria, aliaque dictu fœda deſecerunt, atque conſumpta ſunt inſtar ceræ ignis vapore pereuntis,*

Act.24. num.25.

Act.26. num.24.
Ibidem num.25.

D.Chryſ.

&

& inſtar palearum, quæ ſubito cremantur incendio. Hæc ille.

Non tamen eſt quòd mirer, viuam Pauli vocem, animata dicendi energia, tonitruo ſimilem, ita valuiſſe, vt Fælicem, Feſtum & alios timore inſtringeret, atque ad vitam in melius reformandam impelleret: Cùm verbum vnum, illudque emortuum, non auditum, ſed lectum Auguſtini mentem valuit immutare. Quid non ageret vocale tonitruum, ſeu reſonans, atque animata Pauli vox? quando ipſius vmbra ſic terruit peccatorem, & cæco impetu in ſcelera procurrentem retardauit. Quis fulmini, & tonitruo terrendi virtutem, & omnia comminuendi potentiam denegabit, ſi conſpecta eorum imagine, & pictura in cinerem, & fauillas abire cuncta videantur? Non figmenta loquor, ſed vera: Teſtis mihi ſit Auguſtinus, qui cùm hæreticorum erroribus deceptus, ac voluptatum illecebris irretitus eſſet, & pluſquàm ferrea prauæ conſuetudinis catena religatus tenetetur, vocem è cælo clamantem au-
D. Aug. lib. 8. cōfeſſ. c. 12. diuit: *Auguſtine, Auguſtine tolle lege, tolle lege*. Patet ille, librum qui fortè aderat præ manibus ſumit, & cæli ductu in illud D. Pauli ad Roman. 13. ſtatim in-
Rom. 13. num. 14. currit; *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs; non in contentione, & æmulatione; ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum*.

Non verba, credo, audiuit Auguſtinus, ſed tonitrua; non legit ſcripta, ſed ſenſit fulmina, quibus de cælo tactus concidit, ſtatimque immutatus exurgit, priſtinos errores deſerit, veritatem amplectitur, voluptatis illecebrã faſtidit, à turpitudine ad caſtitatem ſe transfert, nouamque exinde vitæ rationem inſtituit. Vnde in ſuis confeſsionibus ita Deum gratulabundus alloquitur lib. 1. confeſſ. cap. 21. *Itaque Domine* D. Aug.
auidiſſimè arripui venerabilem ſtylum ſpiritus tui, & præ cæteris Apoſtolum Paulum, & perierunt illæ quæſtiones, in quibus aliquando mihi viſus es aduerſari.

Sed quid ego Auguſtinum ad cæleſtis huius tonitrui fragorem perterritum admirer: repudiatiſque Manichæorum erroribus ad chriſtianam Religionem tranſijſſe commemorem? Quoniam Deus Optimus Maximus illud reſeruarat, vt cùm Romanorum perſecutio aduerſus Eccleſiam impotentiùs deſæuiret, audito huius tonitrui fragore terrerentur, feritatemque, & ſæuitiam deponerent, & agni immaculati, atque ab origine mundi occiſi manſuetudinem, & patientiam amplecterentur. Quod Ioan. c. 14. Apocalypſis ſe audijſſe teſtatur. *Et* Apocalyp. 14. nu. 2.
audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum; & tanquam vocem tonitrui magni. Vbi aduertendum eſt, quod ſcitè monuit Alcazar ad hunc locũ, duas

duas voces à Ioanne auditas, alteram aquarum multarum, tonitrui alteram. Porro vox aquarum multarum ſimilitudinem referẽs, vt idem Author ex multorum ſententia teſtatur, Romanorum perſecutionem deſignabat: At verò vox magni tonitrui ſimilis vim cæleſtem, & robur ſignificabat, quod Deus Apoſtolorum prædicationi contulerat; Nullius tamen prædicatio tonitruo aptiùs comparatur, quam Pauli, ipſe enim in Eccleſia tanquam in cælo potentiſsimè detonuit, Roma audiuit, & mirata eſt Dei prouidentiam, qui vt fortitudinem perſecutorum concuteret fortitudine prædicatorum, & contra Imperatorum immanitatem, & potentiam Doctorum acrimoniam, efficacitatemque opponeret, Paulum excitauit, qui non ſolum Romanam Vrbem, ſed totum Orbẽ prædicationis fragore impleuit: vnde magnum à D. Ioanne tonitruum appellatur. *Et tamquam vocem tonitrui magni*. Et verò neceſſum erat, vt vocis magnitudine tonitrua ſimularet, qui totius Orbis prædicator deſtinabatur, vt nulla eſſet Regio, quantumuis diſſita, quæ illud tonitruũ non audiret. Non autem Paulum totius Orbis Doctorem à nobis immeritò dici exiſtimes, Chryſoſtomum audi in oratione in Petrum, & Paulum ita loquentem: *Prodeat in medium Paulus totius orbis terrarũ ſapiẽtiſſimus Orator.*

Alcaz.

D. Chryſ.

Addendum tamen hîc eſt, & maximè ponderandũ, quod adiecit Ioannes; nam cùm dixiſſet, *Et tanquam vocem tonitrui magni*, ſtatim inquit, *Et vocem quam audiui ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis*. Porro quid citharędi concentus, & harmonia cum tonitrui fragore? Quid ex modulata chordarũ percuſsione reſultans ſuauitas, cum ſtrepitu ex nubium colliſione erumpentisque exhalationis violentia commune habet? Multum equidem ad ſignificandam prædicandi muneris excellentiam: Etenim, vt ponderauit Origenes homil. 5. in cap. 10. Hieremiæ verba illa Pſal. 71. expendens. *Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit*. *Fulgura*, inquit, *ex nubium colliſione generantur, in morem ſilicum duorum, quos cùm comploſeris ſibi, medius ex his elabitur ignis, atque ita fulgure pariter, & tonitruo mugire; tonitruo ſcilicet ſonitum indicante concuſſum, & fulgure excuſſi luminis claritatem*. Hæc ille, & ſtatim ſubiunxit Paulum, & Syluanum veluti nubes in vnum cõuenientes, prædicationis tonitruum ediſſe, nec non mutua charitate copulatos fulgura excuſſiſſe, quæ totum Orbem incenderent, & pariter illuminarent. *Paulus*, iqnuit, *& Syluanus duæ nubes in vnum conuenerunt, & ecce totum mundum epiſtolæ eorum fulgore illuminant*. Talisque Euan-

Apoc. 14. num. 2.

Origen.

Euangelicus Orator exiſtat, vt inſtar tonitrui vltionis diuinæ comminationibus terreat auditorem, & tanquam cithara concẽtus ſuauitate, & harmonia demulceat, quod ex D. Gregorio ad hunc locum aſtruit Viegas, & ex illo Iſaiæ 16. confirmat, in quo Propheta ſe prædicaturum pollicetur, his verbis: *Propter hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit*. Quod interprete D. Hieronymo ibid. ſic intelliges. *Qui inſtar citharæ muſica arte compoſitus eſt, ita vt nulla deſit chorda, quæ non reddat ſonum ſuum, reſonabit luctum agentis pœnitentiam*. Deus bone quã aptè quadrat in D. Paulum citharæ, tonitruique ſimilitudo, vocis namque magnitudine & potentia Orbem terruit, & impleuit, ſuauitateque, & harmonia recreauit. Quanto potiori iure de eo dixiſſet D. Gregor. Nazian. quod de ſuo Baſilio in Oratione de laudibus eiuſdem aſſirmauit. *Cum orationes eas, quas de moribus, & bene viuendi ratione conſcripſit, in manus accipio, animo, & corpore pungor, templumque Dei capax efficior, atque inſtrumentum muſicum à ſpiritu pulſatum; diuinamque gloriam, & potentiam decantans, hoc reconcinnor, & componor, atque in virum alterum migro, diuinitùsque immutor*. Sic ille. Nec abludit D. Chryſoſtomus loco citato, vbi D. Paulum propter vocis magnitudinem appellat Organum Dominicum, Lyram ſpiritus propter ſuauitatem; Hirundinem eo quòd prædicatione ver Eccleſiæ iam adeſſe monſtrauit: vnde in ipſum mirificè quadrat. Illud à D. Ambroſio lib. 5. Exameron cap. 7. ſcriptum. *Hirundo minuſcula corpore, ſed egregiè pio ſublimis affectu, indiga rerum omnium pretioſiores auro nidos ſtruit*: Cicadam item appellauit, vel quia feruente perſecutionum æſtu fortius, & conſtantius Chriſtum reſonabat; vel quia alijs deficientibus ipſe futurus eſſet auxilio, ne prædicationis harmonia rumperetur. Itaq. Organũ Dominicũ, Lyra ſpiritus, hirundo, & cicada dicitur à Chryſ. Paulus.

Iſai. 16. num. 11.

D. Hier.

D. Naz.

D. Amb.

Contigit aliquando, vt in emblẽmatis memorat Alciatus, quòd duo cantores inter ſe de pulsãdi, canendique peritia decertarent. Aderant iudices, qui de victoria decernerent: alternatur concentus, ſed proh fortunæ euentum! rumpitur inter pulſandum chorda vni ex certatoribus, deficiebat harmonia, & iam victus credebatur, cùm ſubito aduolans cicada, citharæque inſidens, iterato ſæpius bombo, chordæ ſuppleuit abſentiam, continuauit harmoniam, & pulſanti victoriam comparuit. Non vereor, vt in Eccleſiæ citharis vnquam deſit harmonia: Rumpantur interim perſecutionibus fides, ſcindantur chordæ, Paulus cicadæ inſtar, ſeu Eccleſiæ apis inuolabit, editoque præ-

Alciat.

prædicationis bombo reddet harmoniam, reparabit concentum, & victoriam conſequetur. Et quẽadmodum nulla fuit in eo chorda, quæ ſuum non redderet ſonum: Totus enim vocalis erat, totus reſonans vt lyra ſpiritus, atque vt vocale tonitruum longè latèque circunſonans. Vnde in Eccleſiæ doctoribus harmoniam ruptis fidibus deficere, nec in Chriſti ſponſa fracto charitatis fœdere vnionem ſcindi patietur: Quinimò quod olim ſuadebat Epheſijs dicens: *Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis,* à Deo obtinebit, & ni Deus, qua ſuper Eccleſiam cura, inuigilans de alijs prouideret apibus, harmoniam penè defecturam Paulus ipſe reſtitueret. Pulcherrima eſt D. Chryſoſtomi clauſula, qua veluti gemma vocis prærogatiuam in Eccleſiæ apibus commendatam claudo, & obſigno. *Memini tui Petre, & obſtupeſco. Recordor tui Paule, & quaſi extra me poſitus, non niſi lacrymis perfundor. Benedictum inſtrumentum linguæ veſtræ: in omnem terram exijt ſonus veſter, & in fines Orbis terræ veſtra verba. Indiuulſam ſuam ſponſam Eccleſiam à vobis deſponſatam conſeruabit Chriſtus. Nemo ante vos, neque poſt vos talis apparuit. Quis enim magiſtri officio fungens, dicere quidquam citra veſtram traditionem auſus fuerit? Cunctos Doctores vos perfeciſtis.* Hactenus ille.

Epheſ. 4. num. 3.

D. Chryſ. Orat. encomiaſt. Petri, & Pauli.

CAPVT SEXTVM.

Incredibilis Petri, & Pauli doctrinæ ſuauitas, & melliſluentia exprimitur.

Melleam certè dulcedinem, miramque odoris fragrãtiam pomis ineſſe, quæ olim Rex Francus propria inſeuerat manu iure optimo Venantius auſpicabatur: cùm enim Regius ſator eſſet, quidni de ipſius manu ſaporem, pulchritudinem, odorem, & virtutem fæliciter haurirent? egregiè Vates occinuit. Venant.

De cultore trahit mellitum planta ſaporem;
Forſan & hic tacitos miſcuit ille fauos.
Regis honore nouis duplicata eſt gratia pomis:
Suauis odor nari, dulcis in ore ſapor.
Qualiter ille hominum potuit prodeſſe ſaluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet.

Quid igitur dubites Petri, Paulique doctrinam melle ſaporatam, quinimò mel ipſum dulciũ principem extitiſſe, atque adeo libenter de vtroque prædicandum, *Mel dat*: Quoniam illi ſupremæ Eccleſiæ apes, floribus ex Dei hortulo manu propria exculto prælibatis (hoc eſt ex Spiritus ſancti doctrina) prædicationis ſuæ mella conſtruxerunt: gratiæ ſuauitatem, Dei clementiam, atque dulcedinem

nem ineffabilem, ipſius miſericordiam hominibus manifeſtarũt, ſeu vt certiùs loquar, multimoda arte, varioque dicendi genere inacceſſam Dei immenſitatem, vaſtitiſsimumque & inexhauſtum bonorum omnium Oceanum in fidelium pectora deriuarunt. Quod eleganti epilogo D. Ambroſius 3. de Virginibus complectitur.
D. Amb. *Omnia*, inquit, *Chriſtus eſt nobis. Si vulnus curare deſideras, medicus eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt: ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi auxilio indiges, virtus eſt: ſi mortem times, vita eſt: ſi cælum deſideras, via eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Guſtate igitur, & videte*. Hæc Ambroſius. Expende verò quanta ſit Dei ſuauitas, & dulcedo, quæ omnium ſaporum, melliſque ipſius dulcedinem exuperat. Vnde ſapientiæ
Sap. c. 12 num. 1. cap. 12. dicitur. *O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus*. Et Da-
Pſal. 85. uid Pſalm. 85. ait: *Tu Domine ſuauis & mitis*, Pſalm. 30. v. 20.
Pſal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*. Gratiùs ſponſa & ſignificãtiùs in Epithalamio di-
Cant. 5. num. 16. xit c. 5. *Guttur illius ſuauiſsimum*, ſeu vt ex Hebræo fonte deriuatur *Guttur illius ſuauitates*: quia ſuauitatum omnium cumulum includebat. Vnde ne mireris Dei hortulos fragrantiſsimis floribus, & dulciſsimis pomis confitos (veritatis catholicæ theſes puta) quas ad Orbis illuſtrationem in pectore Petri, & Pauli Dei ſpiritus, gutture ſuauitatis pleno, inſtillauit: idcirco iſtorum doctrina, non mellea, ſed melle fuit dulcior, omnique ex parte ſuauitatem exhalans: vt pote floribus expreſſa, quas in ſuis hortulis Dei ſpiritus plantauerat.

Vnde, fallar, niſi ad Petrum referam, quod Pſalm. 80. Regius Vates decantauit. *Et de petra* Pſal 80.
melle ſaturauit eos. Et quæ nam verſ. 17.
erit iſta petra niſi ille, cui dictum eſt. *Et ſuper hanc petram, &c.* Matt. 16.
Itaque ex hac petra, quæ fuit Eccleſiæ fundamentum, mellea doctrina effluxit: *Et de petra* Pſal. 25.
melle: nec quoquomodo, ſed ita abundanter, vt ad ſatietatem emanaret, *Saturauit eos*. Quò reſpiciens Riccardus Victorinus ſermone de Spiritu ſancto. *Neſcit*, inquit, *omnino ne-* Riccard. Victorin.
ſcit quàm ſit vera, & plena refectio, quem non ſatiat ſuper cæleſtis illa, & pluſquàm dulcedo mellea. Quaſi diceret; quiſquis ex hac petra melleum potum non haurit, vel ſtillantes in ea fauos dulciſſimo Dei ſpiritu fabricatos, non exprimit, is profectò ſatietatem non inuenit, nec abundantiam experitur. Quòd ſi Paulum etiam petram dici non videas: non proinde mellita dulcedine caruiſſe arbitreris: aliunde namque tibi oſtendam, qua ratione omnium ſuauitatum cumulus in eo repoſitus extiterit. Memineris ipſum vas electionis à Chriſto

Pp di-

Act. 9. dictum, Actorum cap. 9. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum*. Pretioſiſſimum certè vas, diuina gratia elaboratum; & quid illud continebat? ſuauiſſimum nomen Ieſus de quo verè decantatur.

Ieſu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed ſuper mel & omnia
Eius dulcis præſentia.

Item *Ieſu dulcedo cordium*, alibi. *Fons viuus, lumen mentiũ*
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.

Neque his contenta blanditijs ſponſa Ieſu dulcedine, & ſuauitate delibuta; non tantùm mel ipſum, ſed nectar dicit, & ambroſiam.

Ieſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

Omnem huius nominis ſaporem dulcedinem, ſuauitatem, delicias Paulus in pectore, tanquam in vaſe, vel ſacrario continebat, indeque in omnes largiſsimè effundens pluſquàm mellea dulcedine, nectareoq; ſapore ſpirituales epulas inexpertis amaricantes condiebat.

Fallar niſi apum natura, & mirabilis ſolertia artis humanæ induſtriam illudens, in vitreo olim vaſe præluſerit hanc vaſis huius prærogatiuam. Notiſsimum eſt Plinius. quod olim, teſte Plinio, nonnulli fabricatis ex ſpeculari lapide aluearibus, & ſæculo noſtro Germani ſubtiliſsimi artificij homines, ex vitro curioſiſsima obſeruatione mellificij opus introſpicere, irrito tamen conatu intentarunt. Apes enim perſpicua aluearia luto illinentes, aſpectum intercluſerunt, ne quod natura volebat occultari, humanis obtutibus peruium exiſteret. Quis vetat hoc ad Paulum referre, præſertim quia, authore D. Greg. Nazianzeno oration. 14. *Diuina ſapientia magnarum rerum fundamenta multò ante iacit*: Nec raro natura gratiæ opera ſtudioſa præuentione in ſuis operibus delineat: & fortè in memorato euentu figurabatur, qua ratione Paulus electionis vas mirificam nominis Ieſu dulcedinem, altiſſimaque diuinæ Sapientiæ myſteria ſibi reuelata humilitatis inuolucro occultabat. Vnde eſt illud. *Et audiuit arcana verba, quæ non licèt homini loqui*: Et verò D. Paulus non ſolùm tanquàm vas pretioſiſſimum à Deo electum, admirandaque ipſius arte elaboratum dulces mellis opes, ſaporatasque mellita ſuauitate delicias continebat, non vt ſibi ſoli aſſeruaret, & ſolus frueretur; ſed etiam vt in alios largiter effunderet. Nec vaſis ſimilitudinem tantummodo retulit; ſed etiam petram illam æmulabatur, è qua bibituro populo mellis fluenta eruperunt. *Et de petra melle*: quinimò ex hac petra Iſrael tantùm

D. Naz.

2. Cor. 12 num. 5.

tùm bibiſſe memoratur, at verò ex mellea D.Pauli ſapientia totius Orbis ſuā dulcorauit amaritudinem. Vnde etiam vterque Apoſtolus velut Eccleſiæ apis ſūmo labore, ſedulitate, & induſtria ex floribus Dei manu plantatis compoſitos artificiosè fauos ſuauiſſimo doctrinæ melle repleuit, calamoque & lingua, tum epiſtolis, tum concionibus ad communem Orbis vtilitatem inſtillauit, apum in hac parte induſtriā imitatus, de quibus eſt illud apud Virgilium, 4.Georg.

Virgil. —— *Aliæ puriſſima mella Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas:*

Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Quapropter encomiū illud Sponſæ Cantic.4. *Fauus diſtillans labia tua ſponſa*; ad Petrum, & Paulum aptiſsimè refero, quoniam ipſi Eccleſiæ duo labia pulcherrima, & dulcedine plena extiterunt. In illis doctrinę mel modis omnibus Deo gratiſsimū reperies. Et quoniam labore indefeſſo, ſedulitateque inęſtimabili ſtipatum fuerat & confectum, citra vllam Dei offenſam in ſacrificium offerri potuiſſet. Cùm enim Leuit.2. audis mel à ſacrificijs reiectum. *Nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* Nequaquam de hoc melle Dei prohibitionem interpreteris: quoniam oppoſitum ſuadent ſanctorum Patrum ſententiæ præcepti huius cauſas curioſiùs inueſtigantium. Quinimò ſi rectè omnium perpendas oracula in Petri, Paulique fauorem edita videbuntur. Nonnulli, quos refert Theodoret. q.1. in Leuit. affirmant propterea mel ſacrificijs adhiberi prohibitū, quia non hominum, ſed apum induſtria eſſet elaboratum. Et certè voluit Dominus hominem edocere factam ex alienis operibus oblationem, ſibi nimium diſplicere; & è contra ijs maximè delectare quæ noſtro labore proueniunt: ex quo non dubites, ſapiētiæ mel indefeſſo ſtudio incredibili labore, & induſtria ab Eccleſiæ apibus, & ſponſæ labijs Petro, & Paulo inſtillatum, & laboratum Deo gratiſsimum extitiſſe.

Cant.4. num.11.

Leuit.2. num.11.

Theodor.

Aliam D. Hieronymus affert rationem in Epiſtola ad Euſtochium, vbi ſic: *Quoniam mel in Dei ſacrificiū non offertur, nimia dulcedo arte mutata eſt, & quadam, vt ita dicam, piperis auſteritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuoſum nihil tantùm ſuaue placet, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.* Nec ſibi diuerſus abit in epiſt. 12. ad Gaudentium, vbi ait: *Vnde & in Domini ſacrificijs mel nō offertur, ceraque contempta, quæ mellis hoſpitium eſt, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur oliuarum.* Eadem ferè ſcripſit Chryſoſtomus homil. 1. in Marcum. *Mel*, inquit, *nunquam oblatum legimus,*

D. Hier.

Hieron.

D.chryſ.

mel penitus non offertur: Mel ſanè voluptatis indicium eſt, & ſuauitatis. Semper enim voluptas Deo non placet. Nec mirum quod delectabilia Dominus faſtidiat & abominetur, quoniam ſub dulcedine tectam amaritudinem occultant, vt vetus apophthegma teſtatur.

Nulla ſyncera eſt voluptas, felque melli interuenit.

Addo Petri Damiani calculum ex ſer. 64. vbi fallacem libidinis dulcedinem, carnis blandimenta, ipſiuſque pro fouendis voluptatibus ſtatuta, & ſanctiones Deo maximè deteſtabiles aſſeuerat, eius verba ſunt: *Nuſquam certè præceptum in veteris teſtamenti cerimonijs inuenitur, vt mel ſacrificijs miſceatur; per quod intelligitur, quia his, qui Deo vitæ ſuæ ſacrificium offerunt, nullam Deus carnalem vult ineſſe dulcedinem, nihil in eis viuere, quod ad carnalem pertineat voluptatem.* Hactenus ille. At verò, mel ab Eccleſiæ apibus Petro, & Paulo confectum; hoc eſt, mellita vtriuſque doctrina, & plena dulcedine prædicatio, gratiſſima Deo erat, ipſique in ſacrificium diuino conſpectui acceptiſsimum offerebatur. Licèt enim Dei præcepta inſtillans vterque mirificam præſeferret ſuauitatem, vt Regius Vates Pſalm. 118. verſ. 103. tanquam expertus aſſeuerat. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo*: aderat etiam

D. Petrus Damian.

Pſal. 118 verſ. 103

non minus grata dulcedo ex ſuauiloquentia, dicendique efficacitate exorta, quam ſenſit, & meritò laudauit in libr. de bono mortis cap. 5. ſanctus Ambroſius. *Eſt etiam ſermo ſuaſorius, dulcis vt mel, & tamen peccatoris conſcientiam in ipſa ſuauitate compungens.* Ceterùm quò plus dulcedinis genuinæ, piperatæque auſteritatis mordacitate cōdita Petri, Paulique doctrina in ſe habuit, eò minus adulterinæ ſuauitatis in ea ſentires, quæ carnis illecebras, & libidinis irritamenta foueret. Quinimò, nihil in eorum prædicatione, niſi mortificationem, contemptum, crucis opprobria, voluptatum omnium abſtinentiam, indictumque aduerſus omnia criminum, & vitiorum genera bellum cerneres inteſtinum.

D. Amb.

Alij, in quibus Oleaſter in c. 2. Leuit. propterea mel à ſacrificijs reiectum arbitrantur, quia in ignem coniectum, & combuſtum odorem tetrum exhalat. Et verò indignum erat, vt Dei domus malis odoribus perfunderetur. Do Oleaſtrum. *Fortè ideo quia combuſtum nullum emittit odorem, ſed fœtorem potius.* Non tamen propter hoc timendum fuit, vt mellea Petri, Paulique doctrina diſpliceret; etenim igne charitatis combuſta miram ſpirabat fragrātiā, ſuauiſsimoq. odore recreabat. Audi quid ad Cor. ſcripſerit: *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco,*

Oleaſt.

2. Cor. 2. num. 15.

eſt

Digitized by Google

eſt etiam moribus ſuus odor, & ſuaueolentia, quam Petri, & Pauli vita ſpirabat: vterque virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris: vtriuſque memoria in compoſitione odoris: paſtillos olebãt ſanctitatis, virtutumque omnium ad ornamenta portabant, quæ ex diuinorum obſeruantia pręceptorum mirificè compoſuerant.

Non minùs apta mihi videtur ratio, quam alij aſſignant; ob quam mel à ſacrificijs arceretur. Ea verò ſic habet: ſacrificia Deo pro peccatis offerebantur, vt ipsũ redderent propitium, qui litabãt. Incongruum autem erat, vt amaris dulcia permiſcerent: Nec enim peccatorum fel, & acor, mellis ſuauitati coniugi, & cohærere poſſe videbatur. Ex quo dixit egregiè Magnus Albertus Ser. de Circunciſione Domini. *Si deſideramus guſtare ſuauitatem diuinæ bonitatis, oportet vt nos etiam ſimus ſuaues. Vnde dicit Auguſtinus; Si aceto plenus es, vbi mel pones, quo te vult implere Deus? ſi vis habere mel, funde fel.* Hæc ille; quaſi diceret: Non bene conueniunt felle mella, nuſquam aptè amara dulcibus copulantur, hoc eſt, vita criminoſa peccatorumque amaritudine reſperſa, cum melle, cuius dulcedo vitæ innocentis imaginem repræſentat. Idcirco dixit in Pſal. 118. v. 103. D. Ambroſius: *Quomodo poſſunt verba Dei dulcia eſſe faucibus tuis, in quibus eſt amaritudo nequitiæ? Quomodo mel, & lac ſub lingua tua, cum dolum lingua tua componat.* Nec abluſit ethnicus, vt de Epicteto refert Stobæus ſermon. 2. de Malitia. *Turpe eſt*, inquit, *qui apum muneribus dulcem facit potionem, Deorum munus rationem amaram reddere vitio.* Quo cum aptiſſimè choæret quod alia incedens via ſcriptum reliquit D. Chryſoſt. ſer. 8. de pœnitentia. *Mel natura dulcedinem habet; atque illibutum eſt, non propria, ſed illorum ægritudinis natura.* Ita ille. Non apta mellis eſt, & fellis commixtio; non benè dulcia ſociantur amaris, nec culpæ cum innocentia coniunguntur. Cùm igitur mel innocentiæ hieroglyphicum habeatur, & vitæ ſanctimoniam in ijs promittat, quorũ obſequio ſacrificijs adhibetur; indecẽs erat, vt in criminum propitiationem offerretur: idcirco ex Dei præcepto à ſacrificijs eliminatur.

Albert. Magnus. — D. Ambr. — Stobæus. — D. Chryſ.

Verùm hinc optimum deſumitur argumentum, quo Petri, & Pauli doctrina, ipſiusque præſtantia confirmatur, ac propter mirificam dulcedinem clariſſimis extollitur elogijs. Nuſquam enim cum peccati amaritudine doctrinæ dulcedo in his apibus reperitur; vitæ integritas, prædicationis ſuauitas nexu indiſſolubili nectebantur. Dicenti crede: *Nihil mihi conſcius ſum*: quod etiam Petrus dicere potuiſſet: vterque charitatis igne ſuccenſus, vtriuſ-

1. Cor. 4. num. 4.

que vita non ſolum ab omni culpa immunis, verùm etiam magnis virtutibus illuſtrata, vt infra latiùs oſtendemus. Vnde non poterat non eſſe Deo gratiſsimum mel illud, quod apes iſtæ ſic ſtudioſè confecerant, & incredibili animi affectu, dum vita maneret, obtulerunt. Amarum tamen, & inſipidum plurimi peccatores ſenſerunt, quibus deprauata cupiditas, inſanaque libido criminum felle delibuta, ſaporis iudicium abſtulerant: vnde mellita verba, nectarisque diuini ſuauitatem ſpirantia, quę ex pulcherrimis Eccleſiæ labijs profluebant, vecordes, & nauſeabundi reiecerunt.

Non incongruè hoc in loco ſe ſe offert expendẽdum illud Apocalyp. 10. verſ. 9. ad Ioannem ab Angelo dictum, ſcilicet: *Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum; ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Hæc Angelus, quem Ioannes vbi primum audiuit, dictis obtemperans, librum deuorauit, & prænunciatam ab Angelo in ore dulcedinem, & in ventre expertus eſt amaritudinem. *Et accepi*, inquit, *librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Triumphat in hoc loco D. Auguſtini acumen, & viros ſanctitate eximios Eccleſiæ labia, vel os appellari exiſtimat (Petrum crede, & Paulum, cæterosquè Euangelij Miniſtros) quorum vitam exornat virtutum perfectio, & prædicationis dulcedo commendabiles oſtentat. At verò in ventre voluptuarios, turpitudinibus deditos, peccatorũque illuuione ſubmerſos, quique Dei legem tanquam felleam abominantur, aptiſsimè deſignari non dubitat. Illum audi: *Os Eccleſiæ in Sanctis ſit, venter Eccleſiæ in carnalibus ſit.* Et quid vlterius? Adiungit. *Quidam dicit ſe accepiſſe librum, & liber ipſe dulcis erat, inquit, in ore meo. Quid eſt hoc? niſi quia præcepta ſumma, quæ accipiunt ſpirituales, non accipiũt carnales, & de quibus gaudent ſpirituales, contriſtantur carnales.* Ita ille.

Apocal. 10. num. 9.

num. 10.

D. Aug.

Si verò, vt euenit aliquando, peccatores audito Dei verbo, cæleſtique melle epoto ſanitatem recuperent; atque ad Deum conuertantur: quod multos Petrum, & Paulum audientes feciſſe ne dubites: Tunc Dei verbum melle dulciùs in ore ſenſerunt, ſtatimq; ſeipſos, & vitæ turpitudinem indignati, dulcedinem in amarorem, fallaciam in veritatis agnitionem, illecebram in doloris acerbitatẽ immutari experiuntur. Quod eorum præfigurans ingenium ſenſiſſe fatetur Ezechiel cap. 3. nu. 3. vbi liber foris, & intus ſcriptus, quem manus è cælo delapſa porrexit, deuoratus præfatam dulcedinis in amaritudinem metamophorſin effecit. *Et factum eſt*,

Ezech. 3. num. 3.

eſt, inquit, *in ore meo ſicut mel dulce*. Sed quaſi ex guſtata dulcedine flueret amaritudo, vide quid addat: *Abij amarus in indignatione ſpiritus mei*. Deus bone quis credat, ex dulcedine acorem, ex ſuauitate exortam fuiſſe amaritudinem? Qui fieri poterat, vt os eſſet melle delibutum, & cor felle madens ſpiritus indignatione excitaret? Pulchre D. Gregorius homil. 10. in Ezechiel. admirationi reſpondet; *Et factum eſt in ore meo ſicut mel dulce. Qua ratione poſtmodum dicitur abij amarus in indignatione ſpiritus mei: mirum quippe valde eſt, ſi dulcedo ſimul, & amaritudo conueniat? Sed iuxta ſuperiorem ſenſum ſciendum eſt, quia cùm ſermo Dei in ore cordis dulcis eſſe cœperit, huius proculdubio cõtra ſemetipsũ animus amareſcit; quò enim in illo ſubtiliter diſcit qualiter reprehendere ſe debeat, eò ſe duriùs per amaritudinem pœnitentiæ caſtigat*. Hactenus ille.

Ezechiel 3. num. 3.

D. Greg.

Nonnulli tam in Ezechielis, quàm in Ioannis libro ab vtroque deuorato, Euchariſtiæ figuram agnoſcũt, in qua dulcedo & amarities occultatur: Dulcem, qui dignè, & amaram ſentiunt, qui indignè manducant. Quod ſi hoc verum habet, pulcherrimè Petrus, & Paulus Eccleſiæ apes dicuntur: quippequi fauum mellis, hoc eſt, Euchariſtiam, in illo fauo, quod in ore mortui leonis Sanſon inuenerat, ſignificatam porrexerunt. *Ecce examen apum in ore leonis erat, & fauus mellis*. Iudic. 14. num. 8. Et verò Petrus, & Paulus præ cæteris Euchariſtiæ dulcedinem, ſub dulcium rerum nominibus clariùs expreſſerunt. Petrus epiſt. 1. c. 2. num. 2. ait: *Sicut modo geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtatis quoniam dulcis eſt Dominus*; vbi de Euchariſtia ſermo eſt, ſicut multorum Patrum tenet ſentẽtia, & deducitur ex D. Iacobi Lithurgia: conſentiũt Dionyſius Areop. in Eccleſiaſt. Hierarch. c. 5. Gaudent. Brixienſ. tract. 2. de Paſcha, Cyrill. Alex. homil. de cœna Domini, & lotione pedum. At cur Petrus Euchariſtiã dixit lac? quo etiam nomine vſus eſt Auguſtinus tract. 3. in epiſt. 1. Ioan. *Lac noſtrum Chriſtus eſt*. Idem Apoſtolus appellationis ſuæ rationem quaſi reddens ſubiunxit; *Vt in eo creſcatis in ſalutem*. Et ſanè Euchariſtia non ſolùm ob accidentium candorem lactis ſimilitudinẽ refert, ſed etiam quia ſpiritualem vitam alit, imò & auget, vt Clemens Alexand. lib. 1 Pædag cap 6. teſtatur. Quin etiam Galenus lib de placit. tradit lactis propriũ munus eſſe, vt non ſolùm alat, & nutriat, ſed etiam vt peculiarem vim augendi contineat. Hinc eſt vt infantes lactis nutrimento plurimum augeantur. Quapropter dixit pulchrè D. Chryſoſtomus homil. 60. ad Populum, *Nonne* vide-

Iudic. 14.

1. Petr. 2.

D. Iacob

Dionyſ.

Gaudent.

Cyrillus.

D. Aug.

Clem. Al.

Galenus.

D. Chryſ. *videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tãta nos quoque alacritate ad hanc menſam: quinimò cum longè maiori trahamus tanquam infantes lactanei ſpiritus gratiam; & vnus ſit nobis dolor hac eſca priuari.* Hanc verò lacteam Euchariſtiæ dulcedinem ad animarum nutrimentum à Chriſto confectam D. Petrus melleam dixiſſe videtur, dum ait: *Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus.*

1. Petri 12. Eadem ratione D. Paulus, etſi alia vſus metaphora panis viuifici dulcedinẽ expreſſit: Cùm enim ad

1. Cor. 11 Corinth. 1. c. 11. dixiſſet: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, ſtatimque expoſuiſſet quod acceperat, corpus videlicet Chriſti, panis & vini ſpeciebus contectum. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur:* illico adiunxit neceſſum eſſe, vt quiſpiam manducaturus ſe ipſum ante probaret: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quò tendit hęc Apoſtoli exhortatio? Eſculenta probari ſolent, vt facto ſaporis iudicio manducentur, vel reijciantur: hìc autem manducans ad ſui probationem admonetur. *Probet autem ſeipſum homo.* Quiſnam oro manducat, Chriſtus hominem, an homo Chriſtum, cùm in Euchariſtia ſe dat in eſcam? Vtrumque eſt, ait Bernardus ad illa verba

D. Bern. Cantic. cap. 2. num. 16. *Dilectus meus mihi & ego illi: & manducat nos, & manducatur à nobis, quo arctiùs illi aſtringimur.* Quinimò meliùs dixeris, quod nos ipſe manducet, ſiquidem dum ipſum ſumimus in eum transformamur, ſicut, referente D. Auguſtino libro 7. confeſſ. cap. 10. Dominus ipſe teſtatur: *Cibus ſum grandiũ, creſce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis ſicut cibũ carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Cùm autem Chriſtus in Euchariſtia dulcis ſit iuſtorum cibus, iuxta illud Petri; *Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus*, Sic etiam ſeipſum recipientes gratiæ dulcedine ſaporatos requirit; & ideo Apoſtolus præcipit vt vnuſquiſque ſeipſum de ſapore experiatur: *Probet autem ſeipſũm homo*, vt prius ſentiat, an culpæ amaritudine infectus repudiari, vel gratiæ dulcedine ſaporatus à Chriſto mãducari debeat. Ex quo apparet, quàm dilucidè Petrus, & Paulus Euchariſtici lactis, & mellis dulcedinem expreſſerunt: quod probis dulce eſt, & improbis in amaritudinem conuertitur. Verùm enim verò inſtituti noſtri ratio exigit, vt de Apoſtolorum doctrina generatim diſſeramus; ideo §. ſequenti, quantùm inde vtilitatis pro ſuo quiſque palato accipiat, diſcutiemus.

Cant. 2. D. Aug. 1. Petr. 1 1. Cor. 11

§. PRI-

§. PRIMVM.

Mellea Petri, & Pauli doctrina nõ omni palato dulceſcit; ſiquidem improbis impẽsè ſatur eſt, probis verò dulce pabulum, & miram præſtat voluptatem.

Concolor in plurimis cor, & palatum reperitur: vnde tam ineptè de virtutibus ſapiunt corde, quàm prauè de ſaporibus iudicant palato: bonũ dicunt malum, & dulcia vt amara reijciunt: inſulſa, & inſipida amplectuntur, bene condita, & nimium ſapora faſtidiunt. Hinc eſt vt pœnitentiæ amaritudinem, ſpirituſque afflictionem exoſi eloquij cæleſtis mella repudient, Catholicam veramq. doctrinam deteſtentur, veriti ne per aures in pectus tranſmiſſa in medicabilem cordis amaritudinem immutetur. Idcirco ſcientia elati Nouatores iſti, vetereſque hæretici, quos potiùs inſcitia, futilique, & inani ſubtilitate deceptos dixeris, ſacras Scripturas impiè detorquent, atque in voluptatum fauorem interpretrantur. Cuius criminis reos Diuus Athanaſ. in epiſtola ad Amonium ſui æui hæreticos inſimulat.
D.Athan. *Illos*, ait, *pro ſua ignorantia, & conſtantia libidine per vim illas detorquere.* Quod D. Petrus epiſtola 2. c. 3. verſ. 16: futurum prædixerat, vbi de Pauli ſapientia, quæ in ipſius epiſtolis eminebat,
2.Petr.3 locutus, hæc ſcripſit: *Sicut in omnibus epiſtolis loquens in eis de his* (nempè de pace cordis, de longanimitate Dei, de pœnitentia, ac de bonis operibus) *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorũ perditionem.* Quod adeo verum eſt, vt ex Diui Pauli epiſtolis quinquaginta locos hæretici deprauarint, impiaque interpretatione ad turpitudinum, libidiniſque fomentum conuerterint; vt tom. 13. cap. 2. probat Salmeron, ſecutus Origenem in epiſt. ad Romanos, Irenæũ lib. 3. cap. 7. Hieronym. epiſt. 50. & 61. Exemplo ſit locus ille ad Roman. 3. num. 20. *Vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia*: Ex quibus verbis teſte Oecumenio ſequelam impiam deduxerunt. *Peccemus amplius vt nobis remittatur.* Horum ego impietatem deteſtor, non tamen miror quòd ita prolaberentur. Etenim à Diuo Paulo 1. Corinth. 11. nu. 19. prædictum inuenio. *Oportet & hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiãt in vobis.* Quod teſte Tertulliano lib. de Reſurrect. cap. 40. ex eo prouenit, quia ex mellea Pauli doctrina felleam, & venenatam iſti amaritudinem expreſſerunt. *Nihil autem mirum ſi & ex ipſius Pauli inſtrumentò capientur argumenta, cùm oporteat hæreſes eſſe, quæ eſſe non poſſent, ſi non & perperam Scripturæ intelligi poſſent.*

Salmer. Origen. Irenæus. D.Hier. Roman.3

Ve-

Verùm vt huic malo occurratur, ſalubre conſilium erit tantùm mellis ex Petri, & Pauli doctrina profluentis ad cibum adhibere, vt mentis vires reficiantur, non
Rom. 12 num. 3. opprimantur: *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatē*, vt dicebat Apoſtolus, obſeruandumque Dei monitum Prouerb. cap. 25. num. 16. expreſ-
Prouerb. 25. ſum: *Mel inueniſti, comede quod ſufficit, ne fortè ſatiatus euomas illud.* Quod D. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 3. ſic interpretatur.
D.Greg. *Mel inuenire eſt ſancti intellectus dulcedinem deguſtare; quod tunc ſufficienter editur, quando noſtra intelligentia iuxta menſuram ſenſus ſub moderamine tenetur: nam ſatiatus mel euomit, qui plus appetens penetrare quā capit, & illud perdit vnde potuit nutriri.* Hæc ille. Et quidem hanc ipſam mellis naturam in ſapientia detexit D. Amhroſius, cuius eſt illud ex
D.Ambr. libro 1. epiſt. 1. *Eſt autem menſura ſapientiæ, quæ ſi ſupra menſuram ſit, nocet, quia ſcriptum eſt. Noli eſſe multùm ſapiens:* Salubre quidem monitum. Is enim, qui ſuperbia elatus vltra vires ſaipens fieri ſtudet, Ethicorum ſententijs non ſemel damnatur.

Supra modum ſi quis ſapit,
bis deſipit.

Item *Nemo ſapit minus, ſapit*
quàm qui nimis.

Poſtremo. *Intra modum quiſquis*
ſapit; verè ſapit.

Non prætereundus hoc loco Hugo carenſis eandem Prouerbiorum ſententiam ita verſans.
Mel inueniſti idest ſacram Scri- Hug.Car
pturam: comede quod ſufficit tibi, vtilia ſecundum capacitatem intellectus tui inquirendo. In idem etiam recidit quod Abſalon Abbas ſer. 7. de Natali Domini ſcri-
pſit. *De tertio*, inquit, *melle*, Abſalon Abbas.
quod eſt ſpiritualis intelligentia ſcripturarum, Salamon dicit; Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, hoc eſt, ad ædificationem, non ad curioſitatē arcana ſcripturarum perſcruteris. Hæc ille. Verè & ſalubriter admonet; periculoſum namque eſt Petri, Paulique doctrinam vana curioſitate diſcutere, ac in legendis eorum epiſtolis non proficiendi, ſed diſtorquendi animo deſtineri: quod vterque præcauit, Paulus horta-
tur, vt iam diximus: *Non plùs ſa-* Rom. 12. num. 3.
pere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, eandem Pe-
trus commendat: *Sobrij ſtote, &* 1.Petr.5
vigilate. Nec vigiles tantùm requirit, ſed fortes ad ineundum cum hoſte certamen. *Reſiſtite fortes in fide*, in cuius obſequium captiuus trahi debet intellectus,
vt D. Paulus admonuit. *Capti-* 2.Cor.10
uantes intellectum in obſequium Chriſti. Nec ignominioſa eſt, ſed honoranda captiuitas, imò & iure debita. Quoniam arcana Dei iudicia, ipſiuſque monita, & præcepta nullatenus diſcutiēda ſunt, ſed credenda protinùs, & auſcultanda. Quapropter temeritatis dam-

Digitized by Google

damnandus erit, qui mandatorum bonitatem auſit in examen reuocare. Iubenti Deo velato obtemperandum eſt obtutu: nec de congruentia, facilitate, aut grauitate præcepti curioſiùs diſputandum. Quod lib. de pœnit. cap. 4. Tertull. non immeritò damnauit. *Audaciam exiſtimo de bono diuini præcepti diſputare; neque enim, quia bonum eſt, idcirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit.* Hæc ponderosè, vt ſolet, Afer ille. Nec aliam in Dei præceptis bonitatem deſideres, quã quòd ab ipſius voluntate proficiſcantur: Dum audis, *Deus præcepit*, ſtatim mandati iuſtitiam, & bonitatem cõſidera; nihil enim quod bonum non ſit à Deo præcipi fas eſt arbitrari. Primam rerum molitionem inſpice, ibique rem hanc ſatis probatam deprehendes: Geneſ. 1. Multa Dominum imperio condidiſſe, hoc verbo *Fiat*, ſacer Hiſtoricus affirmat. *Fiat lux, & facta eſt lux*; ſtatimque lucis bonitatem cõmendans, ait: *Et vidit Deus quod eſſet bona*; quod pariter in alijs, quæ fieri præcepit, obſeruatum deprehendes: Nam ſæpius repetitum leges: *Dixit fiat, & factum eſt ita: Et vidit quod eſſet bonum.*

Tertull. — *Geneſ. 1.*

Cæterùm non parum inijcit admirationis, quòd ea Deus non laudauerit, in quibus ipſe faciendis operam collocauerat. Hominis fabricam, & compoſitionem reuerſa, Deum auſculta dicentem: *Faciamus hominem.* Studium circa opus, affectum, curam, & ſolicitudinem intuere; & quo facilius poſſis, Tertullianum tibi propono libr. de Reſurrectione carnis cap. 6. ita ſuadentem. *Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, prouidentia, & ipſa inprimis adſectione, qua lineamenta ductabat.* Et quod magis mirere non in ſolo hominis opificio Deus immorabatur, opus erat, & pignus. *Quodcumque enim limus exprimebatur; Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Cur ergo perfecto opere, & pignore non commendat? Cur ipſius bonitatem non extollit? Deerat fortaſſe? quis ita hebes, vt ſentiat bona fuiſſe, quæ ex Dei præcepto, vt eſſent acceperunt, non ita quæ ipſe proprijs manibus fabricarat. Cur igitur non laudat, & bonitatis titulo exornat? Nulla vberior commendatio poterat inueniri, quàm quod Deus feciſſe deſcribitur. *Faciamus hominem*, Fecit: igitur alio nõ indigebat encomio. Quapropter monet tandem Tertullianus. *Cum & ſi alia materia excudendo homini competiſſet, artificis faſtigium recogitari oporteret; qui illam, & eligendo dignam iudicaſſet, & tractando feciſſet.* Quis ergo Deum cogitans authorem, in eam proijciatur audaciam, vt non ſolum probata: imò etiam præſtantiſſimæ bonitatis laude exor-

Tertull. — *Tertull.*

exornata fateatur, in quibus Deũ occupatum intuetur, vt autem intelligatur bonum eſſe, quod à Deo præcipitur, potiùs voluit titulo bonitatis adornare quæ præceperat fieri, quàm quæ ipſe peregit. Itaque audaciæ damnandus, qui diuinorum præceptorum bonitatem in quæſtionem euocat; Tertullianum repeto: *Audaciam exiſtimo de bono diuini præcepti diſputare, &c.* Nec cuiuslibet notæ, ſed grauiſſimæ talis erit audacia. Quis enim hominem diuina curioſius perſcrutantem non damnet. Cum apud Iſaiã c. 6. Seraphinos videat caput binis alis contegentes, vt hoc habitu teſtarentur diuina rimari ſecreta, immenſamque Dei bonitatem, quæque ab ipſo facta, & mandata oriuntur diſcutere non audere. Perbellè hac de re D. Ambroſius libr. 3. de Spiritu ſancto
D. Amb. cap. 22. *Seraphim indefeſſis vocibus laudant, & tu diſcutis? Quod vtique cùm faciunt oſtendunt nobis, non aliquando diſcutiendum Deum, ſed ſemper laudandum:* Hæc ille. Cæterùm Seraphinos inſpice: quoniã dum extentis alis obedientiæ promptitudinem, amoriſque incendiũ ipſo nomine ſignificatum manifeſtant, aliundeque Dei mandatis cæcè omnino ſe ſubmittunt, quaſi edito clamore pronunciant Dei decreta, & mandata nullatenus inueſtiganda; neque de ipſorum bonitate diſputandum; quod ipſe vt iam dicebamus anteuertit, dum ea quæ fieri præceperat poſtmodum laudauerit, *Fiat*, dixit, Geneſ. 1. & ſtatim *vidit quod eſſet bonum*. Cum tamen ea, quæ proprijs manibus effecerat, vt in hominis formatione inſpeximus, in qua ſpeciale ſtudium, curam, affectumque impenderat, & tamen nuſquã dicitur laudaſſe: Quo datur intelligi, ſi, quod fieri nequit, in ijs quæ à Deo procedunt, bonitas quandoque eſſet defutura; potiùs in illis, quæ manibus proprijs operaretur, deeſſet, quam quæ facienda præciperet. Atque adeo in quæſtionem vocari non poſſe; an ipſius præcepta ſint bona: cũ adeo bona ſit præcipientis voluntas, vt illam ei antepoſuerit, quæ ijs rebus ex propria Dei operatione proueniret. Quæ, ni fallor, Tertulliani mens fuit, dum veluti quid temerarium reprobat Dei præceptorum bonitatem diſcutere. *Neque enim quia bonum eſt* Tertull. *auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit.* Quaſi diceret, ſuperuacaneũ eſt in Dei præceptis aliam quærere bonitatem, quæ vel præceſſerit, aut ſequatur, cum totius bonitatis ſumma ex eo ſit repetenda, *Quia Deus præcepit.*

Quid igitur cauſæ erit, vt homo præceptis diuinis obtemperare recuſet, cum nulla maior ad obediendum ſit ratio, quàm ipſamet Dei præceptio. Agnouit hoc paralyticus, cui trigeſimũoctauũ annũ in lecto decũbenti Chriſtus præ-

Ioan.5. præceperat; *Surge tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioan.5.& cum antea quaſi lecto affixus immobilis permaneret; audito, *Surge*, Chriſti iuſſionem attendens ac in ea bonitatē introſpiciens, ad ambulandum ſubitò conatur. Fallar, niſi hoc detexit Auguſtinus, qui tria à Chriſto dicta perpendit, ſed plus myſterij in illo, *Surge*, deprehendit. D.Aug. *Tria dixit, ſed ſurge non eſt imperium operis, ſed operatio ſanitatis.* Verè quidem nam Chriſti verbū ad infirmitatē præcipuè dirigebatur, vt à paralityci corpore refuga, ſtatim ſurgeret, Deoque præcipiēti obediret infirmus. Sic enim Deus operatur, vt dum præcipit, ipſummet imperiū facilitatē exequendi tribuit, quod imperatur, atque ad obediendum vires ſuppeditat. Vnde minimè capit excuſari qui propter ſummam rerum difficultatem, ſeu impoſſibilitatem iubenti Deo non obtemperat.

3. Verba illa cap.28. Matthæi. Matt.28 *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulcbrum* Diuus Chryſologus ſerm.74. profundè rimatus, non parum locutionis tenorem admiratur: etenim Sabbathi veſper in Dominica illuxiſſe prædicatur, qui eſt ordo præpoſterus: veſper diem claudit dum vergit in noctem, nuſquā tamen ab ipſo dies inchoatur, vt hic Euangeliſta commemorat.

Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi: quæ verba feriens Chryſologus, eleganter argutatur: D.Chryſ. *Veſper finit, non inchoat diem; tenebreſcit veſper, non luceſcit, non in auroram vertitur, quia lucis ortum ignorat.* Verumtamen ordo nunc immutatur, & cū veſperi nox eſſet vicaria, mutata ſorte dies ſucceſsit. Iterum Chryſologus: *Veſpera mater noctis parturit diem, mutat ordinem, dum agnoſcit authorem.* Acutè dictum, vt tamen capias, aduerte quod idem Chryſologus ſermone 2. de Reſurrect. adnotauit ad verba illa ex cap. 21. Diui Marci. Marci 28 *Et valde mane vna Sabbathorum; veniunt ad monumentū, orto iam ſole;* Et admiratur qua ratione cohæreant, *Valde mane, & orto iam ſole;* quæ in ipſo aſpectu oppoſita videntur; ſin minus quæro, illuxerat ne iam ſol, & ſplendoris ſui radios effuderat? Ita planè, hoc enim ſonat, *Orto iam ſole.* Cur igitur dicit, *Valde mane;* aut mutatis vicibus, *Orto iam ſole;* quia non vtrumque ſed vnum, vel alterum eſſe oportebat. Rem ita expedies: Sol in ipſa Chriſti reſurgentis die tribus horis maturauit exortum; vt qui morienti Redemptori compatiēs, & paſsionis indignitatem non ſuſtinens, vt tenebris Orbem oppanderet, per totidem horas lucis defectum ſit paſſus; eidem reſurgenti feſtiuus, applaudenſque lucis iacturam gratiori fœnore re-

reſarciret, & pi nus antelucanis radijs, Christi de nocte triumphũ prædicaret. Sed iam do Chryſologum: *Ab hora*, inquit, *ſexta vſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt. Ergo ſol qui præter horam vt Domino cõpateretur abſceſſerat, cùm reſurgeret Dominus claritate ante tempus occurrit, & qui, vt ſuo commoreretur authori ipſam meridianam ſuam mortificauerat claritatem, euictis tenebris, vt conſurgeret authori ſuo antelucanus erupit.* Hactenus ille. Quemadmodum igitur naturæ ordinem inuertit ante horas tres oriri feſtinans, vt Domino deſeruiret; eadem ratione, cùm veſper, diem noctis ſepulchro abſcondẽdum portaret, variatis vicibus, diem extulit, non abſcondit, quia id Creatoris ſeruitium exigebat. Pulcherrima eſt Diui Chryſologi clauſula ſerm. 74. vbi ſic. *Veſpera mater noctis parturit diem, mutat ordinem, dum agnoſcit authorem; radiat de nouitate myſterium, anhelat Creatori ſeruire, non tempori.* Magni ponderis eſt illud, *Anhelat Creatori ſeruire, non tempori.* Nihil obfuit naturæ ordo: nihil temporis leges obſtiterunt, omnia inuertit, & facilè ſuperauit, vt Creatori deſeruiret, in cuius obſequium veluti in ſcopum collimabat.

D. Chryſ.

D. Chryſ.

Ineptè ergo de temporis importunitate remedium, ac de impoſſibilitate excuſationem capiet Christianus, ne Deo imperanti, aut ſeruitium iure ſuo repoſcenti obſequatur. Quod mihi ficus repente areſacta ex miraculo repræſentat, apud Marcum cap. 55. vbi ſcribitur: quòd Christus ad ficum appropinquans, vt ex ea ficus decerperet; quas cùm non inueniſſet, indignatus arborem areſactionis maledictione percuſsit, quam ſtatim illa perſentiẽs exaruit. Mirum tamen eſt, quod addidit Euãgeliſta. *Non erat tempus ficorum.* In quo non ficus eleuatur à culpa, ſed arguitur. Cur autem crimini verteretur; ſi extra tempus non haberet ficus; magis videbatur arguendus, qui tunc illas quæreret; cum, *Non erat tempus ficorum*. Cæterùm cùm Deus eſſet, qui ficus ea tempeſtate requirebat, incongruum erat ad temporis importunitatẽ confugere, abſurdum naturæ leges expectare. Quid mirum eſſet ficus proferre, cùm id naturæ ordo, & temporis ratio poſtulabat? Illud Deus requirebat, hominem in ficulnea edocebat, vt dum ipſe præcipit, nec ordinem naturæ, nec temporis leges, aut impoſſibilitatis obſtacula opponenda; ſed his omnibus calcatis ad diuinorum præceptorum exequutionem alacriter inuolandum, eo ſolo vigilanter inſpecto, *Quod Deus præcepit.* Quò fiet vt nulla ſe opponat difficultas, quam facilè non ſuperet: nulla temporis ratio, quam non inuertat Christianus Deo parendi cupidus, naturæ legis, ordinis, tẽ-

Tertul.

poris

poris ignarus. Omnia iſta non videt, qui *Anhelat Creatori ſeruire, non tempori*.

Prou. 25. Sed quò ſapiẽtis monitum nos abripuit, *Mel inueniſti, comede quantùm ſufficit:* In quo melleam doctrinæ ſuauitatem expreſſam adnotauimus, cuius vberrima fuit cæleſtis Sponſæ non ſolùm quando pulcherrima ipſius labia faui erant dulcedinẽ diſtillantes; quãdo Petrus, & Paulus apes Eccleſiæ gnauiter in mellificio laborabant, monitis, epiſtolis, ſanctionibus, inſtitutis fidelium pectora recreabant, & ſacrum Chriſti imperium æquo regimine moderabantur, ſed etiam nunc mel inuenies ſapientiæ, doctrinæque dulcedinem epotabis: quoniam Dei benificio Vrbanis apibus fruitur Eccleſia. Inter apes, ex auro flaueſcentes, & vrbanas tanquam magis mellificas celebrant. Quidni? ſtagnantia paſſim mella fluẽt? Sanè fluent: hic inuenies altiſſimam rerum ſapientiam, mellita dulcedine, hoc eſt diuinarum rerum affectu, temperatã: hic Apollinis nitores; Muſarum delicias: politioris litteraturæ flores; admirãdam in adminiſtratione prudentiam; in ſumma ſynceritate laudatiſsimum conſilij arcanum, inter egregias Principum dotes commendatum. Quidquid denique ſupremi imperantis eminẽtiam exornat apes tibi demonſtrabunt. Adi ſupremos hos apices, mel inuenies: comede, hoc eſt, contemplare naturæ & gratiæ largiter indulgentis myſtera. Interim ego ſtylum ad alias apum prærogatiuas calamumq. reflecto.

CAPVT VII.

Reliqua apum dotes promiſcuè recenſentur; & breuiter illuſtrantur.

TAm numeroſa eſt in apibus prærogatiuarum fœcunditas: tot ipſæ titulis, & dotibus exornantur, vt ſummorum Philoſophorum, illuſtrium Poetarum, inſigniorum inter priſcos, & recentes Phyſicorum, & moralium Scriptorum: quinimò ſanctiſſimorum Patrum ingenia, magna ex parte occupauerint, calamos atriuerint, obſeruatione, admiratione, & contemplatione detinuerint. Vnde nec facilè ſine apibus libros inuenies, nec ex Scriptoribus quemquam nominaueris, qui apes non efferat; vel admirationis nota commendet; aut præclariſſimis laudum titulis condecoret. Tanta eſt earum celebritas. Hactenus primas, & præcipuas earũ dotes, ac ſub Hugonis carmine contentas, *Sedula, parca, breuis, vox maior corpore, mel dat* ſatis illuſtrauimus, ac in Petro, & Paulo Eccleſiæ apibus longè excellentiùs reperiri demonſtrauimus. Aliæ ſuperſunt illuſtrandæ in quibus media præeminet caſtitas, virtutum Regina, ſic in apibus

cele-

celebrata, vt propterea virgines ipſis comparentur: & meritò, quia Veneris ſpurcitiam neſciunt: vnde aluearia, in quibus prolificant, nonnulli virginea apum Gynęcea appellarunt; quoniam nihil aliud apibus ad gignendum deeſſe videtur, quam quod impurum, ſatuum, aut minus ſerium æſtimari queat. Vnde ab Hugone dictum, *Caſta facit prolem.*

§. PRIMVM.

Petri Eccleſia apis caſtitas, ſtatuitur; aliiſque apum dotibus exornatur.

PHyſiologi apũ officinas prolificio deſtinatas, & humanis obtutibus plurimùm inacceſſas curioſiùs perſcrutãtes, apibus deeſſe, qui eas inter ſe diſcriminet, ſexum atteſtantur. Vna in ſingulis virginalis integritas, vna omnibus nullius Veneris conſcia, & pura, & multiplex fœcunditas, vniformis, ſibique ſemper ſimilis perfectio reperitur. Nec quæ in conficienda ſobole diuerſitas apparet; ex vllo ſexus diſcrimine prouenit: ſed dignitatum, muniorum, Reipublicæ, operiſque ratione habita conſtituitur. Vnde apum corpuſcula, & articuli regimini, proficuiſque laboribus dedita ſemper, & addicta, non corporeis luſibus, aut voluptatibus eneruantur. Et quod amplius eniteat apum virginitas, & munditia pedibus caſſæ dicuntur. *Pede caſſa eſt.* Quod & ipſum nomen ſonare videtur, non quòd pedibus careant, ſed quòd ab omni ſorde, & immunditia (quæ infima, quæ pedum ſunt) penitùs immunes exiſtant. Hinc floribus ferè ſemper inſidũt, rore paſcuntur, & florida paſcunt. Quapropter Diuus Ambroſius lib. 1. de ſancta virginitate, ad apum imitationem virginem prouocat, atque in hunc modum exhortatur. *Fauus mellis tua opera cõponat; digna enim virginitas, quæ apibus comparetur; ſic glorioſa, ſic pudica, ſic contineñs, rore paſcitur apis, rore veſcitur apis, neſcit cõcubitus, mella cõponit. Ros quoque virgineus eſt ſermo diuinus, quia ſicut ros; verba Dei deſcendunt. Pudor virginis eſt intemerata natura, partus virginis fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis ſuauitatis; in commune labor, communis eſt fructus. Quam te vellem filia imitatricem huius apiculæ, cui cibus flos eſt, ore ſoboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu filia; verba tua nullum doli velamen obtendãt, nullum habeant fraudis inuolucrum, vt & puritatem habeant.* Hæc ille.

Hugo in carmin.

D. Ambr.

Cæterùm neque in his tantùm eminet apum caſtitas; plura ſunt, in quibus etiam illarum virginitas effloreſcit. Inprimis teſte Plinio lib. 11. cap. 5. *Melligine è lachrymis arborum; quæ glutinum pariunt, ſalicis, vlmi, arundinis,* ſuc

Plinius;

Digitized by Google

ſucco, gummi, reſina, his primum alueum ipſum intus totum, vt quodam tectorio illinunt, & alijs amarioribus ſuccis contra aliarũ beſtiolarum auiditates: id ſe facturas conſcia, quod concupiſci poſſit. His deinde fores quoque latiores circunſtruũt. Itaque dum tecta illinunt, & foramina circunſtruũt; opus mellificij abſcondũt, ac dum ſuccorũ, & reſinæ amaritudem opponunt, aduerſus beſtiolarum furtiuos aſſultus mella protegunt, & tuentur. In quo ſaluberrimum cuſtodiendæ virginitati documentum elucet. Etenim, vt virginitas illibatum ſeruet pudorem, abſcondita ſit oportet: Videreque, & videri, quod Authore Tertulliano de velandis Virgin. eiuſdem eſt libidinis, magnopere vereatur: Virgo igitur nominis ſui Etymon. conſideret, quod idem eſt atque abſcondita. Hinc Regius Vates in Pſalmo 44. quem virginitati dedicauerat, hanc appoſuit inſcriptionẽ. *Pro virginibus*, ſeu, vt ex Hebræo, referente ad eum locum Lorino, plurimi tranſtulerunt. *Pro occultis*. Deinde nouerit amaritudinibus & aſperitatibus aduerſus beſtiarum, hoc eſt cupiditatum, quæ omnibus beſtijs immaniores sũt, auiditatem, virgineum pudorem eſſe defendendum; memor illius quod olim dixit Ambroſius. *Dulcia lenocinantur vitijs, inſeruiunt blandimenta delictis*. Vnde apis Hugone teſte.

Tertull.

Pſal 44

Lorin.

D. Amb.

---- Perit vncta, reuiuit aceto.

Hugo in Cirain.

Non ſecùs virginitatem interimunt vnguenta: nec minùs oleo abſumitur, quàm veneno. Idcirco D. Hieronymus ad Euſtochium ſcribens prudenter admonet. *Peregrini muris olentes pelliculas, tanquam venena pudicitia, virgo deuitet.* Cæterùm quam olei lenimenta conficiunt, aſpera & prædura cuſtodiunt. Odoramentis præmoritur, & aſperitatibus ſuſcitatur: Cuius rei præſciæ apes odoramenta impensè abominantur: in delibutos vnguentis inſiliunt, & balano perfuſos acerrimè pungunt; à fœtoribus pariter abhorrent, ijs præſertim quos Venere, & Baccho inquinata corpora emittunt. Rufillos itaque, & Gorgonios, paſtillos pariter, & hircum deteſtantur. Quidni? pariter impuros, ita & temulẽtos.

D. Hier.

Perbellè quidem apis Eccleſiæ Petrus apum in gignenda prole caſtitatem, in perſequendis impudicis acrimoniam fuit imitatus. Apum ſoboles, vt ex Ambroſio dicebamus, *Ore legitur, ore componitur:* Sic etiam apis noſtra innumeros Chriſti filios ore, hoc eſt, prædicatione progenuit: vnde eſt illud, *Quaſi modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac cõcupiſcite*. Verùm ò mira fœcunditas! quæ Genitoris caſtitatem nõ abſtulit, ſed plurimùm exornauit. Virginitatis coronam Petrus non habuit; attamen vbi primum ad Apoſtolatum vocatus, in Chriſti

D. Amb.

1 Petr 2 num. 2.

collegio permanſit, caſtitatē magnoperè coluit, ſicque à coniugij voluptatibus abſtinuit, vt viuente vxore, Petrus nequaquam maritus, niſi per ſocrum agnoſceretur, vt disertè notauit Tertullianus lib. de monogamia cap. 18. verba
Luc. 4. illa Luc. 4. expendens, *Socrus autem Simonis tenebatur magnis ſebribus.* Mirum tamen eſt, & valdè ponderandum, quòd viuente
Clem. Al. Petri vxore, vt Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromatum affirmat, nuſquam in Euangelio facta illius mentio reperiatur: niſi quis dicat ſacram Scripturam aliquando plus ſilentio, quàm verbis ſignificare, vt cenſuit idem Clemens Alexandrinus. *Conabitur autem,* ait, *& tacens oſtendere.* Non diſſentior: ipſum namque ſilentium magni eſt myſterij index, & dum Petri vxorem tacitus Euangeliſta prætermit; recuperataque ex miraculo ſanitate, ſocrum hoſpitibus miniſtrantem induxit, apertè clamare videtur, Petri vxorem ita domi viuere, ac ſi vxor nunquam extitiſſet. Licèt verò vt iam ex Diuo Hieronymo probatum reliquimus ad cap. 3. §. 2. Petrus vxorem demiſerit, non tamen dato repudij libello id factum exiſtimes, ſed quatenus coniugali officio valedixit: Etenim Chriſtus omnia ſuauiter diſponens, non ſolùm Petrū, ſed etiam vt notat Barrad. tom. 2. lib. 5. cap. 8. ipſius vxorem ad perpetuam continentiæ cuſtodiā adduxit. Et ſanè conuenientiſsimum erat, vt Petrus apis Eccleſiæ factus coniugio nuntiū remitteret, apū æmularetur caſtitatem: nec in eius domo alia quàm anus appareret, quæ famulatū Chriſto exhiberet.
Pulchrè D. Petrus Chryſolog. ſermone 18. *Et Chriſtus mulieris indigebat obſequio, & mulieris prouectæ ætatis, ſenectutis ſummæ, ſic in domo Petri non erat vernula.* Et meritò in domo Petri deerat, cuius caſtitas apum æmula claritatem habuit incredibilem; cui proinde conuenit pulcherrimum illud caſtitatis encomium. *Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Sapient. 4. Sed in quonam caſtę generationis, ſeu caſtitatis generātis (caſtitas enim Chriſto generat) claritas iſta, & pulchritudo conſiſtit? Reſpondet egregiè D. Cyprianus de ſingularitate Clericorum. *Non eſt,* inquit, *caſta cum claritate, niſi ſingularitas ſola, quam non ſolùm conſcientia ſua nullis ſordibus maculat, ſed etiā nullæ opiniones ſuſpectæ pluralitatis infamant. Nam ſi caſtitas quod eſt difficile, maſculum, & fœminam in virginitate conſeruet, non habet claritatem, quam communitas ipſa non poteſt niſi quibuſdā probroſitatis tenebris obſcurare.* Sic ille. Fęlicior tamen eſt apum caſtitas, quam apes Eccleſiæ imitantur: illius enim claritas non in ſingularitate, ſed in fœcunditate conſiſtit, eò clarior, quò plures ore, hoc eſt, prædicatione, Chriſto progignit. Nec infœcundiſſi-

D.Chryſ. · Sapien. 4 · D.Hier.

diſſimo gratiæ prolificio ſobolis diuerſitas, & numeroſitas ſexum reſpicit, ſed officia, munia, functiones, Chriſtianæque Reipublicæ opera intendit, in quo Petrus mirabiliter excelluit. Quot filios Chriſto genuit? Quot Eccleſiæ diuerſorum Ordinum miniſtros inſtituit? Quid aliud ſunt Epiſcoporum ordinationes, Cardinalium creationes? niſi quædam Eccleſiæ apum generationes, quas accepta à Petro virtute vſque modo exercent. Hanc ego verè dixerim caſtam cum claritate generationem, quæ apes Eccleſiæ nobilitat & naturæ apibus efficit præſtantiores, de quibus eſt illud.

Hugo. ------ *Caſta facit prolem*.

Cæterùm vt in fœcunditate caſtitas apis noſtræ magis enituit, ſic etiam eiuſdem caſtitatis ingeniũ radiauit. Quid apes? impuros ſtimulant, libidinoſos oderunt, Veneris ſpurcitia inquinatos acriter perſequuntur. O qualẽ in hac parte apis noſtra acrimoniam exhibuit! Quibus verborum ſtimulis, quo ſpiritus ardore carnis lenocinijs, & delicijs deditos pungebat: epulones, nocturno diuturnoque fœtentes mero auerſabatur; vnguentis delibutos, & odoribus pariter ac luxuriæ graueolentia infectos reprehẽſionis aculeo feriebat. Ipſius epiſtolas euolue, milleque huius ardoris exempla reperies. Qua hortamentis ad
1.Petr.5. ſobrietatem inuitat. *Fratres ſobrij eſtote.* 1 Epiſtol. 5. qua precibus à carnis luxuria euocat. *Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſide-*
rijs, ibid. cap. 2. qua minis intentata 1.Petr.2 num.11.
diuini iudicij ſeueritate à Veneris ſpurcitia, præpoſteræque libidinis turpitudine deterret, vt videre eſt epiſtola 2. cap. 2. verſ. 6. 2.Petr.2. num.6.
vbi oppoſito Sodomitarum ſupplicio, Pentapoliſque incendio, peccatores eadẽ turpitudinis labe inquinatos à criminis fœditate conatur abducere. *Euerſione*, inquit, *damnauit exemplum eorũ, qui impiè acturi ſunt ponens*. Itaque ſupplicium illud verſum eſt in eruditionis materiam: Vt quorum vitam libidinoſi imitantur, ſupplicia pertimeſcant. Nec ſibi turpes iſti blandiantur, quod vita manente acerbiſsimo pœnarum genere ſe feriri non ſentiant: quoniam ideo conniuens Deus parcit ad præſens, vt amplius ſæuiat in futurũ: ſuſtinet in hoc ſæculo, vt in extremo iudicio, ſæuiùs torqueat, & ſupplicij dilatio pœnarũ acerbitate compenſetur. *Iniquos* 2.Petr.2 num.9.
verò in diem iudicij reſeruare cruciandos. Et licèt hæc in extremo iudicio ſupplicij imminẽtis expectatio omnes peccatores potens ſit à vitijs retrahere, eos tamen præcipuè terrere debet, qui & Dei offenſa, ipſiuſque naturæ iniuria in turpitudinis volutabro tanquã ſues immũdiſſimi deliciãtur, quos ideo Dominus abominatur, & Petrus Eccleſiæ apis fœcunda caſtitate præcellens ſuſtinere non poterat, quin exerto comminationis

Digitized by Google

aculeo ſtimularet, idcirco adiecit: *Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcẽtia immunditiæ ambulant*.

Nec verò à Petri manſuetudine, & apis dulcedine alienum eſt; vt quandoque in acorem veluti immutatus, & aculeum exerens peccatores lancinet, & excruciet. Etenim vt D. Ambroſius ſerm. 85. prudenter aduertit, ob hanc eandem cauſam Sacerdotes cum apibus aptiſsimè conferuntur: *Rectè*, inquit, *comparãtur apibus Sacerdotes, quia ſicut apes caſtitatem corporis præſerũt, cibum vitæ cæleſtis exhibent, aculeum legis exerunt, puri enim ad ſanctificationẽ, ſuaues ad refectionem, ſecuri ad vltionem*. Perbellè hoc apum ingenium, & Sacerdotum munus Petrus apis expleuit, caſtitatem corporis prętulit, numeroſ à Chriſto ſobolem progenuit, aduerſus impios redargutionis ſtimulo ſe armauit. De apibus ait Seneca lib. 1. de clementia cap. 19. quòd *Iracundiſsimæ ſunt, & pro corporis captu pugnaciſsimæ; & aculeos in vulnera derelinquũt*. Quinimò, & vitam ipſam, & licet nouerint ſe morituras, à feriẽdo non abſtinẽt. Perbellè Mantuan. 4. Georgic.

D. Ambr. — Senec. — Virgil.

—— *Et ſpicula cæca relinquunt*
Affixa in venis, animaſque in vulnere ponunt.

Quis vnquam Petro pugnatior extitit. Deus bone! quanta animi acrimonia, quo ſpiritus ardore ad feriendũ prauos inſilijt; teſtis Roma caput Orbis, & theatrum, in quo Petrus Neronis libidinẽ ferre nõ ſuſtinens, ipsũ ſuggillauit acerrimè, Simonis Magi audaciam repreſſit, impoſturam, & fallaciam manifeſtauit: ipſumq. mentito per aërem volatu inaniter exultantem infixo aculeo eliſit. Magus cecidit, & Petrus apis animam fœliciter in vulnere poſuit, quia Neronis iuſſu in cruce transfixus occubuit.

§. SECVNDVM.

Paulum Eccleſiæ apem virginitate clarum extitiſſe definitur.

IAm verò alterius apis, hoc eſt, D. Pauli in ſumma fęcũditate virginitatem explicemus: Etenim in ea apis prærogatiua, quę vt dicitur.

------- *Caſta facit prolem*. Mugn.

commẽdabilior ipſe reliquis euaſit: nullus prolificio magis incubuit, nullus plures filios Chriſto progenuit. Audi quid ipſe dixerit 1. Cor. cap. 4. *Per Euangelium ego vos genui*. O verè pulchram, & caſtam cum claritate generationem, de qua iterum. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Vides quantùm in augenda fideliũ ſobole apis iſta laborauerit, quantũ illi ſteterit iſta fęcunditas: parturiẽti ſimilis, non minorem in augẽda fideliũ generatione dolorẽ perpeſſus eſt, quã ſi prægnantis inſtar filios parturiret: angebatur enim, quod illos relu-

1. Cor. 4. num. 15. — Galat. 4.

reluctantes, & lumini reſiſtentes intueretur, nec ab opere deſtitit, quouſque in ipſis Chriſtum cerneret efformatum. Et quod magis mirere indefeſſum multiplicandæ ſobolis ſtudium, in quo Paulus laudem & gloriam reponebant, expende cum D. Chryſoſtomo homil. 7. in Paulum quod cùm mortem oppetere vehementer ambiret, vnde repetebat identidem: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Attamen cùm ad capitale ſupplicium extrahi iuberetur ad Cæſarẽ prouocauit, Actor. 25. *Ad tribunal Cæſaris ſto, vbi me oportet iudicari.* Quid agis ô Paule; vbi nam eſt illud moriendi deſiderium? Fortaſſe mortem, quam antea cupiebas, modo reformidas, atque vt illam euadas appellationem interponis? Non ita: Quid ergo? Perbellè Chryſoſtomus. *Cùm igitur audis, quod appellet Cæſarem quod Romam ire feſtinet, nequaquam putes verbum eſſe formidinis. Cuius igitur rei gratia iſta faciebat? Proculdubio vt diutiùs prædicationi inſiſteret; cumque multis hinc credentibus, atque omnibus coronatus iret ad Chriſtum; iam profectò metuebat, ne pauper hinc atque inops multorum ſalutis abſcederet.* Hæc ille. Nouerat certè Paulus ſe apem Eccleſiæ factum, nouerat nominis omen, & officium percallebat. Non ſatis habuit caſtitatis florem illibatum vſque ad vltimum vitæ ſpiritum retinere, niſi etiam caſtitati adiungeret fœcunditatem; & ſicut apis, *Caſta facit prolem*, ita etiam Paulus Eccleſiæ apis ipſam vberrima fidelium ſobole fœcundaret.

D. Chryſ.

Act. 25.

D. Chryſ.

Quòd autem Paulus caſtitatis pulchritudine fuerit decoratus, Conſtans præſtantiſsimorum virorum tenet ſententia, qui illum vel coniugij prorſus ignarum, aut virginem, vel perpetuò cælibem extitiſſe aſſeuerant Tertullianus lib. de Monogam. ſic ait. *Petrum ſolum inuenio maritum per ſocrũ: cæteros Apoſtolos cum maritos nõ inuenio, aut ſpadones intelligam neceſſe eſt, aut continentes:* Speciatim vero de Iacobo Maiore, Euãgeliſtæ Ioannis fratre id teſtatur Epiphanius hæreſ. 58. *Ioannes*, inquit, *& Iacobus filij Zebedei manſerunt in virginitate, neque nuptias contraxerunt.* Quin etiam hæreſ. 78. Iacobum Minorem fuiſſe virginem affirmat, cui D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianũ cap. 24. adſtipulatur. Addo etiam ex Metaphraſte in vita D. Petri, ipſius fratrem Andream coniugij vitam expertem traduxiſſe. Poſtremò D. Hieronymus lib. citato cap. 14. omnes Apoſtolos dempto D. Petro cælibes extitiſſe indubitanter affirmat. *Excepto*, inquit, *Apoſtolo Petro non eſt manifeſtè relatum de alijs Apoſtolis, quòd vxores habuerint, & cùm de vno ſcriptum ſit, ac de alijs tacitum, intelligere debemus, ſine vxore eos fuiſſe, de quibus nihil*

Tertul.

Epiphan.

D. Hier.

D. Hier.

tale Scriptura ſignificat. Similia ſcripſit ad Euſtochium epiſtola 2, de cuſtodia virginitatis, in qua, ſpeciatim Pauli virginitatem attingens, ita fatur: *De Virginibus inquit, Apoſtolus præceptum Domini non habeo: Cur? Quia ipſe Paulus vt eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis; neque enim audiendi ſunt, qui eum habuiſſe vxorem confingunt, cùm de continentia diſſerens, & ſuadẽs perpetuam caſtitatem, intulerit: Volo omnes eſſe ſicut me ipſum 1. Corinth. 7. & addit. Dico autem inuptis & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permanſerint ſicut & ego*. — D. Hier.

Epiphan. D. Epiphanius hæreſi 58. enumerans eos, qui virginitatem perpetuò coluerunt, ex veteri reſtamento Eliam Prophetam; ex nouo Paulũ produxit: vtpotè qui ad Corinth. dixerit; *Dico autem non nuptis bonum eſt ipſis ſi manſerint, ſicut & ego*. In eadem fuit ſententia D. Ambroſius c. 11. epiſt. 1. ad Corinth. Quinimò Diuus Chryſoſtomus, Beda, Theodoretus, & Theophylactus, alijque Doctores conſtanter affirmãt Paulum ſemper in virginitatis cuſtodia permanſiſſe. Et quidem ante ipſius conuerſionem, vt Ambroſius, & Theodoretus argumẽtantur, iuuenis admodum erat, & coniugio immaturus: poſtquàm verò ad Euãgelij caſtra ſe tranſtulit; qua ratione ſe coniugij retibus implicaret? Nec mihi perſuadeo Paulum, qui gentium Doctor à Deo Eccleſiæque apis deſtinabatur, virginitatis gloria, quod præcipuum eſt Doctorum ornamentum, caruiſſe. — 1. Cor. 7; D. Amb.; D. Chryſ.; Beda.; Theodor.; Theophyl.

Verùm tot Authorum ſententiæ opponunt nonnulli eiuſdem Pauli verba 1. ad Corinth. cap. 9. *Nunquid nõ habemus poteſtatem mulierem ſororem circunducendi, ſicut & cæteri, & fratres Domini, & Cephas*. Ex quibus deducunt huiuſmodi fœminas Apoſtolorum vxores, nec alias exiſtere potuiſſe, quas ſecum deferebant, vt ipſis prædicantibus miniſtrarent. Egregiè tamen hallucinantur, quoniã reſte D. Hieronymo lib. 1. aduerſus Iouinianum cap. 14. iuxta Hebræorum conſuetudinem honeſtæ quædam fœminæ magiſtris ſuis neceſſaria ſubminiſtrabant, & ſimiles ad eundem finem Apoſtoli deferebant, quem morem non ſecutus D. Paulus dicebat. *Non habemus poteſtatem, &c.* Quaſi diceret. Poſſem equidem fœminam habere adiutricem, ſicut alij habuerunt; ſed de induſtria abſtineo, ne mihi peragrando Orbi ſit impedimento: & fortaſſe verebatur D. Paulus ne Gentiles, quorũ ipſe prædicator erat, & Apoſtolus, offenderentur, ſiniſtramque de eo opinionem imbiberent: quod Diuus Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, & alij apud Cornelium ad hunc locum, tradiderunt. Quòd autem D. Paulus de hac conſuetudine loqueretur colligit — 1. Cor. 9.; D. Hier.; D. Amb.; D. Chryſ.; Theodor.; Cornel.

ex verbis antecedentibus D.Hieronymus. *Nam*, inquit, *& ordo verborum Pauli hoc ſignificat. Nunquid, inquit, non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi, aut ſorores mulieres circunducendi; vbi de comedendo, ac bibendo, ac de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus infertur, perſpicuum eſt non vxores debere intelligi, ſed eas vt diximus quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant*. Hæc ille. Annuit Tertull. lib. de Monogam. cap. 9. *Non*, inquit, *demonſtrat Paulus vxores ab Apoſtolis circunductas, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes miniſtrabant*.

D. Hier.

Tertull.

Nec dubitandum eſt Apoſtolos quaſdam prouectæ ætatis fœminas circunduxiſſe, quarum miniſterio, in ijs quæ victui & veſtitui erant neceſſaria, vtebantur; ac de his, non de vxoribus intelligi debere quod Paulus aſſeuerat. Ita docuit Auguſtinus lib. de Opere Monachorum cap. 4. quem Oecumenius, & alij ſequuntur. Addo Caietanum in 1. Corinth. 9. *Cum Apoſtoli*, inquit, *diſcurrerent prædicando, ducebant mulierem aliquam miniſtrantem eis ſumptus neceſſarios, exemplo Chriſti, quē comitabantur mulieres miniſtrantes de facultatibus ſuis. Nec intelligo circunduci mulierē de proprijs facultatibus miniſtrantem, tum hoc extra regionem Iudæorū difficile fuerit, ſed mulierem, cui facile à diuitibus mulieribus dabantur pecuniæ pro ſumptibus neceſſarijs Apoſtolis, & in ciuitate, & præcipuè in itinere*. Hactenus ille.

D. Aug.

Oecum.

Caietan.

Aliam huiuſmodi fœminas circunducendi rationem attigit Clemens Alexandrinus libr. 3. Stromatum. Scilicèt, vt per illas in doctrina Chriſtiana aliarum fœminarum inſtitutio faciliùs, & citra bonæ exiſtimationis iacturam pararetur. *Apoſtoli*, inquit, *vt erat conſentaneum miniſterio, quod diuelli non poterat, prædicationi, ſcilicèt, attendentes, non vt vxores, ſed vt ſorores circunducebant mulieres: quæ vna miniſtraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant, per quas etiam in Gynaceū abſque vlla reprehenſione, mala ve ſuſpicione ingredi poſſet doctrina Domini*. Hæc ille: verùm quoquo fine tales fœminæ ab Apoſtolis circunducerentur; illud pro certo habendum eas nō fuiſſe vxores, nec ex Pauli verbis id colligi, ac multominus aliquid ipſius virginitati contrarium, pro qua omnes ferè Patres acerrimè decertant.

Clemens Alexand.

Penè quidem euicta videbatur de Pauli virginitate controuerſia: cum veluti ex quodam angulo luſitans Catharinus D. Ignatij epiſtolam 9. ad Philadelphios obiecit, vbi ait: *Petrus, & Paulus, & alij Apoſtoli nuptijs operam dederunt*, quibus ille verbis innitens, non ſolum auſus eſt Paulum

Cathar.

D Ignat.

facere maritum, ſed etiam in c.4. epiſtolæ ad Philippenſes affirmat Apoſtolum ad Romanos 16. vxoris meminiſſe dum ait, *Commendo vobis Phœbem ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*. Nec dubitat Catharinus hanc Phœbem, quam Paulus dicit ſororē ipſius coniugem extitiſſe; quoniam, vt aſtruit, in reuelationibus ſanctæ Brigittæ D. Paulum iniiſſe coniugium declaratur.

Rom. 16. num. 1.

Cæterùm luſit, & illuſus eſt Catharinus. Neque enim Ignatij verba ex epiſtola 9. ad Philadelphios deprompta vera ſunt, & germana, ſed temere conficta; Nouatorumque prauitate ad libidinis tutamen inſerta, vt probat egregiè doctiſſimus Cardinalis Baronius tom. 1. annal. ad ann. 57. num. 64. pag. 510. ad fin. *Siquidem*, inquit, *Nouatores, vt quoquo modo ſua ipſorum incontinentiæ Paulum cogant adſtipulari, depruata Ignatij Martyris epiſtola ad Philadelphios, inter illos quos ille recenſet fuiſſe coniugio obligatos, poſt Petrum addiderunt Paulum, & alios Apoſtolos. Sed perfacilis eſt huiuſmodi ſtropha, atque figmenti detectio: Qui enim antiquiores, vel Græcos, vel Latinos codices perueſtigant, quorum alij in Bibliotheca Vaticana, Sfortiana, alij alibi hic Romæ ſunt; addititium eſſe Pauli nomen intelligent*. Quinimò addit Baronius, apud alios codices Græcos non ita vetuſtos eadem impoſtura reperitur, quam ex Græcis Sacerdotibus plurimi credendi ſunt inſeruiſſe, vt cum Sacerdotio vxores retinere poſſent, & Pauli coniugio ſe defenderent. *Non negamus in quibuſdam Græcis codicibus, ſed haud antiquitate, cum alijs conferendis additū legi Paulum, ſed ſine dubio ab illis Græcis recens ſcriptis, qui quò vxores retineant cum Sacerdotio, Paulum in defenſionem ſuæ ipſorum incontinentiæ velint habere conſortem*. Nec parum momenti habet, quod in annotationibus ad lib. Tertull. de Monogamia ſcripſit Pamelius num. 13. Vbi ex Ricchardo Maleo Anglo non vulgariter erudito refert vetuſtiſsimum epiſtolæ Ignatij exemplar Oxoniæ viſum, in quo nulla Pauli mentio facta viſebatur. Baroniū conſule, apud quem plurima inuenies, quibus Pauli virginitas ſuſtinetur.

Baron. tom. 1. annal. lib. anno 57. num. 64. pag. 510.

Baron.

Cæterùm vt in Ignatij epiſtola, ſic etiam in ſanctæ Brigittæ reuelationibus deceptus eſt Catharinus: quoniam ex duobus locis earundem reuelationum aperte conuincitur D. Paulum nunquam ſe coniugali thoro immiſcuiſſe. In primis igitur lib. 2. cap. 7. Chriſtus Dominus ſanctam Brigittam alloquutus hæc protulit verba. *Petrus fuit alligatus in cōiugio, qui ſeparauit ſe, quantum ad cōmixtionem, à coniugio quamuis licito: Paulus autem caſtitatē ſeruauit, & ſe immaculatum à thoro cuſtodiuit*.

diuit. Ita ibi; deinde lib. 8. cap. 1. in fine iiſdem penè verbis D. Pauli caſtitas aſtruitur. Verùm vt Catharini deceptio clariùs innoteſcat, & falſitas qua Paulo adſcribit vxorem apertiùs conuincatur: quantumuis ille quæſito colore ex Pauli ad Roman. 16. numer. 1. productoq. Phæbis nomine mendacium nitatur occultare: ſtatuendum eſt nominatam ibi Phæbem, nec Pauli coniugem, nec ſororem extitiſſe. Quod ſi ab Apoſtolo ſoror dicatur propter fidei, & Religionis, non autem carnis cognationem factũ intellige: quemadmodum enim in primæua Chriſti Eccleſia viri Chriſtianam Religionem profitentes, dicebantur fratres, ita etiam fœminas eiuſdem fidei ſorores appellabant. Et quidem Phæbes iſta erat Diaconiſſa, vt Origenes, & D. Chryſoſtomus tradiderunt, in qua proinde reperiri neceſſe erat qualitates, & conditiones, quas D. Paulus 1. ad Timoth. cap. 5. in iis, quæ in Diaconiſſas aſſumendæ eſſent, exigebat. *Vidua*, inquit, *eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri uxor. In operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitem recepit; Sanctorum pedes lauit; ſi tribulationem patiẽtibus ſubminiſtrauit; ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt*. En quibus exornabatur conditionibus fœmina ad Diaconiſſatum aſſumpta, qualis extitit Phæbes ex Apoſtoli teſtimonio, *in miniſterio Eccleſiæ occupata*. Diaconiſſarum verò officium ex placito D. Epiphanii hæreſ. c. 79. & Clement. lib. 3. conſtit. cap. 15. tria potiſsimum exercebat. Primum, Laicæ cum eſſent, nec ad ordinationẽ aliquam promoueri poſſet, templi foribus præerant, quibus fœminæ illuc ingrediebantur: Etenim, vt in templo locus erat fœminis deſtinatus, ſic etiam vt intrarent fores habebant à viris diſtinctas, idcirco ſanctus Ignatius in epiſtola ad Antiochenos veſtibulorum cuſtodes appellat Diaconiſſas.

Rom. 16. num. 1.

1. ad Timoth. 5.

D. Epiph. Clemens.

Secundum. Cùm perſecutio deſæuiret, vt pericula infidelium que ſuſpiciones vitarentur: pro Diacono mittebatur ad fœminas Diaconiſſa, quæ Epiſcopi vel Parochi mandata, exhortationes, & conſilia perferebat; quinimò fideles roborabat in fide, nec parũ in perſecutione, morbo, aliiſque ærumnis afflictos, & mærentes ſolabatur.

Tertium. Præerat fœminarum Baptiſmo caſteque nudabat, cumque ſacro oleo perungendę eſſet, idem exuendi miniſterium exercebat. Rurſum Epiſcopo mulierum frontes oleo ſancto perungẽte Diaconiſſa illas abſtergebat, vt Epiphanius, & Clemens citati tradiderunt. Poſtremo morientium fœminarum corpora lauabant, vngebant, tumulo condenda, ritè curabant, vt etiam Epiphanius, & alii teſtantur. Aduertę

tamen

tamen per modicum tempus in Eccleſia Latina; vt videre eſt in Concil. Aurelianenſi 1. canon. 17. in Græca tamen diu has Diaconiſſas extitiſſe.

Nec tandem mireris Phæbem à Paulo commendatam: quoniam vltra Diaconiſſæ munus laudabiliter exercitum, epiſtolam ad Romanos tuliſſe creditur, vt ex Græco, Syro, & Complutenſi contextu planè conſtat. Cur igitur ex leui adeo occaſione Catharinus D. Paulo virginitatis coronam abſtulit, & pluſquam ſexagenariam fœminam in vxorem, non ſine Doctoris gentium iniuria deſignauit? Anile Catharini figmentum ego irrideo: & licèt quæ hactenus dixi D. Paulum caſtitatem percoluiſſe ſatis ſuperque non conuincerent, mihi id omnino perſuadet pugnaciſsimæ huius apis acrimonia, quâ corporis delicijs deditos, & voluptuarios exerto pungebat aculeo, ac veluti crucis inimicos acerrimè perſequebatur. Quid ni faceret apis Eccleſiæ: quod apes naturæ caſtitatis exemplaria fuerunt? Et quemadmodum hæ mulieroſos, & bibones lancinant, & perſequuntur; ſic etiam illa cui in amore crux erat, & delicijs ventri, dapibus, venerique indulgētes auerſaretur, infixoque reprehenſionis, & ſupplicij ſtimulo vlceraret: Ita planè idem faciet exemplum ſtatim producendum.

Mitiſſimi erat ingenij D. Paulus, & tanquam Eccleſiæ apis fidelium mentes dulcedine amplius recreare, quàm aculeo pungere ſtudebat; ideoq; ad puniendum ſic erat difficilis, vt non niſi eorum qui puniendi eſſent expectato, petitoque conſilio ad inferendum ſupplicium inſiliret, vt ſcitè notauit D. Ambroſius lib. 7. in Luc. c. 10. ad illa verba, 1. Corinth. cap. 4. *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis*, Ambroſij verba ſunt.
1. Cor. 4.
Eorum ipſorum, quos arguit conſulit voluntatem, ſemel virgam, bis mitiora ſubiecit adijciens manſuetudinem charitati: prius minatus eſt virgam, ſed exhibuit manſuetudinem.
D. Ambr.
Quinimò quaſi ipſum pœnituiſſet virgam nominare addit S. Ambr. *Abiecit virgam, & affectum charitatis aſſumpſit.* Vera Eccleſiæ apis aculeum habens, & mella componens, mellis ſuauitate bonos ſponte reficiens; ſtimuli acrimonia prauos non niſi inuitus compungens. Perſimilis certè mihi videtur frondenti virgæ, quā cap. 11. celebrat Iſaias. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, vbi diſertè monet Origenes homil. 9. in lib. Numer. Chriſtum Dominum, de quo iuxta litteram Prophetæ verba intelliguntur, virgam pariter, & florem appellari, quia peccatores vt virga ferit, & iuſtos vt flos odoris ſuauiſſimi recreat, & coronat.
Iſai. 11.
Quamuis enim, ait, vnus ſit Chriſtus per ſubſtantiam, ſin-
Origen.

gulis

gulis tamẽ diuerſus efficitur, prout indiget is, in quo operatur, qui ergo ſegnior eſt, & negligentior pro diſciplina fit ei Chriſtus virga, & ita virga non aſcendere dicitur, ſed exire. Exeundum namque ei qui ſegnis eſt de eo ſtatu, & tranſeundum ad alium ſtatum. Qui verò iuſtus eſt, quia iuſtus ſicut palma floret, in hoc aſcendere dicitur. Chriſtus. Pari modo Diuus Paulus prout fidelium exigebat neceſſitas in varias formas mutabatur: iam illum peccatores vt virgam ſentiebant ferientem; iam iuſti vt florem fragrantiſsimi odoris, admirandæque ſuauitatis experiebãtur: quinimò velut apis mellis opes; hoc eſt, amoris & manſuetudinis dulcedinem ſuppeditabat; atque etiam ſtimulum cogẽte neceſſitate exerebat. Cùm tamen promptior eſſet ad veniam condonandam, quã ad ſupplicium inferendum; vbi Veneris ſentiebat ſpurcitiam ad infigendum pœnæ aculeum feſtinabat. Hinc eſt quod vbi primùm inceſtuoſi crimen ipſi innotuit, ſtatim ad vindictam excandeſcens proſiliuit, & miſerum Satanæ cruciandum mancipauit. *Tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis.* 1. ad Corinth. cap. 5. Ne ſupplicij rigorem admiteris. Apis Eccleſiæ Paulus erat, vnde licèt in aliorum criminum vltione cõniuere & diſſimulare videretur, luxuriæ delicta non poterat non punitionis aculeo ferire. Apes

1.Cor.5.

quia corporis caſtitatem præferũt impuros pariter, & temulentos aculeo lancinant. Quidni à Paulus Eccleſiæ apis, Dei virga, iuſtorum flos, ſanctus corpore, & ſpiritu turpem & libidinoſum percuſsiſſet.

Vidiſti apum Eccleſiæ caſtam fœcunditatem, & fœcundiſsimam caſtimoniam, qua innumeros pene filios Chriſto per Euangelium genuerunt. Numeroſam Pontificum ſobolem vſque in præſens contemplare, nouemque ſupra ducentos, & triginta Vrbanis apibus coronatos inuenies. Et primum cæleſtis huius Genealogiæ diuina electione propagatæ authorem à Chriſto Petrum inuenies. Immenſam anterioris æui fidelium multitudinem recole. Et Paulum fere omnium parentẽ extitiſſe deprehendes, ſi ipſum audias. *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres. Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Caſtæ quidem, non tamen ſteriles, & infœcundæ apes noſtræ extiterunt. Vnde ad ipſas aptiſsimè refero quod in Epithalamio de Chriſti Spõſa Rex Salomon decantauit. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus & ſterilis non eſt inter eas.* Canticor. 4. verſ. 2. Quos ſanè Hieroglyphico Eccleſię Doctores præſertim Apoſtoli ſignificantur. Vnde meritò oſſibus comparantur:

7.Cor. 4. num. 15.

Cantic.4

quia

Matt.10. num. 16. quia ad eos dictum. *Ecce ego mitto vos ſicut oues.* Præterea vt Diuus Gregorius Nyſſenus, & plures alij adnotarunt; idcirco oues quibus dentes iſti, ideſt, Apoſtoli conferuntur, duplicatæ ſobolis fęcunditate laudantur; & nulla inter eas ſterilis dicitur, vt fructum magnum ſignificent; quem in Eccleſia Apoſtoli, & alij Doctores protulerunt: in qua fęcunditate Petrus, & Paulus Eccleſiæ apes primas tenuerunt. Nam ſicut de apibus dicitur. *Caſta facit prolem.* Pariter illi caſtitatem alter, virginitatem alter percolentes in progignenda fidelium ſobole innumeros in Chriſti Eccleſia partus ediderunt.

CAPVT VIII.

Petrus, & Paulus in ſumma rerum amplitudine nec ſingulares eſſe, nec alijs præferri ſtuduerunt.

PRæclariſsimas apum dotes mirificè exornat quod licèt in melificio aliæ alijs præficiantur operibus, omnes tamen æquali conditione Regi ſubijciuntur, & imperanti obtemperant, nec temerè ſe eleuant: quinimo mira quadam vrbanitate cedunt onera portantibus; vnde fortaſsè Plinius Vrbanas apes appellauit, & Hugo tanquam laudabile quid de ipſis extulit. (Plinius.)

Hugo in carmin. *In grege ſub Rege eſt*

Quod ille Doctoribus Eccleſiæque Magiſtris, ſeu apibus adaptans, ita fatur: *Quemadmodum apis Regi ſubeſt, atque ad ipſius nutum in omnes partes ſe verſat. Sic etiam meminerit Eccleſiæ Doctor ſe eſſe ſub Chriſto: à quo, licèt alios ipſe regat, debet regi & gubernari.* Quis neget Petrum Eccleſiæ apem Chriſto apum Regi ſe in omnibus ſubieciſſe? Quis Paulum non fateatur Petro tanquam ſuperiori, & qui in Eccleſiæ apum examine Rex erat, & Chriſti Vicarius primas detuliſſe? Quis tandem his apibus auſit obijcere, quòd licèt in Eccleſia ſub Rege Chriſto vixiſſent humiliter, ſuper alios tamen in examine ſeſe iactanter eleuabant? Temeraria planè erit talis obiectio: nec minùs acerbo repriméda ſupplicio, quàm illa Dathan, & Abiron, quos terra dehiſcente flammarũ inter, fumique globos infernus ignis abſorbuit, eo quòd Moyſi, & Aaroni obiecerint ſuper alios efferri voluiſſe. *Cumque* ait ſacer textus, *ſtetiſſent aduerſum Moyſen, & Aaron, dixerunt: ſufficiat vobis quòd omnis multitudo Sanctorum eſt; & in ipſis Dominus: cur eleuamini ſuper populum Domini?* Numer. 16. verſ. 3. Probroſa, & mendax calumnia. Nuſquam Moyſes, & Aaron ſuper alios erigi affectarunt: ſub Rege ſemper, in gregeque veluti pares, & æquales extiterunt: quorum mores & ſtudia in hac parte Petrus, & Pau- (Num.16.)

lus

Digitized by Google

lus imitanti Chriſto Regi velut apes ſubdit. Et licèt dignitate, & officio alijs in examine praeminerent, inter eos tamen ſeruata in omnibus æqualitate conuixerunt: Vnde & Paulus ipſis dicebat: *Videte quales fuerimus in vobis propter vos:* quia etſi dignitatis officio reliquis præcelleret, iiſdem tamen animi ſubmiſſione, & comitate exæquabatur. Nec ſemel tantùm hoc dixiſſe contentus, cum Epheſijs vale dixiſſet, eos hunc in modum obteſtabatur: *Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim ſeruiens Deo cum omni humilitate,* Actor. 20. Præcellentiæ oblitus eò ſolùm attendebat, vt nequaquā alijs ſuperior, ſed æqualis, & tanquam vnus ex grege videretur. In quo etiam Petrus excelluit; vnde alios ad eandem commonebat diſciplinam, dicens: *Paſcite qui in vobis eſt gregē Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: Neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Hortatur itaque Eccleſiæ apes, vt Deo ſubditi ſuper alios euchi, ipſiſque dominari non ambiant: dignitatem obliuiſcantur, æquales, immo & inferiores, & omniū pedibus ſubiacere contendant, quod D. Auguſtin. in Pſalm. 126. ab Epiſcopis obeundum, nec ſine graui periculo omittendum teſtabatur. *Quomodo*, inquit, *vinitori altior ſit locus ad cuſtodiendā vineam; ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt, & de ipſo alto loco periculoſa ratio redditur, niſi eo corde ſtemus hìc, vt humilitate ſub pedibus veſtris ſimus, & pro vobis oremus.*

1. Theſſ. 1. nu. 6.

Act. 20.

1. Pet. 5. num. 2.

D. Aug.

Nouerat egregiè Doctor iſte ſanctiſſimus, quòd olim in monte Syna Dominus legem Hebræis daturus Moyſi præceperit, vt è mōte deſcenderet: & quamuis ipſe diuinæ inhærens viſioni Deum reddere ſecurum niteretur, ne ſe cogeret ad deſcenſum, non tamen potuit impetrare. Cur Domine ſic inſtanter iubes, vt deſcēdat, quem tandiu in monte tecum immorari voluiſti? Fortè vt Populi peccato occurrat? ſed adeſt ibi Aaron, virgam habet, & Moyſi in regimine ſuffectus peccantes retrahet, & improbos in officio continebit. Ita eſſet fateor, ſed volebat Deus, inquit ad eum locum Caiet. *Vt Moyſes deſcedens eſſet ſimul cum populo, tanquam vnus de populo.* Decebat enim, vt qui alijs dignitate præcelleret, humilitate æquaretur; & licèt officio anteiret, in loco par eſſe videretur. Mirum tamen videbitur cur neceſſaria fuerit hæc Dei admonitio, cum in Moyſi manſuetudo, & humilitas æqua laude certarent. Cæterùm reſpondet ſapienter D. Gregor. lib. 26. Moralium cap. 19. *Subtiliſſima ars viuendi eſt culmen tenere, gloriam* pre-

Caiet.

D. Greg.

premere, eſſe quidem in potentia, ſed potentem ſe eſſe neſcire. Verùm non defuit Petro hæc ſe ſe omnibus exæquandi ſubtilitas. Eccleſiaſtici Princeps erat imperij, Apoſtolorum caput, Eccleſiæ Paſtor, poſt Chriſti reſurrectionẽ ipſius in Orbe Vicarius, Spiritum ſanctum ad dimittenda peccata iam acceperat: & tamen cum tãtus, ac talis eſſet priſtinum piſcãdi munus exercere non dedignatur. *Vado piſcari*, ait, apud Ioan. cap. 21. Cuius ad exemplum alij Apoſtoli ad piſcandũ etiam proficiſcuntur, *Venimus & nos tecũ*. Quod ideo factum credidit Caiet. *Vt intelligamus, nõ dedecere hæc & ſimilia exercitia Apoſtolicos Sacerdotes*. Sed quid mirum vt alij caput ſequerentur; cùm Petrus ſupremum obtinens locum, Regalique præeminens dignitate, id præſtitit, vt tanquam vnus ex populo videretur.

Ioan. 21. Caiet.

Vnde, ni fallor, ad remunerandum hoc humilitatis magiſterium Chriſtus Dominus ſe ei manifeſtauit; atque ad ipſius conſpectum præclariſſima exhibuit amoris argumenta, cui ego Petri ſuper alios excellentiam attribuere minime vereor: cum apud Ioannem c. 21. à Chriſto dictum audio: *Diligis me plùs his*, Et ſtatim: *Paſce oues meas*. Et ſanè paſcendis Chriſti ouibus præfici merebatur: nam vbi primum à Ioanne ipſi dictum, *Dominus eſt*, ſtatim, *tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare*. Quod expendens D. Chryſoſt. hom. 86. in Ioan. ita fatur: *Cum autem eum cognouiſſent proprios mores referunt Petrus, & Ioannes: Ille feruentior, hic altior erat, ille vehementior, hic perſpicacior: Ideo Ioannes prior agnouit Ieſum, Petrus prior ad eum properauit*. Et verò dum Petrum ſe in mare proijcientem intueris, id feciſſe exiſtima, quaſi iam Pontificatũ ſibi à Chriſto largiendum præſagiret. Ita cenſuit D. Bernard. lib. 2. de conſiderat. ad finem. *Petrus*, inquit, *in mare ſe immiſit, alijs nauigio peruenientibus. Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quiſque ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum, mare enim ſæculum eſt, naues Eccleſiæ*. Sic ille. Itaque dum ad humile piſcandi exercitium ſe conuertit, in priſtinam regrediens conditionẽ, ac ſi Eccleſiæ caput non exiſteret, Pontifex electus, & declaratus reperitur, vt omnibus innoteſcat, quòd quandiu poſt acceptam ſupremam Pontificatus dignitatem ſe deiecit, ac tanquam vnus de populo reputatur, ad ſublime dignitatis culmen euehitur. Quinimmo, quod plùs habet admirationis, poſt Chriſti in cælos aſcenſum Collegij Princeps Apoſtolici cùm eſſet, Pauli admonitionibus ſubijci, & ab eo reprehendi libentiſsimè pertulit, ac ſi non inferiorem Paulum, ſed ſuperiorem recogno-

Ioan 21. D. Chryſ. D. Bern.

cognoſceret, vt iam ex D. Greg. lib. 1. cap. 3. adnotauimus.

Non tamen eſt cur in Petro hác in ampliſſima dignitate cum inferioribus, ac ſibi ſubiectis æqualitatem admirere: Quoniam ad Saluatoris noſtri ſimilitudinem ſe componere ſtuduit. Notum ſat eſt Chriſtum Dominum Dei filiũ Regem Regum, atque omnium dominantium dominatorem, non ſolùm Genitricis Marię, ſed etiam Ioſephi imperio ſubmitti ſpontè voluiſſe, quod D. Luc. cap. 2. teſtatur: *Et erat ſubditus illis*. Quin etiam Angelus, vt hanc Ioſephi in Chriſtum poteſtatem confirmaret, illum admonuit, vt nomen imponeret: *Vocabis nomen eius Ieſum*, Luc. cap. 2. Et verò notat ſapienter D. Chryſoſtomus de conuerſ. Pauli tom. 3. nominis impoſitionem clariſſimum eſſe dominij argumentum. *Nominum*, inquit, *impoſitio dominium teſtatur. Ac olim talem fuiſſe morem quod ſeruorum nomina mutanda ſint, legimus*. Si quiſpiam ſeruũ emeret, nomen aliud ipſi indebat, vt dominium teſtaretur. Quapropter cùm Ioſeph imponendi nominis poteſtatem obtinuerit; & reuera Ieſu nomen puero recens nato impoſuit; omnino inde ſequebatur, vt ipſi tanquam ſuperior dominaretur. Nec tantùm filius, ſed Mater etiam Ioſepho obtemperabat, vtpotè quæ ſponſa, & verè coniux haberetur. In vtrumque enim ipſe velut pater putatiuus, & verus ſponſus dominium exercebat. Vnde Mariæ cõparatione Sol ipſe dici potuit, quod ille alter Ioſeph, Geneſ. 37. huic poſtea futuro in ſomnis præluſit, quando ſibi inter ſomniandum à Sole, Luna, & Stellis adorari videbatur. *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & Stellas adorare me.* Geneſ. ibid. Quod in rem noſtram refert D. Ambr. lib. de Ioſeph. c. 2. *Quis*, inquit, *eſt ille, quem parentes, & fratres adorauerunt ſuper terram; niſi ſolus Ieſus, quando eum Ioſeph, & Maria, & diſcipuli adorauerunt. De quo ſolum dictum eſt: laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & lumen*. Clarius tamen hoc ediſſerit D. Auguſtin ſerm. 81. de tempore, vbi Ioſeph Solem appellat, & inſuper Chriſto morienti ſuperſtitem, ipſoque reſurgente adhuc ſuperuiuere teſtatur. Deinde Ioſephum, quem prior ille præſignabat, hunc Solem, qui vnà cùm Luna, & Stellis, ideſt Maria & vndecim Apoſtolis, Chriſtum adorarunt reſurgentem, extitiſſe probat, ni fallor, apertiſſimè: vt vel ex eo palàm fiet, quoniam aliter prophetia illa, ſeu Ioſephi ſomnium loco Geneſ. citato memoratum, non videtur impletũ; quia Ioſeph Mater iam obierat. Si verò illa, & Ioſeph pater, ipſiuſque fratres, in Luna, Sole, & Stellis ſignificabantur. Quis dubitet ſomnium illud non niſi poſt

Luc. 2.
Luc. 2.
D. Chryſ.
Gen. 37.
D. Ambr.

Chri-

Chriſti reſurrectionem omnimodè completum fuiſſe; cum Virgo ſanctiſsima Chriſti Mater vt Luna, Ioſeph Pater vt Sol, & Apoſtoli tanquam Stellæ Chriſtum reſurrectionis gloria, & ſplendore fulgurantem adorarunt. Quod ſi cui res ardua, & difficilis videatur; ipſum audiat Auguſtinũ, qui relato primũ Ioſeph ſomnio conceptis verbis ita fatur. *Vidit etiam aliud ſomnium quòd Sol, & Luna, & vndecim Stellæ adorarent eum, cui reſpondit pater ſuus: Nunquid ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? Hoc*, ait, *in illo Ioſeph impleri non potuit, quia iam mater ipſius de hac luce migrauerat. In noſtro verò Ioſeph, ideſt Domino Ieſu Chriſto, ſomnij illius Sacramenta completa ſunt: Sol enim, & Luna, & vndecim Stellæ eum adorauerunt, quando poſt reſurrectionem ſancta Maria quaſi Luna, & beatus Ioſeph velut Sol, cum vndecim Stellis, ideſt beatis Apoſtolis, incuruati, & proſtrati ſunt ante eum; Et impleta eſt prophetia, quæ dixerat: Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & Lumen*. Vides igitur Ioſeph Solem dici Mariæ comparatum: Et quod magis mirere cõſule Auguſtinũ eodem loco, vbi, & alium aperuit defectum, ob quem prophetia non videtur in primo Ioſeph compleri potuiſſe: quoniam ipſius fratres Stellæ dici non merebantur, quibus inuidiæ (D. Aug.) caligantis obſcuritas claritatem ademerat. *Et reuera quomodo*, ait, *fratribus ipſius poteſt conuenire, quod eum quaſi Stellæ adorare poſſent, quos inuidiæ nox obſcuros, & tenebroſos effecerat? Iam enim claritatem Stellarum perdiderant, qui in ſe lumen charitatis extinxerãt.* Cum verò (D. Aug.) udis Ioſeph Solem à nobis dici cũ Auguſtino, & Mariam Lunam: non proinde credas eum maiorẽ illa ſplendorẽ habuiſſe: ideo enim hoc ei nomen Solis inditum, vt imperium ſignificaret, quod tanquam vir in coniugem exercebat. Licèt enim ea Dei mater eſſet, homini obtemperare non dedignabatur. Sol præterea dictus eſt, quia Mariæ virginitatem nullatenus offendit: Quinimò illa veluti Luna famæ, bonæq. exiſtimationis ſplendorem ab ipſo mutuata videtur. Quicunque enim Mariam Ioſepho coniugatam agnouerant de grauiditate non poterant ſiniſtrum quid ſuſpicari; Et fortè niſi coniugij ſcuto malæ opinionis tela eliderer, parum pudicæ calumniam ſuſtineret. Verùm obſtitit Dei prouidentia, qui vt D. Ambroſius lib. 1. in Luc. ſapienter aduertit. *Maluit aliquos de ſua generatione, quam de matris pudore dubitare.* (D. Ambr.) Tanti erat momenti apud Deum Mariæ pudor, & honeſtas; vt eam diuinitatis ſuæ exiſtimationi non dubitauerit anteferre: quod ſic reuerſatum faciliús intelliges. Dum Mariæ grauidi-

uiditas innoteſceret, qui illam non coniugatam inſpicerent, vt impudicam damnarent: atque ad Iudicem puniendam deferrēt. Vnde ad matris ſuæ defenſionem promptius, quàm Suſannæ proſilire cogeretur, edito miraculo, ex quo grauiditatis ſo probaret authorem, & matris innocentiam aſtrueret; atque adeo diuinitatis ſuæ fidem ſtatim compareret.

Verùm vt idem Ambroſius adnotauit, Matris diſpendio noluit diuinitatis ſuæ exiſtimationem, &

D.Ambr. fidem obtinere. *Nec putauit ortus ſui fidē matris iniurijs aſtruēdam.* Et verò quod pattato miraculo Deus eſſet facturus, Virginis famam, honeſtatemque defendens, id inſtar Solis præſtitit Ioſeph, & dum illam ſibi adiunxit ſponſam, protexit honorem, & virginitatem cuſtodiuit illæſam. Vnde non tàm virum credenda eſt obtinuiſſe, quàm Solem, qui ſplendore famam illuſtraret, atq. erga filium nutritij miniſterium exhiberet. Hinc eſt illud à D. Hieronymo lib. 1. in Matth. c. 2. prudenter adnotatum; Cum enim Angelus Ioſephum alloqueretur

Matt. 3. apud Matth. 3. dicens: *Accipe puerum, & matrem eius, & vade*, ſtatimque de ipſo retulerit idem Euangeliſta: *Accepit puerū, & matrem eius.* Nequaquam puerum dixit filium, matrem vero

D. Hier. vxorem: *Non dixit, accepit filium ſuum, & vxorem ſuam, ſed puerum, & matrem eius, quaſi nutritius, non maritus.* Ita ille. At tu vide quàm tutus erat apud Ioſeph Virginis pudor, quàm ſecura honeſtas, & illæſa virginitatis exiſtimatio. Vnde vel hoc ſolo nomine reſpectu Mariæ Sòl potuit appellari: Nedum obedientiæ titulo, quam mater ſponſo, & filius nutritio præſtiterunt iuxta illud. *Et erat ſubditus illis.* Luc. 2. num. 2.

Quid ergo mirum vt Petrus, cui in votis erat ad Chriſti imaginem, & matris ſimilitudinem ſeſe in moribus efformare; inſpecto demittentis ſe, & deſcendentis Maieſtatis exemplo, ſeipſum ſpōtè dimitteret; ac licèt ad Apoſtolicæ dignitatis culmen eſſet euectus; nuſquam ſuperiorem ſe, vel æqualem alijs, ſed inferiorem reputaret, quaſi Dei admonitionem ſibi factam acciperet, cùm Numerorum 18. Aaroni locutus

dixerit: *Sed & fratres tuos Leuitas, & ſceptrum patris tui ſume tecum, præſtoque ſint, & miniſtrent tibi*, verſ. 3. In quem locum notat Oleaſter, ideo Leuitas hic Num. 18.

Aaronis fratres nuncupari; *Vt ſi forte dignitas efferret, commemorata fraternitas exæquaret.* Oportebat igitur Aaronem fraternitatis fieri memorem, vt dum audit Leuitas ſibi in altaris miniſterio ſeruituros, non extollatur, ſed ijs veluti fratribus ſe exæquet. At verò Petrus dum Pontifex creatur, dum ſuper omnes euehitur, dum vniuerſa Chriſti Eccleſia ipſius imperio ſubditur, Oleaſter

Digitized by Google

admonitione nõ eguit, vt ſe æqualem cæteris velut fratrem, aut vnũ de populo reputaret: Quippe qui amplius ſe dimittens ſeruum ſeruorum dicere non erubuit: Quam præfationem, vt quid honorificum Petri ſucceſſores, in Pontificijs diplomatis frequenter appingunt.

Nec minorem in hac deiectione Diuus Paulus ſe exhibuit: etenim poſt mirabilem ad cælos raptum, poſt Dei reuelationes, poſt magnificum Apoſtoli Ieſu Chriſti titulum, ſerui nomen ſibi arrogat, aliosque identidem fratres vocat. Epiſtolas Conſule paſſimque inuenies chariſſima fratrũ nomina. Vera apis Eccleſiæ Paulus, qui in grege ſub Rege erat; Petro tanquam ſuperiori ſe ſubmittens, & alijs ſe exæquans, Dauidem imitatus, qui cũ Rex eſſet, & Dux cum gregario milite, vt dicebat olim Diuus Chryſoſtomus, *Militiam exequabat, diuidebat labores*. (D. chryſ.) Quia etiam vrbanitatem apis in hac parte æmulabatur, quia ſicut ipſa *Portanti cedit*. Ita Paulus Chriſti nomen portantibus ceſſit, ac in eas Orbis Regiones Chriſtum prædicaturus ſe contulit, in quibus alij non prædicauerant. *Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus*. (Rom. 15. verſ. 20.) Quid dicis ò Paule? Nonnè totius Orbis prædicator es inſtitutus, electionis vas, vt Chriſti nomen portes, & ipſius fidem omnibus gentibus annuncies? Vt quid ergo refugis prædicare vbi alij euãgelizant? Ah teneo. Apis es, vrbanitatem apis imitaris: Portant alij Chriſti nomen, portãtibus cedis: Militant illi Chriſto militiam exæquas: laborant ipſi, labores partiris; & eò ſecedis, vbi laboris plurimum, & gloriæ minùs aſſequi ſperes: quia in Chriſti grege, & ſub Rege es, & alijs non præeſſe, ſed æquari, imò & ſubijci contendis.

Iam verò hanc Pauli cum omnibus etiam abiectiſsimis affectatam ex charitate æqualitatem aptiſsimo ex epiſtola ad Philemonem exemplo ſic illuſtro. Dominum fugerat Oneſimus, atque ad Pauli fauorem, & patrocinium profugus ſe contulerat, vt fugæ, latrocinijque veniam impetraret: annuit Apoſtolus, nec tanquam faſtidioſus, aut officioſus interceſſor; ſed affectu & charitate plenus pro ſeruo ſic Dominum exorat: *Obſecro te pro filio meo Oneſimo, qui tibi aliquãdo inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi vtilis, quem remiſi tibi: tu autem illum vt mea viſcera ſuſcipe*, & ſtatim addidit: *ſi ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me*. Quo in loco triumphat aurea D. Chryſoſtomi eloquentia homil. 3. ibi. *Vide enim poſt quantas laudes, poſt quantùm apparatum magnũ hoc poſuit, cùm dixiſſet illum filium ſuum, & Euangelij ſocium, cum ſua eum appellaſſet viſcera,* (D. chryſ.)

&

Digitized by Google

& dixiſſet, vt fratrem illum recipe, & vt fratrem illum habe; tunc addidit, ſicut & me. Proh quantùm energiæ habet illud, *Sicut, & me!* Seruum ſibi adæquat, filium dicit & fratrem, parum eſt, viſcera dicit ſua. Quis ab Apoſtolica celſitudine Paulum ita deſcendentem non miretur? Vt qui Angelos etiam indicaturus ſit, latronis ſerui, & fugitiui genitorem, fratrem, & viſcera ſe dicere non erubeſceret, Miratus eſt certè Diuus Hieronymus, & ne Pauli facilitatem damnaret; Quæſito charitatis Apoſtolicæ, & humilitatis colore ſic honeſtauit, vt non iam damnanda ſed laudanda, imò & inuidenda, atque imitanda videatur. Hieronymi do verba. *Si enim Dominum non fugiſſet, nunquam veniſſet Romam, vbi erat Paulus vinctus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidiſſet, non recepiſſet fidem in Chriſtum, ſi Chriſti non habuiſſet fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus Euangelij mitteretur. Ex quo paulatim, & per gradus ſuos reciprocante ſententia, ideo miniſter Euangelij eſt factus Oneſimus, quia fugit à Domino.* Hæc ille, vbi cernere eſt quàm pulcherrima gradatione aſcendat ad extollendum incredibilem D. Pauli ab Apoſtolica celſitudine deſcenſum. Pulchriùs tamen eſt quod ad augendum ſerui in fide profectum adiecit Apoſtolus: vidit, & notauit idem Hieronymus. *Conſideremus hic,* inquit, *quantùm laudetur Oneſimus, quantumque tam paruo tempore profecerit ſub Paulo, cùm recipiendus ſit vt Apoſtolus; & ſic eius, vt Pauli, Dominus debeat deſiderare conſortium.* D.Hier.

Nec his contentus Apoſtolus, quò Philemonem fortiùs vrgeret ad fugitiuum benigniùs recipiendum: poſtquàm tot titulis commendauerat, Philemonem admonet, vt epiſtolam manu propria ſcriptam aduertat. *Ego Paulus ſcripſi manu mea,* quod alibi tantùm feciſſe reperio, cum ſcilicet ad Galatas ſcripſit. Et fortè notat D.Hieronymus, ne Iudæi negarēt ipſum epiſtolæ authorem, vel vt D. Chryſoſtomo viſum eſt in c.6. ad Galat. ad eleuandam Iudæorū calumniam, qui Paulum circuncīſionis obſeruatorem ſimulatum arguebant. *Fecit autem hoc,* inquit, *non temerè, ſed admodum neceſſariò, non ob charitatem modo, ſed ad tollendam malam ſuſpicionem: quoniam enim traducebatur de ijs factis, quibus affinis non erat, dicebaturque circuncīſionem profiteri, diſsimulans tamen quaſi non profiteretur; ideo compulſus eſt epiſtolam ſua manu ſcriptam mittere, depoſito apud illos ſcripto teſtimonio.* Tanti fecit latronis, & fugitiui veniam, vt pro illa impetranda non aliter quàm pro ſui defenſione labora- D.Hier. D.Chryſ.

ret manu propria has epiſtolas ſcribens, quod nunquam alibi feciſſe deprehendimus (ſalutationes excipe de quibus ipſe teſtatur: *Salutatio manu mea Pauli*) Notat verò D. Chryſoſt. nō per incuriam, aut quod alij ob grauitatem conſueſcunt, aliena manu Paulum ſcripſiſſe: ſed quia deformes, & parùm legibiles efformabat characteres, vt ipſemet ad Galat. 6.

Ad Gal. 6 nu. 11. fatetur. *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis manu mea.* Quod ex multorum ſententia in idem recidit, ac ſi dixiſſet, ait ibi Theodoretus. *Ego ſcripſi hanc epiſtolam, etſi non pulchrè ſcribēs.* Sentit verò D. Chryſoſt. hoc ab Apoſtolo dictum aſpectu ad deformitatem litterarum, quas pa-

D. Chryſ. rùm concinnè pingebat. *Quod autem dixit, qualibus, mihi videtur non magnitudinem, ſed deformitatem litterarum ſignificans, hoc dicere. Nam propemodùm illud dicit, quòd cùm non noſſet optimè ſcribere, tamen compulſus ſit per ſe ipſum ſcribere, vt calumniatoribus os obturaret.* Non minùs apud Apoſtolum defendendæ valuit indemnitatis ſtudiū quàm humilis erga ſeruum pietatis, & charitatis affectus; ſiquidem vt illum à pœna eximeret, & ſeipſum à calumnijs defenderet, epiſtolas manu propria conſcripſit. Quod ad augendam pro ſeruo commendationem plurimùm conferebat; vt diſertè Diuus Chryſoſtomus adnotauit, homilia 3. in epiſtola ad Philemon.

Omnem, inquit, *ab eo ſenſum iracundiæ repulit: manu, inquit, mea ſcripſi. Nihil hiſce viſceribus gratiùs, vel vehementiùs, nihil quod maiorem vim ſtudij, & alacritatis oſtendat.* D. Chryſ.

Pergit adhuc, & quò magis Philemonē obſtringat, vt, quæ de beneuola Oneſimi receptione ſcripſerat, exequatur; hoſpitem apud ipſum fieri deſtinat. *Simul,* Ad Phil. 1

ait, *& præpara mihi hoſpitium.* Fortaſſe non quia hoc vellet, ſed vt præſens inſpiceret quantùm ipſius apud hoſpitem interpellatio valuiſſet: nec (reor) de hoſpitio ſolicitus eſſet, ſed de ſerui remedio, qui ſummam in rebus omnibus parſimoniam ſectabatur. Egregiè Diuus Hieronymus in hanc rem. *Non puto tam di-* D. Hier.

uitem fuiſſe Apoſtolum, & tantis ſarcinis occupatum, vt præparato egeret hoſpitio, & non vna contentus cellula, breues corporis ſui ſpatio ædes ampliſſimas exiſtimaret: ſed, vt dum eum expectat Philemon ad ſe eſſe venturum, magis faciat quod rogatus eſt. Hæc ille. Concinit D. Chryſoſt. apud D. Tho. in Caten. aurea cap. 1. lect. 2. *Iucundum* D. Chryſ. D. Thom.

verbum, vt homo pauper diuiti mandet vltra tot terrarum ſpatia per epiſtolam præparationem hoſpitij. Quid enim pro eo parandum erat, qui pane, & vili

pul-

pulmento contentus erat. Modicũ ſanè. Quapropter addit Chryſoſtomus. *Dicendum ergo quòd non propter hoſpitij præparationẽ, ſed ad inſinuandum familiaritatem, & dilectionem hoc dicit; & magis per hoc prouocat eum ad obediendum.* Expreſſiùs tamen loquitur hom. 3. in eadem verba, *Pro Oneſimo in primis faciebat, ne illi negligerent, ſcientes illum omnino venturum, atque auditurum, vt ſe ſe habuerint aduerſus eum, omnem iniuriæ memoriam deponerent, & promptiores ad gratiam eſſent.* O mirum charitatis artificium! Multiſcius amor eſt, hic Paulum docuit his thecnis vti, vt veniam ſeruo impetraret: hic illum, vt iam vidimus, impulit vt conditione vilem, filij, fratris, & viſcerum ſuorum nomine honeſtaret, & ſe illi æqualem exhiberet. Nouerat tamen, vt monuit D. Auguſtinus ſerm. 20. de verbis Apoſtoli ad eum locum ex epiſtol. ad Galat. cap. 6. verſ. 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Christi*, Veram magnitudinem in humilitate ſitam; nec Chriſti crucem, ipſiusq. opprobrijs decus aliquod præſtantiùs inueniri. Quapropter etſi; *Poterat Apoſtolus gloriari in ſapientia Christi, & verum diceret: poterat in maieſtate, poterat in poteſtate, & verum diceret: ſed dixit in cruce; vbi mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurũ reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Dominò? Chriſto crucifixo, vbi humilitas, ibi maieſtas, vbi infirmitas, ibi poteſtas, vbi mors, ibi vita.* Hæc ille. Sat, credo, vidimus quantum in apibus Eccleſiæ Petro, & Paulo, ſub Rege, ideſt Chriſto, humilis enituit ſubiectio; quamtumque in ſumma celſitudine vterque ad aliorum vilitatem ſe attemperauerit, vt inter eos non tanquam ſuperiores, ſed æquales, quinimò & inferiores verſarentur. Iam alias apum dotes abſoluamus.

D. Chryſ.

Ad Gal.

D. Aug.

CAPVT NONVM.

Quidquid in reliquis apum dotibus erat præſtantius, in Petro, & Paulo Eccleſiæ apibus illuxit.

EVenit aliquando, vt quærendæ paſtionis gratia longè ab aluearibus apes diſtrahantur: interimque perflante vento domiculas repetere non poſſint. Quid igitur illæ? Lapillos apprehendunt, quibus oneratæ vim, impetumque ventorum facile eludunt, & ſecuræ reuolant. Eleganter hoc depinxit Mantuanus in 4. Georg.

------- *Et ſæpe lapillos,*
Vt cymbæ inſtabiles fluctu iactante ſaburrant, Virgil.
Tollunt; his ſe ſe per inania nubila librant.

Non aliter Petrus, & Paulus Ec-

cleſiæ apes, quos animarum pabulum ab alueari,hoc eſt, ab Hieroſolymis longiùs expulerat. Cũ Neronianus furor, & rabies impotentius detonaret, vltimumq. minaretur exitium, non lapillos, ſed Chriſtum firmiſſimam petram apprehenderunt, ipſique firmiter adhærentes, Petrus crucem tenens, Neronis iuſſu in ea transfixus occubuit: Paulus Ieſu nomẽ ſemel atque iterum, & tertio repetens, animam Deo reddidit; oſtendens quod ita firmiter petram apprehenderat, ipſique tenaciter adhæſerát; vt nec perſecutionũ flatibus raperetur, & priùs animam deponeret,quàm petram dimitteret, cui indiſſolubili charitatis nexu fuerat copulatus. Et quidem apes iſtæ non ſolùm vt in perſecutionum turbine ſecuriùs euolarent, lapidem apprehenderunt, ſed etiam ne titillantis gloriæ flatu inaniter tollerentur, eidem petræ innixi aduerſus ingruẽtes iactãtiæ flatus immobiles permanſerunt. Audiat hæc, & imitetur Chriſtianus, ac dum perſecutionum furor deſæuit,dum gloriæ titillantis aura blanditur, dum fluminis magno impetu decurrẽtis vortices abripiunt,petram apprehendat, & fidei ſtabilitatem teneat: vel vt ſapienter adhortatur D. Auguſtinus lignum ſecus decurſus aquarum plantatum arripiat, ideſt Chriſtum teneat.

D. Aug. *Volueris in præceps, fluctibus raperis, apprehende lignum, tene Chriſtum, & firmiter ſtabis.* Sic apes noſtræ ſteterunt, quas nec turbo perſecutionis deiecit, nec humani fauoris aura leniter aſpirans extulit, aut mundanæ cupiditatis fluctus in præceps abripuit.

Vis aliud apum omen, inſigneque præſagium Eccleſiæ apibus mirificè conueniens? Monarchiæ regimen,omniaque regiminis miniſteria in ipſis natura prælufit. Supremi imperantis eminentiam, probitatem, & ſapientiam apes repræſentant. Quapropter Petrus, & Paulus, qui in Eccleſia ſupremum apicem tenuerunt, meritò apes dicuntur, in ipſis enim ſapientiæ, probitatis, & prudentiæ magnitudo,in ſupremo dignitatis apice reperitur. Quid porro cauſæ eſt, vt D. Petrus ter à Chriſto fuerit vocatus? 1. Ioan. 1. 2. Luc. 6. 3. Matth. 4. Nonnè ſemel vocari ſatis erat, vt ſtatim ſedulus obediret? Quod cæteros feciſſe memorant Euangeliſtæ. An Petrus ad Chriſti ſequelam durior, ad primamque vocationem fuit cunctatior? Minimè: quia tamen ad ſupremum dignitatis apicem erat euehendus,& in ſublimiori præ cæteris vertice collocandus, in futuræ veluti dignitatis præſagium, tribus vocationibus acceſſitur. Ioan. 1. Luc. 6. Matth 4.

Triplici corona, Regiá, Imperatoria, & Pontificia decorandus erat Petrus: idcirco ter vocatur, & ad futuram gloriam præmunitur.

tur. Quod fortaſsè præſignificauit Sponſus dum ter è Libano Sponſam accerſiuit coronandam. *Veni* inquit, *de Libano Sponſa mea, veni de Libano; veni coronaberis.* Canticor. 4. Non vacat myſterio ternarius vocationum numerus: in illo enim Petrus erudiebatur, vt quemadmodum reliquos in ſublimi dignitatis apice conſtitutus, Eccleſiæ factus apis excellebat; ſic etiam tergemina virtutum gloria anteiret, nimirum charitatis ardore: apis enim, ait Hugo, calida eſt, *Et calet omnis*, ita ſupremus Eccleſiæ apex, ſeu apis igne charitatis exardeſcat: fide item inexpugnabili, cuius exemplar etiam apis repræſentat, eodē teſte Hugone, *Pugnat defuncto Rege*, nec qualibet fide, ſed quam nec Satanas, quantumuis expetiuit, decutere potuit, Chriſti oratione præmunitam. *Simon Petrus, Satanas expetiuit vt cribraret vos ſicut triticum. Ego autem oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Lucæ 22. Et ne mireris quòd expetēte diabolo omnium fidem euellere, pro ſolo Petro Chriſtus exoret, D. Leonem ita loquentem auſculta. *Quaſi aliorū ſtatus certior ſit futurus, ſi fides in Principe inuicta permanſerit.* Tandem humilitatis ſtudio, in quo apis iſta ſic eminuit, vt ſupremi apicis celſitudinem cum extremæ abiectionis profunditate copularet. Macte animo Petre Eccleſiæ Princeps maxime, qui non vno, ſed terno nomine apis eſſe meruiſti. Quanto iure dignitatis hæredem habes & ſucceſſorem, quem gentilitia apū trias exornat, cuius Monarchiam fælicitat, cuius diuinum regimen, inacceſſaque arcani regiminis myſteria repræſentat; cuius in ſumma celſitudine facilitatem, & benignitatem incredibilem aureo colore ſignificat. Summum Vaticani verticem aſcende, ibique maxima cum lætitia cernes Eccleſiæ non minus licere apes ſuas, quàm Solem ipſum intueri. Quod in ſuo Theodoſio Imperatore D. Ambroſius mirificè laudauit. Ita comes, faciles, mites ſe exhibēt, vt à quouis adiri poſſint. Norunt equidem maieſtatem, & magnitudinem, vt proficiat, paruitati, & vilitati attemperandam eſſe, & menſurandam. Vt enim Eliſæus puerum vita functum ſuſcitaret, corporis ſui molem infantulo menſurauit, magnitudinem ita premens, & colligēs, vt parem crederes, ſi videres. In hac tamen nunquam ſatis laudanda Principum comitate mirificè irradiat maieſtatis fulgor; generoſuſque animi vigor ſe prodit, quo ſicut apes pro Rege, ſic iſti pro Chriſto, ipſiuſque Sponſa Eccleſia, corporis, & rerum omnium oppoſitus certaturi pollicentur. Vnde, nec fallor, ſub fælicisſimo huius triadis auſpicio Eccleſia ſecuriùs quieſcit, & glorioſiùs coronatur. Hac triade munita contra fidei hoſtes fortiter dimica-

Cantic. 4.

Hugo.

Luc. 22.

D. Leo.

bit, vincet, triumphabit.

Plurima quidem ſperandæ, obtinendæque victoriæ præſagia in apibus Natura ipſa monſtrauit. Palmam colunt apes, teſte Hugone, ibi libenter nidulantur mellificioq. incumbunt. Quis autem ignorat palmam in victoriæ ſymbolum frequenter vſurpari. Ad expugnandam olim Ægyptum, Cyniphes Deus immiſit: at verò vt Orbē expugnaret, & ſub Chriſti poteſtatē redigeret, pulchriùs apes miſit, & fæliciùs: Quidni tali milite fauſtam licuiſſet victoriam ominari? Ipſemet Orbis victus eloquatur, à Petroque, & Paulo Eccleſiæ apibus validiſſimorum inſtar exercituum doctrina, miraculis, prædicatione, virtutibus victum ſe, & triumphatum prædicabit. Hoc apum nomen, ingenium, & fælix omen portendebat: hoc in Sponſæ encomijs præluſit Sponſus, dum ipſius pulchritudinem commendans, dicebat, *Fauus diſtillans labia tua Sponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Cantic. 4. Quid porro ineſt fauis ad commendandam labiorum pulchritudinem; aut quæ Sponſi mens in tali encomio eſſe potuit? Rem ni fallor acu tetigit D. Ambroſius lib. 5. Hexameron cap. 21. vbi mellis fauos quandam præſeferre caſtrorum ſpeciem affeuerat. *Quid eſt inquit fauus niſi quædam caſtrorum ſpecies.* Rectè quidem: nam mirabilis cellularum, artificioſiſsimaque ſtructio in ſenos angulos diſpartita, *Sex angula mœnia condit*; militum ordines, ſtationes, ſitus, diſpoſitiones, caſtra vndique munita repræſentat. Vnde Architectonicam, & militarem conſtruendi pariter, & muniendi artem vtiliſsimam ab apibus ad homines traductam non dubito. Quæ circumcirca obducunt domunculis, iam in figuras diſpoſitis, ac pro dignitatis meritorum ipſius operis ratione distributis inſpice, connexionem, paritatē, lapideos item tubulos, quibus in aluearibus conſtringunt aditus, contemplare, & nec apud ipſos homines ita methodicè, & adamuſſim obſeruata deprehendes.

Cantic. 4.

D. Ambr.

Caſtra igitur ſunt faui: apes etiam cum Mantuano milites iure optimo appellaueris 4. Georg.

Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum,
Magnanimoſque duces, totiuſque ex ordine gentis
Mores, & ſtudia, & populos, & prælia dicam.

Virgil.

Quid in militibus magis laudandum? virtus certè militaris, qua validis viribus, prudenti conſilio, caſtrorū conſtitutione, munitionibus ordine, aut hoſtem inuadunt, aut ſeipſos, Regem, patriam defendunt. Omnia hæc in apibus agnouit Plinius. *Miræ in illis expeditiones, copiarum motus, agminatim procedendi ratio, caſtra, vigilia, ſtationes.* Pro Re-

Plin.

Digitized by Google

Rege ſui aluearis, ac vbi de paſcuis, & floribus lis eſt; aciem inſtruunt; magnaque animorum, pariter, & corporum contentione decertant. Igitur Sponſus, vt admirandam Sponſæ in eloquendo vim, & efficaciam inculcaret, iure optimo ipſius labia fauis æquiparat, id eſt caſtris. Quaſi diceret: tam mira tibi eſt ò Sponſa loquẽdi ſuauitas, vt verba tua fauos credam: tam potens ad expugnanda hominũ pectora virtus in verbis, vt dum animi ſenſa pandis, non proferre verba, ſed caſtra diſponere, non loqui, ſed aciem inſtruere mihi videaris. Hanc in ſe Sunamitis illa fortitudinem agnouerat, dum Sponſi ſodalibus, ipſi de pulchritudine blandientibus, ac vt ſe videndam oſtenderet, poſtulantibus, Cantic. 7. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, re-* Cantic. 7. *uertere, vt intueamur te*. Canticor. 7. Reſpondit ibid. *Quid videbitis in Sunamitide, niſi choros caſtrorum*. Quaſi diceret: Parua ſunt iſta; paruique facienda, quæ laudatis: illud ego velim, vt omnes admiremini, quod verba mea inſtar chori aures demulcent; & caſtrorum more pectora expugnant; ſuauitate delectant, & efficacitate conuincunt.

Quàm aptè hoc in loco fas eſt ſciſcitari quid videbitis in Eccleſiæ apibus Petro, & Paulo, niſi caſtra fauorum? Nam licet multa, & valde laudanda in illis videndi ſtudium repererit, nihil tamen ita mirum, quàm admirãda vtriuſque doctrinæ vis, & efficacia, qua validiſsimorum inſtar exercituum, infidelium pectora attriuerunt. Sponſam hortabantur ſodales, vt reuerteretur, quò ipſius videndæ occaſionem haberet. Multa enim in ea erant, quæ videnda erant. *Reuertere*, dicunt, *vt intueamur te*, ſeu, vt ex Hebræo transferunt aliqui apud Delrium ad eum locum: *Intuebimur in te, tanquam* Delrius. *in ſpectaculum*. Tot enim virtutibus ornata erat cæleſtis Sponſa, vt gratiſsimum ipſam intuentibus præberet ſpectaculum. Videres, & nunquam videndi cupiditatem explere potuiſſes. Sed non minùs iucundum nobis exhibent theatrum dotes pulcherrimę, virtutes eximiæ, innumerabileſque prærogatiuæ, quibus Eccleſiæ apes, vt in ſacro hoc apiario vidimus, decorantur. Et ideo Paulus non immeritò dicebat: *Spectaculũ facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus*. Deus bone quot ampliſsima virtutum omnium ornamẽta dedit inhoc theatro! Hìc apparuit in paruitate magnitudo, in humilitate ſublimitas, in ſuprema celſitudine comitas: Mira hìc viſa eſt parſimonia, hìc caſtitatis gloria, virginitatis decor, ſapientiæ lumen fulgurauit. Verùm inter hæc, etſi magna ſint, & admiranda, lubet identidem repetere: quid videbitis in Eccleſiæ apibus, niſi fauos caſtrorum; ſeu caſtra fauorum, hoc eſt mellita ſapientię

verba,& tela fortiſsima,ſaporatas cęleſti dulcedine ſententias, & ſagittas acutiſsimas. Eloquij ſuauitas ad demulcendum, cum fortitudine ad expugnandum æqua laude certabant. Et quemadmodũ apes decoctione præuia quoſlibet cibos etiam amariſsimos dulcorant,ſic etiam apes Eccleſię laborum, & perſecutionum acorem crucis meditatione, mellitaquæ cæleſtis patriæ ſuauitate dulcorarunt,carnis mortificationem, Mundi opprobria vitę huius amaritudines charitatis dulcedine ſapora, atque omnibus modis expetenda reddiderunt.

Quid amariùs cruce, quæ latronum erat ſupplicium, & infame ſuſpendium: vnde quidam dicebat: *Non feci furtum, non paſces in cruce coruos:* & tamen apes iſtę tam mira dulcedine crucis amaritudinem condierunt,ſicque infamiam in honorem immutarunt;vt dulcedine, & dignitate inuitata martyrum agmina in ferrum ſpontè inuolarent. Exquiſitior Tyrannorum crudelitas,fidei erat illecebra; mellita amoris dulcedo ſuauiores roſis prunas fecit, molliùs ſpongia ferrum, dulciorem ſaccaro liquatam picē, gratioraque melle fella. O cæleſtium apum ingenium! Quid non poteſt ſapientiæ veſtræ,doctrinæque ſuauitas? Certè faui diſtillantes labia veſtra, & verba melle dulciora, quibus fornaces ardentes,craticulas,accenſas lampades, lentos ignes, picatas veſtes, rugitus, & ora leonum, in delicias tranſtuliſtis. Magna fateor verborum fuit dulcedo, ſed non minor extitit fortitudo,quæ adamantina infidelium pectora emolluit. Pulcherrimum victoriæ genus eſſe quis neget? hoſtem dulcedine illectum conuertere ad amorem, & eloquentiæ fortitudine,non ad mortem perdere,ſed ad vitam fæliciter reuocare. Hoc Petrus, & Paulus Eccleſiæ apes potuerunt. Dulcis vterque fuit ad amorem, ſapiens ad doctrinam,fortis ad victoriam: In amore concordia, in ſapientia gubernatio, in fortitudine Petro,& ſucceſſoribus triumphus promittebatur.

A R-

ARCHIELOGIVM SECVNDVM.

DE PRÆCIPVIS PATRIBVS, ET DOCTORIBVS ECCLESIAE, SEV

DE DOCTRINA, ET PRAEDICATIONE PETRI, ET PAVLI.

Vbi traditur norma concionandi artis Euangelicæ.

SVPERIORI Archielogio egimus de aliquibus Petri, & Pauli virtutibus, in quibus nonnullas circũſtantias tractauimus, de vtriuſque doctrina, & prædicatione: hic agemus de ipſamet doctrina, ſapientia, prædicatione, deque ipſius magnitudine, & fructu inde proueniente. Pro quo præmittendum oportet, Petrum, & Paulum in Eccleſia cõſtitutos duarum inſtar lampadum, quæ doctrinæ luce, & charitatis oleo accendebantur; ſiue duorum oculorum, quibus homines iter cæleſte viderent.

Et verò nomen iſtud, vt aduertit Origenes homil. 16. in Exod. aptiſsimè quadrat in vtrumque, ibi enim ob doctrinæ lucem oculorũ nomine exornandos teſtatur. *Sic erunt oculi Chriſti, qui ſcientia lumen vniuerſo corpori præſtant, ſicut in Euangelio ſcriptum eſt: lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Origen.

Sunt etiam Petrus, & Paulus duæ columnæ pulchritudine, & firmitate præſtantes, quas ſignificabant illę aliæ *Iachim, & Booz,* dictæ, atque ad templi veſtibulũ erectæ, vt 3. Reg. cap. 7. num. 21. refertur. 3. Reg 7. num. 21. Et ſanè Petrus, & Paulus veluti columnæ Chriſti Eccleſiam doctrinæ firmitate fulcierũt. Patres item, Eccleſiæque Doctores iurè dixeris: ſiquidem diuinis ſanctionibus, & cæleſti lacte nutritam confirmarunt. Vnde & Romam Orbis caput, errorum originem, ad veritatis, Euangelij que diſciplinatum tranſtulerunt, vt pulcherrima D. Leonis ad Vrbem apoſtrophe, in ſerm. 1. de Natali Apoſtolorũm Petri, & Pauli manifeſtat. *Iſti enim, ait, ſunt viri, per quos tibi Euangelium Chriſti Romæ reſplenduit: Et quæ eras Magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt patres tui, verique paſtores, qui te Re-* D. Leo

gnis

gnis cæleſtibus inſerendam multo melius, multoque fælicius condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mænium tuorum fundamẽta locata ſunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Ita ille. Vt autẽ Deus Petrum, & Paulum Eccleſiæ lampades redderet, oculos, columnas, Patres, Doctoreſque inſtitueret, à ſtatu culpę extraxit; vbi, ſicut ſuperiori Archielogio vidimus, apum ſimilitudinem retulerunt. Nam quemadmodum apes ex tauro putrido generantur, iuxta illud Hugonis ſupra citati, *Naſcitur ex tauro*: Ita Petrus, & Paulus è culpæ putredine educti, in Eccleſiæ columnas erecti, oculorum, Patrum, & Doctorum munere claruerunt.

Hugo in carmin.

De Petro intelligunt nonnulli illud Apocalyp. 18. num. 1. *Poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam; & terra illuminata à gloria eius*. Et Theodoretus Oratione de charitate ponderauit, qua ratione Chriſtus Petrum ſibi comparauit, dicens apud Luc. cap. 22. num. 32. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Quod perinde eſt, ac ſi diceret, vt idem Theodoretus aduertit, *Sicut ego te non deſpexi, cùm fluctuares, & laborares; ita ſis tu quoque ſuſtentaculum fratribus, qui circumaguntur, & id quod aſſecutus es impertire auxilium*. Expendenda ſunt verba; *Et id quod aſſecutus es impertire auxilium*. Dum enim præcipit, vt quod accepit auxilium alijs impertiatur, duo ſignificat; primum, quod non ſolùm voluit, vt Petrus antea imbecillus, fortis euaderet, ſed tantam aſſequeretur fortitudinẽ, vt alios poſſet fortes efficere. Secundum, quòd ſicut Chriſtus poſt culpam reſpexit Petrum, & auxilium præſtitit: *Reſpexit Dominus Petrum*, vt alapſu reſurgeret; ita Petrus doctrinę oculis in alios intendens, ne laberentur ſuſtentaret, & fortè lapſos erigeret. Et ita ponderauit Bernardus ſerm. 7. in cœna Domini, Petrum ſua prædicatione plures ad fidem adduxiſſe, quàm Chriſtum: Biduo nãque, vt Act. 2. nu. 4. & cap. 4. n. 4. dicitur, octo millia conuertit. *Maiora miracula*, inquit, *eſt operatus per Petrum quàm fecit ipſe. Antequam aſcenderet cælum pauci per prædicationem eius conuerſi ſunt ad Deum; ſed poſtquã aſcendit in cælũ, vna die quinque millia, & alia die tria millia per prædicationem Petri ad Dominum referuntur conuerſi*. D. Auguſtinus, Petrum inſpiciens eorum multitudine, quibus prædicabat circũſeptum tract. 92 in Ioan. tam incredibili diuinæ gratiæ ſplendore illuſtratum aſtruit, vt eoſdem qui ſe ad Chriſtum negandum impulerant, pro eo ſpontè mortem ſubituros ſuaderet. *Tantus*, ait, in

Apoc. 18 num. 1.

Luc. 22.

Theodor.

Act. 2. num. 4. Act. 4. num. 4. D. Bern.

in illo ſulgor gratiæ, vt ingentis multitudinis aduerſarios, interſectores Chriſti Iudæos faceret pro illo paratos mori, à quibus pro illo formidabat occidi. Pulchrè Auguſtinus.

Et ſanè hanc plurimos ad Chriſtum conuertendi ſpem in ipſa Petri negatione ſeminatam agnouit idem Auguſtin. tract. 23. in Ioan. vbi aduertit, tunc permiſſam Petri negationem, cùm effuſo ſanguine, latroni venia parabatur. *Agebat myſterium, qui fundebat pretium*. Et licèt Auguſtinus, Petri lapſum, & latronis veniam propterea eodem tempore, diſponẽte Deo accidiſſe exiſtimet, vt in iuſtis elatio premeretur, & peccatoribus reliqua fieret ſpes. *In Petro*, ait, *demonſtrans non in ſe quemquam iuſtum debere præſumere: in latrone nullum impium conuerſum debere perire*. Nihilominùs aliud hìc mihi videtur myſterium occultari, videlicet, vt in Petri lapſu alijs ad veniam, & conuerſionem ſpes, & ianua aperiretur, cùm Petrus doctrinæ ſplendore peccatorum mentes illuſtraret. Quamuis enim Petri peccatum fuerit grauiſsimum, tam celeriter reſipuit, vt aſſerat Diuus Bernardus ſerm. de Feſto Petri, & Pauli, eum nihil amiſiſſe de paſtorali dignitate. *Peccauit*, inquit, *peccatum grande Petrus Apoſtolus, & fortaſſis quo grandiùs nullum eſt: & tam velociter quàm facillimè veniam conſecutus eſt; & ſic, vt nihil de ſingularitate ſui primatus amitteret*.

S. Aug. — D. Bern.

D. Paulum etiam è peccatore mutauit in prædicatorem, & qui antea vas erat iniquitatis & iræ, factus eſt gratiæ, & electionis vas, vt Dei nomen portaret. Audi quid de ſe ipſo, Timotheo fateatur: *Chriſtus Ieſus venit in hunc mũdum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*. 1. ad Timoth. 1. num. 15. Nec verò primum ſe dixit antiquitate; quia vt aliqui ex hæreticis ſomniarunt, anima Adam per palingineſiam in Pauli corpus tranſmigrauerit; ita refert S. Thomas in 1. ad Timoth. 1. lect. 4. *Hic dicit*, inquit, *hæreticus quod anima Adæ fuit in Paulo, & tranſiuit de corpore in corpus. Quaſi dicat: ego primus peccator, quia anima Adæ eſt anima mea*. Luſerunt hanc palingineſiam Pythagorici. Paulus, teſte D. Auguſtino, in Pſal. 70. non diuturnitate, ſed grauitate culpæ, primum ſe peccatorem nuncupauit. *Nunquid*, inquit, *ante Paulum non erant peccatores? Quid eſt ergo, quorum primus ego ſum? Non tempore, ſed malignitate*. Et ſermone 9. de verbis Apoſtoli ait: *Nemo enim acrior Paulo inter perſecutores: nemo ergo peior inter peccatores*. Cùmque eſſet, Euangelij miniſter, & Orbis Doctor, ex ortu mirabili procreatur; & ſicut apis, *naſcitur ex tauro*; ſic ille ex culpæ corruptione generatus, ſtatim prædicandi officium

1. ad Timoth. 1. num. 15. — D. Thom. — D. Aug. — Hugo.

ver-

verbis, & quod plus eſt factis exercuit. Nihil enim, ait D. Auguſtinus lib. 9. confeſſ. cap. 2. peccatoribus ita prodeſt ad conuerſionem, quàm aliorum conuerſio. D. Auguſt. *Sagittaueras tu Domine*, inquit, *cor meum charitate tua, & geſtabam verba tua transfixa viſceribus, & exempla ſeruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuuos feceras, congeſta in ſinum; cogitationis noſtræ vrebant, & conſumebant teporem*. Hinc etiam eſt illud ex ſerm. 9 de verbis Apoſtoli. *Si Paulus ſanatus eſt, ego quare deſpero? ſi à tanto medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego vulneribus meis illas manus non optabo, ad illas manus non feſtinabo? vt hoc dicerent homines; ideo factus eſt Saulus de perſecutore Apoſtolus: quia cùm venit medicus volens ſibi famam comparare, infirmum quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat, etſi pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem. Ita & Chriſtus potentiam ſpecialis medicinæ ſpiritualis ſuæ oſtendit in ſanando, vt omnes deinde noſſent eum ſanare poſſe cunctas infirmitates omnium confugientium ad ſe*. Diuus Bernardus ſerm. 1. de conuerſione S. Pauli eadem habet. D. Bern. *Quis*, inquit, *deſperet vltra pro magnitudine cuiuſlibet criminis? quãdoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum, & cædis in diſcipulos Domini, ſubitò factum vas electionis*. Duo hic dicit; primum, indulgentiæ exemplo, quam Saulus obtinuit, peccatorum omnium veniam reddi ſecuram. Secundum, quòd ex Pauli conuerſione Orbis adeptus ſit prædicatorem, qui Dei miſericordiam doctrina ſua vſque adeo extulit, vt nullus deinceps audito Paulo, inſpectoq. conuerſionis ipſius exẽplo, obtinendæ indulgentiæ deſperatione tangi poſſit. Vnde iam meritò D. Chryſoſtomus ſermone 4. in epiſt. ad Philip. cap. 1. num. 45. dixerit Paulum, vt lucem, Magiſtrum, & prædicatorem Orbi datum. D. Chryſ. *Quis loquetur potentias tuas Domine? qui Paulum minimè latere ſiueris, qui talem virum Orbi oſtenderis? Laudarãt ſcilicet te omnes Angeli vno animo, cùm aſtra fabricatus es, & ſolem, ſed non perinde, atque eo tempore, quo nobis totique Orbi Paulum oſtendiſti. Hinc terra facta eſt ſplendidior cælo. Pulchrior hic ſolis lumine, ſplendidiores emiſit fulgores, lætos effudit radios*.

His igitur Eccleſia præceptoribus eruditur, his lampadibus illuſtratur, his columnis fulcitur, his patribus, & nutritijs educatur. In Petro ſortita eſt Patrem; in Paulo matrem obtinuit, qui lacte doctrinæ viuens ipſam enutriuit, & moriẽs lac effudit. In vtroque Deus poteſtatẽ, ſcientiam, & ſapientiam collocauit, qualem Eccleſiæ Doctores, & Magiſtros decere cognouerat. Hinc eſt illud

lud S. Bernardi ſerm. 1. in die Apoſtolorum Petri, & Pauli. *Tales decebat humano generi paſtores, & Doctores conſtitui, qui & dulces eſſent, & potentes, & nihilominùs ſapientes. Dulces vt mansuetè blandè, & miſericorditer ſuſciperent: potentes, vt fortiter protelarent: ſapientes, vt ad viam, & per viam ducerent, quæ ducit ad ciuitatem.* Et ſtatim de ſingulis priuatim agens ſubiungit: *Quid Petro dulciùs? qui tam dulciter ad ſe omnes conuocat peccatores, ſicut & Actus Apoſtolici, & epiſtolarum eius ſeries atteſtatur? Quid illo potentiùs? cui terra obediuit, cùm mortuos reddidit; & mare pedibus eius ſe calcabile præbuit: qui Simonem Magum ſpiritu oris ſui in aëre attigit: qui claues Regni cælorum tam ſingulariter accepit, vt præcedat ſententia Petri ſententiam cæli? Quid autem illo ſapientiùs? cui non caro, & ſanguis reuelauit?* Deinde proſequitur de Diuo Paulo. *Libentiſsimè Paulum ſequor, qui præ nimia dulcedine luget eos, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitētiam. Potentior eſt omni principatu, & poteſtate. Sapientiam, & medullam ſacrorum ſenſuum non à primo vel ſecundo, ſed à tertiò cœlo largiter aſportauit.* Tandem vtrūque coniungēs claudit S. Bernardus. *Hi ſunt Magiſtri noſtri, qui à Magiſtro omnium vias vitæ pleniùs didicerunt, & docent nos vſque in hodiernam diem.* Priùs tamen de Pauli doctrina, & prædicatione differemus, vt ſic faciliùs artis concionatoriæ documēta præſcribere poſſimus, deinde ad Petri doctrinam, & prædicationem veniemus, quantumque in vtraque Paulo par extiterit; demonſtrabimus.

D. Bern.

Matt. 16.

S. Bern.

CAPVT I.

Magna fuit in D. Paulo doctrinæ præſtantia, ingenſque vbertas.

Admiranda quidem Doctoris gentium fuit doctrina, & tam vberes in Eccleſia fructus protulit; vt ambigeres præſtantior ne fuerit, an fœcundior: nunquam tamen fœcunditatis, & præſtantiæ dotes ſatis dilaudabis. Fuit enim Paulus electionis vas præſtantiſsimū, peculiari Dei gubernatione ad prædicandi munus aſſumptum, mille gratijs inſignitum, pulcherrimis diuina manu cælaturis adornatum, & propè infinitis cæleſtium donorum ornamentis decoratū; vtpote qui totius Orbis creabatur magiſter, vt immenſas theſaurorum Chriſti diuitias gentibus aperiret. Vnde nulla erit humana eloquētia, verborū licèt phaleris adornata, quæ dicendo exæquare poſſit, quantū diuinus hic eloquij cæleſtis antiſtes reliquos omnes Euangelij præcones anteiuerit. Ipſum ego veritatis huius teſtem laudo probatiſ-

batiſsimum, ad Epheſ. cap. 3. vbi ſic: *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus, euangelizare inueſtigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ ſit diſpẽſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo.* Notandũ verò eſt gratiam, quam à Deo ſibi datam Apoſtolus teſtatur, donum eſſe prædicandi, quod præ cæteris Diuo Paulo conceſſum ſatis conuincitur ex ijs, quæ paſſim in epiſtolis ſcribit. Ad Rom. 15. *Propter gratiam, ait, quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter Chriſti in gẽtibus.* Ad Philippenſes item cap. 1. num. 16. *Quoniam in Euangelij defenſionẽ poſitus ſum.* Perſimile eſt luculentum illud teſtimonium ex epiſtola 1. ad Timoth. cap. 2. *In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, veritatem dico, non mentior, Doctor gentium in fide & veritate.* In quem locum, ni fallor, reſpiciens D. Chryſoſtomus homil. 4. de laud. Pauli, doctrinæ ipſius præſtantiam graphicẽ depingit. *Paulus ait, archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res Orbis, myſteria cuncta, vniuerſamque diſpenſationem Deus conceſſit. Ipſe cælum, Solem habens iuſtitiæ, ipſe mare ſapientiæ puriſsimum, & profundiſſimum.* Nihil ad ſublimitatem altiùs dici, nihil ad doctrinæ commendationem vbetiùs addi poſſe videtur. Nec miror, quia teſte Origene, D. Paulus prædicandi excellentia, doctrinæque ſublimitate apud homines tantam collegit exiſtimationem, vt à plurimis ſanctus fuiſſe Spiritus, ad illuminationem veritatis à Patre miſſus crederetur, quem Dominus Ieſus Apoſtolis promiſerat ſuis precibus à Patre mittendum. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere. Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Magna ſunt hæc fateor, & ſupra omnem calamum. Quis non videt quãtus fuerit Solis huius ſplendor, quàm longè lateque doctrinę radios ſparſerit: quantùm prædicandi gratia ſupra communem aliorum ſortem ſeſe extulerit; vt cùm gentibus prædicaret, non famoſus inſigniſque Orbis orator (parum id fuit) ſed ipſemet Dei Spiritus homines alloquens exiſtimaretur?

Philip. 1. num. 16.

1. ad Timoth. 2.

D. Chryſ.

Origen.

Ioann. 15.

Et verò Deus Optim. Max. larga adeo manu profundiſſimæ ſapientiæ donis Apoſtolum cumulauit; vt non ſolùm quæ ad doctrinæ, prędicationiſque excellentiam neceſſaria videretur; ſed etiã in omni rerum genere cumulatiſſimam præſtiterit, quod indubitãter tenet D. Auguſt. epiſt. 5. ad Boniſ. c. 3. vbi propè diuinam Pauli ſapientiam contemplatus, quantumque omnes Euangelij miniſtros doctrinæ præſtantia, & prædicandi facultate præcelleret, attendens, ipſum antonomaſtice

Apo-

D. Auguſt. Apoſtolum appellauerit. *Apoſtolus*, ait, *cùm dicitur, ſi non exprimatur, quis Apoſtolus, non intelligitur niſi Paulus*: quaſi ipſe ampliſsimo Apoſtoli titulo ſolus aſfici dignus haberetur. Euſebius lib. 3. hiſtoriarum cap. 24. cæteris Apoſtolis eruditione, & doctrina Paulum anteponit, ipſiuſque in dicendo vim, & in cogitando acumẽ Euſebius ampliter commendat. *Paulus, qui inter cæteros Apoſtolos eruditior etiam in verbis, & ſenſibus præpotens.* Et quid mirum vt verbis, ſenſuque cæteros anteiret, qui non humano, ſed prope diuino ſentiebat intellectu, & ore loquebatur: ac ſi illud Hieremiæ Hier. 15. num. 19. in Paulo fuiſſet impletum. *Qui ſeparat pretioſum à vili quaſi os meum erit*: Hoc eſt, qui huiuſmodi fuerit, vel homo diuino ore, vel Deus humano loquens exiſtimabitur. Talis fuit Apoſtolus, cui ſupremus Eccleſiæ Paſtor Petrus datam à Deo fuiſſe, ad conſcribendas epiſtolas, ſapientiam teſtatur, vt habes epiſt. 2. cap. 3. 2. Petr. 3 *Chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Et quidem aſſolet Deus omnibus quotquot ad exercendum munus aliquod aſſumit, nedum altiſsimum prædicãdi miniſterium, cæleſtem doctrinam plurimis gratiarũ dotibus adornatam abundantiſsimè largiri. Cũ igitur D. Paulus præcipuus Euãgelicę doctrinę crearetur antiſtes, & Gentium futurus pręḍicator aſſumeretur, vt ipſe teſtatur: *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti*. 2. Cor. 3. num. 6. Quinimò Deus ipſe Ananiæ locutus, Paulum ad prędicandi munus peculiariter à ſe electũ affirmat. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael.* Act. 9. Et ideo illum ad tertiũ vſque cælũm euexit, ibique immenſos diuitiarum ſuarum theſauros aperuit, ſapientiæque, & ſcientiæ abditiſsima manifeſtauit, quod ipſe poſtea teſtificatus dicebat: *Vidi arcana verba, quæ nõ licet homini loqui.* 2. Cor. 12 num. 4. Ex quibus colligitur non ſolùm idoneam pro miniſterio doctrinam, ſed multò abundantiorem ſapientiam Apoſtolo fuiſſe collatam. Quod in ipſo Pauli morientis occaſu lætiſsimum prodidit auſpicium, & cæleſte miraculum comprobauit. Cùm enim caput ipſi amputaretur, pro ſãguine, lactis copia effluxit vberrima, indubitato prorſus argumẽto, quòd matris inſtar Eccleſiam puriſsimo doctrinæ ſuæ lacte ſic abundanter enutriuerat, vt illo mortuo adhuc ſupereſſet. Ita quod priùs vita, & miniſterium doctrinæ, quam doctrina miniſterio defuiſſe crederetur.

Pulcherrima ſunt, quæ in hanc rem ſcripſit D. Ambroſius ſermone 68. vnde hæc libuit excerpere. D. Ambr. *De Pauli ceruice, cùm eam perſecutor gladio percuſsiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vnda, quàm ſanguinis, & mirum in modum*

ſanctum Apoſtolum baptiſmi gratia in ipſa cæde extitiſſe ſplendidū potiùs quàm cruentū. Quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ, ſicut ipſe ad Corinth. ait: lac vobis potum dedi. Hactenus ille: nec minùs aptè & eleganter loquitur D. Chryſoſt. in oratione

D. Chryſ. de Principibus Apoſtolorū. *Beatus,* inquir, *Paulus, cui caput enſe præciſū eſt, vir cuius laudes verbis exprimi nequeunt. At cuiuſmodi enſis illius guttur, Dominicum, inquam, inſtrumentum, cælo ſuſpiciendum, terræ tremendū peruaſit. Qualis locus tuum Paule ſanguinē excepit? qui lacteus apparuit in eius veſte, qui te percuſſit: qui quidem ſanguis barbaricū illius animum reddens melle dulciorem, vt ipſe vnà cum ſocijs ad fidem traduceretur, ita affecit* Hæc ille. Nec mirum, vt belluinam feritatem exuerēt, quibus melle dulcior, lacteſcenſque Apoſtoli doctrina infantilem teneritudinem communicauit. Proh Deus immortalis! prodigioſo miraculo ſanguis mutatur in lac, ad demonſtrationem, quòd lacteus eſſet Apoſtolus, & minimè cruentus, ſed mitis, & humanus: Lactis contactu, tortor & ſæuus in manſuetudinem, & lenitatem tranſiuit. Cæterū ſublimiùs illud eſt, & omnem prorſus laudē exuperat, quod ipſemet Apoſto-

Ad Galat. 4. lus ad Galat. 4. dixit: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Quę verba luculenter illuſtrat D. Chryſoſt. *Quid inquit, ventre illo fœcundiùs? qui* D. Chryſ. *Orbem progenuit totum? Quid eo fortiùs; qui editos, & adultos abortiuos poſſet denuò cōcipere, aut formare: quod in naturali partu præter humanas eſt vires.* Verùm quod natura aſſequi non poteſt, Pauli doctrina conſequitur. Quapropter D. Bernardus ſerm. de conuerſ. D. Pauli, ipſius cōuerſionem Orbi vniuerſo vtilem extitiſſe teſtatur: vnde omniū laudibus iure optimo extollitur, quia ferè omnes Apoſtolus matris inſtar doctrinę lacte puriſſimo educauit.

Merito, ait, *conuerſio Doctoris gentium feſtiuis gaudijs celebratur. Conuerſus Paulus, cōuerſionis miniſter factus eſt vniuerſo Mundo.* D. Bern. Luculentiùs tamē id proſequitur ſer. 12. in Cantica, vbi matris nomenclaturam D. Paulo pulcherrimè adaptat. *Primus occurrit, ſicut vbique ſolet, mihi Paulus vas electionis, reuera vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni puluere pigmentario: Chriſti enim erat bonus odor in omni loco. Multæ profectò ſuauitatis fragantiam longè latèq. ſpargebat pectus illud, quod ſic affecerat ſolicitudo omniū Eccleſiarū. Vide enim quales ſpecies, & qualia aromata coaceruauerat ſibi. Quotidie, inquit, morior propter veſtram gloriam, & rurſum: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? & multis talibus quæ nobis benē nota ſunt, abundabat diues iſte in componendis vn-*

guentis

Digitized by Google

guentis optimis. Et ſtatim aptiùs in rem noſtram adiecit: *Decebat nã-que primis, & puriſsimis aroma-tibus redolere vbera, quæ Chriſti membra lactarent, quorum Pau-lus mater erat, pro certò parturiẽs ſemel, & iterum, donec Chriſtus formaretur in eis, ac membra ca-piti ſuo reformarentur*. Hactenus ille. At tu vide Paulum non tantũ vt Eccleſiæ Matrem vbera doctri-næ lacte diſtenta habuiſſe, ſed pu-riſsimis aromatibus redolentia: quoniã non ſolùm pręcellens fuit Apoſtoli doctrina, ſed plurimis claruit prærogatiuis, quę numeris fere omnibus abſolutũ decent Ec-cleſiaſtem. Qui vt in Pauli ſchola perfectè erudiatur, oportet vt ar-tis difficultas ipſi proponatur, & nonnulla tradantur documẽta eo muneri obeũdo neceſſaria, quibus & Apoſtoli exemplo, veluti manu ductus, artis perfectionem attin-gere poſsit.

CAPVT II.

Artis prædicatoriæ difficultas ex-pẽditur, & præcipuæ dotes exer-nando concionatori proferuntur.

NOn ſine myſterij ſacramẽto Chriſtus Dominus Ananiã exhortatus, vt Paulum quæreret, vas electionis ipſum appellauit.
Act. 9. Act. 9. v. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte*. Quod quidẽ ex equo deiectũ in itinere confregit, vt meliùs re-fingeret. Atq. adeo cũ antea vas eſſet bellicum, & Dei Eccleſiam perſequeretur, factum eſt vas ſeu inſtrumentum muſicũ, vel inſigne organũ pręd icãdi: vtramque enim notionem vaſis nomen habet, vt ſacrę paginę interpretes aduertũt. Aptiſsimè verò ſacer Eccleſiaſtes, ſeu Euãgelicus orator muſico in-ſtrumento comparatur: quoniam non tam multiplices habet fides inſtrumẽtum, quàm orator dotes exigit, & prærogatiuas, vt omni ex parte conſumatus euadat. Et ideo D. Gregor. Nazian. nihil aliud exi-ſtimat concionari, quàm. *Multorũ fidium inſtrumentum muſicũ plu-rimis ſimul pulſibus ad harmoniã percurrere*. *D. Greg. Nazian.* Vnde prouenit nemi-nem inueniri poſſe, qui pręd icato-riæ artis numeros omnes ita im-pleuerit, vt omnes fides tãta dex-teritate percurrat, cunctorũq. au-ditorum voluptati ſeruiat, & plau-ſum excitet. Nec mireris, numero-ſior namque eſt auditorum, quàm pulſuum diuerſitas: idcirco Lace-dæmones, vt refert Pierius, Apol-linem, quem pulſandi peritiſsimũ prædicauit antiquitas, quatuor manibus citharã pulsãtem depin-gebãt. Plures habeat oportet Phę-bochriſtianus, ſeu Euangelicus orator, cẽtimanus ſit, vt omnes in-ſtrumenti huius fides ſumma dex-teritate percurrat; qualem Eccle-ſiæ ſuæ, & Orbi vniuerſo Chriſtus Paulũ dedit, vt ad illius exemplũ poſteri concionatores efformati, omnimodã eius artis perfectionẽ aſſequerentur. Et quidem omnes quotquot propter canẽdi, pulſã-

Digitized by Google

dique peritiã apud veteres famã & exiſtimationem conſecuti memorantur, Paulo cantori Euangelico comparati, rudes, torpidi, & penè muti extiterunt. Præcipuas ſingulorũ gratias percurro, & liquidò conſtabit ijs omnibus, *Vas electionis, vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo*, Eccl. 50. tanquam pretioſiſsimis margaritis fuiſſe diſtinctum. Eccl. 50.

Perrarum, & inſolitum habetur, quod ſcribit Seneca. Magnum, ſcilicet, Alexandrũ cantorẽ habuiſſe nomine Xenophantum, qui Regis affectibus ita dominabatur, vt canendi dexteritate, eò deduceret, quò impelleret. Alexandrum velles in iracundiam concitatũ, modulamine ſtatim agebat in furorem: rurſum pacatũ velles, & quietum, mox permutato concẽtu efferatos animi motus tranquillabat: Addit etiam D. Baſilius, apud eundem Alexandrũ fuiſſe Timotheum quendam canendi peritiſſimum, qui Regem in quemlibet vellet affectum, canendi efficacia impellebat: vnde claſſicũm canẽte Timotheo, Rex totus in Martem ibat: gladiũ diſtringere, hoſtẽ petere, bellum inire, & ſanguinẽ inſpiceres meditari; mutatoq. ex tẽplo modulamine ad priſtinam trãquillitatẽ prælij, furoriſq. oblitus reuertebatur. Antiqui, vt Orphei in canendo efficaciam ſignificarent, arcu aureo lyram pulſare ſolitum effinxerunt. Vnde cantu belluas attraxiſſe, quemadmodum & Arionem modulatæ vocis concentu piſcibus nouũ, & inauditũ equitẽ per medios fluctus obequitaſſe, memoriæ prodiderunt. Seneca. D. Baſil.

Orpheus in ſyluis inter Delphinas Arion.

De eodẽ ſcripſit Apollon. quod flumina ſiſteret; ſilices inflecteret, ſuſpenſaſque & cadentibus aſſimiles nõ ſine admiratione detineret.

Hunc referunt duros lapides & flumina cantu (vocis. Apollon.
Detinuiſſe, ſuæ captos dulcedine

Nec minùs admirãda canẽdi ſuauitas, & peritia Amphionis memoratur. Is enim ea arte vſque adeo excelluit, vt ſola vocis harmonia lapides mouerit, ſuis quẽque locis aptauerit, ita vt alij cederent in fundamẽta, alij ſuccreſcerẽt in faſtigia, & in ampliſſimas ædes, ſuperbaq. & ſumptuoſa ædificia cogerentur. Vnde, teſte Horatio, Amphionem Thebarũ conditorem antiquitas prædicauit.

Dictus & Amphion Thebanæ cõditor arcis Horat.
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Verùm huiuſmodi cantorũ in ſua arte ſublimitas, aut incantatione fuit ſimulata (vt Clemens ait Alexandrinus) aut in manus dexteritate ſimul cũ ſonoræ, & gratiſsimę vocis harmonia duntaxat cõſiſtebat: nec alijs naturæ, vel gratię prę rogatiuis, & dotibus ornabantur, quæ in Euangelico oratore, & Chri-

Chriſtiano muſico neceſſariò requiruntur. Quippe cùm Principum, Regum, & Imperatorum, necnon totius Orbis hominum affectus ſua potentia flectere, ac in omnem partem cogere debat & impellere, quod Timotheo, & Xenophanto cum Alexandro accidiſſe paulò ante memorauimus, non ſolum vocis, & manus dexteritate, hoc eſt, verbis indiget & operibus, ad Chriſti Domini imitationem, qui prædicatorum omnium prototypus fuit, *Potens in opere, & ſermone*: Sed præterea neceſſe eſt, vt animi citharam multiplici, & aureo virtutum arcu ſuauiter percutiat; ſicque in Orpheum diuinum immutatus, vocis modulamine, & doctrinæ ſuauitate non bruta, vt Orpheus; ſed peccatores brutorum naturã referentes fæliciùs pertrahat, & excantet. Ne mireris quod bruta audiant peccatores: Pſalmographum auſculta præcinentem. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Vnde Goropius Becanus Chriſtum veriſsimè Orpheum nuncupauit. *Chriſtus ipſe veriſſimus Orpheus, & is ſolùm ad quẽ omnia Orphica referuntur*. Sed iam dotes Phœbochriſtiano neceſſarias enumeremus, vt inde conſtet, quàm abſolutè, & cumulatè vas electionis Paulum exornauerint. Neque enim. *Vas auri tantùmodò ſolidum ornatum omni lapide pretioſo* extitit, ideſt, interprete D. Thoma: *Aureum propter ſapientiam, ſolidum propter charitatem, ſed etiam ornatũ omni lapide pretioſo, videlicet reliquis virtutum ornamentis; ex quibus apparet qualis fuerit vaſis huius pretioſiſsimi conſtitutio, repletio, vſus, fructus*. Libanius plurimas, & egregias dotes recẽſens, quibus orator Leontius eminebat, hunc in modum exorditur. *Aurea verba, perpolitas ſentẽtias loqueris. Quid ego de modeſtiſſimis tuis geſtibus? Quid de ſuauiſſima voce dicam? cuius naturali harmonia Orphei more ſiſtere flumina, mouere ſyluas, monteſque poſſis*. Hæc ille, hæſit tamen in cortice, nec præcipua complexus eſt ornamenta, quæ Euangelicum, & numeris omnibus abſolutum decent oratorem. Quoniã præter ea quæ extrinſeca valdè ſunt, & quaſi furtuita, magnam oportet ingenij dexteritatem habeat, & ſcientiam admirabilem. Dictione ſit dulcis, & potens, ſpirituque feruentiſsimus; verborũ dulcedine quaſi hamò capiat, rationum momẽtis conuincat, charitatis ardore ſuccendat, non bruta, non piſces, quod de Amphione, & Orpheo mentita eſt antiquitas, ſed homines reſtactarios & rebelles; quod eſt longè mirabiliùs, & ſolis oratoribus Euangelicis conceſſum, quibus à ſupremo Præceptore, & Magiſtro dictum: *Faciam vos fieri piſcatores*

Luc. 24. num. 19.

Pſal. 48. verſ. 13

Gor. Bec.

D. Thom.

Libanius

Matth. 4.

tores hominum, Matth. 4. ſit etiam labore inſuperabilis, fortitudine conſtans, ſecuritate intrepidus; quibus amorem, beneuolentiam, lenitatem permiſceat; vt modo violentia, & rigore, modo manſuetudine, & clementia indomita, & lapidea hominum pectora frangat, molliat, & comminuat, iuxta Apoſtoli documentum: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Ad Timoth. 2. c. 4. n. 2.

2. Tim. 4. num. 2.

Nec dubium ampliorem fore victoriam, ſi homines conuertere, atque à feritate in manſuetudinem traducere, quam feras cicurare, rupes ſaxaque emollire poſſit. O miraculum, tenebras inter, quibus moriente Chriſto mundi theatrum fuit oppanſum, omnium oculis ſpectandum! Tunc enim teſte Matthæo, vt Dei morientis necem ſentire quoquomodo teſtarentur, *Terra mota eſt & petræ ſciſſæ ſunt*. Quid tunc temporis homo? Irridebat, inſultabat, ſaxo durior blaſphemijs impetebat. Grauiter, vt ſolet, & fortiter in hanc rẽ D. Chryſoſtomus. *Et audiuit lapis, lapis ipſe in ſciſſuras diſfractus eſt, & victimam effudit, homo ille non exaudiuit*. Vbi vides adamantina hominum pectora, difficiliùs quã rupes, & cautes emolliri, & præ morientis Creatoris dolore frangi potuiſſe.

Matt. 27. num. 51.

D. Chryſ. Proœm. in Iſai.

Tandem decora omnia, & ornamenta, ſingulareſque prærogatiuæ, & dotes ampliſſimæ, quæ veteres muſicos fama claros, & nominis celebritate inſignes reddiderunt, in prædicatore Euangelico clariùs eniteant, eminentiùſque appareant. Quod Iulianus in epiſtola ad Iamblicum, ipſum alloquutus elegãter ſcripſit. *Verùm tu non modo Pindarum, Democritum, aut vetuſtiſſimum Orpheum; ſed omnia ſimul Græcorum quæcumque perfectionem extremam Philoſophiæ attigiſſe memorantur, tanquam in lyra concinna coniunctione variorum ſonorum ad abſolutã muſicæ perfectionem, ac ſoliditatem habes*. Addit Tullius, neminem poſſe oratoris conſummati gloriã adipiſci, quin priùs omnibus ſcientijs, & artibus fuerit eruditus, & maximarum rerum cumulo adornatus: verba illius ſunt. *Nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſecutus*. Verùm quæ hactus laciniosè, & calamo paululùm exultanti deſcripſimus, preſſius, & minutiùs præſtringamus; vt facta ſingulorum enumeratione, conſtet neminem in concionandi arte, infra quidquid pluitur, & ningitur, inueniri poſſe ita perfectum, vt ijs omnibus ſit cumulatus; & pariter innoteſcet, quàm irritus ſit, & inanis eorum conatus, qui ad ſummam in hoc munere perfectionem aſpirant: & quàm improbè detractores obleues defectus viros præclariſſimos.

Iulian.

Tullius.

mos,& concionandi arte celeberrimos carpunt (vt Paulo contigit) atque de dignitatis gradu deijcere contendunt.

§. PRIMVM.

Naturæ dotes prædicatoribus ſuo muneri exercendo neceſſariæ recenſentur.

PErfecti numeriſque omnibus abſoluti Oratoris, etiam christiani ornamenta, in tres claſſes diuiduntur, naturalia ſcilicèt, propria parta induſtria, & Dei beneficio in oratorem collata (dicunt germano vocabulo infuſa) De omnibus ſpeciatim diſſerendum; quantumque in ſingulis præſtiterit Paulus prædicatorum maximus demonſtrandũ. Et quidem inter naturæ dotes, quæ perfectam Phębochriſtiani imaginem componunt; primum in ordine locum obtinet optima corporis habitudo, quæ ex apta membrorum proportione, oris lineamentis, addita coloris ſuauitate coaleſcit, omnibus ita naturæ ordine colligatis, vt ipſum aſpectu gratum, ſaltem mediocriter efficiant. Tũc enim reliquæ eius officij partes ſplendorem ſuum, & pulchritudinem obtinebunt, iuxta celebrem Poetæ ſententiam.

Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus.

Qui enim debita corporis proportione caruerit, vel inſigniter fuerit deformis, & facie deſpiciẽdus, proculdubio ab auditoribus irridebitur: nec eorum ſibi conciliabit beneuolentiam, ſed illuſionem, & contemptum excitabit. Vox item plena ſit, & ſonora, nec nimium acuta, aut immoderatè grauis, ſed medio quodam tenore conſtans, non tamen difficilis, vt è torcularibus videatur expreſſa: In omnem modum flecti facilis, nuſquam tamen claritatem, & ſuauitatem amittens. Optimum deinde, & clarum intellectum prædicator habeat, atque ad docendum apprimè accomodatum: Quo fiet, vt ab auditoribus, quæ ediſſerit percipiantur: Nec illos ſermonem potius diuinare crediderìs, quam audire, vt non paucis accidere conſueuit. Vnde Plauti ſentẽtia in ipſos percommode cadit. *Hos quidem præter ſyllabam audiet nemo: nã diuinandum eſt.* Plaut. Adde etiam, ſi placet, illud Maronianum: *Dat ſine mente ſonum.* Maron. Ita enim in aliquibus obſcura, breuis, perplexa, & remiſſa vox eſt, vt præter ſonum non articulatè editum, nihil aliud ad aures tranſmittant.

Vocem pronunciatio conſequitur, quam oportet claram eſſe, & elegantem, ſuis numeris diſtinctam, & ſectionibus numeroſam. Cauendum tamen ne nimium deiecta ſit, & humi repens; ſicut nec valde obſcura, & plurimum impexa. Hoc enim tanquam nimis vitioſum in Iouiniano damna-

D. Hier. lib. 1. aduerſus Iouinian. uit D. Hieronymus. *Non eſt contentus noſtro, ideſt, humano more loqui, altius quiddam aggreditur. Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.* Et quidem niſi pronunciatio fuerit clara, & perſpicuitate præſtans; docendi actio, finiſque eluditur. Quis enim percipiet oratoris doctrinam, quã ſic obſcurat, & inuoluit praua docentis pronunciatio, vt ab auditoribus percipi nequeat? Quapropter monuit egregiè D. Auguſtinus; D. Aug. *Si doces, doceas verbis docentibus. Quid enim prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis; cũ loquendi nulla ſit cauſa, ſi quæ loquimur non intelligunt, propter quos, vt intelligant, loquimur.* Hinc apud Ezechiel cap. 3. Propheta commonetur, vt quæ iubẽte Deo plebi Iſraeliticæ dicturus eſſet, clarè, & diſtinctè pronunciatet; ita vt auditores, quòd non intellexerint monitorem, veluti ſocordiæ cauſam opponere non poſſint. Ezech. 3. nu. 18. *Si dicente me ad impium morte morieris, non annunciaueris ei, ſanguinem eius requiram de manu tua.* Verbum illud *Annunciaueris*, transferunt ex Hebræo Pradus, & Villalpandus ibidem. Pradus. Villalp. *Expolieris*, ideſt, verbis diſertis, rectè diſtinctèque pronunciatis adhorteris. Vbi vides quanti momenti ſit in cõcionatore recta pronunciatio, vt ſub mortis comminationibus ipſi à Deo iniungatur. Qualis verò ea debeat in concionibus adhiberi, colliges ex Libanij epiſt. ad Æſculapium, vbi cuiuſdam oratoris pronunciationem graphice depingit. Liban. *Pronunciatio adeo ſuauis, cuncta illuſtrans, vt non Muſæ, non Apollo ipſe loqui ſuauius, vt opinor, poſſent. Videbatur ſanè more Meduſæo auditores omnes in ſaxa vertiſſe.* Blandientis exaggeratio eſt, quæ tamen pronunciationis dignitatem amplificat. D. Proſper Epigr. 1. de ſuis operibus dilucidam in eloquendo pronunciationem ex Dei benificentia ad oratores tranſmitti opinatur.

D. Proſp.

Nec noſtrum hoc opus eſt, ſed ab illo ſumitur hic ros,
Qui ſiccam rupem fundere iuſſit aquas.

Idem ſenſit Theodotus Studuita ſerm. 8. Theodot. *Vt vobis*, inquit, *comparata ſit oratio. Nam qui antea ſcaturiginem è prærupta olim caute Iſraelitis præbuit: Quid mirum, ſi è lapidea hac mente breuẽ oratiunculam extundat?* Concinit Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 228. Iſidorus Peluſiota *Quoniam*, inquit, *ſcripſiſti me, vt par eſt, omni ratione te paſcere, atque à lingua mea in tuas aures per doctrinam commemorationem dignam. Illud reſcribo, quod ſi quid commodi, atque eruditi à me ſcribitur, hoc diuinæ, atque cæleſtis gratiæ eſſe exiſtimare debes, quæ rudes etiam, & imperitos ſapientes efficit.*

Memoriam in concionatore

re-

requiro, in apprehenſione facilē, in conſeruatione tenaciſſimam, in redhibitione fidelem; cui tanquam magni momenti ſociam adiungo optimam electionem. Præterea in actione geſtus omnes, & motus ad venuſtatem, & decorem ita componat, vt grauitatem in omnibus retineat, & penè viuere faciat, quæ dicuntur. Quod in prędicatore D. Hieronymus mirificè commendat: *Qui tantæ in ſermocinando elegantiæ eſt, vt comico ſale, ac lepore conſperſus ſit.* Et quidem ſales Attici, & comicæ venuſtates effœtæ in ætate non reperiuntur (omnia enim fert ætas animum quoque) Vnde prædicatorem nolo ſenectute confectum, ita vt verbis ſuis iam non poſſit vitam, ſpiritumque impertiri. Quapropter D. Hieronymus ſenio grauatum ſe ſentiens, prædicandi munus deſeruit, & robuſtioris ætatis prædicatoribus exercendum remiſit. Auſculta quæ epiſtol. 89. ſcripſit ad Auguſtinum. *Tu qui iuuenis es, & in Pontificali culmine conſtitutus, doceto populos, & nouis Africæ fructibus Romana tecta locupletato: ſufficit mihi cum auditore, & lectore pauperculo, in angulo monaſterij ſuſurrare.* Hæc ille, non quieſcendi ſtudioſus, & latendi cupidus: vtpote qui Eliæ in ſpelunca latenti dictum agnouerat: *Quid hic agis Elia?* Quaſi hac voce ad prædicandum contra Achabi idolatriam admoneretur, ſed infirmitatis, & debilitatis conſcius. Poſtquàm verò pēdentibus à mento palearibus frigidus obſtiterat circum præcordia ſanguis, ætati parcebat & ſenectuti, qui dum vigeret ætas, viresque ſuppeterent, in acie fortiter dimicauerat.

D. Hier. contra vigilant.

D. Hier.

Poſtremò linguam habeat expeditam minimè tardam, & balbutientem; dentes optimos æquabili ordine digeſtos, ad pronunciationē diſtinctam, numeroſam, & facile profluentem accomodatos. Inſtructionem claudo magni oratoris ſententia, qui tot in oratore requirit naturæ dotes, vt vix vnum dederis, in quo omnes cumulatè reperiantur: vnde neminem perfectum vlla vnquam tulit ætas. Optimus ille erit, qui minimis vrgebitur. Do Ciceronem. *In oratore autem acumen Dialecticorum; memoria Iuriſconſultorum, vox Tragœdorum, geſtus penè ſummorum actorum eſt requirendus. Quam ob rem nihil in hominum genere rariùs perfecto oratore inueniri poteſt.* En quæ in oratore naturæ indulgentis beneficio cùm adſint, laudanda, ſi deſiderentur expetenda, continuaq. exercitatione perficienda. Iam quas propria induſtria dotes comparabit ſtudioſus, & ſedulus concionator, numeremus.

Cicer. in oratore.

§. SE-

§. SECVNDVM.

Prædicatorem Euangelicum plurimæ dotes induſtria comparatæ nobilitant, & exornant.

QVis neget ſoli fœcunditatem magnis induſtriæ, laboriſque augmentis accreſcere, &vberiores fructus è cultura protuberare? Quapropter neceſſe eſt, vt orator, qui naturæ dotibus hactenus numeratis inſignitur, eas artis cultura perficiat, inſuperque alijs ſuo muneri valde neceſſarijs propria induſtria, & labore conquirendis animum adijciat. A linguarum peritia ordiamur, Græcam linguam, Hebraicam, & Latinam apprimè calleat orator: quem Logicæ, Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ ſtudijs ſumma cum laude verſatum deſidero: Aliter errabit ſæpius, & turpiter corruet: quinimò inſtar amentis mille proferet inſanias, propoſitiones effundet omnino temerarias,& prauè ſonantes. Quoniam etſi ad alienos labores, & ſcripta (quod eſt imperitorum aſylum) ſe conferat: cùm hæc vt plurimum ſint parum fideliter tranſcripta, & licèt quandoque inueniantur fidelia, ſunt tamẽ aliena; vnde his concionatoribus (latrones potius dixeris) vſu venit, quod Dauid, qui nec Saulis arma geſtare, nec ijs indutus poterat incedere. Præterquam quòd ignorãtia tranſcribentium, ſic aliena ſcripta adulterat,& deformat, vt nec ipſi Authores, & talium filiorum patres illos agnoſcant, & intelligant. Nec miror, quia dum ab alienis tranſcribuntur, & recitantur, non Authorum, ſed latronum eſſe exiſtimantur: vnde in Fidentinum quendam iocatur feſtiuè Martialis.

Quem recitas meus eſt, ò Fidentine libellus; Martial.
Sed male dum recitas, incipit eſſe tuus.

Idem penè ſibi eueniſſe fatetur ingenue D. Hieronymus, qui ob adulterinam tranſcribentium ignorantiam ſcripta ſua non agnouerat, nec rectè aſſequebatur: ſic deformata ad manum deuenerãt. *Verùm*, ait, *Scriptorum tanta barbaries eſt, & tantis vitijs ſpurciſſimis ſermo confuſus, vt nec quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare quod loquitur, potuerim intelligere.* D Hieronymi lib. 1. contra Iouinian.

Ampliſſimum eſt concionandi munus, non ſolis adhuc numeratis perficitur, alia poſtulat, ex quibus integrum mutuatur ornamentum, ſanctarum, ſcilicèt, ſcripturarum ſtudium, in quo frequẽtiſſimè ſe exerceat Chriſtianus orator. Litteralem ſenſum perſcrutetur, ſanctorum Patrum Eccleſiæ Doctorũ, nec non aliorum Authorum, qui ſuper eas commentaria ediderunt, lectioni vigilanter incumbat, vt inde mare

magnum ſcientiæ transfundat inſpectus, & Scripturæ theſaurus, Chriſtique bibliotheca nuncupari poſſit. Quod Diuus Hieronymus in ſuo Nepotiano epiſtola 3. non immeritò dilaudauit. *D. Hiero.* *Lectione, ait, aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum bibliothecam ſecerat Chriſti*. Non abludit. *Proclus.* Prochus in Oratione Panegytica, D. Chryſoſtomũ ab eodem ſtudio commendans. *Ioannes in verbis pretioſæ prædicationis margarita; Scripturæ impolluta à Deo inſpirata bibliotheca, diuinus theſaurus intelligentiæ, vehemens diluuium hæreticorum.* Hæc ille.

In ipſo templi veſtibulo duodecim boues ærei, mare ſimiliter æreum aqua plenum ſuſtentabát: in quibus ex D. Gregorij ſententia prædicatores non leuiter erát adumbrati: quia Scripturæ ſacræ cognitione, & ſcientia plenos eſſe oportebat. Et quidem mare illud æreum ſacrã deſignabat Scripturam, quæ mare eſt profundiſſimum, myſterijſque abditiſsimis repletum. Quam ob cauſam do- *Michael de Med.* ctiſsimus noſter Michael de Medina Belarcenſis Eſtremenius, & almæ Angelorum Prouinciæ filius lib. de recta in Deum fide cap. 9. lamentatur, quod in aliquibus Religionibus plerumque euenit: vbi adoleſcentes adhuc ad volatũ implumes, cùm primum quæſtiones aliquot philoſophicas planè ſteriles, & ſine ſucco, totidemque Theologicas tumultuatim didicerunt, ad grauiſsimum concionandi munus paſſim exercendum temerè educuntur. Viderint quanto cum bonæ exiſtimationis diſpendio, iſtos aquilarum pullos ad Solis aſpectum, antequàm è nido exeant, volaturos non probent priùs, degenereſque inuentos, & ignorantes reijciant, vt plumeſcere pauliſper diſcant. Sacræ Scripturæ æreum mare prius humeris ſuſtentent, & poſtea vtiliter, & fructuosè prædicabũt. Quinimò nec mare illud humeris ſuſtentare ſat eſt, niſi etiam bibant aquam in eo contentam, hoc eſt, abdita Scripturarum myſteria rimentur, vt egregiè mouet D. Gregorius, Beda, Ianſenius ad illa verba Pro- *D. Greg. Beda. Ianſen.* uerbiorum c. 5. vbi Salomon prædicatores alloquens ita cohortatur: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur* *Prou. 5. num. 15.* *fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*. Cernis quo pacto vnumquemque prædicatorum obſtringat, vt antequã ad exercendum prædicandi munus accedat, ciſternæ ſuæ aquam abundanter ebibat, hoc eſt ſacrarum litterarũ ſcientiam hauriat (quæ propter eximiam profunditatem ciſternæ æquiparantur) ac deinde ſapientiæ ſuæ fontes deriuet: manantes doctrinæ cæleſtis aquas in vicos, & plateas educat; vt paſtus ipſe, abundãterque epotus ad reficiendos alios, extinguendamque eorum ſitim ſe ingerat.

Hoc,

Hoc, ni fallor, quatuor illa animalia ſignificabant apud Ioãnem Apoc. 4. vbi in medio ſedis eſſe, & in circuitu oberrare affirmat, *In medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis antè & retrò*. Non vana ſeſſio, nec vacans myſterio circuitus: ſedent, quia diuinæ Scripturæ ſenſa inueſtigant, & myſteria rimantur: in circuitum rotantur; quia quæ ſedẽtes audierant, & didicerãt, alijs communicant; & quos hauſerant de ſapientiæ mari profundiſſimo latices, in auditorum pectora abundãter deriuant. Totum refero ad Hugonem Carenſ. in cap. 4. Apocal. vbi ſic. *Hic oſtenditur ordo, quoad exhibitionem prædicationis, vel omnes prædicatores ſacræ Scripturæ, qui ſunt in medio ſicut totius ſabricæ Eccleſiæ ſuſtentatores, ſicut columnæ ſuſtinent domum: item in circuitu dicuntur eſſe, quia ſunt Eccleſiæ defenſores & protectores; vel in medio ſunt, quando prælati, & prædicatores doctrinæ Euangelicæ per meditationem, vel ſtudium vacãt: Beati enim, qui ſcrutantur teſtimonia eius. Et in curcuitu, quando quæ in Scripturis didicerunt, & alijs prædicant, Prouerb. 5. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*. Hactenus Hugo. Et quidem niſi hæc prædicator vigilanter obſeruet, æqua temeritate notandus, & pari irriſione illudendus erit, quàm mulier, quæ lacte ſterilis cùm eſſet, tenellum infantem lacte vellet enutrire. Quis ita cæcus vt non videat, Lunam, & reliqua ſydera, priùſquàm à Sole claritatem mutuentur, ſplendere non poſſe? Quam inanis eſſet, irritus & irridendus ſitibundi conatus, qui ſicco vrceolo, antequàm viuo fonte immerſus repleretur, ſitim extinguere feſtinaret; ſic non minoris eſt fatuitatis, & dementiæ, vt quis docendi munus temerè vſurpet, cùm anteà non didicerit. Audiãt quotquot huius fatuitatis rei inueniũtur, quid de vero Eccleſiaſte, & prædicatore diuinum prodiderit oraculum. *Cumq. eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit populum*; aliter Eccleſiaſtes nõ eſſet. Oportebat itaque ſapientiã priùs haurire, & poſtea in alios effundere: Quod ſimili ſtudio, licèt diuerſa ſimilitudine, prædicatoribus in collo Sponſę adumbratis demonſtratur. *Collum tuum ſicut turris Dauid; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Cantic. 5. Quid porro, ait, Magnus Gregorius homil. 15. Ezechiel. Eccleſiæ collum, niſi prædicatores deſignat? *In collo ergo, ideſt ſacri eloquij prædicatione, quæ pro ſua altitudine, & munitione turri Dauid ſimilis dicitur, mille clypei dependent: quia quot in illa præcepta ſunt, tot etiam pectoris noſtri munimina*. Vide ergo quã aptè prædicatores Eccleſiæ in collo Sponſæ repræſentari turri Dauidicæ comparentur, non vt cum-

Apocal. 4. num. 6.

Hug. Car.

Eccl. 12. num. 9.

Cant. 4. 4

D. Greg.

Digitized by Google

cumque, ſed mille pendentibus clypeis adornatæ; vt prius ipſi clypeo ſcientiæ obarmentur, & poſtea prædicandi munus fidenter aſſumant: alioquin temeritatis damnandi, qui inermes cæleſti militiæ nomen dare, & cum hoſte congredi, certo quod vincatur præſagio, non verentur.

Præter ipſam Scripturam, alios identidem libros concionator diligenter euoluat: Ex quibus cōficiendis ſermonibus deſruſtet, & in priuatos codices digerat, & reponat quod magis ſolidum, & doctrinæ fuerit accomodatum. Flores ſolos non legat, qui auditui pruriginem, & otioſis delectationem afferunt, & medendis animarum ægritudinibus nequidquam proſunt. Saluiani monitum libenter audio, & conſilium ſequor. *Nos*, ait, *qui rerum magis, quàm verborum amatores, vtilia potiùs, quàm plauſibilia ſectamur, in concionibus noſtris non lenocinia eſſe volumus, ſed remedia, quæ, ſcilicèt, non tàm otioſorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus proſint.* Hæc Maſilienſis ille fortiter vt ſolet; Addo Stoicum Hiſpanum de ſe ipſo breuiter, & verè dicentem: *Animo hæc ſcribimus, non auribus*. Concinit illa D. Petri Chryſologi admonitio ſerm. 18. *Floſculos non quæramus*, & ſtatim rationem reddit; quoniam, *Qui maturitatis fructum quærit deſpicit amœna camporum: violæ, roſæ, lilia, narciſſus, grati flores, ſed gratior panis. Quod eſt odor naribus, hoc eſt auribus ſermonis ornatus: Quod dat panis vitæ, hoc ſcientia dat ſaluti: ſeponenda eſt ergo eloquentiæ voluptas, quādo ſcientiæ depoſcitur fortitudo.*

Saluian. præfat. ad lib. de Gubern. Dei.

Seneca epiſt. 100

Verum illud hac in re ſumi ponderis habetur, quod Eccleſiaſtes cap. 12. ex communi interpretum declaratione loquens de prædicatoribus ſcripſit: *Quæſiuit verba vtilia, & compoſuit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos*. Pulchrum ſapientis monitum, & concionatoribus neceſſarium, quod maximi prædicatoris exēplo iam illuſtro. Timotheo ſcripſerat Paulus; vt quàm primum ad ſe veniret; & inter alia, quæ diſcipulo iniungit peragenda, libros vt ſecum afferat adhortatur: *Veniens affer tecum libros*, 2. ad Timoth. cap. 4. Miror hanc librorum ſolicitudinem. Vt quid libros quærit ille, quem ſcientiæ promptuarium, & ipſius Paradiſi bibliothecam iure dixeris? Et quod magis mirere; morti erat propinquus, cùm iam de ipſa meditari aptiùs, quā libros euoluere par eſſet. *Ego enim*, ait, *iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*, ibid. verſ. 6. Moreris, ò Paule, & ſtudio inhias? Te ipſum cogita paulo poſt è vita decedentem, & obliuiſcere prædicaturum. Ah rem teneo: Non libros ad ſtudium poſtulas, ſed ad ſolatium, & exemplum. Ita Ca-

Eccleſ. cap. 12. num. 10.

2 Tim. 4 n. 13.

2. ad Ti. num. 6.

ten.

Hoc, ni fallor, quatuor illa animalia ſignificabant apud Ioãnem Apoc. 4. vbi in medio ſedis eſſe, & in circuitu oberrare affirmat, *In medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis antè & retrò*. Non vana ſeſſio, nec vacans myſterio circuitus: ſedent, quia diuinæ Scripturæ ſenſa inueſtigant, & myſteria rimantur: in circuitum rotantur; quia quæ ſedẽtes audierant, & didicerãt, alijs communicant; & quos hauſerant de ſapientiæ mari profundiſſimo latices, in auditorum pectora abundãter deriuant. Totum refero ad Hugonem Carenſ. in cap. 4. Apocal. vbi ſic. *Hic oſtenditur ordo, quoad exhibitionem prædicationis, vel omnes prædicatores ſacræ Scripturæ, qui ſunt in medio ſicut totius fabricæ Eccleſiæ ſuſtentatores, ſicut columnæ ſuſtinent domum: item in circuitu dicuntur eſſe, quia ſunt Eccleſiæ defenſores & protectores; vel in medio ſunt, quando prælati, & prædicatores doctrinæ Euangelicæ per meditationem, vel ſtudium vacãt: Beati enim, qui ſcrutantur teſtimonia eius. Et in curcuitu, quando quæ in Scripturis didicerunt, & alijs prædicant, Prouerb. 5. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Hactenus Hugo. Et quidem niſi hæc prædicator vigilanter obſeruet, æqua temeritate notandus, & pari irriſione illudendus erit, quàm mulier, quæ lacte ſterilis cùm eſſet, tenellum infantem lacte vellet enutrire. Quis ita cæcus vt non videat, Lunam, & reliqua ſydera, priùſquàm à Sole claritatem mutuentur, ſplendere non poſſe? Quam inanis eſſet, irritus & irridendus ſitibundi conatus, qui ſicco vrceolo, antequàm viuo fonte immerſus repleretur, ſitim extinguere feſtinaret; ſic non minoris eſt fatuitatis, & dementiæ, vt quis docendi munus temerè vſurpet, cùm anteà non didicerit. Audiãt quotquot huius fatuitatis rei inueniũtur, quid de vero Eccleſiaſte, & prædicatore diuinum prodiderit oraculum. *Cumq. eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit populum*; aliter Eccleſiaſtes nõ eſſet. Oportebat itaque ſapientiã priùs haurire, & poſtea in alios effundere: Quod ſimili ſtudio, licèt diuerſa ſimilitudine, prædicatoribus in collo Sponſę adumbratis demonſtratur. *Collum tuum ſicut turris Dauid; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cantic. 5. Quid porro, ait, Magnus Gregorius homil. 15. Ezechiel. Eccleſiæ collum, niſi prædicatores deſignat? *In collo ergo, ideſt ſacri eloquij prædicatione, quæ pro ſua altitudine, & munitione turri Dauid ſimilis dicitur, mille clypei dependent: quia quot in illa præcepta ſunt, tot etiam pectoris noſtri munimina.* Vide ergo quã aptè prædicatores Eccleſiæ in collo Sponſæ repræſentati turri Dauidicæ comparentur, non vt cum-

Apocal. 4 num. 6.

Hug. Car.

Eccl. 12. num. 9.

Cant. 4. 4

D. Greg.

cumque, ſed mille pendentibus clypeis adornatæ; vt prius ipſi clypeo ſcientiæ obarmentur, & poſtea prædicandi munus fidenter aſſumant: alioquin temeritatis damnandi, qui inermes cæleſti militiæ nomen dare, & cum hoſte congredi, certo quod vincatur præſagio, non verentur.

Præter ipſam Scripturam, alios identidem libros concionator diligenter euoluat: Ex quibus cōficiendis ſermonibus defruſtet, & in priuatos codices digerat, & reponat quod magis ſolidum, & doctrinæ fuerit accomodatum. Flores ſolos non legat, qui auditui pruriginem, & otioſis delectationem afferunt, & medendis animarum ægritudinibus nequidquam proſunt. Saluiani monitum libenter audio, & conſilium ſequor. *Nos*, ait, *qui rerum magis, quàm verborum amatores, vtilia potiùs, quàm plauſibilia ſectamur, in concionibus noſtris non lenocinia eſſe volumus, ſed remedia, quæ, ſcilicèt, non tàm otioſorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus proſint.* Hæc Maſilienſis ille fortiter vt ſolet; Addo Stoicum Hiſpanum de ſe ipſo breuiter, & verè dicentem: *Animo hæc ſcribimus, non auribus*. Concinit illa D. Petri Chryſologi admonitio ſerm. 18. *Floſculos non quæramus*, & ſtatim rationem reddit; quoniam, *Qui maturitatis fructum quærit deſpicit amœna camporum: violæ, roſæ, lilia, narciſſus, grati flores, ſed gratior panis. Quod eſt odor naribus, hoc eſt auribus ſermonis ornatus: Quod dat panis vitæ, hoc ſcientia dat ſaluti: ſeponenda eſt ergo eloquentiæ voluptas, quādo ſcientiæ depoſcitur fortitudo.*

Saluian. præfat. ad lib. de Gubern. Dei.

Seneca epiſt. 100

Verum illud hac in re ſumi ponderis habetur, quod Eccleſiaſtes cap. 12. ex communi interpretum declaratione loquens de prædicatoribus ſcripſit: *Quæſiuit verba vtilia, & compoſuit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos*. Pulchrum ſapientis monitum, & concionatoribus neceſſarium, quod maximi prædicatoris exēplo iam illuſtro. Timotheo ſcripſerat Paulus; vt quàm primum ad ſe veniret; & inter alia, quæ diſcipulo iniungit peragenda, libros vt ſecum afferat adhortatur: *Veniens affer tecum libros*, 2. ad Timoth. cap. 4. Miror hanc librorum ſolicitudinem. Vt quid libros quærit ille, quem ſcientiæ promptuarium, & ipſius Paradiſi bibliothecam iure dixeris? Et quod magis mirere; morti erat propinquus, cùm iam de ipſa meditari aptiùs, quā libros euoluere par eſſet. *Ego enim*, ait, *iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*, ibid. verſ. 6. Moreris, ô Paule, & ſtudio inhias? Te ipſum cogita paulo poſt è vita decedentem, & obliuiſcere prædicaturum. Ah rem teneo: Non libros ad ſtudium poſtulas, ſed ad ſolatium, & exemplum. Ita Ca-

Eccleſ. cap. 12. num. 10.

2. Tim. 4 n. 13.

2. ad Ti. num. 6.

ten,

Hugo Ca-renſis. renſis Hugo ad hunc locum. *Vt eſſent*, inquit, *ei ſolatio in tribulatione, & vt alijs daret exemplum ſtudendi. Et eſt argumentum pro ſtudio, aut enim volebat ſtudere non obſtante morte imminente, vel alijs ſtudium cõmendare.*

Qua fronte hæc audient, quibus tota pene vita tranſigitur, & vix libros tangunt: quinimò quaſi veneno infectos non raro projiciunt? O deſides: quàm vobis vellem, vt eſſetis naſuti, ſicut de Romanis pueris dicebat olim Epigrammatarius.

Et pueri naſum Rinocerotis habent.

Si enim hæc vobis contigiſſet fortuna, ſpirantem in ſacris libris ſapientiæ fragrantiam perciperetis, Salomonis ſponſæ ſimiles, cuius in præcipua laude poſuit ſponſus, quòd naſum haberet turri perſimilem. *Naſus tuus ſicut turris*, Cant. 7. verſ. 4. Philo Carpathius in hoc ſponſæ naſo Paulum fuit ſubodoratus, & merito: incredibilis enim fuit Apoſtoli in ſubodorandis ſcripturæ myſterijs ſagacitas, & diſcretio; Ille dedit Chriſti ſponſæ, vt in vtriuſque Teſtamenti contemplatione fæliciter, & iucundiſſimè reſpiraret. Do Philonem ex aliorum ſententia profantem. *Sunt qui per naſum ſponſæ ſanctiſſimum Apoſtolum Paulum propriè ſignificari velint. Quippe qui ſanctæ Eccleſiæ aliquando dederit, vt in vtriuſque Teſtamenti obſeruatione reſpirare poſſet, & altiùs odarari diuinorum myſteria, atque arcana.* Perbellè quidẽ Carpathius. Nullum enim ſacrarum litterarum interpretem mihi dabis præſtantiorem: Hic ille eſt, cuius beneficio Eccleſia tanquam naſo inter hæreticorum tetros, peſtilenteſque fœtores, & ſuauiſſimos ſacri eloquij odores mirificè diſcreuit. Hic ille, cuius epiſtolis Dei ſponſa, dubito an plùs alijs profecit: Chryſoſtomum ſequor, hom. 21. in 2. epiſtol. ad Corinth. de epiſtolis Apoſtoli hæc ſcribentem. *Vt & nobis ipſis, & alijs vſui eſſe poſsimus, ipſum in manibus ſemper habeamus, atque in ipſius ſcriptis ſumma cum animi voluptate verſemur; ſic enim & à vitio nos abſtrahere, & virtutem amplecti, & promiſſa bona conſequi poterimus.* Hæc ille, vbi vides ſacrorum librorum lectionem reformãdis moribus aptiſſimam, & ijs, qui prædicandi munus exercent, valdè neceſſariam. Nec ſolùm legenda ſunt ſacra volumina, ſed reuerẽter cuſtodiri debent, & religioſè contrectari; vt ſanctus Petrus Damianus inter Congregationis ſuæ ſtatuta præcepit, cap. 18. *Libros ſanctos ita cuſtodiat, vt nunquã manum ſuper litteras teneat, nunquam ſumo nigreſcere, vel ignis odorem ſentire permittat.* Nec pudeat hominem Chriſtianum diſcere ex Iudæis, quanta cum

Cant. 7. num. 4. Philo. Carpat.

D. Chryſ.

Petrus Damian.

religione, & reuerentia ſacros libros cuſtodire debeat, & contrectare. Iudæi namque, vt tradit Lyranus ad cap. 4. Luc. *Hanc reuerentiam faciunt libris veteris Teſtamenti, quod nullo modo ſederent iuxta illos, ſedendo ita alte, ſicut illi ſunt poſiti. Ex quo patet, quòd illi Chriſtiani ſunt valde reprehendendi, qui non ſolum libros veteris Teſtamenti, ſed noui etiam ſacra Euangelia, ita irreuerenter tractant.* Cur ergo ſacros libros non reuerebitur Chriſtianus, cùm videat Iudæos tantam libris Teſtamenti veteris religionem, & reuerentiam exhibuiſſe; vt nec iuxta illos ſedere, nedum manibus contrectare auderent? Lyran.

Non tamen ex dictis inferendum eſt: ſanctorum Patrum ſubtiles cogitatus, argutasque ſententias damnari, quibus nonnunquam Doctores in concionibus vtuntur: quoniã huiuſmodi ſchẽmata, cum ad fidelium vtilitatem, & doctrinam diriguntur, tantùm abeſt, vt damnoſa ſint, & reprobanda, quòd potius ſtudioſè cõquiri, & concionibus interſeri cõueniat: vt aurea doctrina, his veluti gemmis interludentibus diſtincta, gratior euadat, auditoris attentionem excitet, & affectum fortius commoueat. Quinimmo ita profligata eſt hac tempeſtate hominum appetito, vt niſi his ſalibus irritetur, ſacras faſtidiunt conciones. Vnde ſalubre eſt Diui Ambroſij conſilium admonentis, quandoque ad amouendum tædium, & excutiendum langorem, quo præ criminum grauitate miſeri auditores proſtrati detinentur, ſermonem ita componendũ, vt ſuauitate, & curioſitate delectet, mellitus ſit ad aurium oblectamentum, & piperatus ad excitandam cordis conpunctionem. *Eſt etiam*, ait, *ſermo ſuaſorius, dulcis vt mel, & tamen peccatoris conſcientiam in ipſa ſuauitate compungens.* Hunc ego probo, & in oratore Chriſtiano ſũmopere deſidero. Illud tantum nolo, vt, quod etiam Petrus Damianus epiſtol. 16. auerſabatur, futiles proſus, & inanes ſubtilitates, Dialecticorum argutias, & Rhetorũ pigmenta concionibus adhibeat, vt apud imperitum, & rude vulgus eruditi, & arguti exiſtimationem conſequatur: Damianum offero. *Non mihi*, ait, *Dialectica ſyllogiſmorum ſuorum circulos offerat, non Rhetorica lepidos delinificæ ſuadelæ colores infundat; non aliqua ſæcularis ſapientia phalerata mihi ſuæ vrbanitatis lenocinia ſuggerat; ſola ſe nuda proferat authoritas Patrum, in quorũ pectore omnipotens Deus velut in tribunali ſolio præſidens, ſanctionis ſuæ voluit promulgare decretum.* O quis hunc affectum æui noſtri concionatoribus largiatur! Quàm vellem, vt ea ex libris ſolùm decerperent, quæ auditorum captui inſeruirent, ſacram, D. Ambr. lib. de bono mortis cap. 5 Petrus Damian.

Digitized by Google

cram, ſanamque doctrinam non fucatis, ſed veris coloribus adornarent, veros imitati præceptores, qui anteriori æuo claruerunt.

§. TERTIVM.

Prima Euãgelici prædicatoris virtus humilitas, qua de ſe abiectè ſentiat numeratur.

INter præcipuas Chriſtiani oratoris virtutes principem locum vendicat humilitas, qua excellentiſſimus quilibet prædicator, ita moderatè, & humiliter de ſe sẽtiat; vt docilẽ ſe exhibeat, nec ab alijs maioris, vel etiam minoris exiſtimationis præceptoribus moneri, & corrigi impatiẽter ferat. Nihil enim à Chriſtiano oratore, & ſacrarum litterarum ſtudioſo magis alienum, quã animi faſtus, & tumiditas, qua ſe nullis etiam leuiſſimis defectibus vrgeri opinetur. Quod Philippus Abbas bonæ ſpei epiſtola ſecunda ad Honorandum grauiter in multis ſugillat, & damnat, quibus elati animi præſumptio mentem hebetat, & obtundit, ne ſacrarum litterarum myſteria ſuperbis inacceſſa poſſint inueſtigare.

Philipp. Abbas. *Gaudeo quòd diuinis ſtudes litteris erudiri, ſed in eis volo te docilem inueniri, ne vel ſtudium tuũ craſſa infatuet hebetudo, vel agilitatem ingenij præpediat tumoris ægritudo. Diuinarum quippe lectioni ſcripturarum tria, vt æſtimo, ſunt valde neceſſaria, ſine quibus earumdem ſcripturarum non acquiritur perfecta ſcientia, videlicèt, ſtudium, ingenium, humilitas.* Hæc ille: Nec immeritò in prædicatore ſacrarum litterarum ſtudioſo primam deſiderat humilitatem: quoniam ſi deſit humilitas, mille ſuccreſcunt vitia, & mille affectus praui ſubnaſcentur, quibus proh dolor! paſsim ſcatent concionatores nõ pauci, quo fit, vt ad conſequendam in ſuo munere perfectionem incapaces reddantur. Ita contigit Alexandro, cui illud non minus liberè, quam verè dictum: *Paratus eſt Deus ad dandam tibi ſapientiam, ſed non habes, vbi eã recipias; cum ſis ſuperbia refertus.* Et qua ratione ſuauiſſimum ſcientiæ liquorem in pectoris vaſe exciperet, quin prius tumiditatis, & arrogantiæ ventum exſufflaret?

Cæterùm rem ego arbitror difficillimam, vt concionator inter applaudentis populi acclamationes humilitatis tenorẽ retineat, & aliorum monita libenter auſcultet: quia pauciſſimi ſunt, quos vana exiſtimatio non decipiat, & longè alios ſe fingunt, quàm re vera muneris ſui frequẽs exercitatio demonſtrat: Doctor Terrones Legionẽſis Epiſcopus, Catholicorum Regum prædicator eximius, quatuor, vel plurimum quinque ſe agnouiſſe teſtatur, qui gratia ad prædicandum ca-

caruiſſe exiſtimarent, & ingenue faterentur, Arias Montanus Hiſpalenſis eximius, Frater Ludouicus Legionenſis Academiæ Salmanticenſis Apollo clariſſimus, & Auguſtinianæ familiæ decus ampliſſimum, præcellentiſsimus frater Petrus Caſtilleio Antiqui malariæ ortus, Seraphica in Religione renatus, Almæ Angelorum Prouinciæ filius, & pater doctiſſimus (qui centurias in Euangelia per quatuor ampliſsima volumina digeſtas, ſummo ſtudio conſcripſerat; doctiſsima in Iob commentaria; plurimas de rebus poſitiuis elucubrationes incredibili diligentia elaboratas; & in quatuor ſentiarum libros multa ſubtiliter & acutè obſeruata accumulauerat: omnia iam parata, vt quamprimum lucem aſpicerent, & Authori ſuo nomen, famamque ęternùm duraturã compararent. Sed proh dolor! ſæuientis fortunæ inuidia magnis ſemper auſis contraria, rapuit, abſumpſit, defauillauit) Alij præterea duo, tres ve extiterunt; quorum nomina prætermitto, qui vix concionari occeperant, cùm tanto muneri obeundo impares ſe agnoſcerent, & vale pulpitis dicto, receptui canentes, campum alijs reliquerunt. Horũ ego humilitatem amo, & prudẽtiam vellem, vt omnes imitarentur.

Verùm tam multi alij hinc inde ex aduersò ſe produnt ex eorum fæce, qui cum malè cantant nunquam cantare deſiſtunt, alienos ſermones carpunt, deprimunt, decolorant, ſuos laudant extollunt, peruenuſtant. Fumi venduli planè, & buccones qui alijs faſtidioſi, ita ſibi complacent, ac ſi Diui Chryſoſtomi ſapientiam, eloquentiam, & auriſluam in dicendo ſuauitatem exæquarent. Eorum tamen fatuam elationem, & prorſus barbaram aculeatis verbis pungit acerrimè Laurentius Iuſtinianus lib. de Cuſt. Conub. capit. 14. *O elata*, inquit, *præſumptio! O tumens humana exiſtimatio, indocta ſcientia, & neſcia doctrina! Quid inflaris? quid extolleris? cur terminos excedis tuos? Cur erecta ceruice, extento collo, ductis ſupercilijs graderis, & quaſi de ſingulari inflaris ſcientia?* Hæc ille. Nunquam, reor his venit in mentem, quàm innumeris pene vitijs ſcateant; quot notis ſint inurendi, quantum aliorum correctioni, & caſtigationi ſubiaceãt, & ideo ſe ipſos obliti inſigni fatuitate ſe dicentes auſcultant, blandientes circunſpiciunt, & tanquam in ſpeculum intendunt, ac demirantur. Quodque non parum mihi venit irridendũ ſe tãquam prototypon, & exemplar proponunt, vt ad eorum aſpectum prædicatores alij ſeſe comant, omninoque perficiant. Cæterùm his ego iure optimo illud Prophetæ obijciam. *Arrogan-*

Laurent. Iuſtin.

gantia tua decepit te. Ezechiel. cap. 16. ſeu vt legitur ex Hebræo; *Phantaſma tuum decepit te*, quod perinde eſt, ac imaginarius conceptus, quem inaniter de ſe fingit ſuperbus, qui nunquam magis inops, & vacuus, quàm dum rebus omnibus abundare ſe credit.

Ezech. cap 16.

Huc refero pulcherrima Bernardi verba libr. 2. de conſiderat. ad Eugen. cap. 7. *Omnia illi deſunt, qui nihil ſibi deeſſe putat. Quid ſi ſummus Pontifex ſis? Nunquid, quia ſummus Pontifex, ideo ſummus? Infimum noris eſſe, ſi ſummum putas. Quis ſummus? cui addi non poteſt. Grauiter erras, ſi te illum exiſtimas. Abſit, &c.* Et poſt pauca pergit ipſum Eugenium ſalubriter adhortari: *Alias niſi te ad ſummum velim, non putare ſummum: aut velle putari antequam ſis. Nam quomodo proficis, ſi iam ſufficit tibi. Non ſit proinde tibi, aut pigrum veſtigare quod deſit: aut fateri quod deſit, verecundum. Loquere, & tu voce anteceſſoris tui. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim. Et rurſum.* Ego me non arbitror comprehendiſſe. *Hæc ſcientia Sanctorum, hæc longè ab illa, quæ inflat.* Hactenus ille. Addo & illud à Gentili Stoico dictum Chriſtianè lib. de tranquillitate animi cap. 1. *Puto multos potuiſſe ad ſapientiam peruenire, niſi putaſſent, ſe perueniſſe: niſi quædam in ſe diſſimulaſſent, quædam apertis oculis tranſiliſſent: non enim eſt, quod nos magis aliena iudices adulatione perire, quam noſtra.* Quod ſi homicidas appellaueris, qui palpum ſibi obtrudunt, Deus bonè! Ita fatua ſunt huius ſæculi iudicia, vt multò plures, ſibi ipſis adulando, intereant, quàm quos aliena adulatio interfecerit. Plus ego detractores, timeo quàm aſſentatores.

D. Bern

Seneca.

Magiſter à Caſtro Viridi inter Hiſpaniarum concionatores laudatiſsimus fatebatur ingenue plus doctrinæ, & vtilitatis à malis, quàm bonis prædicatoribus accepiſſe: In malos enim aſpiciens, eorum defectus diligenter euitabat, & quæ in ipſis notata prudenter ab auditoribus aduertebat, omni corrigebat ſtudio. Ex quo è malis prædicatoribus doctrinam, & magiſterium nullo modo contemnẽdum deſumebat. Verùm vbi propria deſit cognitio, nec humilis adſit animi ad correctionem docilitas, inani conatu ſtultam multorum præſumptionem emendare, & aliorum de ſe ipſis complacentiam reprimere ſtudebit.

Caſtro verde.

Addit Terrones, communi dolore plangendum, quòd cùm nullus ſit ita vecors, vt in Troianum ludum prodire, pila ludere, & quoduis aliud exercitium obire feſtinet, quin diligenter perdidicerit; nec prouocatus vt ludat, igno-

Terron. in arte cóciona̅d cap. 1.

Digitized by Google

ignorantiam in ea parte fateri verecundatur. Et tamen innumeros penè reperies, qui ad concionandum temere ſe ingerunt, importunè ſolicitant, vt ſibi ſermones iniungantur: cùm tamen cōcionandi artem vix norint, & in ea perdiſcenda nec prima quidem rudimenta poſuerint, & ſe præcellentiſsimæ artis ignaros fateri verecundantur. Perbellè cecinit Lyricus.

Ludere qui neſcit, campeſtribus
abſtinet armis, &c.
Qui neſcit verſus, tamen audet
fingere, quid ni?

Fatuitatem ego hanc dixerim, an inſaniam? vtraque certè eſt, & ſugillatione digniſſima. Quis enim vt fatuum, vel amentem nō damnet? qui vel dedecoris, vel vitæ periculo ſe exponit, artem omnium præſtantiſsimam exercendo, quin prius in illius ſtudio plurimum inſudarit. Sed quid his monitis defatiger? Cur non potius cæcos huiuſmodi, & amētes, alios paris amentiæ, & cæcitatis ducere permittam, vt vtrique inpræceps acti poſtremam experiantur ruinam, & omnium facti per ipſemet prudentum ludibrium, communis vilitas & abiectio, irriſorum calumnias inuerecundi ſuſtineant. Quia erudiētes negligunt abiectaque docilitate faſtidiunt, & quos piè beneuolèque adhortantes ſuſcipere, & ſequi debuiſſent: eos tamen pluſquàm nouercali odio perſequuntur. Vnde eſt illud Poëticum.

Sit ius, liceatque perire poëtis:
Inuitum qui ſeruat, idem facit
occidenti.

§. QVARTVM.

Animi generoſitas, & celſitudo ſacros Euangelij præcones mirificè exornat.

PRimam Euangelici præconis virtutem cenſuimus animi humilitatem. Eum tamen ſic humilem deſideramus, vt celſo animo ſit, & generoſo, quem nec Principum dignitas, nec Imperatorum terreat maieſtas: omnibus altior, omnium iras, gratiam, præmia, ſpes, eodem vultu ſecurus irrideat, immobiliſque contemnat. Vnde cùm ſe dederit occaſio, vt viris Magnatibus, Regibus, Principibus, Imperatoribus, Epiſcopis, Cardinalibus, & alijs Eccleſiaſtica, vel ſæculari dignitate conſtitutis ſit prædicandum, aſſentationibus parcat; eoque in loco Euangelij præconem ſe meminerit, & Dei miniſtrum, non adulatorem, & auribus prurientem. Quod vt melius præſtet, notas aduertat, quas adulatoribus cognoſcendis impingit Caſſiodorus. *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus ſalue dicit, prodigos vo-* Caſſiod.

cat liberales, auaros, parcos, & ſapientes, laſciuos, curiales, garrulos, affabiles, obſtinatos, conſtantes, pigros, maturos, & graues. Quæ maior fatuitas (& rectius dixerim iniuſtia) quàm mutatis nominibus, vitia pro virtutibus venditare? Hos caueat deceptores concionator: Nec Arpagi dictum vſurpet: *Mihi placet, quidquid Rex facit*. Stacoclis adulationem abominetur, apud quem illud erat frequentiſſimum: *Quidquid Rex Demetrius iubet, id erga Deos ſanctum, & erga homines iuſtum eſt*. Politicorum huius tempeſtatis dementiam, mentito prudentiæ nomine coloratam deteſtetur: quorum eſt illud temere, & impie dictum: *Omnia facta Regum honoranda*. Inſaniam hanc doctiſſimus noſter Franciſcus Feuaurdienſis admirabili zelo coarguit: *Quid*, inquit, *magis diabolicum Satan ipſe euomere potuiſſet? Ergo honorãda fuit tyrannis Nébrotis? Honoranda crudelitas Pharaonis, Saulis perfidia, Nabuchodonoſoris ſuperbia? Honoranda profanatio Balthazaris, ſcortatio, & proditio Dauidis? Honoranda apoſtaſia Hieroboam, Idolatria Acab? Honorãdus Manaſſes proprium filium diabolo ſacrificans? Honoranda infanticidia Herodis? Honoranda barbaries Antiochi, à quo etiam calamus abborret?* Hæc & ſimilia Tartari monſtra neutiquam reformidet Euangelicus orator, ſed acutiſſimo verbi Dei gladio præcidat intrepidus; Mathatiæ zelum, fortitudinemque imitatus, pro Dei cauſa ſecura libertate caſtiget, ab errore prudenter auertat, & veritatem omni ſublato timore manifeſtet. Quod Sauli feciſſe Samuelem, Dauidi Natham, Acabo Eliam, ſacra Regum narrat hiſtoria. Idem à Ioanne Baptiſta cum Herode factum, ait Marc. c. 6. Et quod dicendi libertatem amplius exacuit, Chriſti Saluatoris in coarguendis Phariſæis exẽplum, Matth. cap. 25. inſpiciat; ex quo diſcipuli in profenda Regibus, & Principibus veritate conſtantiam, & ſtrenuitatem didicerunt. Quod Petrus, & Paulus Neroni fecerunt: Conſtantio, & Conſtanti Athanaſius, Baſilius, & Gregorius Nazianzenus Valẽti, & Iuliano, Ambroſius, Theodoſio, Valentiniano, & Iuſtinæ: Chryſoſtomus, Arcadio, & Eudoxiæ. Plures taceo, quorum in dicendo libertatem zelo armatam, ſapientia inſtructam, & charitatis igne inflammatam prædicator Euangelicus imitetur, omnem fugiens adulationis ſpeciẽ, ne illud Iſaiæ c. 3. de falſis prædicatoribus dictũ, ipſi cõueniat. *Popule meus qui te beatũ dicunt, ipſi te decipiunt*. Deceptio ergo eſt adulatio: Quis neget: Et nõ amet potius verè corripi, quam ficte lau-

Feuaur. | Marc. 6. | Matt. 25 | Iſai. 3.

Eccleſ. laudari. Verè dixit ſapiens Eccleſiaſt. 7. *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.*

Cæleſtis ſponſæ oculos habeat omnino ſimiles prædicator, qualem his monitis efformamus: ſed quid de ſponſæ oculis dicit ſponſus? Cant. 5. num. 12. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſsima*, Cant. 5. Mira & noua laus oculorum. Quis vnquam lacteum colorem in oculis laudauit? Non inſeruit color iſte pulchritudini, myſterio tamen mihi videtur aptiſſimus, &, ni fallor, illud vidit D. Gregorius Nyſſenus, homil. 5. in Cantic. vbi ait: D. Nyſſ. *Quam ob rem hæc eſt ſu mma laus oculorum, nihil inane, & ſimulatum, aut re vacuum, atque quod non ſubſiſtat adumbrare; ſed ipſam veritatem cernere, non autem falſas huius vitæ ſpecies recipere.* Quaſi dicat, nihil aptius ad exprimendum quales eſſe debeant Euangelij præcones in oculis deſignati, quàm lacteus eorum color. Sicut enim lac candore præſtat, & nullis aliatum rerum, quas recipiat, reddat ve, imaginibus turbatur: Non aliter Chriſtianus orator, & Euãgelicus prædicator, veritatis candorem in pectore retineat, & inanes rerum ſimulatarum imagines minimè reddat, hoc eſt, fictis adulationibus, & mentitis virtutũ laudibus mũdanos decipiat, ſed apertã, & candidiſſimam veritatẽ doceat, & reluctantes conuincat. Petrum ſequatur exẽplo præeuntem, qui à proferenda veritate, nec debacchantis populi furore, nec Principum, Sacerdotum, & Pontificum Iudaicæ plebis authoritate detineri potuit; ſed omnes de Chriſti nece eodem ardore arguebat, Actor. 4. à num. 8. Act. 4. num. 8. Quod non parum demiratur Diuus Chryſoſtomus homil. 28. in Geneſ. *Quod maius*, inquit, *miraculum illo quis quæreret? cùm & qui ante crucem etiam abiectæ puellæ minas ferre non potuit, nũc aduerſus Iudæorum populum inſurgit.* D. Chryſ.

Præiuit etiam clariſſimo ſanctæ libertatis exemplo vas electionis Paulus, qui, vt egregiè ponderauit S. Ambroſius ad illa verba 1. ad Corinth. cap. 5. *Non eſt bona gloriatio veſtra*, propterea inceſtuoſum Satanæ cruciandum tradiderat, quia propter prædicatorum incuriam, à quibus criminoſus nunquã ſe redargui ſenſerat, in delicto perſeuerabat. In quo infirmo medelam, & prædicatoribus tribuit magiſterium, vt ille reſipiſceret, & iſti peccatores, cum opus eſſet, acriter ſugillare docerentur. Ambroſij verba ſunt: 1. Cor. 5. num. 6. *A quo crimine mali Doctores, aut diſſimulabant, aut negligentiùs arguebant (ſicut Heli Sacerdos. filios ſuos peccantes in Deum) ne amari eſſent hominibus.* D. Amb.

Non minorem in deſcribenda

Apoſtoli libertate, calamum Ambroſij, quam in ea imitanda animũ innenio: Qua ſcriptis adhortando, qua concionibus admonendo, Principibus, & Imperatoribus nudam, & intectam veritatem adulandi neſcius audacter propoſuit. Epiſtolam 28. lib. 5. ad Theodoſium ſcriptam cõſule, vbi propter Th[illegible]alonicentium internecionem, in qua iubente Imperatore ſeptẽ hominum millia cæſa dicebantur, ipſum crudelitatis, & ſæuitiæ redarguens, ita alloquitur: *Accipe Imperator Auguſte: Quod habeas fidei ſtudium, non poſſum negare, quod Dei timorem, non diffiteor: ſed habes naturæ impetum, quem ſi quis lenire velit, citò vertes ad miſericordiam: ſi quis ſtimulet in maius exſuſcitas, vt eum reuocare vix poſſis.* Cernis quo ardore faciles in Imperatorio animo, modo in iram, rurſus in clementiam affectus arguat, & ſugillet: auſculta deinde, quod ſibi ſimilis addit: *Dolori eſt mihi, vt tu, qui pietatis inauditæ exemplũ eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui ſingulas mentes non patiebaris periclitari, tot perijſſe non doleas innocentes.* Et ſtatim: *Id tibi inuidit Diabolus, quod habebas præſtantiſſimum: Vince eum, dum habes adhuc, vnde poſsis vincere, noli peccato tuo aliud peccatum addere.*

D. Amb.

Vidiſti ſcripta, audi verba non minus fortia, & valida, quibus teſte Theodoreto lib. 5. Hiſt. c. 17. ipſum Imperatorem Eccleſiam intraturum in limine detinuit, & veri Pontificis authoritate, & grauitate coarguit: *Quibus,* ait, *oculis intueberis templum illius, qui eſt omnium Dominus? Quibus pedibus ſolum illud calcabis? quomodo quæſo manus iniuſta ſede, & ſanguine reſperſas extendere audebis, & iiſdem ſacroſanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum eius ſanguinẽ ori admouebis, qui furore iræ iubente tantum ſanguinem tàm iniquè effudiſti.* Audiuit Imperator corripientem Epiſcopum, & patienter tulit. Neſcio an plus admirer Imperatoris patientem humilitatem, an Epiſcopi ſanctã libertatem. Dauidis exemplum Imperator oppoſuit, ad ipſiuſque defenſionem prouocauit; cui reſpondit S. Ambroſius. *Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem:* Ita S. Paulinus in ipſius vita. Vnde monet diuinum oraculum, Eccleſiaſt. cap. 4. num. 42. veritatem intrepidè, & minimè verecundè manifeſtandam, *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Et infra num. 27. *Ne reuerearis proximum tuum in caſu ſuo: ne retineas verbum in tempore ſalutis.*

Theod. — D. Amb. — Eccleſ. 4. num. 42.

Hinc eſt quod Iſaias cap. 6. n. 9. Væ illud lamentabile non ſemel intonabat; cùm Seraphinos in diuinas laudes effuſos inceſſanter dicentes audiret: *Sanctus, Sanctus, &c. Væ mihi quia tacui quia*

Iſai. c. 6. num. 9.

vir

Digitized by Google

vir pollutus labijs ego ſum. Cur plangit Propheta, & lamentatur? cur væ illud ingeminat? Quia Seraphinis Deum laudantibus, ipſe quaſi mutus nec minimã vocem effundit: Sed cur ſilet modò? Quia aliquando ſiluit, impiũque Oziam temere in templum irruentem ſeuera reprehenſione non detinuit. Perbellè in eum locum D. Hieronymus. *Plangit ſe Propheta quia non fuerit dignus laudare Dominum Sabaoth cùm Seraphim: non fuit autem auſus laudare Dominum, quia labia habebat immunda: & propterea labia habebat immũda: quia nõ audacter Oziam impiũ Regem corripuit.* Ille itaque in Dei laudes ſeſe effundere non audet, cui animus defuit, vt viros Principes, & Magnates intrepidè redargueret. Eiuſdẽ criminis reus eſt imbellis prędicatoris animus, & meticuloſus, quem in ſeipſo ſugillãs S. Iob, imminentis damni periculo non leuiter deterret. *Quare tacens conſumor?* cap. 13. nu. 19. Quæ verba expendens Lyranus, ita fatur: *Prædicator veritatem tacens conſumitur, quia à conſciẽtia mordetur, flagellat enim conſcientia vſque ad conſumptionem illum, qui homines quando opus eſt veritatis verbere nõ flagellat.* Audiant hæc qui Magnatum virorum iram reueriti, & gratiam ambientes loco reprehenſionis adulationem ponunt, & cum vitia reprehenſionis gladio reſecare debuiſſent, lenocinijs fouent & adulationibus patrocinantur. Quod ſenſiſſe videtur Auguſtinus lib. 2. de Trinitate. *Laudatur verò, & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem.*

D. Hier.

Iob. 13. num. 13.

D. Auguſt.

O leges Athenis quondam ſancitas aduerſus adulatores, quis nunc vos emortuas ſuſcitaret, & ſicut in ea vrbe tradebãtur ad necem quotquot adulationi ſeruiebant, vt Tymagoras, Demagoras & Euagoras propter adulationes, quibus deceperant Regem Darium, experti fuerant: ita nunc eodem ſupplicio prędicatores aſſentationibus dediti punirentur. Quam pro certo habeo vt nemo Principibus adularetur: ſed iuxta muneris ſui functionẽ apertã veritatem omnibus modis enunciaret. Et verò notiſsimum eſt quantùm Pharaoni, Sauli, Roboamo, Acabo, Aſſuero, alijſque Principibus, & Dynaſtis nocuerit adulatio, quæ tamẽ ſi abeſſet, omnes iſti ſaniorem ſibi mentem forſan induerent, & in melius reſipiſcerent. Qua ergo fronte, quo rubore concionatores euertent & diſſipabunt adulando, quod Chriſto lucrari, & conuertere poſſent arguendo? in quo veræ prædicationis fructus conſiſtit, vt ſcripſit Innocentius Tertius in epiſtola ad Abbatem Ciſtercienſem, in hæc verba, *Prædicatio animam reuocat ab errore ad veritatem, à vitijs ad virtutes, praua mutat in recta; aſpera conuertit in plana,*

Innoc. 3.

inſtruit fidem, erigit ſpem, roborat charitatem, euellit nociua, plātat vtilia, & fouet honeſta: via vitæ, ſcala ſalutis, & ianua paradiſi eſt. Hæc ille, quæ rectè ſi expendas, planè fateberis, immeritò prædicatorum titulo gloriari, qui prædicando vitiorum incentiua adulationibus ſubminiſtrant: deque eorum grege eſſe, quos carpit Oſeas, dicens: *In malitia ſua lætificauerant Regem, & mendacijs ſuis Principes.*

Oſeæ 7. 3

Quapropter D. Chryſoſtomus homil. 6. de laudibus Pauli, inter omnia Eccleſiæ munia prædicandi officium dixit difficillimum: totq. periculis obnoxium, ſi ritè rectèq. retecta veritate exerceatur, vt nullum ſit periculoſius. *Non nauium*, inquit, *gubernatorem, non ad beſtias dimicantem, non ludo gladiatorio deſtinatum, non alium quempiam omnino ſic ad diſcrimina, & mortes paratam, atque expoſitam oportet habere animam, vt eum, qui ſuſcipit officium prædicādi.* Hinc eſt vt Ieremias c. 15. num. 10. de genetrice conqueratur, eoquòd prædicatorem illum partu ediderit, laborioſo adeo muneri addictum, vt inde omniū ſibi inimicitias, odiaque conflauerit. *Væ mihi mater mea: quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra? Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam; omnes maledicunt mihi.* Quid ipſis attulit nocumenti, vt propterea maledicentiam excitaret? In promptu cauſa eſt, carpebat vitia, peccantium licentiam ſugillabat; idcirco detractionibus roditur, & calumnijs laceratur.

D. Chryſ.

Ier. 15. num. 10.

Sacerdos quædam, referente Ariſtotele in lib. Rhet. ſequēti dilemmate, filium ab oratorio munere dehortabatur: *Si iniuſta ſuaſeris, Deos habebis iratos; ſi iuſta homines*, Cui ille retorto argumēto ſic reſpondit. *Nam ſi iuſta ſuaſero, Deos habebo amicos, ſi iniuſta homines.* Vnde poſthabita hominum maleuolentia, propter Dei amicitiam oratorium munus ſuſcipi, & exerceri debuiſſet. Periculoſum ſanè, & plenum aleę opus hominum mentes veritatem detegendo tractare: præſertim, quia vnde amor Dei acquiritur, inde hominum odium conflatur. Et ipſe apud Iſaiam c. 41. pulcherrima ſimilitudine prædicandi difficultatem, & periculum ſignificauit, dum Prophetam mittens, ait: *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia; triturabis montes, & comminues, & colles quaſi puluerem pones;* Optima adhortatio, ſicut enim plauſtrum acutiſſimis lapillis ad triturādum recenter dentatum, ſerræ inſtar omnia comminuit, ac in puluerem redigit: ſic talem Deus volebat prædicatorem ſuum, vt populares, & Magnates, & Reges in montibus & collibus adumbratos, dentato ſermone attereret, & in puluerem reſolueret.

Ariſtot.

Iſai. 41.

De-

Demoſthenis patrem fabrum extitiſſe ferrarium autumant: Ambigo an inter ferri opera grauiùs errauerit, quàm dum oratoriæ filium deſtinauit: inde enim Philippi Macedonis, & Antipatri ſucceſſoris odium conflauit. Atque adeo vt vtriuſque manus effugeret, ipſe proprias ſibi attulit violentas. Ciceroni propter philippicas, præſertim ſecundam, Antonij iuſſu manus dextera reſecatur, & ſuggeſto configitur. Hinc eſt vt Ionas, mari cui fides infamis, libentiùs ſe commiſerit, quàm vt
Ion. I. Niniuem peteret, incolis & Regi veritatem prædicaturus. Verùm calcato mortis periculo, & vita contempta veritatē detegat Euāgelicus prædicator: præmioque propoſito ad Regum comminationes, & tyrannorum tormenta non expaueſcat.

Dum tamen in prædicatore dicendi libertatem amo, vtque ea intrepidus vtatur admoneo, prudentia, & moderatione temperatā exigo: ne fortè terminos tranſcendens, ex libertate in maledicentiam erumpat, occulta prodat vitia, & Eccleſiæ prælatos ita publicè, palàmque reprehendat, vt à plebe deſpectui habeantur. Et ſanè vltra ſcandalum, & nocumētum ex imprudenti hac libertate pullulans, plurima Conciliorum decreta id vetant, quæ & alia videnda ſunt apud Simanch. de
Simanc. Inſtit. Cathol. verbo *Prædicatores*, num. 9. 10. & 11. Nec ſatis fuit prohibere, graues inſuper additæ ſunt pœnæ, ſi quiſquam Epiſcopos, & Principes palàm redargueret. Et præterea refert Concil. Senonenſe. *In decretis morum* cap. 35. & 36. Clement. 1. §. 1. *de Priuilegijs*, Concil. Lateran. ſub Leone Decimo ſeſſ. 11. & Gabriel in Canon. lect. 77. Ijs tamen, & alijs quæ refert prætermiſſis, ſola Viennēſis Concilij verba referam ex Clement. 5. *Religioſis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiùs inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarū prælatis detrahāt.* *Vien. Cōc.* Legēdus hac de re ſanctus Chryſoſt. homil. 1. ad Populum Antiochenum, & Recentiores, ſpeciatim P. Torres in Philoſophia morali Principum. *S. Chryſ.* *Torres.*

§. QVINTVM.

Superflua culturæ ſtudioſitas in prædicatoribus damnatur.

PEriculosè, & fruſtra admonueris euitanda, quæ vel naturæ impetu, & propenſione ſectamur, vel corruptæ voluntatis affectione diligimus, aut praui iudicij errore communi approbamus. Inter tot cultos, quot noſtra videt ætas, planè irridendos, ſi anterior inſpexiſſet; quis damnator culturæ benè audiet? cum ſoli quos vocant cultos, audiantur. Alij verò quibus virilis eſt cala-

calamus, nec eos iubæ aut cincinni delectant, qui exotica, & peregrina, quęque Orbe ex alio portata videntur, non afferunt, tanquam ſuggeſto indigni exploduntur. Cæterùm non damno politæ dictionis ornatum, qualem matronalis caſtitas habet in fœminis, meretricium, & pigmentis fucatum reprobo. Sit caſta dictio, pura, elegans, venuſta: non tamen adulterata, peregrinis tincta coloribus, & calamiſtris inuſta. Primo igitur Phæbochriſtianum adhortor, vt ſuperfluum dictionis ornatum non ambiat, exquiſitis metaphoris liberè, & ſinè fundamento excogitatis nõ vtatur: orationem effugiat obſcuris ambagibus circumductam; compoſitionẽ artificioſa obſcuritate impexam diligenter euitet; exotica, & peregrina verba nuſquam vſurpet: nec Hiſpana Latinis, aut vice verſa Hiſpanis Latina commiſceat. Dictione vtatur omnino pura, & germana, quæ ſponte fluere, non è torcularibus exprimi videatur.

Egregiè decipiuntur, qui propriam, & in omnem partem flexilem, tanquam inurbanam reijciũt, & parum comem. At huiuſmodi culturæ ſectatores oratoriæ leges violant, & magni oratoris cenſuram incurrunt libro 4. Rhetoric. vbi, *Contra incultantes verba græca*, diſertè loquitur; vnde mihi venit in mentem illud tempeſtatis noſtræ prædicatoribus frequenter accidere, quod in Cicer: **more poſitum erat apud Latinos, nam ſicut hi Græcas dictiones flectebant in Latinas, ita noſtrates** culti Latinas faciunt Hiſpanicas, & vtramque linguam tam impropria verborum commixtione maritant vt quam loquuntur linguã, nec Hiſpana, nec Latina videatur. Quapropter à Quintiliano dictũ. *Verba ex natali ſolo decerpi, non aliunde colligi, aut emendicari debere.* Quintil. Quod tam ex mala vicinia, quàm ex deprauata impoſitione, oritur. Vno dicam verbo, minimè culta ſint verba; ſic enim vocant peregrinæ huius, & nuſquam auditæ culturæ ſtudioſi, quæ meritò dixeris flexuoſa, & longo, difficilique mæandro in orationem circumducta. Locutionem hanc velut peſtem effugiat orator Chriſtianus, ab ipſo enim in alios indoctos ſerpit, quos ſimiles delectant locutiones, omnemque eloquentiæ dignitatem (O nimis fatuos, & ſapientiæ celſitudinem in hac loquendi peregrinitate ſitam arbitrantur.

D. Hieronymi tempeſtate ſimilis contagio matronas Romanas infecerat; ideo ſanctus Doctor; virginem Euſtochium admonet, vt earum conſortia non minori ſtudio, quàm mortiferam corrũptionem euitet. *Non delumbem,* D. Hier. ad Euſt. inquit, *matronarum ſaliuã ſectleris, quæ nunc ſtrictis dentibus, nunc labijs diſſolutis balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur, ruſticum putantes*

omne

omne quod naſcitur: adeo illis adulterium etiam linguæ placet. Locutionē, quam iſti cultam appellanr, & rectius dicerent multis licijs impexam, & improprijs tráſlationibus ſinuoſam, Pater ille doctiſsimus, *Adulterium linguæ*, appellauit. Huiuſmodi fœminæ maternum ſermonem, domeſticum, & communem repudiauerant, exoticum, peregrinum, & deforis accerſitum amplectebantur. *Ruſticum putantes omne quod naſcitur.* Hoc eſt, vt ibi interpretatur Eraſmus: *Quidquid eſt naturale, & non eſt adulteratum artificio.* Vnde iam licet, nec leuè coniectura opinati, Dei Eccleſiam eandemmet cultorum, quam nunc patitur perſecutionē in illo æuo præſertim à prædicatoribus ſuſtinuiſſe: Ex quibus veluti fontibus infælix, & morbida lues deriuatur. Illos verbi diuini adulteratores vocat D. Paulus, 1. ad Corinth. 2. *Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbū Dei, ſed & ex ſinceritate in Chriſto loquimur.* Quibus verbis interprete Pineda in Iob cap. 10. præfat. num. 4. culturam de qua loquimur, damnat Apoſtolus. *Nam illi*, inquit, *adulterant verbum Dei, qui videlicèt cùm vel inutilibus, aut mollioribus facetijs, aut fucatis potius quam ſolidis vtuntur in verbo Dei tractando.* Proh quanta laborant in Carybdi huius æui prædicatores, qui adulteratam hanc dictionis culturam ſtudioſius ſectando in obſcuritatem, & confuſionem impingunt, ac inutiles auditoribus, & minimè proficui redduntur. Quod damnoſum valde eſt, & à D. Auguſtino in libr. de doctrina iure optimo reprobatur. *Quid prodeſt expeditio linguæ, & elegans oratio prædicantis, ſi propterea redditur obſcurus audienti.* Hæc ibi, expreſſius tamen loquitur cap. 11. eiuſdem libri: *Bonorum*, ait, *ingeniorum inſignis eſt indoles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire, quod volumus non poteſt: aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt.* Aurea fateor clauis eſt compta dictio, qua animi conceptiones aperiuntur: verùm neceſſe eſt ne ſuperflua ſit, & audientibus parum accomodata, aliter occludet, non aperiet. Id, ni fallor, innuit Chriſtus Dominus apud Matth. c. 4. dum Apoſtolos vocat ad prædicādum. *Faciam vos fieri piſcatores hominum:* quo in loco philoſophatur optimè D. Auguſt. *Sic debet eſſe ſermo Dei fidelibus, tanquam piſci hamus; tunc capit, quando capitur: & reti, & hamo piſcatur perfectius, ſed reti turba concluditur.* Vnde planū fit quantum oporteat ſermonem ita cōponere, vt ab auditore percipiatur, alioquin hamo capi no poterit. Nec minus incaſſum laborabit prædicator, qui ſermone

Eraſm.

1. Cor. 2.

Pineda.

D. Aug.

Matth. 4

D. Aug.

Græco, vel Latino Hiſpanos prędere, & hamare nitatur, quam ſi palmari anchorę cuſpide anguillam trahere contendat.

Non vacat myſterio, quod Deus retium piſcatores ad prædicandi munus elegerit; ſed vt ex ipſomet piſcandi officio perdiſcerent, qua ratione eſſent prædicaturi, ſermones reti ſimillimos inſtituẽdo. *Reti turba concluditur*, vt omnes pariter auditores, doctos, & imperitos irretiant, & concludant. Contra verò noſtrates culti (nomine ludimus) quorum omnis in eo cura ſita eſt, & ſolicitudo, vt valde obſcura, & ab humano ſenſu aliena excogitent, verbis inſolitis, & peregrinis vtantur: Vnde terraſque, tractatuſque maris percurrunt, nec cælo parcunt, vt inde verba, tropos, figuras, nuſquam antea viſas educant, iiſque, vt falſo exiſtimant, ſermones decorent, & exornent. Hos verborum figulos iuuat audire. *Vmbram*, appellant, *ſolis cadauer*; *Piſces*, *aquarũ Carthuſianos*. Quos vident aliquando ſolos, dicunt *Phœnices*. O nimis fęcunda monſtrorum pectora? Non fœcũdior Lybia è qua ſemper aliquid noui. Tota ſæculi noſtri ſapientia defluit in hos tropos, in has figuras ingenium omne, mẽs tota illabitur. O nimium doctos verborum figulos! Quis hæc à vobis inuenta dixerit orationis decora & ornamenta, & non potius ludibria? Dictionem talibus tropis, & figuris comptam, perſonatam, & laruatam ego exiſtimo. Non capiet certè hamus veſter, niſi vt plurimũ de millibus vnum. *Hamo ſingularis eligitur*. Nec parui facienda vobis erit iſta fortuna, quia auditores, plerumque doctrina ieiunos dimittitis, eo ſolo contenti, quòd vos Rethores clariſſimos, elegantes, & quod ardentiùs ambitis, cultos prædicant, & demirantur. Si quos hæc delectant, Nicolaum Pontificem audiant, vanam hanc oſtentationem, inanem ſuperbiam, immedicabilemque inſaniã verbis acutiſſimis ferientẽ, diſtinctione 43. de ſponſ. 6. quæſtion. 1. pedem retrahant, cultorum caſtra deſerant, ad ſerios, & veros Euangelij prædicatores conuertantur; vt tanquam fideles ſerui, & myſteriorum Dei prudentes diſpenſatores Eccleſiam ædificent, & magno patri familias in eo munere fideliter deſeruiant.

Nicol. Pontifex

Cæterùm quia non in ſolis verbis cultura verſatur, ſed etiam ad geſtus, & motus, ipſamque habitudinem corporis, & compoſitionem hæc lues peruaſit: idcirco addendum fuit hoc monitum, hac in re plurimi faciendũ. In ſuggeſto ſeruet Apoſtolicus concionator optimam compoſitionem, grauitatem, & pro rei, locique dignitate maieſtatem, ita vt Apoſtolicum, & pene diuinum quid ſpiret, non autem mimicum, & theatrale, atque à ſcena mutua-

tua-

Digitized by Google

tuatum. Vnde omni ſtudio ſibi cauendũ ſtatuat, ne ſcenicas edat geſticulationes, affectus prodat ſimulatos, mentitaſque oris mutationes, ſugiente interim colore, oſtentet. Pari vigilantia attendat, nedum primo in auditorum conſpectum ſedat, vultu deiecto, ſub triſti aſpectu, capite verſus vnam partem inclinato appareat: tremula, & nimium ſubmiſſa voce non loquatur, aut in ipſo ſtatim concionis veſtibulo propriam indignitatem ſuſpirabũdus deploret. Itaque ab ijs prorſus actionibus abſtineat, quas Hiſpani vocamus *Carantoñas*, & pectoris ſimulationem produnt, ac voce qualibet clariùs eloquuntur. In alterum tamen extremum ne deflectat; & ideo ludibundis anilibuſque figmentis, iocoſis ineptijs, parum ſerijs narrationibus, triuialibus & vulgò iactatis ſchemmatis non vtatur: vtpotè quæ loci authoritatẽ, & maieſtatem quã maximè dedecent. Inter hæc tament media tutiſsimus ibit via, ſi ab omni tumiditatis, faſtus, & arrogantiæ demonſtratione abſtineat, ne doctrinam proprijs actionibus oppugnare videatur. Quod D. Hieronymus in Apologia ad Pammach. pro libris in Iouin. extremæ dementiæ inſimulat. *Quis*, inquit, *tam hebes, & ſic in prædicando rudis eſt, vt idem laudet, & damnet; ædificata deſtruat, & deſtructa ædificet; & cùm aduerſarium vicerit, ſuo nouiſſimè mucrone feriatur?* Et epiſtola 22. ac in cap. 5. epiſt. ad Galat. Philoſophos antiquos ſugillat eoquòd in ipſis libris, quos de contemnẽda mundi gloria conſcripſerãt, illam ſuorum nominum inſcriptionibus affectabant, eodemque prorſus calamo, quem ſcripſerant titulum delebant. Similes his ſeſe oſtentãt prædicatores illi, qui inter elationis iactantiæq. demonſtrationem, humilitatis doctrinam inculcant, & cùm ipſi faſtu intumeſcãt, animi abiectionem pleno, quod aiunt, ore buccinantur. D.Hier.

Addo laciniam prudentiæ, quæ prædicta monita nõ parùm exornet. Prudentem in hoc volo Chriſtianum oratorem vt ingentes hyperboles, ſupereminentes exaggerationes, propoſitiones paradoxas, ac temeritate plenas non efferat: quoniam genuinæ ſimplicitatis hominibus terrorem, & aliquãdo deſperationem inijciũt: doctis, & egregiè cordatis riſum mouẽt, atque in prędicatoris cõtemptum non mediocriter impellunt. Meritò ſanè, dum enim ipſi talia proferũt, & verbis ſeſquipedalibus ampullantur, vaſtos mortales proijcere, nec verbis, ſed lapidibus dicendi ſunt prædicare. Atque adeo cum ſibi plus arrogant, fatuitatis, & ignorantiæ iuſtiùs damnantur. Quam omnino cenſuram euitarent; ſi Eccleſiaſt. cap. 5. ſalubriter admonentem auſcultarent. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox* Eccleſ. 5.

ad

ad proferendum ſermonem. Nedum quòd præfatis exaggerationibus propter mendacij affinitatem, quam habent, veritatis candor offenditur, decor & puritas minuitur, obductoque veluti mēdacij colore deſiguratur. Ementientes enim ſuperiectiones, & propoſitiones quædam vltra omnem fidem per hyperbolem proiectæ, verum colorem rebus adimunt, & alium adulterinum fucatumque inducunt. Quod quantùm dedeceat concionatorem verè Dei miniſtrum, docuit ſanctus Zenon ſermone de Iuſtit. vbi ait: *In Eccleſia Dei fucatus non quæritur ſermo, ſed veritas pura.* Cui adſtipulatur Nicolaus D. Bernardi Notarius epiſtola 49. *Sermo*, inquit, *veræ puritatis, vel puræ veritatis illibatus debet eſſe, & facilis, nec artificioſo colorum velamine deſiderat opaccari*: Ex quo etiam monendus eſt prędicator, vt pari ſtudio à ſophiſmatis caueat, nec ſe metaphyſicis impediat, quæ planam, & apertam veritatis ſynceritatem magnopere lædunt, & D. Pauli doctrinæ aduerſantur 1. Corinth. 2. vbi Diuus Chryſoſtom. Apoſtoli nomine loquitur in hunc modum. *Non enim veni connectere ſyllogiſmos, nec ſophiſmata, neque aliquid aliud dicens, quam Chriſtum, & crucifixum.*

S. Zenon. Nicolaus

§. SEXTVM.

In prædicatore prudentia requiritur, vt pro materiæ, & auditorum exigentia appoſitè dicat.

AD concionatoris prudentiam item ſpectat, vt non ſolùm quæ ad ornatum inſeruiūt omni ſolicitudine prouideat, ne ſuperflua ſint, & dānanda, ſed plurimum de concionis ſubſtantia, & materia pro re, & tempore conuenienti deliberet: ex hac enim reliqua omnia, vt pulchra ſint, & ſpecioſa gratiam, & venuſtatem mutuantur. Igitur apud ſe ſtatuat Phœbochriſtianus ſermones ita componere, in ordinemque digerere; vt nunquam ab intento deuiet, ſed materiæ de qua agitur ſemper inhærens Euangelio, ac illius diei myſterio, quoad fieri poterit ſe conformet. Exemplis res fiet manifeſta. Incidit de Auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento prædicandum. Vt quid totus erit prędicator in Gentiliū ſympoſijs, & lautiſsimis antiquorum conuiuijs enarrādis; horamque ſermoni deſtinatam teret inutiliter? Qua mente? Quia diuiniſſimum illud Sacramentum appellatur conuiuium? O ineptiā! Quantò ſaniùs eſſet conſilium diuini huius operis magnitudinem extollere; vires omnes extundere ad hoc aſſumptum clariſsimis eloquentiæ ſplendoribus illuſtrādum,

dum, vt Dei potentia clariùs eniteat, illuſtrioreſque magnitudinis ſuæ radios eiaculetur. In quo etiam opus eſt parcitate, vt animarũ lucro interim ſtudeat, affectus alios ex re ipſa natos permiſcendo, vel infinitum Dei ergà homines in hoc myſterio inſtituẽdo, amorem declarando, vt auditores ad alium amorem pro tãto amore rependendum excitet, & impellat.

Placet aliò mentem diuertere, de effectibus ampliſsimi myſterij tractet: eſt enim materies vberrima, & immenſa dicendi ſeges, campusq. latiſsimus, in quo poſſit liberè ſpatiari, falcem mittere, & ſermones cogere quamplurimos. Quod ſi nolit, de requiſitis diſpoſitionibus diſſerat, quibus fideles animæ ad manducandum panem Angelorum ſeſe debeant præuenire: quod non minùs gratum eſt dicendi obiectum affectibus plenum, & animabus proficuum; in quem ſcopum tam in his, quàm alijs, quæ pro ingenij ſui captu orator adinueniet, omnis collimet oratio, ipſiusque intentio dirigatur.

Aliud addamus exemplum: ſermo de Samaritana prædicandus iniungitur, vel ſpontè ſuſcipitur. Ecce tibi in puteo Iacob totum aſpicies prædicatorem, ibi inſidet, in loco Sichar immoratur, in Samaria detinetur: abit tempus & mirabilis Samaritanæ conuerſio præteritur: ipſius in relinquenda hydria ſedulitatem, ad vrbem acceſſum, conciuium vocationem, & ocyſſimũ ad Chriſtum regreſſum, quod perfectæ conuerſionis fuit indicium, obliuiſcitur, aut ſciens prudenſque omittit: Immenſam Dei benignitatem, qua abiectiſſimos quoſque, & viliſsimos non deſpicatur; ſed etiã magnis laboribus & fatigatione conquirit, hoc non leuiter quidẽ expendit: cùm tamen in huius myſterij propoſitione præcipuum Eccleſiæ intentum ſit, vt hęc omnia fidelibus proponantur, tanquam Redemptoris ſui, & amoris, quo dilexit Eccleſiam pignora, & monumenta clariſsima.

Qud ſi aliqnis aliud fortè ſuſpiret exemplum, lubens propono. Epiphaniæ myſterium ſermone celebrandum ſuſcipitur. Non ne labor foret inutilis, ſtellãquę aduentantes Magos ductauit in præſepe curioſiùs depingere, curſum, ſitum, materiam, ſplendorem lenter perſcrutari, Camelis verborum penicillo effigiandis abſumi? Quo fiet vt ad exprimenda alia, in quibus hiſtoriæ illius maieſtas elucet, colores deſiderentur. Et, quod ſuper omnia euitandum, prædicator ab intento deuiat, nec leuem auditoribus graculis præſertim & dicaculis præſtat occaſionem, vt liberè, & fortè verè dicant, illum ea tantùm quæ ſcit, & poteſt ad concionem afferre, non autem quæ pręſens occaſio, Eccleſiæque intẽtio

re-

requirit: Etſi vulgi ſermone fas eſt vti, dicent: *Prædicat ad Epheſios*. Vnde quò in prædicandi arte peritiſsimum ſe exhibeat Euāgelij miniſter, monita hæc & placita diligenter obſeruet, dicendi occaſiones conſideret, myſteria contempletur, Eccleſiæ intentionem aduertat, atque ad earum rerum admuſſim ſermones dirigat & componat; gnarus præcipuam concionatoris laudem in eo ſitam eſſe, vt iuxta rerum exigentiam, temporum, & myſteriorum ordinem appoſitè, prudenter, & ornatè dicat.

Cæterùm vt in concinnandis ſermonibus myſteria, occaſiones tempora, ſunt expendenda, ſic etiam auditorum qualitas ponderanda. Vt autem illorum captui ſe prædicator accomodet, ſtatum conſideret, neceſſitatem meditetur, & ſingula ſuis locis accomodatè diſponat: in quo prudentia quam maximè ſplendet. Et fòrs nonnunquam eueniet, vt prædicandi ſtudium, & impenſus labor irritus euadat, quia doctrinam, quæ veluti medicina eſt, pro ægrotantium neceſſitate temperatam minimè propinant. Vndeſuperuacaneū prorſus & inutile habetur in Pagis & oppidulis magnarum vrbium & Curiarum vanitatem, ambitus, veſtium luxus, menſarum lautitiem immoderatos ad inanem oſtentationem ſumptus redarguere. Nec minùs extra rem erit milites diuinarum rerum contemplationi nuſquam deditos ſugillare. Quis imprudētiæ nō vertat quòd Moniales vitæ ſanctimoniæ laudabiles, propter veſtium luxum, faciei medicamina, & comam calamiſtris inuſtram arguātur? Proh boni ſuperi! quanta hinc confuſio exoritur; quot hac in re paſſim peccantes pulpita ſuſtinent. Diuum Gregorium lib 17. Moral. cap. 12. audiant iſti dicentem: *Pro qualitate audientium formari debet ſermo Doctorum*. Ponderat egregiè S. Pater verba illa Cāticor. cap. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis*. Et ait: *Vmbilicus ſanctorum prædicatorum ordo eſt, qui benè crater eſſe dicitur, quia dū per eos populus eruditur, vino ſpirituali ipſorum officium deriuatur, qui benè tornatilis nūcupatur, quia iuxta mores hominum vniuerſos neceſſe eſt lingua prædicatorum voluatur.* Hæc ille, vbi vides quātùm oporteat audientium capacitati ſermonem adaptare, quoniam quæ ad tornum fabricantur non exorbitant, non inæqualia ſunt; ſed omni ex parte ad rectitudinem compoſita & circinnata: vnde ille alius dicebat. *Vt rota voluaris, qui diuinæ Scripturæ rotam voluis; & dum æternatura diſcis, dediſce peritura.* Pulchrum hercle monitum: nec minùs ſalubre eſt, quod addit dum Apoſtolorum exemplo, quos Eccleſia firmiſſimas habet columnas, & rotas in omnes partes volubi- Cantic. 7

les,

les, proùt neceſſitas exigit, concionatores prouocat his verbis. *Qui animatas columnas audit, animata columna fiat, & vitæ æqualitate rotas Euãgelicas æmuletur.*

Cæterùm, quia maximi erat momenti, vt pro audientium captu conciones fingerentur: nec omnia paſſim, quæ in ſacris litteris erant occluſa proferrentur in vulgus; apud Hebræos vetitum fuit, ne quis Canticorum librum, Geneſis principium, Ezechielis primum, atque vltimum caput legeret, priùs quàm trigeſimum ætatis annum attingeret, vt Author eſt Origenes in Proœm.hom. in Cant. Gregorius Nazianzenus. Hieronymus & alij. Nec immeritò ità ſancitum: quoniam tenerior ætas nimiæ illorum librorum obſcuritati parùm apta credebatur. Nec omnibus quælibet doctrina conuenit, ſed alia maturam, alia teneram poſtulat ætatem; & ſicut ætatibus, ita etiam conditionibus, & perſonarum qualitatibus adaptanda: idcirco rota dicitur à Gregorio, vt tornatura flectatur ad capacitatem auditorũ. Nec minus pulchra eſt ad hoc ſignificandũ D. Chryſoſtomi ſimilitudo hom. 26. in Matth. & ſæpè alibi pulpitum appellans theatrum. *Quapropter*, inquit, *& tunc, & nunc mihi præſto eſt theatrum, & idem auditorum conuentus*. Quid igitur in ſcena actor? varias induit figuras, diuerſas admodum agit perſonas: Regem modo, rurſus paſtorem, ſtatim militem, & è milite mutatur in Rhetorem. Quid? Nõ tot figuras aſſumit Protheus: nec tam varios polypus trahit colores, quot vir ſcenicus & theatralis induitur: talem (debitum moderamen adſit) Phæbochriſtianũ ego deſidero: qui omnium profectui conſulens, non palato ſeruiens, orationem ita flectat, vt rudibus plana, & humilia prædicet, *Non in ſublimitate ſermonis*, 1. Corinth. 2. ſapientibus magna, & ſublimia proferat. Ibidem: *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Et cùm tam multiplex ſit auditorum varietas, & pro varietate neceſſitas, muneri ſuo verus Euangelij miniſter nõ faciet ſatis, niſi Protheo melior, & polypo ſagacior, quaſi rota voluatur: & interim dum voluitur, aut in theatro eſt, colores omnes, figuras omnes, auditorum mores, ſtudia, conditiones, ingenia prudenter aſſumat, omniumque profectui ſtudeat.

Origen. Nazian. Hieron. D.Chryſ. 1. Cor. 2.

Poſtea D. Paulum tanquam doctrinæ huius exemplar, & præceptorum omnium normam producemus: in eo enim, ac in ipſius prædicationis exercitio cuncta adamuſſim obſeruata fas erit inſpicere. Interim illud ex Actis Apoſtol. cap. 26. num. 29. producо. *Opto omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis ego ſum, exceptis vinculis his*: vbi vinculorum exceptionem adhibuit, vt Actor. 26

auditorũ captui ſe accõmodaret, quos adhuc catenis,& carceribus immaturos agnouerat. *Exceptis vinculis his:* Ne fortè quis parùm opportuna auditoribus locutum obijceret.

Quam diuerſi abeunt plurimi prædicatores, qui vel ignorantia laborant, vel parùm quod norunt temerè, & extra rem effundere geſtiunt. Alios paululùm doctiores,& nimium geniales ſtudio indulgere nequaquam iuuat.: vnde quæ aliquando vel legerunt, vel excogitarunt, ad omnes trahunt euentus,& cuilibet materiæ incõgruè accommodant: Cùm tamen ſtatutum ſit, vt quidquid extra rem eſt, etſi ſubtiliter inuentum, prætermitti, ac vt monuit Horatius, in aliam occaſionem reijci debeat.

Horat. *Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici*
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

Tempus verò præſens dixit pro opportuno. Quod vbique, præſertim in inculcanda pro morum inſtructione doctrina, obſeruandum eſt. Quinimò vt idem Lyricus replicat, pro conſcribendis libris, & ſermonibus componendis diſcutiendum eſt vigilanter.

Horat. *Quid deceat: quid non: quò virtus, quò ferat error;*
Scribendi rectè ſapere eſt principium, & fons.

Magnum addo Gregorium in lib. 17. Moral. cap. 12. vbi in hanc rem producit verba illa ex capite 26. Iob nu. 8. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.* (Iob 26.) Quemadmodum enim ſi ruptis nubibus glomerati imbres ingruerent, vaſtarentur ſegetes,& pometa perirent: Non aliter concionator totam ſemel doctrinam effundẽs auditores opprimeret, inutiliterque obrueret. D. Auguſtinus lib. de doctrina Chriſtiana cap. 5. eos arguit prædicatores, imò & irridet, qui plures Scripturæ locos ad oſtentationem memoriter recitant: cùm potiùs paucos optimè digeſtos, atque auditorum vtilitati accommodatos proferre debuiſſent. Addit Gregorius, Chriſti Apoſtolos, qui veluti nubes, ſapientiæ pluuiam à Chriſto infuſam continebant, non ſtatim omnem ſimul effudiſſe, ne ſimplicium auditorũ mentes ſubuerterent. (D. Greg.) *Nam, ſi* inquit, *ſcientiam ſanctam, vt audierant corde, ita ore funderent, immenſitate eius auditores ſuos potiùs opprimerent, quàm rigarent.*

Hæc documenta, à prædicatoribus in ea arte ſeruanda, maioris momenti iudicamus. Nec verò artis, cuius nos profitemur ignaros, regulas præſcribimus; ſed illud Tullianum in ſuo oratore ſecuti. (Cicero) *Neque enim ſum,* ait, *de arte dicturus, quam nunquam didici, ſed de mea conſuetudine,*

quæ

quæ vt plurimum ab emeritis, & probatis præceptoribus afferuntur, conſignamus. Tandem modeſtiſsimam profero ſancti Auguſtini clauſulam, qua libros de doctrina Chriſtiana prudenter, humiliterque abſoluit. *Ego tamen Deo noſtro gratias ago, quod in his quatuor libris, non qualis ego eſſem, cui multa deſunt, ſed qualis eſſe debeat, qui in doctrina ſana, ideſt, Chriſtiana non ſolùm ſibi, ſed & alijs etiam laborare ſtudet, quantulacumque potui facultate diſſerui.* Quid igitur Tullium inter, & Diuum Auguſtinum? Nec cum oratore Gentili meam prædicandi conſuetudinem, rationemque inculco. Non enim eius meriti eſt, vt debeat ad exemplum, & normam proponi. Nec cum ſanctiſsimo Patre, & Chriſtiano Doctore prædicandi normas tradere adnitor, vtpotè qui artem vix calleo: mea tantùm hìc vota, & ſtudia depromo, nec qualem egi concionatorem, ſed qualem optaui fieri depingo. Iam ad qualitates infuſas gradum facio. D. Aug.

§. SEPTIMVM.

Diuinis qualitatibus concionatoris officium perficitur & coronatur.

HVmana ſunt, quæ hactenus recenſuimus, partim naturæ indulgentis beneficio donata, partim labore proprio, & induſtria conquiſita. Iam calamum flecto ad altiora, quæ oratorem Chriſtianum natura, arte, & induſtria commendabilem omnino perficiunt, & pulcherrimè perfectum coronant. Prima, ni fallor, huius perfectionis prærogatiua cenſeri debet aſſiduus feruentiſsimæ orationis affectus, cui continuò prædicator incumbat, vt inde ardentiſsimas zeli flammas concipiat in pectore, & inflammatus ad ignem illum, quē Dominus Ieſus venit in terram mittere, & volebat accendi, fidelium mentibus incendendum feſtinet. Vnde fiet, vt donum illud paucis conceſſum, audientiū affectus quò velit deducendi, cōſequatur. Quod in Domino & Saluatore noſtro Petrus fatebatur, dicens: *Verba vitæ æternæ habes.* De quo etiam Lucas c. 24. *Potens in opere, & ſermone.* Luc. 24 Et quia virtutes omnes fælici complexione iunguntur, & copula indiſſolubili maritantur: non ſolo ornabitur orationis ſtudio, ſed omnes alias addet, vt earum

Digitized by Google

Doctor, & magiſter fæliciùs eſſe poſſit. Niſi enim prædicator interiùs boni amore, & mali odio tangatur, auditorẽ ad ſimiles affectus adducere nequibit: nam vt Lyricus in arte poëtica docuit.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus, ſi vis me flere, dolendum eſt (*tunia lædent.*
Primum ipſi tibi: tūc tua me infor-

Et D. Auguſtin 4.de Doct.Chriſt. cap.20. ait: *Verba congruentia non oris eligantur induſtria, ſed pectoris ſequantur ardorem.* Tullius item 2.de Oratore. *Neque fieri poteſt vt doleat is, qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum, miſericordiamque deducatur, niſi omnes ij motus, quos orator adhibere vellet iudici,in ipſo oratore impreſſi eſſe, atque inuſti videbūtur.* Igitur diſtractiones effugiat,nec prauo ſitexēplo damnoſus,aliter nō proderit, & virtutum quas prædicat affectum pectoribus non imprimet, Oratori, ſimilis, de quo dixit Quintilianus. *Sigillum raſum, ac terſum nullis notulis inſcriptum*; Et ideo ceræ admotum, nullam figuram imprimit effigiemque conſignat. Quin etiam Philoſophis Peripateticis illum iure optimo aſſimilabis, quos lyris ſuauiter ſonantibus Cleantes æquiparauit: quoniam hæ auribus pruriunt, & blandiuntur: at verò ipſæ, vtpotè ſenſus expertes, ſuauitate propria minimè delectantur.

Quapropter Seneca Lucillum familiarem oratorem inſtituens, hoc ei monitum addit. *Hæc alijs* Seneca. *dic, vt dum dicis, audias ipſe; ſcribe, vt dum ſcripſeris legas, omnia ad ſedandam rabiem affectuum referens; ſtude non vt plus alijs ſcias, ſed vt meliùs.* Hæc more Chriſtiano Stoicus. At verò Diuus Gregorius homilia vigeſimaprima in Ezechielem prædicatores conferens cum menſis, quarum labia intùs eſſe reflexa teſtatur idem Propheta, menſarum iniecta mentione,concionatores adhortatur, vt officij ſui memores, quæ verbis prædicant, operibus exequantur. *O doctor,* D. Greg. inquit, *iam menſa es, iam vaſa portas, iam in vaſis fictilibus pondus holocauſti, & victimæ ſuſtines; ſed intùs reflecte labium, ideſt ad cor reuoca ſermonem, audi quid dicis operare, quod prædicas.* Sic enim auditores ad exequenda quæ adhortaris, facilè impelles: nulla enim ad virtutis conſecutionem facilior via, quàm quæ exemplo doctrinam comitante aperitur.

Ex quo deducitur prædicatorem oportere ab omni mortifera culpa eſſe alienum, tum ob rationem aſſignatam, tum etiam quia, teſte Origene, improbæ audaciæ, nimiumque damnandæ teme-

ſemeritatis eſt, prauæ vitæ infamia, & multorum criminum maculis reſperſa conſcientia, prædicandi munus obire. Quinimò non paucorum Doctorum tenet opinio huiuſmodi concionatorem noui criminis reum fieri, dum culpis infectus in ſuggeſtum ſe ingerit, & propria lingua ſceleratum ſe indicat, dum aliorum ſcelera ſermone condẽnat. Quod docuit egregiè D. Proſper. *Malè viuere, & benè docere nihil aliud eſt, quàm ſemetipſum propria lingua damnare*. Quod falſitatis, & violatæ fidei oppignerationem Beda prudenter appellat; à ſapiẽte in Prouerbijs, vt videtur, mutuatus. *Qui detrahit*, inquit, *alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat*: ſiquidem virtute reprehenſionis, qua aliena crimina redarguit, ſe ipſum obſtringit, & veluti propria manu firmat, nunquam talia admiſſurum. Quis igitur ita amens, vt non videat quanto pōdere prematurconcionator, cuius vita minimè cum doctrina cohæret: & quanto ſatiùs ſit tacere, quàm abſque vitæ exemplo prædicare, licèt alioquin præclariſsimis ſapientiæ, & ſcientiæ dotibus cumulatus exiſtat.

D. Proſp.

Beda.

Seraphinos inſpiciamus Dei ſolium circunſtantes, & clariſſima prædicatorum ſimulacra intuebimur. Quid igitur illi? Senas habebant alas: duabus inquit Iſaias cap. 6. *Velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius*, & inter medijs volabant. Communis interpretum ſenſus tenet, Seraphinos Dei faciem, & pedes alarũ oppanſione contegere. Cæterùm inſpecta radice iuxta quam legi poteſt, *Duabus velabant facies ſuas*, non Dei, ſed proprios pedes, faciemque operire affirmabimus: ſed interim dum ſe contegunt, volant pariter, & clamant. *Sanctus, Sanctus, &c.* Ad vocis menſuram volatum explicant, & extollunt. O pulcherrimas concionatorum imagines! quandiu elata voce Dei ſanctitatem prædicant, alarum eleuatione vitę ſuę puritatem oſtentant: æquo pondere ſe librant, nec alius clamant quam volent, par eſt volatus & clamor, ne doctrina melior habeatur quam vita: & ideo pari cura, & ſolicitudine pedes, & faciem contegunt: *Duabus velabant facies ſuas, & duabus velabant pedes ſuos*. Nec ſuperfluum eſt pedum velamen tanto ſtudio quæſitum, ſed vt hac ratione ſignificarent neminem poſſe Seraphinorũ ſanctitatem, perfectionemque attingere, niſi pari vigilantia oculos, integram faciem, & ipſas pedum plantas cõtegat, & cuſtodiat. Quid deinde? Vidit Ezechiel circa Dei ſolium adſtantes Cherubinos, ſed mutos. Proh Deum immortalem! Cur tacent iſti, qui ipſo nomine ſcientiam præferunt? Quis aptiùs, quàm ſapiens eloquetur? & Seraphini clamant, qui charitatis ardore flagrant, & vitæ ſu-

Iſai. 6.

blimitate extolluntur, & volant. Taceant ergo docti, & loquantur ſancti: in quo Dei miniſter erudiatur, vt non quia ſit doctrina præſtantiſsimus, ſed vitæ ſanctitate eximius, ad prædicandi officium inſilire præſumat; ſiquidem in Dei conſpectu Cherubini ſapiētes veluti muti conticeſcunt; Seraphini, vtpotè charitate flagrātes, & ſanctitate præſtantiſsimi loquuntur, & clamant.

§. OCTAVVM.

Factis, & verbis clarere debet Chriſtianus orator, vt doctrinam vitæ ſanctitas exornet.

PRæclariſſima eſt in rem præſentem Petri Damiani ponderatio Opuſc. 12. cap. 4. vbi expendit verba illa Iudicum 9. *Stetit Ionathan in vertice montis Gazirim eleuataque voce clamauit*. Cur non clamat priùſquā in ſupremo ſiſteret montis cacumine? Non immeritò ita ſe gerit is, qui ipſo nomine ſanctus, & perfectus ſignificatur, & verum prædicatorem repræſentat, vt primum teneat verticem virtutum, & poſtea prædicationis clamorem extollat. Perbellè Damianus: Damian. *Quid per Ionatham, qui interpretatur conſumatus, ſiue perfectus, niſi ſanctum, & doctum quempiam prædicatorē debemus accipere? Hic montem Gazirim aſcendit, & poſtmodum clamauit. Ante conſurgit in montem, & ſic eleuat vocem; quia niſi doctor virtutum priùs culmen aſcendat, inaniter clamat*. Nec inaniter ſolùm, ſed etiam periculosè: quoniam clamor prędicātis, qui quod verbis clamat operibus nō exercet, in damnationem conuertitur, vt D. Paulus 1. Corinth. 9. verſ. 17. teſtari videtur, dum ait: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*; vbi aduertendum eſt Apoſtolum non aliam macerandi corporis cauſā adducere, quàm quòd alios ad eandem mortificationem exercēdam in prædicatione adhortetur: Ne quod alijs ſuadet, ipſe non obſeruare videatur. D. Hieron. epiſt. 10. *Apoſtolus*, ait, *macerat corpus, ne quòd alijs præcipit, ipſe non ſeruet*. Verùm illud admiratione dignum eſt, quod futuram timens damnationem, corpus caſtigare, & in ſeruitutem redigere teſtatur Apoſtolus: *Ne cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar*. Damnari times ò Paule ni corpus maceres, & caſtigatione coerceas? Nō hic, dicis, ſitum eſt ſalutis periculū; non hæc damnationis cauſa. Illud mihi timorem inijcit, quod cùm pœnitentiam prædicem, illam me oportet amplecti: periculoſum namque eſt, non exercere quod alijs ſuggeſtū eo. Et vires omnes amittit doctrina, nec in auditorum pectora per-

1. Cor. 9.

D. Hieron.

perſuadit, nec eà ſtudent exequi, quę ab hortatore;& monitore ſuo exerceri non intuentur. Iure ergo S. Paulus ſe macerat prædicās, quia prudenter verebatur imbecillitatem doctrinæ ad damnationem ſibi imputandam, quia non ſibi perſuaderet auditor corporis mortificationem amplecti, quam in prædicatore non inſpiceret.

Castill. in arte concionandi. Sed proh dolor! quot prædicatores huius moniti, & periculi immemores, exclamat doctus quidam, incredibili animoſitate ambitioſos damnant, auaros terrent, carnis vitijs deditos in infernum detrudunt, ſuperbos arguunt, contra adulteros Dauidis inſtar ſententiam proferunt diffinitiuam, *Reus eſt mortis*. 2. Regum cap. 12. Verùm ita profligatos habent mores, & ſic perditè viuunt, vt quod Natham Dauidi reſpondit, iure mereantur audire.

2. Reg. cap 12. *Tú es virille*. Oculos in te ipsū conijce, pectus tuum inſpice, teque ambitioni ſeruientem, ſuperbia elatum, auaritia irretitum, luxuriæ turpitudine inquinatum deprehendes. Tecum res agitur in illa D. Pauli redargutione, ad

Rom. 2. Rom. 2. *Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis*. Pro eadem doctrina pugnat acerrimè Diuus Chryſoſtomus hom. 17. in Matth.

D. Chryſ. vbi, *Docere*, inquit, *abſque operibus, condemnat docentem. Qui enim cùm ſe ipſum docere nequiuerit, alios emendare conatur, irriſioni eſt expoſitus plurimorum: immo nec docere quidem talis valebit, cùm clariùs magis vocibus ipſa facta reclament*.

Stephanum Cantuarienſem hac ſuper re grauiter differentem in medium profero. Doctus enim, & ſapiens prædicator, inquit, qui turpi, & crimiñoſa vita doctrinā, magiſteriumque diſperdit, inſtar Vriæ necis propriæ,& damnationis epiſtolas portat. *Illi quorum ſcientia eſt eis ad damnationem, cum Vria deferunt litteras mortis ſuæ*. Stephan. Cantuar. Quin etiam proſequitur Abbas Abſalonius ſerm. 41. in feſto omnium Sanctorum, talis concionator Deum quodāmodo videtur inſtruere, qua ratione ipsū corripere debeat, & caſtigare; ſi fortè id Dominus (quod non dicimus) ignoraret. *Sicut qui benè viuit, & benè docet, alium inſtruit quomodo viuere debeat:* Abbas Abſalon. *ſic benè docens, malè viuens, Deū inſtruit quomodo ſe condemnare debeat: Sic olim Vrias Ethæus à Dauide deſtinatus in prælium, epiſtolas mortis ſuæ ſecum ferens, vbi fortior erat belli impetus occubuit. Quia quilibet in Eccleſia Dei, qui lucem diuinæ cognitionis accepit (ſic enim interpretatur Vrias lux mea Deus) ſententiam ſuæ damnationis ſecum portat, dum legem Dei, quam corde quaſi in arca clauſam tenet, foris opere non vult adimplere*. Hactenus ille. Nec minus fortia ſunt, quæ D. Hieronymus rem hanc exag-

Digitized by Google

gerans ſcripſit, & prædicatores, qui quod verbis docent, operibus non exercent, militibus æquiparauit, qui ſpineam coronam in capite Saluatoris noſtri impoſuerunt: & arundinem veluti calamum, quo multi in ſcribēdo vtebantur, ipſius manibus tradiderunt: Et eo facto damnationis ſuæ ſententiam confirmarunt, quam in vilipendij, & irriſionis pœnam, ſuarumque actionum repugnantiam, & contradictionem ſatis merebantur. Itaque dum Saluatorem noſtrum irridentes adorant, & Regem ſalutant, blaſphemijsque, & iniurijs impetunt, dānabiles ſe oſtendunt: Et ne ferendæ damnationis ſententiæ inſtrumentum deeſſet, calamum ipſi tradiderunt.

D. Chryſ. Addit verò imperfectus in Matth. hom. 10. *Per illos doctores qui docēt, & faciunt magnificatur Deus, per eos autem qui docent, & non faciunt blaſphematur*. Quapropter ſummopere enitendū eſt prædicatoribus, vt ſponſi labijs perſimiles euadant, & manus eiuſdem tornatiles aureas, atque Hyacinthis plenas imitentur, quæ ideo ſponſę miruminmodum placuerunt: vnde Cantic. 5. num. 3. dicebat: *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam. Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*. Miraberis cur ſponſa exquiſitis ſimilitudinibus ſpōſi pulchritudinem laudare cùm ſtatuiſſet, ſingula corporis membra percurrens, debitum ordinem præuerterit, & ijs, quæ labia inter & manus erant, relictis, pulchritudine labiorum commendata, manuum laudes illico ſubiunxerit? Totum in morali ſenſu ad prædicatores retulerit egregie D. Gregorius ad eum locum. *Quid enim*, ait, *per labia ſponſi, niſi ipſos, quos dicimus prædicatores Chriſti intelligimus? quid eſt quod labia ſponſi lilia eſſe dicuntur; niſi quod illi per quos Chriſtus loquitur, neceſſe eſt, vt mundi ſint, & per eos bonus odor aſpergatur. De quibus erat Apoſtolus, qui dicebat: Bonus odor ſumus Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt. Sed notandum eſt quidquid in Eccleſia iuſtitiæ, & fortitudinis habetur, ab ipſo Chriſto, per quem exempla operum illius, trahitur: manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*. Hæc ille. D. Greg.

Cant. 5.

Oportet igitur, vt verus concionator æquam ab ore, & manibus, hoc eſt, à verbis, & operibus laudem reportet; ne dum, quod prædicat, operari non inuenitur, illam Dei apud prophetam ſententiam incurrat. *Si dicēte me ad impium morte morieris, nō annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur a uia ſua impia, & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem eius de manu tua requirā*. Ezechiel cap. 3. num. 18. Vigilanter hoc loco adnotandum eſt, quod

quòd cùm Dominus de propheta conqueratur, quia ſalutaria monita impio non dederit, vt reſipiſceret, & ipſius ſilētio impij mortem imputet: Cur non de ore, quod ſiluit, ſed de manu prophetæ ſanguinem morientis ſe requiſiturum minitatur: *Sanguinem eius requiram de manu tua?* Iure equidem ſanguis interfecti de manu prædicatoris dicitur requirendus: quia manus, ideſt opera Doctoris, totum in prædicatione habent momentum: Si adſint fœcunda eſt, & efficax doctrina: ſi deſint inutilis omnino redditur, & infęcunda. Ex quo intulit egregiè D.Bernardus ſermon.76. in Cantic. *Et ſi doctus quidem fuerit* (Doctorem intellige) *Non ſit autem bonus; verendum, ne non tam nutriat doctrina verbi, quàm ſterili vita noceat.* D. Bern.

Hinc, dum Hieremias à Deo mitteretur ad prædicandum, manus porrigitur, quæ labia prophetæ contingens ipſum omnino habilem reddidit, vt miniſterium illud vtiliter exerceret. *Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum.* Ierem.5. Quid porro virtutis inerat manui; vt ori admota prędicandi gratiam largiretur? Per multum equidem: vt enim Dei verba quæ in ore prædicatoris reſonant, auditoribus ſint proficua, plurimum oportet, vt manus adſit, nimirum, in pectore doctoris operibus expreſſa, & depicta videantur. Idcirco dixit ad eum locum Hieremiæ Diuus Hieronymus: *Pulchre manus mittitur, vt loquendi gratiam tribuat.* Inſulſus planè erit, & minime gratus prędicator, cui deſint manus. Centimanum ego vellem multimodis ſcilicèt virtutum operibus cumulatum: quia vt dicebat Nazianzenus. Ierem. 1. D. Hier.

Doctrina rebus inſtruit. D. Naz.
Vel ne doceto, vel doceto moribus:

Et alibi.

Sermone non tam, quam manu pictor docet.

Quid prædicatorem aptiùs dixeris, quam pictorem? cui totis viribus enitendum eſt, vt penè deletam in auditorum animis Dei imaginem reformet, & viuis virtutum coloribus reddat animatam. Et verò opus iſtud clariſſimum non tàm lingua, quam manu perficitur, id eſt operando ſit potius, quam loquendo. Nuſquam proderit locutio, niſi cum actione fælici copula maritetur. Quid dico non proderit, verius dicam, non parum nocebit. Fauet mihi Seneca epiſtol.108. vbi Philoſophos vitæ prauitate notandos condemnat, & tanquam de hominum genere peſſimè merentes explodit. *Nullos autem,* ait, *peius mereri de hominibus mortalibus iudico, quàm qui Philoſophiā velut aliquod venale artificium didicerunt, qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt. Exēpla enim ſe ipſos inutilis doctrinæ circumferunt, nulli non* Seneca.

vitio, quod inſequantur obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſcabūdus. Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum, luctandū cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela. Quid me poteſt adiuuare Rector nauigij attonitus, & vomitans. Quanto maiore putas vitam tempeſtate iactari, quàm vllam ratem? Non eſt loquendū, ſed gubernandum. Quid vltra calamus verè Chriſtianus ſcripſiſſet? legant opto Chriſtiani prædicatores, & diligenter obſeruēt.

Deinde cognouerint, quod licèt Phœbochriſtianus maiori dulcedine, & ſuauitate, quam Demoſthenes eloquatur: vel, quod de Hercule Gallo memorat Antiquitas, ſuauiloquentia homines concatenatos pertrahat: quandiu tamen nec verbis mores, nec moribus verba cohærant: Non ſolū nihil proderit doctrina, ſed quaſi erubeſcens, quod exemplo ſe videat deſtitutā (& ſi ita fas eſt loqui) profano habitu indutam conſideret, in hominum conſpectum ſe dare ſubterfugiet. Quod acutè dixit Tertullian. lib. de patientia cap. 1.

Tertull.

Oportet commendationem alicuius rei adorſos ipſos prius in adminiſtratione eius deprehendi, ne dicta factis deficientibus erubeſcant. Et quid mirum vt Doctor, quem praui mores infamant, cuius vita doctrinæ contradicit, & manu altera auditores prouocat ad virtutem, altera remouet, ac propellit, tanquam inutilis, imò & nocuus debeat explodi: quoniam vt ſcitè, ait Iſidorus Peluſiota, ij quorum facta diſſonant à doctrina, plebem ſuis ſermonibus deprauant, nec aliter audiuntur, quam ſi fabularum ineptias prædicarent.

Iſidorus Peluſ.

Cum contraria his quæ loquuntur faciunt, multos adduxerunt, vt ſermonibus, quos habent, nō ſecus ac fabulis attendāt. Atq. adeo nō vt verū Euangelij miniſtrū, & prædicatorem venerantur, ſed veluti bucconem inuerecundum, & blaterronē reijciunt, & explodunt. Nec vllam ei credas irrogari iniuriam quoniam, vt aduertit D. Chryſol. ſermon. 117.

D.Chryſ.

Magiſterij authoritas conſtat ex vita. Quapropter is, qui Eccleſiæ cantor, & magiſter inſtituitur, ſedulò inuigilet, vt vitæ ſuæ chordas, ſeu mores ita componat, atque ad vocis ſeu doctrinæ conſonantiam adaptet, vt grata, vndiq. reddatur harmonia: alioquin nec Eccleſiæ Orpheus, nec multarum, vt dicebamus, fidiū prædicationis inſtrumentum, ad auditorum plauſum, vtilitatemque pulſabit, ſicuti D. Paulum feciſſe D. Hieronymus epiſtola 4. teſtatur.

D. Hier.

Dicas, inquit, *Pſalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, ſed mentis affectus quæritur, dicente Apoſtolo: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Si voce tantùm caneret, nec ſermonem operibus illuſtraret, aut ſpiritu ani-

animatam redderet, inani conatu fructum ab auditoribus colligere niteretur: in ipſumque iactari verè poſſet illud Ænoni quondam dictum.

Ouid. *Quid facis Aenone? quid arenæ ſemina mandas,*
Nec profecturis littora bobus aras?

Cauit hoc Chriſtus Dominus in ſuis prædicatoribus, dum prima ſuæ potentiæ rudimenta in Cana Galilææ ab aquis auſpicatur.
Ioan. 4. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus*, inquit Ioannes cap. 4. Sed cur primis aquis datum eſt, vt Chriſti potentiam admirandā metamophorſi teſtarentur? Deerant ne aliæ creaturæ, in quibus operatrix Dei omnipotentia clariùs eniteret? Non equidem: ſed illa aquarum tranſmutatio nō tantùm facta eſt ob miraculum, quàm etiam ad magiſterium. Volebat Chriſtus adſtantes in eo cōuiuio diſcipulos erudire, quo pacto in exercendo prædicatorum munere deinceps ſe gererent: Idcirco priùs mutat aquas, quæ poſtea per Baptiſmum homines è peccatoribus in iuſtos erāt mutaturæ. Conſentaneum autem videbatur, vt ipſæ priùs ab omnipotenti Saluatoris manu acciperent mutationem, vt poſtmodum ad immutandos homines virtutem obtinerent. Breuiter, & diſertè illud ab Hilario dictum homil. 1. huc refero: *Mutantur ſubitò aquæ, homines poſtmodum mutaturæ*. Qui ergo prædicationis miniſterio alios aggrederis immutare, te ipſum priùs immuta, & ſic quam in alijs cupis mutationem perficies. Alios è vitiorum turpitudine, ad vitam ſpiritualem transferre ſtudes, inani labore ad id niteris, niſi priùs eiuſdem vitæ auras ſuſceperis. Qua ratione fiet, vt alios mouere poſſis ad vitam, qui vt viueres nec pedem mouiſti?

Vide ſis, quid Petro dixerit omnium Magiſter, & Saluator Dominus Ieſus. *Et tu aliquando cōuerſus confirma fratres tuos*, Luc. 22. Luc. 22. Non te prætereat, quando Petro præcipitur, vt aliorum conuerſioni ſtudeat, ad hominesque immutandos incumbat: Poſtquàm ſeipſum immutauerit & cōuerterit. *Tu aliquando conuerſus*, Ita verba hæc Saluatoris interpretatur. Arnoldus Carnotenſis tract. de verbo Chriſti, *Sitio*, quo in loco Petrum affatus hæc profert. *Exurge, & bibe de fonte miſericordiæ, & aliquando conuerſus confirma fratres tuos, & in eadem menſura, qua propinatum eſt tibi, remetire eis, & ad formam tuam, qui ceciderit, adijciat, vt reſurgat*. Arnold. Carnoten. Hæc ille, in quibus prædicandi muneris ſumma continetur. Hæc artis huius coronis, & abſoluta perfectio: hic qui aſcendit, rerum apicem & ſupremum tenet faſtigium: Hic in palmam aſcendiſſe, hic fructibus delectari; & folijs coronatus fæ-

lici-

liciter credẽdus erit triumphare. Sed quem mihi dabis ex filijs Adam, cui hac fælicitate frui datum ſit? Erit fortaſsè, qui potuit, Deo in teſtem adducto, verè & minimè iactanter dicere: *Plus omnibus laboraui*, & quidem labori fructus reſpondit, idem qui omnibus omnia factus plures reliquis animas Chriſto lucrifecerit; qui tam ardenti conuerſionis ſtudio tenebatur, vt cum alioquin diſſolui cuperet, & eſſe cum Chriſto, moriendi occaſionem, appellatione ad Cæſarem interpoſitã, differebat; Paulum dico electionis vas ex charitatis auro perfectnm, pulcherrimis virtutum omnium gemmis adornatum, vt iam ſuis coloribus depingo, & cælaturis exorno.

§. NONVM.

Propter eximiam prædicationem Paulus Eccleſiæ Gallus antonomaſticè dicitur; & plus vni Paulo futuro, quàm vniuerſo hominum generi Deus contulit.

Inter reliquos Euangelij præcones ſic D. Paulus eminuit; tamque exactè muneris prædicatorij numeros omnes expleuit, vt propterea clariſsimis nominibus, illuſtribus titulis, & nomenclaturis à ſanctis Doctoribus exornetur. Illa mihi gratior apparet, & magis feſtiua, qua Apoſtolum Eccleſiæ gallum nuncuparũt. Ille Doctor Gentium factus eſt vigilantiſsimus: Gallus verò pro Doctorum vigilantiæque hieroglyphico vſurpatur: nec immeritò, quoniam priùs quàm vocem emittat, & cantet ſe ipſum exſuſcitat: alas excutit atque vt vocem fortiùs edat premit identidẽ. Nec ſolius Naturę opera hęc exiſtimes, magiſterium ibi prædicatorum cogita, quibus hac ratione datur intelligi, vt qui ab alijs ſomnolentiam expellere & torporem excutere nituntur, ipſi priùs inuigilent, ſeipſos premant, omnemque deſidiam, & ſocordiam è ſuis pectoribus eliminent. Pulcherrima ſunt, quæ more ſuo libro 4. Moral. cap. 4. Magnus ſcripſit Gregorius. *Eſt adhuc*, inquit, *in gallo ſolerter intuendum, quia cùm iam edere cantus parat, priùs alas excutit, & ſemetipſum feriens vigilantiorem reddit. Quod patenter cernimus, ſi ſanctorum prædicatorum vitam vigilanter videamus, ipſi quippe cùm verbum prædicationis mouent, priùs ſe in ſanctis actionibus exerceant, ne in ſemetipſis torpentes operẽ, alios excitent voce; ſed ante ſe per ſublimia facta excutiunt, & tunc ad benè agendum alios ſolicitos reddunt; priùs cogitationum alis ſemetipſos feriunt quia quidquid in ſe inutiliter torpet, ſolicita inueſtigatione deprehendunt, diſtricta animaduerſione corrigunt: priùs ſua punire fletibus curant, & tunc quæ aliorũ ſunt punienda demen-* D. Greg.

denunciant: Prius ergo alis inſonant, quàm cantus emittant, quia antequã verba exhortationis proferant, omne quod locuti ſunt operibus clamant: & cum perfectè in ſemetipſis vigilant, tunc dormientes alios ad vigiliam vocãt. Hactenus ille.

Omnem Pauli vitam euolue; actus omnes expende, ſingula prædicationis ipſius momenta diſquire, & quam abſolutè omnes galli mores expreſſerit, non ibis inficias. Ita certè cenſuit Petrus Bleſenſis ſerm. 6. in Natiuitate Domini. *An non*, inquit, *tibi gallus videtur, qui ait: euigilate iuſti, & nolite peccare, & iterum: nox præceſſit, dies autem appropinquauit*. Se ipſum preſſit, vigilijs, laboribus, ieiunijs macerauit, ſanctis priùs actionibus exercens, quod alijs prædicans inculcabat, & ideo dicebat: *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus*. Ad Romanos 15 num. 8. Ipſum item audi, 1. Corinth. cap. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*. Non tantùm admiror quòd ſe ipſum caſtigaret Paulus, quòd flagris ſerui inſtar rebellis exciperet: ſed quòd niſi id præſtaret, damnari vereretur: *Nè fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*. Adeo ſibi vacabat tanquam Eccleſiæ gallus, priùs ſibi inuigilabat, quàm alios ad vigiliam prouocaret; ſic ſtudebat veri cæleſtis doctrinæ præconis officium adimplere, vt poſtquam in eo ſtudium omne collocarit, quaſi primam adhuc non adhibuiſſet manum, ſalutem amittere verebatur. Expendit hoc D. Chryſ. hom. 23. in eum locum, & in deſides, ac inani fiducia elatos fortiter retorquet. *Si Paulus*, inquit, *hoc timuit cùm talis eſſet præceptor, & poſt prædicationem, & Orbis terrarum ſuſceptum patrimonium formidauit? Quidnã nos dicemus? nolite enim putare*, inquit, *ſolam fidem ad ſalutem veſtram ſatis eſſe: nam ſi prædicare, docere, innumeros ad ſalutem adducere, mihi non ſufficit ad ſalutem, niſi me irreprehenſibilem exhibeam: longè minus vobis*.

Bleſ. n. — D. Chryſ.

Audiant quæſo hæc, quos torpor detinet, & ſomnolentia premit ne vigilent, ſuamque & aliorum ſalutem cum timore, & tremore operentur: Atque adeo nõ minus ſibi, quàm alijs, ſed æqualiter omnibus incumbant, vt ait Apoſtolus, 2. Corinth. 8. nu. 13. *Non vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate*. In quo loco notatu digna ſunt, quæ D. Bernard. ſerm. 18 in Cantic. ſcripſit. *Audi*, inquit, *quidquid conſulat cauta, vigilque charitas: Noli nimium eſſe iuſtus, ſufficit vt diligas proximum ſicut te ipſum, hoc quippe eſt ex æqualitate*, quam in alijs diligẽdis non ſeruat, qui ſui negligens promixo in-

2. Cor. 8. — D. Bern.

intendit, perfectamque benè ordinatam, & vigilantem charitatẽ non habet, cuius præcipua cura eſt, vt prius rore cæleſti pectus impleat, & poſtea de plenitudine in alios effundat: primùm ſaluti propriæ vigilanter incũbat, deinde alios excitet, vt excuſſa torpedine eandem conſequi elaborent; ſicuti gallus Eccleſiæ Paulus prudenter obſeruauit, vnde 1.ad Corinth.9. dicebat: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Vides, inquit D. Bernardus lib. 1. de conſideratione ad Eugenium, quàm adamuſſim D.Paulus veri prædicatoris numeros omnes adimpleuit, & ſe ipſum ab eorum numero, quorum ſtudebat ſaluti, non excluſit: qui enim ſaluabat omnes, ſeipſum quoque ſaluare cenſebatur. *Si totus vis eſſe omnium* (admonet Eugenium S. Bernardus) *inſtar illius qui omnibus omnia factus, colligat & te intra ſe ſinus, qui omnes recipit: Cùm omnes te habeant, eſto ex habentibus vnus*.

1.Cor.9.

D.Ber.

Meditentur iſta, qui in Eccleſia gallorum munus exercent, & dum alios cantu excitant, ipſi nec ſe premunt, nec alas excutiunt, ideſt, nullatenus ea quæ ſermonibus inculcant, actionibus exercent, quos ideo alterius galli cantu non parum exterret Magnus Origenes. Trinam Petri negationẽ præuidens Dominus Ieſus, dicebat apud Matth. 26. *Antequam Gallus cantet, ter me negabis*. Ecce tibi negationibus abſolutis, galli cantus intonuit: expergiſcitur Petrus, foras egreditur, totus in lachrymas abit, & culpam diluit: Vnde iam galli cãtus, tanquam ſalutis obtinendæ ſignum poſitus videtur. At inquires; Qua ratione aliarum auiũ, quæ auſpicatiſſimæ ſunt, cantum non adhibuit, vt ſalutem à Petro obtinendam ſignificaret: ſed galli cantũ elegit? Proculdubio, quia cæteræ aues non niſi Sole oriente canunt: at vero gallus ante lucem canit, alijſque dormientibus vigilat, & cantu prouocat ad vigilandum. Iure igitur Petrus, qui Eccleſiæ gallus deſignabatur futurus, illo admonetur gallicinio, vt cæteros homines ſuo præueniat cantu; non expectet Solis ortum, ſed inter ipſas noctis tenebras cantet, & vigilet. Et quãuis alij, quibus aliquando contigit negare Ieſum, poſt Solis ortum, hoc eſt, nimis ſero reſipiſcant, ipſe non expectato die alas excutiat, & cantum edat: ſicut Dauid ſe feciſſe teſtatur, dicens: *Præueni in maturitate, & clamaui*, vt omnes præueniret exẽplo, quos doctrina imbuendos ſuſceperat. Do Origenem tract. 35. in Matth. *Forſitan autem*, ait, *& omnes homines quando denegant Ieſum, ita vt peccatum denegationis eorum recipiat medicinam, ante galli cantum denegare eum videntur, non dum eis nato Sole* insti-

Matt.26

Pſ.118. ver.147

Origen.

iuſtitiæ, nec appropinquante eis ortu ipſius: Si autem poſt ortum huiuſmodi ſolis ad animam volẽtes peccauerimus; poſtquam accepimus ſcientiam veritatis, iam non relinquitur nobis ſacrificium pro peccato, ſed terribile iudicium, & zelus ignis, qui comeſturus eſt inimicos. Hæc ille: Tantiſper verſa, & leuiter flecte, ac quàm ſcitè prædicatores, & Eccleſiæ gallos adhortetur, inſpicies, vt alijs ſint vigilantiores, nec procurandæ ſalutis tempus differant, ſed ante Solis exortum ſicut vigiles galli, cantum ſe prementes effundant, & alios ſomno preſſos ad vigilandum excitent. Item qua ratione flammarum inextinguibilium combuſtione intentata illos perterreat, qui hæc neglexerint obſeruare, animaduertes.

Cæterùm Petrum, & Paulum Eccleſiæ gallos, Orbis Doctores, præſtantiſsimosq. Magiſtros nocte intempeſta, inter ſpiſſas perſecutionum tenebras excuſſis alis canentes libenter audio. Vterque cecinit, & alios cantu ad vigiliam prouocauit, alios comminatione pœnarum vehementer exterruit. Leo animalium fortiſſimus, ad cuius rugitum omnia expaueſcunt, audito galli cantu, terretur, & expaueſcit. Proh boni ſuperi! quot Leones cantu ſuo noſtrates galli terruerunt. Paulus Felicem, Teſtũ, tremefecit, & Neronem; quem etiam Petrus exterruit. Quot pigros, deſides, ſocordes, & peccati ſomno ſepultos excitarunt? quot non paſſi ſunt edito identidem cantu libidinis crapulam dormire? Teſtis Nero, qui vt ſecurius in turpitudinis ſuæ volutabro quieſceret, & obdormiret, hos gallos decapitauit. Iterum redeo ad Paulum, & admirandam inter ipſius linguam, & manus, facta, & verba, conciones, & actiones, harmoniam illuſtro.

Prauo magiſtrorum ſuorum exemplo Iudæi ſe ſe tuebantur, ne Dei leges & præcepta, vt par erat, obſeruarent. Arguit eos Chriſtus Dominus, dicens. *Super cathedrã Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcunque dixerint, ſeruate, & facite, ſecundum opera autem eorum nolite facere*. Vbi maximè ponderandum eſt, cathedram, ſeu magiſterium Synagogæ, Moyſis appellari, non Aaronis: cùm hic Moyſi datus à Deo fuerit tanquã os, vt pro eo ad populum verba faceret. *Ipſe erit os tuum, ipſe loquetur tibi ad Populum*. Qua de cauſa balbutienti, tardioris linguæ, & impediti ſermonis cathedra adſcribitur: & non illi, qui clariſsimo Dei teſtimonio eloquens commendatur, & populo magiſter præficitur? *Scio quia frater tuus Aaron Leuites eloquens eſt, ipſe erit tibi in his quæ ſunt ad populum*. Rem ego teneo: Moyſes habuit virgam, & Aaron linguam, hic verbis valuit, ille factis, & ſignis: Moyſes operabatur,

Matt 23 num. 2.

Exod. 4. nu. 16.

Exod 4. nu 14.

Aaron

Aaron loquebatur. Vtrumque magnum habet in cathedra momentum, operum exhibitio, & verborum productio; lingua & manus: vtraque neceſſaria eſt, vt prædicatio fæcunda ſit, & proficua, ſed tanto potiùs eſt manus, quàm linguæ miniſterium, vt non illius, qui diſertè, expediteque loquebatur, ſed eius, qui factis clarebat, & operibus cathedra illa diceretur; *Super cathedram Moyſis*. Matt. 23

Quod autē prædicatores Euãgelici manu pariter & lingua Orbem eſſent expugnaturi, cecinit Propheta: *Superaſti ſceptrum exactoris eius, ſicut in die Madiã.* Ideſt, ſicut in expugnandis Madianitis, reiecta militum multitudine, trecentum electis, qui præ cæteris imbelles, & pauidi videbantur, pugnam iniijt Gedeon, & victoriam reportauit: Ita etiam, vt Orbem debellaret Chriſtus, & expugnaret, infirma mundi elegit, ideſt viles, & abiectiſsimos piſcatores, qui verbis charitatis igne ſuccenſis, & operibus, hoc eſt, lingua, & manu infidelium pectora debellarunt. Quod in ea Madianitarum expugnatione, Gedeoniſque victoria fuit adumbratum. Præcepit enim Deus Gedeoni, vt ex ijs, qui potaturi ad fontem venerant, eos tantùm ad prælium eligeret, qui manu ſimul, & lingua aquam hauſerant canum more: in quo non parum timidos ſe exhibebant, quia oculis in hoſtem intentis, ipſiuſque aduentum formidantes ſecuri bibere non poterant. *Fuit*, itaque ait Textus Iudic. 7. *Numerus eorum, qui manu ad os proijciente lamberunt aquas, trecenti viri.* Hos iuſſit Dominus ſeparari, his tantùm victoriam ab hoſtibus conſequi decreuit. *Et ait Dominus ad Gedeon, in trecentis viris, qui lamberunt aquas liberabo vos, & tradam in manu tua Madian. Omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum ſuum.* Ibidem num. 8. Triumphat hoc loco Originis acumen. Qui milites manu pariter, & lingua bibentes, imbecilliores, & cæteris ad prælíandum minus ſtrenuos arbitratur: ideo tamen electos ad prælium, quia aptiſsimè præfigurabant veros Eccleſię prędicatores, qui licèt alioquin imbecilles; lingua tamen, hoc eſt, diuino eloquio, & manu, præclariſſimis nimirum virtutis operibus, & miraculis incredibiles de infidelitate victorias reportarunt. Alij ad propria remittuntur, iſti ad pugnam euocantur. Taceant reliqui Euangeli præcones, quieſcant interim alij debellatores Orbis, reuertatur in domum ſuam omnis concionatorum multitudo, Euangelicis ſuperſedeat armis: Solus mihi adſit D. Paulus, qui trecentum inſtar prædicatorũ mihi eſt; & vnus, ni fallor, in trecentis figurabatur: ipſe manu, & lingua, verbis, & factis, voce, & actione to- Iudic. 7. Origen.

totum penè Orbem oppugnauit, domuit, debellauit. Trecentum illi milites Gedeonis prælio ſuo, victoria, triumpho, D. Pauli pugnas, victorias, triumphos præluſerunt.

Nec mireris, quod tibi Paulum in trecentis adumbratum proponam, quod tanti eum, quanti trecentum fecerim milites. Cur enim ſuæ militiæ primipilum in eo numero Dominus non præluderet? Cùm etiam Dei vindicta in Beniamitas graſſante, vltimumque excidium minitante, in ipſo iræ efferueſcentis ardore, manum retraxit, à cædibus abſtinuit, trecentos ſeruauit incolumes. O miram Numinis prouidentiam, O conſilium mortalium mentibus inacceſſum! Quo aſpectu iſta? vnde nam tam repentina mutatio? D.Hier. Paulus, ait D. Hieronymus in Epitaph. S.Paulæ Deo hæc facienti ob oculos verſabatur, ipſum cogitabat, & ſeruare decernebat; ideo trecentos cuſtodit illæſos. At quæres? Nonne futuræ Pauli generationi, vnum vel alterum ſeruari ſat erat? Ita planè: quoniã dum totus Orbis aquarum diluuio obrutus periret, octo ſeruati dicuntur, qui reparando Orbi ſuffecerunt. Ad quid ergo, vt Paulum daret Eccleſiæ à communi interitu reſeruat trecentos? Fortè quia tantumdem apud Deum Paulus futurus, quam totus Orbis valebat? Non dubitem id aſſerere: & ideo, cùm tanti Paulum faceret Deus, nõ ſatis habuit vno tantùm modo vas illud diuina arte elaborandum conſeruare, plures adinuenit; vt, ſi ita fas eſt loqui, certius, & ſecurius conſeruaret: Ac ſi Deus ipſe ignoraſſet, quis nam ex trecentis Pauli futurus eſſet progenitor, omnes cuſtodiuit, vt ſic gratiæ maioratus, quem in Paulo inſtituere decreuerat, certo certius in lucem ederetur. Vice amantium, vel impenſe rem aliquam appetentium, quibus nihil ſatis videtur, vt amatis deſeruiant, vel rem optatam adipiſcantur. Macte animo Paule inclyte gratulor tibi Dei amorem; & quam pro te exhibuit ſolicitudinem. Iure equidem Tribus Beniamin tibi in lucẽ edito decantare poſſet gratulabũda, quod ſuo Quinto Maximo Fabio Romæ blandientis, & mentientis adulatio decantauit.

Qui naſci vt poſſes, quamuis cecidere trecenti: Ouid.
Non omnes Fabios abſtulit vna dies.

Hæc mendaciter de Fabio dicta, veriſsimè tamen de Paulo prædicari poſſunt, cui naſcituro Deus in Tribu Beniamin fælices aditus præmuniuit, & ideo reliquis occiſis trecentum cuſtodiuit. Magna ſunt hæc fateor, ſed multo maiora Beniamitis Pauli aſpectu ſacta inuenio, quanto plus eſt

largiſsimis benedictionibus præuenire, & beneficijs cumulare, quam fecerit, ne alijs morientibus ipſi interirent, præſeruare. Notiſsimum eſt quanto in honore, ac delicijs habita fuerit à Deo Tribus Beniamin; quam eximia in eā charitatis argumenta oſtenderit, & benificiorum magnitudine cæteris prætulerit; vt apertè colligitur ex fauſtiſsima imprecatione, qua ſanctus Moyſes benedictionem Beniamitis impertijt. *Beniamin amantiſsimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet*, Deuteron. c. 33. vbi, *Pro habitabit confidenter in eo*, tranſtulit ex Hebræo Pagninus, & Chaldaica: *Deus obumbrat ſuper eum omnibus diebus, & in terra eius habitabit maieſtas Domini.* Plurimum tenera de Domino benè meruiſſe videntur Beniamitæ, quos Deus aſſidua protectione defendere pollicetur; atque apud eos ſemper moraturum promittit. Verùm omnes hæ prærogatiuæ, inter alias tribus prælationes, & beneficia ad D. Paulum referenda, D. Hieronymus in Epitaphio ſanctæ Paulæ meritiſſimò teſtatur: quoniam etſi taliū fauorum plures cauſæ aſsignari poſſent, ea mihi videtur potiſsima, quòd Deus Paulum ex Tribu Beniamin poſterioribus ſæculis naſciturum præuidebat, vt ipſe ad Philippen. cap. 3. fatetur. *Ex genere Iſrael de Tribu Beniamin*: Obijciebatur Deo præſtantiſsimum electionis vas, quo ipſius nomen, & fides per totum Orbem deferretur: In Pauli incolumitate Orbis totius videbatur ſalus conſtituta: Paulo è mundo prærepto, communis magiſter, Gentium Doctor, fidei præco, cæleſtis militiæ anteſignanus, atque, vt vno dicam verbo, Chriſti collum præcidebatur. Vis plura? Deficiente Paulo viduaretur Eccleſia paranympho, eſſetque ſine Sole cælum, & ſine luce dies. Cùm ergo tam magni ad Dei honorem, gloriamque intereſſet, vt Paulus naſceretur, viueret, ſeruaretur. Quid mirum, ſi tam largis benedictionibus TribumBeniamin præueniret, ex qua Paulus eſſet oriturus? Quandiu Beniamitis Deus fauebat, Paulus ex ipſis in Eccleſia futurus cogitabatur. Itaque non vt Beniamitis faueret, ipſoſque alijs anteferret, tot benedictionibus cumulauit, ſed vt Paulum in ipſis honoraret, quem virtutum omnium ſplendoribus illuſtrare decreuerat; vt Eccleſia omnibus numeris abſolutum Euangelij præconem ſortiretur. Et quidem, vt cecinit Dauid Pſalm. 67. *Ibi*, ideſt in Eccleſia, *Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu*. Et ſecundum Theodotionis verſionem, & Aquilæ: *Ibi Beniamin paruus* impe-

Marginal notes: Deut 33. — Pagnin. — D. Hier. — Philipp. 3. — Pſal. 67. verſ. 28. — Theodot.

imperans ipſis, ſeu Praeceptor illorum. Quæ Theodoret. Diuo Paulo his verbis adaptat. *Hic Eccleſijs imperat, & inſtruit gentes, & volentes ad ſalutem ducit.* Theodor.

Cæterùm fauſtam Moyſis benedictionem, & peculiares ipſius notas iuuat explicare, quæ Diuum Paulum proprijs depingent coloribus, & quaſi de facie agnoſcendum proponent. Igitur Diuus Ambroſius libro de Benedictionibus Patriarcharum cap. 12. Moyſis verba ſuperius adducta ſic deplicat. *Pulchrè etiam Moyſes cum benediceret Beniamin Tribum, dixit: dilectus à Domino habitabit fidens, & Deus obūbrabit ſuper eum omnibus diebus, & inter humeros requieſcet, dilectus à Domino. Qui etiam vas electionis eſt factus, neque enim aliter niſi Domini eſt miſeratione, & amore conuerſus. Vnde & ipſe nihil merito tribuens ſuo, ſed totum deferens Chriſto, ait: Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus: quoniam perſecutus ſum Eccleſiā Dei. Gratia autē Dei ſum id quod ſum, & gratia eius egena in me non fuit, 1. ad Corinth. cap. 15. num. 9. Habitauit fidens in domo, quam antea vaſtabat: habitauit in tabernaculis Chriſti, qui antea ſicut lupus errabat in ſyluis, & Deus obumbrauit ſuper eum, quando viſus eſt ei Chriſtus, qui licèt apertis oculis videret nihil, tamen Chriſtum videbat; & merito videbat præſentē, quem etiam audiebat loquentem. Non cæcitas eſt obumbratio iſta, ſed gratia. Denique Mariæ dicitur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi, Luc. c. 1. 15. Et inter humeros requieſcet, hoc eſt, inter bonos actus, & opera pretioſa.* D. Amb.

Hæc ille. Nec minus pulchro ductu Ruperti calamus exultat; etenim in Cōmentarijs in Geneſ. lib. 9 cap. 37. vtramque Moyſis, & Iacob benedictionem connectens, & explicans, Diuum Paulum hiſce coloribus delineat. *Elegantiſsima transfigurationum proprietas: Catulus Leonis Iuda, Beniamin autem lupus rapax: Ille Rex, iſte armiger, ille expectatio gentium, iſte vorator gentium; Manifeſta quippe de Paulo Apoſtolo prophetia eſt: quemadmodum Iudas Chriſtus, quia de Tribu Iuda erat naſciturus: ſic Beniamin Paulus, quia de Tribu Beniamin erat aſſumendus. Ipſe enim dicit: Nam & Iſraelita ſum de ſemine Abrahæ, de Tribu Beniamin. Lupus rapax, hoc certè malum erat, ſed audi quod ſequitur: Manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia: ſi malum erat lupum rapacem eſſe, & manè prædam comedere: bonum ſit veſpere ſpolia diuidere. Manè lupus rapax prædam comedebat;* Rupert.

nam in adoleſcentia perſecutor, & blasphemus, & contumelioſus quoſcunque inuenire poterat huius viæ viros, ac mulieres vinctos ad Principes perducebat; ſed veſpere vſque ad finem vitæ ſuæ diuiſit ſpolia ſua, ſacra, ſcilicèt, Euangelicæ prædicationis eloquia. Hæc Rupertus, in quibus Paulum verbis, & operibus clarum, ſermone, & actione illuſtrem oſtentat. Ille enim tanquam victor aliorũ, quos virtutibus ſuperauit, doctrinæ cæleſtis ſpolia diuiſit: Et ſicut in adoleſcentiæ manè tanquam lupus omnes perſequebatur, ſic etiã veſpere omnibus abſque delectu prædicabat. Vnde ſuppoſuit humeros ad laborẽ, qui plus omnibus laborauit, & inter humeros requieuit, qui opera edidit pretioſa: ſpolia diuiſit, qui Euangelium diſſeminauit: vnde ex vtroque Paulus, alios Euangelij prædicatores duplicatis quinquies portionibus exceſsit, quod in ſuo conuiuio Ioſeph multo ante præluſerat.

Fratres ſuos in Ægyptum reuertentes, vna cum iuniori Beniamin vterino fratre, Ioſeph humaniter excepit, ad conuiuiumque inuitauit. Adſunt illi, menſis aſsident, locis pro cuiusque ætate diſpoſitis; Fercula afferuntur; at portio Beniamin aliorum portiones quintupliciter excedebat: Vnde inter fratres non leuis orta fuit admiratio: *Et mirabantur nimis* (inquit ſacer Textus) *ſumptis partibus, quas ab eo acceperant; maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet*. Notant verò interpretes hunc exceſſum dupliciter accidere potuiſſe. Primò, vt decem fratribus quinque partes, vt bini comederent, vni autem Beniamin totidem, vt ſolus comederet, mitterentur. Secundo, vt ſingulis fratribus ſua pars, Beniamin verò quinquies duplicata portaretur. Quorſum tantus erga iuniorem exceſſus? Nonne æquius eſſet maiores natu primogenituræ, & ætatis merito anteferre? Quis neget? At ſuperior & arcana ratio Ioſeph impulit, vt multiplicatam quinquies portionem ſoli Beniamin largiretur. In iſto Beniamin prophetico ſpiritu Paulum præuidebat futurum: in iuniore Pauli ingentia merita, præclariſsimæque virtutes notabantur. Hæc exceſſus cauſa, & certiſsima ratio prælationis, ſi Diuo Ambroſio credimus, lib. de Ioſeph cap. 10. cuius eſt illud: *Ideo in conuiuio pars Pauli quintupliciter maior effecta eſt, quòd haberet ſuperioribus anteferri*. Quinquies duplicatus partium exceſſus, non tam Beniamin dabatur, quàm Paulo: Ipſe reliquos Euangelij operarios laborando euicit: ipſe prædicandi gratia cæteris eminuit: ipſe Chriſti fidem vltra omnes prouexit: ipſe denique

Gen. 43. num. 33.

D. Amb.

Euan-

Euangelij ſignifer præſtantiſſimus, qui doctrinæ ſuæ ſpolia diuiſit, clariſſimis ſupernisque virtutibus fuit illuſtratus: Vt alios ſuo edoceret magiſterio, & ijs prælucerct exemplo. Et ideo non ſolùm quinque partibus, vt Beniamin fratres ſuos, ſed innumeris penè gratiarũ donatiuis, alios Euangelij præcones, vt iam videbimus, anteiuit.

§. DECIMVM.

Delineatam virtutum imaginem in Diuo Paulo nouis coloribus illuſtramus.

VBertima eſt de Paulo dicendi ſeges, campusque latiſſimus, vnde prius laſſeſcet calamus, quam totum percurrat, & finem videat. Multorum calamos abſumpſit Pauli magnitudo, prorſusque attriuit. Et ſanè mirum non eſt, vt qui admirandis virtutum prerogatiuis omnes ferè antecelluit: libris omnibus, & calamis ſuperior extiterit: Atque adeo licèt Eccleſiæ Doctores vires ſuas exprompſerint, vt omnibus titulis Doctoris gentium magnitudinem, prædicationemque extollerent; nunquam ſatis commendarunt. Cyrillus Alexandrinus, Paulum appellauit *Chriſti promptuarium*, ex quo omnes eius opes depromere poſſumus. *Lampas Orbis terrarum, vnctus à Spiritu ſancto gratia ſpirituali docendi, Angelorum Euangeliſta, totius ſapientiæ Magiſter* dictus eſt à Chryſoſtomo, in commemorat. S. Pauli, & homil. 23. in epiſtol. ad Rom. *Et mater membrorum Chriſti* à Bernardo ſer. 12. in Cant. ſiue *Nutritor Eccleſiæ*, vt ab Ambroſ. ſer. 18. Dionyſius Areopagita, *Solem mundi, ſapientiæ Abyſſum* dixit: Ab Origine: *Sciētiſſimus Pontificum, & peritiſſimus* dicitur *Sacerdotum*. Clemens Alexandr. *Scribam doctum in Regno cælorum*; Euſebius *Diſcipulum ſcholæ Paradiſi*, Hieronymus *Rugitum leonis noſtri, tonitru gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ, eruditiorem inter omnes Apoſtolos, & in ſenſibus præpotentem* deprędicat. *Conſiliarius noui teſtamenti* à Baſilio, *Magiſter Religionis*, ab Athanaſio, *Magiſtrorum Magiſter*, à Theodoreto dicitur. Quin etiam D. Thomas *Magiſtrum Angelorum* nuncupauit. Cernis quot elogia, & præclariſſima nomina Patres iſti excogitauerint, vt D. Paulum numeris omnibus abſolutum, & cæteris Euãgeli præconibus præſtantiorem oſtentarent. Magna ſunt fateor, & magni facienda; ſed vix plantas attingunt. Solus mihi videtur Gregorius Nyſſenus Pauli magnitudinem aliqualiter attigiſſe. Is igitur verba illa Cantic. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*, expendẽs, ita loqui.

Cyril. lib 3. Dial. de Trin.

D. Chryſ.

Dionyſ. lib de diuinis nominibus cap 7.

Orig. lib. 4 in Leu.

Clem. l b ſtromat.

Euſebius lib. 3 hiſtoriæ.

Baſilius c. 1 Iſaiæ

Athanaſ. Orat. 2. contra Arian.

Theodor Dialog 2

D Thom opuſc. 1. cap. 26.

Hom. 7. in Cant.

Cant. 4. num. 4.

Gregor. Nyſſenus loquitur: *Si quis in ſe portat caput vniuerſi, quod eſt Christus, ex quo omne corpus compingitur, & coniungitur, is in ſe propriè fert hoc colli nomen*. Sed quis tantæ erit dignitatis? Quis tam fæliciter ominatus inuenietur, vt de colli nomine, & officio gloriabundus ſe iactet? Ille proculdubio, qui Eccleſiæ caput Chriſtum portauit, ac vniuerſis gentibus dedit agnoſcendum. Quia verò nullus in hoc munere Paulo dignior: Nullus Chriſtum melius in Orbem deportauit; idcirco iure optimo ſubiunxit Nyſſenus: *Tale collum erat Paulus, qui portauit quidem nomen Domini, factus Domino vas electionis, & ei adeo accuratè adaptatum fuit caput, vt quæcunque diceret, non amplius eſſet ipſe loquens; ſed caput eius loqueretur, prout indicauit Corinthijs Chriſtum eſſe, qui in ſe loquebatur, & qui ſpiritu verbum dirigebat veritatis*. Hæc ille.

Sed quid mirum, vt Chriſtus Pauli ore loqueretur: & miro quodam modo cum illum loquẽtem audires Chriſtum credere debuiſſes, qui loqueretur: quoniam non in Paulo vixerat Paulus, ſed Galat. 2. num. 20. Chriſtus in eo viuebat. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*: Sic totus in Chriſtum abierat, vt ipſius imaginem, & ſimilitudinem non leuiter adumbratam, ſed ita ad viuum portabat expreſſam, vt Chriſtus in Paulo, & in Chriſto Paulus mira quadam viciſsitudine cerneretur. Quapropter ipſe 2. ad Corinth. 12. num. 6. dicebat. *Parco autem ne quis me exiſtimet, ſupra quod videt in me, aut audit aliquid ex me*. Sanè innuens, eade ſe egregia, atque mirabilia referre potuiſſe, quibus homines in animum forſan inducerent: ipſum non omnino hominem, ſed plus aliquid, & quodammodò ipſummet Chriſtum eſſe. Audi hac de re Origenem homil. 25. in cap. 3. Lucæ: *Ne quis de eo plus arbitraretur eſſe quàm cerneret, & menſuram honoris excedens diceret quod dictum fuerat de Ioanne. Quia ipſe eſſet Chriſtus*. Vides quam magno iure dixerit. *Imitatores mei eſtote: ſicut & ego Chriſti*. Huc refero illud à Nicephoro lib. 2. cap. 37. grauiter dictum. *Cùm inſpiciebatur diuinum quid præferebat, atque toto ore ſpirabat; vt qui eum cernerent fideles, ex ſolo aſpectu arcanam quandam, & latentem conciperent gratiam, & ad benè ſanctèque viuendum incitarentur*. Ita ille. Vnde quæ de filio Dei humanitate veſtito prædicaueris, Paulo ſuo modo conueniẽter aptabis. Ipſe enim Chriſti collum eſſe meruit: quid collo capiti viciniùs & magis coniunctũ? Quid ſub ipſo capite eminentiùs? Omnibus eminebat, & ſub Chriſto capite ſuperabat omnes: qui etiam Chriſti caput quodammodo videbatur: vel propter capitis ſui

ſui coniunctionem nil niſi Ieſum ſpirabat viuens, & mortuus etiam ſpirauit.

Cùm enim Paulo caput amputaretur ipſum iam à collo reciſum, & ſeparatum proſiliens tres edidit ſaltus, atque ad ſingulos ſemel, iterùm, & tertiò pronunciauit. *Ieſus. Ieſus. Ieſus.* O miraculum! non tamen miror, quia non tam in Pauli capite Paulus ipſe, quàm Chriſtus caput ipſius loquebatur: vel ſi Paulum dixeris locutum, ideo factum exiſtima; quia cùm eſſet vas electionis nominis Ieſu ſuauiſsimo oleo plenũ, ſtatim vt præfractũ eſt, & colliſum vnguenti quo fuerat imbutum odorem exhalauit, & priſtinam quam retinebat ſuauitatem emiſit. Verum enim eſt illud Horatianum.

Horat. *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem*
Teſta diu.

Non aliter D. Paulus de quo eſt illud Chriſti ad Ananiam. Act. 9 *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum:* Et ſi diſtractus eſſet, & in mille partes comminutus, quamquam reſectum à collo caput ipſius, in terram proijceretur, liquorem fragrantiſsimum in ipſa morte redoluit, ſicut antea viuens eo ſe vnguento ſic abundanter perunxit; vt ſolùm in ſuis epiſtolis nomen Ieſus ſexcenties & amplius pronunciauerit. Quid ergo mirum ſi exanimi corpore, caput viueret, ſaltus ederet, Ieſu nomen ſuauiſsimè pronunciaret; atque ad ternos ſaltus, & alternos ſuauiſſimi nominis ſonitus tres fontes eliceret, qui in hanc vſque tempeſtatẽ perenni aquarum ſcaturigine ebulliunt, & à peregrinis Romam venientibus incredibili pietate inuiſuntur. Quinimò refert Cornelius cap. 6. Cornel. de Pauli prærogatiuis, alterum ex his fontibus ſaporem lacteum libentibus reddere: Vt ſicut viuens Eccleſiæ paruulos doctrinæ lacte nutriuerat: iam mortuus, & in cælo triumphans fideles lacteis poculis recrearet.

Quam verè de ſe ipſo D. Paulus ad Galatas 1. dicere potuit. *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ,* Galat. 1. *& vocauit me per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, & euangelizarem illum in Gentibus*; vbi expendenda ſunt verba illa *Reuelaret filium ſuum in me*. Duplicem namq. ſenſum, & vtrũque germanum habere poſſunt. Primum Græcis fontibus hauſtũ propinat D. Hieronymus, è cuius mente, perinde eſt, *Vt reuelaret filium ſuum in me,* D. Hier. ideſt per me, ac ſi dixerit Paulus: Vt per me tanquam Apoſtolum, & præconẽ inter omnes præcipuum, filij ſui nomen toti Orbi reuelaret, & fidei ipſius myſteria, vbique gentium propalaret. Quod omnibus certè numeris Paulus impleuit: fragrantiſſimo namque Ieſu nomine, & vnguento ſe perunxit, parua

loquor, ad ſummum vſque impleuit: in omnes viuus effudit: moriturus eundē ſpargebat odorem, mortuus, & in fruſta diſſectus eandem nominis ſuauitatem ſpirauit identidem repetens Ieſus. Alter ſenſus latentem habet energiam: Tantumdem namque valet Chriſtum Dei filium, in D. Paulo Gentibus reuelari, ac ſi ipſemet Ieſus in Pauli vita viuis clariſsimarum virtutum coloribus effigiatus cerneretur. Tam diuiti quippe cęleſtium donorum ornatu animam ſuam Paulus excoluerat, ſic in Chriſti mores, & vitæ conſuetudinem totus abierat: tam mirabili modo ad Ieſu exemplar ſe compoſuerat, atque in diſcreta ſimilitudine efformauerat: vt quicunque Paulum cerneret, ipſo conſpectu videndi Ieſum cupiditatem ſatiaret. Totus videbatur in Chriſto Paulus; vnde dicebat *Viuo ego iam non ego*, & in Paulo Chriſtus erat: ideo ſubiunxit, *Viuit verò in me Chriſtus*, hoc eſt, D. Hieronymo interprete, *Viuit in eo Chriſtus, ſapientia, fortitudo, ſermo, pax, gaudium, cæteraque virtutes*.

Gal. 2. num. 20

D. Hier.

Aduertendum prætereа non dixiſſe Paulum ſe in Chriſto viuere, ſed Chriſtum in ſe viuere, quia in Paulo Chriſti virtutes ſpirabant. Miracula edebat Paulus, patiebatur, prædicabat, Chriſtum operantem, patientem, videre crediſſes & prædicantem: ipſum audi. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus.* Quid igitur mirer, ſi præciſo collo Paulus adhuc ſpiret, viuat, loquatur? Etenim Chriſtus caput, & Pauli vita, *Iam non moritur; mors illi vltra non dominabitur*, & ideo vita functus Apoſtolus loqui poterat, quia iam non ſuo, ſed Chriſti ore loquebatur. O virum omnis æui calamis maiorem! Quæ vnquam ætas tulit, aut feret præſtantiorē? Nulla ſanè. Fuit ille Orbis tetrò acti prodigium, ſui æui miraculū noſtri exemplum, futuri decus maximum, & ſingulare ornamentum. Quid ni? Totus in Chriſtum, miniſtra charitate, Paulus fuerat immutatus; ita placuit Chryſoſtomo homil. 3. de laudibus Pauli: *Sicut ferrum*, ait, *miſſum in ignē, totū ignis efficitur; ſic Paulus charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas*. Atque adeo eodem quo ipſe Deus fruitur elogio. Nam, *Deus charitas eſt*. Vnde audacter dicam: Nemo audebit quantumuis affectui indulgeat, quemuis ex aduerſo comparandum, nedum præferendum opponere. D. Chryſoſtomum homilia 8. de laudibus Pauli ſequor: qui veteres Patriarchas in mediū producens neminem cum Doctore gentium conferri poſſe teſtatur. *Cui te ò beate Paule iuſtorum veteris Teſtamenti, vel noui audeam comparare? Omnium quippe virtutem quaſi in arca quadam, ſed cum multo prorſus cumu-*

2. Cor. 13 num. 3.

Ad Rom. 6. num. 9.

D. Chryſ.

1. Io 4. num. 8.

cumulo condidiſti. Denique etiam ſi totum contra te aliquis ſingillatim iuſtorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depreſſam. Paulus verò ſecundus Abel, verũ non ſemel, ſed per dies ſingulos immolatus: Paulus alter Noe, ſed abſque arca inſurgentes aduerſum ſe vndas impietatis enauigans. Paulus alter Abraham, non modo à patria, vel gente, ſed poſt vocationem ſuam ab ipſa etiam vita abſciſſus: Paulus alter Iſac, ſponte in hoſtiam colligatus: Paulus alter Iacob, quaſi pro vno quodam totius mundi grege ſemper inuigilans: Paulus alter Ioſeph, ſpirituali fame tabeſcenti mundo veritatis alimenta diſtribuens: Paulus alter Moyſes, qui omnes gentes à tyrannide diaboli reduxit ad Chriſtum: Paulus alter Aaron non vnius populi, ſed totius mundi inunctus Sacerdos: Paulus alter Phinees impietatem Iudæorum, atque Gentilium, quaſi fornicationem mentium, vno fidei mucrone confodiens. Vidiſti quantis ſit virtutum ſyderibus illuſtrata Chryſoſtomi oratio, quot Patriarchas virtute clariſsimos recenſuerit. Abelis iuſtitiam, virginitatem, patientiam demiraris: Noe magnimitatem laudas, Abraham fidem, & obedientiam extollis; Iſaac in Dei beneplacito reſignationem, ob quam D. Paulus dixit ad Hebræos cap. 11. Pater eius *Suſcepit eum in parabolã:* hoc eſt ſanctitatis prodigium, omnium linguis, & ſermonibus commendatum, obtupeſcis. Iacob ſcalam ſomnianti, & Deum ibi ad aſcenſum prouocanti inuides: pro grege vigilantiam, pro Rachele amorem, & expectationem in paſtore diligis. Ioſeph prouidentiam in gubernatore neceſſariam: Moyſis animoſitatem, Aaronis virgam in integritatis ſignum floreſcentem, & Phinees zelum incredibilem ſupra humam gloriam arbitraris? Paulum inſpice, virtutem ipſius pondera, identidem libra: lucem, ſplendorem contemplare, & omnes hactenus numeratos tanquam ſtellas à Solis huius claritate premi & obſcurari non defiteberis.

AdHebr. cap. 11.

Iterum doChryſoſtomum eodem ductu plures, & plura adPauli commendationem referentem. *Paulus alter Dauid, qui velut quendã Goliam in certamine diabolũ prouocat: Paulus alter Elias clariùs raptus ad cælos: Paulus alter Eliſæus, qui gentes ab interiore lepræ corruptione mundauit; Paulus alter Ezechias, qui ad vnam fidem Chriſti diuerſos Populos attraxit: Paulus alter Ioſias, qui abominationes Gentilium diſſipauit, ac perdidit: Paulus alter Ioãnes pro Chriſto capite truncatus: Paulus alter Petrus de cælo vocatus ad credendum: Paulus alter Gabriel qui Chriſti ortum cunctis gentibus nunciauit: Paulus alter Michael, qui Chriſtianorum dux*

D. Chryſ. hom. 8. de laudibus Pauli.

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſortitus eſt. Etiam ſi Angelorum, etiam ſi iuſtorum hominũ circumuolem choros, non inuenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat. Hæc D. Chryſoſtomus; vbi vides quot tibi virorum pietate, & Religione inſignium imagines viuis eloquentiæ coloribus depictas propoſuit, vt Diuum Paulum in eis daret conſpiciendum, cæterorum virtutibus inſignitum, gratijs decorum, dotibus adornatum, prærogatiuis illuſtrem, excellentijs commendatum, præconijs ſublimem, elogijs incredibiliter euectum.

Singulos ornamenta diuiſim ſparſa condecorant, Paulum omnia in vnum congeſta perficiunt, & exornant: vnde potiori iure de ipſo dixerim, quod de Imperatore ſuo cecinit Claudianus.

Claudian. ------ *Et quæ diuiſa beatos. Efficiunt collecta tenes* -----

Quid ad magnitudinem clariùs, quid ad nominis claritatem magnificentiùs deſiderabis? Hìc virtutum omnium & laudum ſumma inuenitur, hìc Chriſti ſimilitudinem non pictam, nec leuiter adũbratam; ſed mirabili cælatura videbis inciſam. Fuit enim Paulus Chriſti ſigillum, non raſum, & terſũ, ſed proprijs Saluatoris noſtri inſignibus, & notis mirificè exculptum, idcirco dicebat: *Ego autem ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto:* Gal. 6. 17 vt non ſolùm interius Chriſti ſimilitudinem virtutibus exprimeret, ſed etiam exterius eandem præferret imaginem. In quo ſe verum Eccleſiæ prædicatorem, & Dei miniſtrum oſtendit, quia non minus, imò plus manu, quàm lingua valuit. Atque adeo ſicut de vero Philoſopho dixit Tertull. *Philoſophum docentem audis, cum incendentem vides:* Tertul. in Apol. Non oportuit ad doctrinam Paulum audire prædicantem; ipſemet Apoſtoli aſpectus perfectiſſimum erat vitæ magiſterium. Quicunque D. Paulum per Orbem diſcurrentem intuebantur, prædicantem audiebant, vnde ad Romanos dicebat. *Quandiu ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorifico*, Rom. 11. capite 11. Permulti ſunt, quos miniſteria, & munia honorant: Alij, qui officijs, & muneribus dignitatem afferunt, & ſplendorem. Sed qua ratione aſſerit D. Paulus miniſterio ſuo honorem tribuere? Non dubito, quia quod verbis docebat operibus exequebatur: nec aliud in eo videbant, aliud audiebant: non erat Paulus ex eorum grege, quos ſigilla raſa dicturus eſſes, & omnino terſa, ſed virtutum imaginibus eleganter exculptus. Deinde miniſterium honorificare teſtabatur: quia illud ita rectè exercebat, vt finem miniſterio intentum conſequeretur, auditores ſuos commoueret; & alios ad fidem, fideles iam ad virtutũ amorem excitaret. Quæ vera miniſterij

ſterij dignitas habetur.

At quæres: vnde nam Apoſtolus vires hauſit ad animos ita cõmouendos? qua meruit virtute, vt ita potens eſſet in dicendo, vt auditores quo vellet facilè pertraheret? Totum reor, ab oratione traxit, cuius ſtudio frequentiſsimè vacabat, nec loci cuiuſquam incommoditate præpediebatur, ſed ex quolibet loco ſecretum ſibi faciebat, vt precibus, meditationiq; inſiſteret, ſicut alijs ſuadebat. *Orantes omni tempore.* Hinc, ni fallor, dixit Chryſoſtom. D. Paulum in cælo hominem in terra Angelum extitiſſe. *In cælis homo, in terris Angelus.* Quia quod Angeli Deum videndo, ipſiusq. præſentiæ aſsiſtendo cõſequuntur in cælo, illud idem D. Paulus in terris orationi vacando obtinuit. Deo tanquam Angelus aſsiſtebat, & exinde hominibus prædicabat. Nouerat ex orationis ſtudio diriſsimã ad copiosè, ornatèque dicendum ſuppellectilem depromi: meminerat neminẽ fidentius prædicandi munus obire poſſe, quàm qui virtutibus ſit clarus: Et maioris momenti eſſe vitæ ſanctimoniam, quam ſcientiam. Neque enim in Dei conſpectu Cherubini ſcientia illuſtrati, ſed Seraphini charitate ſuccenſi Dei ſanctitatem prædicabant. Itaque litteraturam virtuti immiſcuit, & ſapientiam ſanctitate adornauit. Quamuis autem datam ſibi à Deo ſapientiam, vt D. aſſerit Petrus, habuiſſet, magnisque virtutibus eſſet excultus, & vbertimis gratiarum priuilegijs frueretur: labori minimè pepercit, operam nauans, vt ijs etiam, quæ propria induſtria conquęſierat iniunctũ ſibi à Deo Orbis magiſterium perficeret, & fructuoſius exequeretur.

Philip. 6 nu. 18.

D. Chryſ. Orat. de Petro, & Paulo.

§. VNDECIMVM.

Plurimis induſtriæ ornamentis D. Paulus ſuum magiſterium laureauit.

VErſis gradibus deſcendimus, & ad inferiora è ſublimibus contendentes, dona gratiæ hactenus præſtrinximus, & quàm liberali manu Deus ea in D. Paulum conieceri, expendimus, largiùs poſtea illuſtraturi. Iam quantum Gentium Doctor labore, & induſtria in prædicandi munere profecerit, enarremus. Inter ea quæ concionatoris induſtria acquiruntur primas tenent, illam enumero prudentiã, qua induſtrius prædicator doctrinam ſuam ita componit, dictionẽ flectit, & auditorum captui accommodat, vt rudibus plana, & humilia: ſapientibus ſubtilia, & ſupra vulgi captum eloquatur. Qua in re mirum eſt quantùm D. Paulus elaborauerit, modo propter rudium inſipiẽtiam humi repens: rurſus ſublimi volatu ſe extollens, proficua viciſsitudine humi-

humilia, & alta prædicabat. *Non* 1.Cor.2. num. 1. inquit, ad Corinth.1. c.2. *In ſublimitate ſermonis*, quia imperitis, Ibid.n.6 & ſtatim: *Sapientiam loquimur inter perfectos*: Quia doctis, & ſapientia inſignibus loquebatur. Quid? Nullam non induebat figuram, omnes aſſumebat colores. Rebelles rigore compeſcebat: Galat.3. num. 1. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati*. Obtemperantibus blandiebatur amore parentis: Galat.4. nu.19. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Profanis rebus diſtractos auertebat minis: deuotioni deditos ſuauitate allectabat: quoſdam veluti paruulos lacte nutriebat: idcirco, dum caput ipſi amputaretur, non ſanguis, ſed lac abundanter effluxit, indubitato argumento, quod ipſius doctrina multoties lacteſceret, vt páruulis, qui ſolido veſci non poterant cibo, proficeret ad ſalutem. Ideoque dicebat Hebr. 5. nu.12. *Facti eſtis, quibus lacte opus eſt*. Adultis cibum magis ſolidum porrigebat. Mœrentibus quaſi mœrens opitulando, & ſolando loquebatur. In ſceleribus lætabundos ad iuſtitiam prouocabat. 2.Cor.7. num.9. *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Itaque ad auditorum exigentiam doctrinam ſuam, & dictionem prudenter flectebat. Vnde mitẽ, & manſuetum modo cerneres, ſtatim terribilem, & metuendum expaueſceres. Hic Iudicem ſeuerum, illic pium agebat parentem, & medici peritiſſimi officio fungebatur. Quid plura? vt nemini deeſſet in omnium affectus ſe mirabiliter transferebat, probro minimè ducens quemcumque habitum charitas efformaret. Nec mirum, ait D. Chryſoſtom. homil.3. de laudibus Pauli, *Quia ſicut ferrum in ignem miſſum totum ignis efficitur: ſic Paulus charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas. Vnde nunc per epiſtolas, nunc per exhortationes, nunc per preces, nunc per minas, nunc per ſe, nunc per ſuos omni ſtudio conabatur erigere laborantes, ſtantes firmare, humi iacentes attollere, ſanare contritos, torpentes animare, hoſtes retundere: More optimi ducis, militis, & medici omnium officiorum perſonas, & munia vnus ipſe obibat*. Hactenus ille. D. Chryſ.

Sed ipſum met Paulum diuinũ Protheum tam multiplices figuras pro animarum ſalute aſſumẽtem videamus. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem: Iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem. Factus ſum infirmis in infirmus: omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. 1.Cor.9. an 20. Quaſi diceret: proficiendi ſtudiũ omnes induere formas, figuras omnes, & affectus imitari coegit. Et quod hiſtriones faciunt, vt pla-

placeant, ſanctiùs ego præſtiti, non vt hominibus placerem, ſed homines immutarem, ita vt Deo non ampliùs diſplicerent. Pulchrè in hanc rem D. Hieronymus in cap. 4. epiſt. ad Galat. *Mutabat*, inquit, *Paulus vocem ſuam, & in hiſtrionum ſimilitudinem factus, ſiquidem theatrũ mundo, & Angelis, & hominibus, habitum in diuerſas figuras mutabat, & voces.*

D. Hier.

Nec damnanda eſt hæc mutatio, ſed laudanda. Nam & Angeli diuerſos admodùm habitus aſſumebant: modo peregrini, rurſum milites apparebant, vt ijs ad quos mittebantur dulciùs congruerẽt, atque ad polliciti fidem ſecuriùs pertraherent. Paulum diximus in terris Angelum, qui etiam in hac parte Angelos æmulabatur: vocem, affectũ, habitum, ingeniũ, provt alienæ ſalutis ardens amor ſuadebat, identidem immutans; quà demittendo, quà extollẽdo, quà ſe ipſum ita accommodando, vt non vnus, ſed multiplex eſſe videretur. Egregiè D. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 16. hoc Pauli ingenium deſcripſit. *Hinc Paulus ait, factus ſum Iudæis tãquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, & his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem; cùm ipſe non eſſem ſub lege, vt eos qui ſub lege erant lucrifacerem; & his qui ſine lege ſunt, quaſi ſine lege eſſem, cùm ſine lege Dei non eſſem: ſed ſub lege eſſem Chriſti. Et Paulo poſt; omnibus omnia factus ſum, vt omnes ſaluos facerem. Neque enim egregius prædicator, vt quaſi Iudæus fieret ad perfidiam erumpit, nec vt quaſi ſub lege eſſet, ad carnale ſacrificium redijt: neque, vt omnia fieret, ſimplicitatem mentis in erroris varietatem commutauit: ſed condeſcendendo appropinquat infidelibus, non cadendo: vt videlicet ſingulos in ſe ſuſcipiens, & ſe in ſingulos transfigurans, compatiendo colligeret: ſi ita ipſe vt illi eſſet, quid impendi ſibi ab alijs rectè voluiſſet. Et tanto veriùs vnicuique erranti concurreret, quantùm ſalutis eius modum ex propria conſideratione didiciſſet.* Hactenus ille.

D. Greg.

Eodem planè ductu fluunt, quæ ſermon. 2. in Natali Apoſtol. Petri, & Pauli Guarricus Abbas calamo reddidit: Pauli namque in omnes charitatem expendens, qua ſe matrem exhibuit, & nutricem dum viueret: ſubindeque moriens pro ſanguine lac effunderet, in hæc verba ſentẽtioſus erupit. *Pro illis, quibus dabat mamillam, dedit & animam*: Quaſi diceret, nihil eſt quòd mireris, vt totam vitam pro dilectis largiretur, moriendo, qui iam partem dederat nutriendo. Quapropter non ſanguis, ſed lac ex vulnere morientis effluxit, vt vitæ pars illa, quæ adhuc ſuper erat effunderetur; ſolo enim colore ſanguis à lacte diſcriminatur, ſed ſanguis ſoli prodeſt habenti, lac ad aliorũ

Guar. Ab

verti-

vertitur emolumentum. Vnde congruenter intulit idem Guarricus: *Planè nihil in eo ſanguineum, ſed totum lacteum, qui nihil carnale, nihil ſuum cogitabat, ſed tantùm quod alijs vtile erat; nec tam habebat vbera, quàm ipſe totus vber erat, qui ita miſericordia vberi affluebat; vt non modo ſpiritum ſuum deſideraret, totum filijs immulgere, ſed & corpus impendere.* Pulcherrima hæc eſt veri Eccleſiæ Doctoris nota, vt doctrinã lactis inſtar, paruulis adminiſtret. Quomodo enim paruulos niſi lacteſcẽs alere potuiſſet? Iure igitur vbera Paulus habuit, quæ in Petro etiam agnoſco. Hæc vbera Dei ſpiritus abũdanter diſtẽdit, vt duos Apoſtolos Chriſti Sponſa tanquam matres paruulis enutriẽdis haberet. Iterum Guarricus. *Repente ſpiritu miſſo de cælo, tanquam lacte de proprijs Chriſti vberibus effuſo, Petrus impletus eſt lacte primò, nec multò poſt de Saulo fit Paulus, prædicator de perſecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice, vt planè intelligeres totum eius ſanguinẽ mutatum in lactis dulcedinem, ſæuitiamque in pietatem. His igitur vberibus geminis pectori ſuo affixis gloriatur Eccleſia, non modo matrem ſe eſſe fæcundam, ſed & ciuitatem munitam. Ego, inquit, murus, & vbera mea turris mille clypei pendent iam de turribus iſtis, omnis armatura fortium.* Sic ille. Congratulor Chriſti Sponſæ, cui datum, vt his vberibus paruulos ſuos enutriret. Quanta ſuauitate, & dulcedine manant hæc vbera! Cæterum vt videas, qua prudentia Eccleſiæ Magiſtri & Doctores primi Petrus, & Paulus doctrinam pro audientium neceſsitate temperatint: quę dixit vbera infantibus accomodata, turri æquiparauit, in qua robuſtorum arma, munimentaque ſuſpendebatur: quia infantibus & imbecillibus viris, iam adultis & robuſtis prædicabant, in id tantummodo intenti, vt prædicando proficerent: non plauſum, & inanem gloriam venarentur.

Guarric.

Guarric.

§. DVODECIMVM.

Dei liberalitas & Pauli induſtria ſapientiſsimum illum prædicatorem reddiderunt.

PErfectiſsimam in Diuo Paulo imaginem, nonſolùm ſupremus artifex Deus meditabatur, ſed etiam totius Orbis Doctorem ſapientiſsimum creabat, vt ad illum, tanquam ad diuinum oraculum profundiſſimæ, inexhauſtæq. ſapientiæ theſaurum recurrens Eccleſia doctrinam, & veritatem ſacrato illo pectore incluſam hauriret. Et ideo nõ contentus (quod aſſolet, ijs quos ad miniſterium aliquod aſſumit) habilitatem ſuppeditare, vt ipſe Apoſtolus non ſemel, vt iam retulimus, teſtatur,

Ido-

2. Cor. 3. num 6. *Idoneos*, ait, *nos fecit miniſtros*
Ad Epheſ *noui Teſtamenti*. Et alibi. *Mi-*
num. 3. *hi omnium Sanctorum minimo*
data eſt gratia hæc in Gentibus
Rom. 15. *euangelizare*. Et ad Roman. 15. *Propter gratiam, quæ data mibi à Deo, vt ſim miniſter Chriſti in Gentibus.* Altiſsimam, & profundiſſimam largitus eſt ſapientiam: non tantùm quæ obeundo miniſterio deſeruiret, ſed in omni rerum genere cumulatiſsima exiſteret. Quod Apoſtolorum Princeps Petrus agnouerat; & reuerebatur, idcirco epiſt. 2. cap. 3. dice-
2. Petr. 3. bat: *Chariſsimus frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Hinc ipſemet Paulus Æterni Patris, & Chriſti Ieſu filij eius Apoſtolum ſe ap-
Galat 1. pellat ad Galat. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis*: Quia tam liberali, & larga manu Pater, & Filius Paulum præ alijs ſapientia cumulauerant, vt videri potuerit, alios Apoſtolos non à Deo, ſed ab hominibus ad Apoſtolatũ aſſumptos fuiſſe.

Illud certè auſim dicere neminem ex alijs à Deo vas electionis
Act. 9 dictum Actor. 9. num. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte*. Quod interprete D. Hieronymo epiſt. 103. ad Paulinum, tantumdem valet, ac ſi Scripturarum omnium armariũ
D. Hier. diceretur *Cur dicitur*, inquit, *Paulus Apoſtolus vas electionis? nempè quia vas legis, & ſanctarũ Scripturarum armarium eſt*. In quo multiplex & omnigena Pauli ſapientia declaratur: multa enim ſunt, & diuerſa quæ in armario reconduntur. Tria potiſsimum ex illo extrahebat Apoſtolus; Primum, vt ſe ipſum regeret: Secundum, vt proximum erudiret: Tertium, vt in Dei cognitione quantùm patitur viatorum conditio, ſummopere excelleret. De quibus Timotheum non ſemel fecit certiorem epiſtol. 2. ad eundem
cap. 3. *Ab infantia*, ait, *ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. En ex ſacris litteris tanquam è fonte Dei cognitio, fideſque hauritur. Iam verò quantùm ad proximorum inſtructionem, diſciplinãque inſeruiant, idem Apoſtolus ad eundem Timotheum num. 16. ſignanter expreſſit. *Scriptura*, inquit, *diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendũ, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia.* Denique vt ſe ipſum Timotheus ad ſanctitatis normam efformet, & componat; eandem Scripturam, vt ſpeculum ob oculos proponit. *Vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*. Ibid. num. 17. 2. Tim. 3

Et quidem ſacrarum litterarum cognitio, partaque inde ſapientia vnicuique ad ſui correctionem, proximi diſciplinam, Dei cognitionem adeo neceſſaria iudicatur,

vt

Digitized by Google

vt neutrum abſque illa compara-rari poſſit. Quis enim citra miraculum abſque medicina ægritudinibus medebitur? Sunt autem diuinæ litteræ præſentiſsima animarum medicamenta. Quid putas cauſæ fuerit, vt ſanctus Lucas, qui medicinæ fuit peritus, Apoſtolorum geſta, ſimplicem, nulliſque ad mores documentis hiſtoriam adornatam conſcripſerit? Optimam D. Hieronymus epiſt. 18. ad Paulinum cedit rationem: videlicet, vt daretur intelligi, tam mirabilem medicandis animarũ morbis virtutem ſacris litteris ineſſe, vt vel etiam nudæ hiſtoriæ, in quibus nulla monita, exhortationes, & conſilia ad morum compoſitionem ſpectantia continentur, remedia efficaciſſima ſubminiſtrarent. *Actus Apoſtolorum nudam quidem ſonare videntur hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere: ſed ſi nouerimus ſcriptorem eorum Lucam eſſe medicum, animaduertimus pariter, omnia verba illius animæ languentis eſſe medicinam.* Hæc ſcitè Hieronymus. Sed proh quam deſipiunt, & digni ſunt, qui ſeuera nimis redargutione feriantur illi, qui ſcholaſticæ Theologiæ ſcientia præſtãtes cùm ſint, ad curandos animarum langores ſacrarum litterarum cognitione deſtituti ſeſe temere intromittũt, pulpitaque periculosè ſatis, & damnabiliter ſcandunt. Ignorant iſti neminem conſequi poſſe, vt ſibi & alijs medeatur, niſi Deus ipſum erudiat. Dum verò Scripturas euoluit, ipſatumque intelligentiæ inſudat, tanquam ex Dei colloquio eruditur, quid cuique medicaminis erit adhibendum. Hinc eſt illa apud Iob optantis poſtulatio cap. 11. num. 5. *Vtinã Deus loqueretur tecum, vt intelligeres.* Iob. 11. Loquitur homini Deus quandiu homo Dei Scripturas ſedulò perlegit. Ignota ſunt iſta prædicatoribus, quos vanitas obcæcat: Audiant interim Lyranum ſtultã huiuſmodi præſumptionẽ arguentem. *Quod quidem*, ait, *vani prædicatoris non reputant, in tantùm, vt ſine ſtudio ſacræ Scripturæ præſumptuosè ſe ingerãt ad prædicandum.* Lyran. Sed quid iſti prædicabunt? Animi ſui ſenſa, & placita, vagis diſcurſibus aerem verberantes, quos nec Scripturæ firmat authoritas, nec germanus ſenſus informat; ſed extortus, & alienus reddit meritò damnandos.

Idcirco D. Hieronymus epiſtola citata ad Paulinum ſimilium temeritatem, & audaciam acerrimè ſugillat. *Taceo*, inquit, *de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad Scripturas ſanctas poſt ſæculares litteras venerint, & ſermone compoſito aures populi mulſerint: quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec ſcire dignantur quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint: ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſsimum docendi* D. Hier. genus,

genus, deprauare ſententiam, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem. Hactenus ille. Huc etiam refero pulcherrimum eiuſdē monitum in epiſtola 2. ad Nepotianum. *Diſce quod doceas*. Quod etiam à Ruſtico vigilanter obſeruari adhortabatur, epiſt. 4. ad eundem. *Diſcas quod poſſis docere, ne priùs magiſter ſis quàm diſcipulus*: vel certè ex eorum numero, qui quæ non intelligūt docere præſumunt. Quàm aliū ſe præbuit D. Auguſtinus: quanto ſtudio diſcipuli officium priùs exercuit, & poſtea perfectus adeò magiſter euaſit, & ſacrarum Scripturarum cognitionem ita perfectam fuit aſſecutus; vt ſicut refertur epiſt. 3. ad Voluſianum. *Legi Dei deſit, quidquid Auguſtinus ignorat*. D. Aug.

Nec mirandum eſt, quod ita exactè verus Eccleſię doctor prius diſcere conſtringatur, quàm ad docendum ſe ingerat. Quoniā, vt D. Paulus 2. ad Timoth. 3. monet prædicandi officium exigit, vt prædicator delinquentes arguat, reſiſtentes conuincat, dubitantes erudiat, rationibuſque in contrarium adductis, cumulatè ſatisfaciat: aliter quanti dedecoris reputabitur libros petere, ad ſtudij aſylum properare, cùm iam neceſſitas reſpondendi compellit, vt diſertè monebat D. Gregorius libro 3. Paſtoral. cap. 11. *Ignominioſum valde eſt, ſi tunc quærat diſcere, cùm quæſtionē debet enodare*. D. Greg. Quinimo vnumquemque adhortatur epiſtol. 1. cap. 3. n. 15. D. Petrus, vt eam Scripturarum cognitionem, & ſciētiam aſſequatur, vt quæſitis reſpondere, & cōtrà oppoſitis ſatisfacere poſſit. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe*. 1. Petr. 3. num 15. Et quidem dem improuidæ mentis eſt, parumque experri militis, cùm iam hoſtis aggreditur arma quærere, quæ, vt cecinit Vates, pace vigente comparantur.

In pace, vt ſapiens aptaret idonea bello.

Nec infrequenter vſu venit, vt permulti occurrant blaterones graculi & deceptores, doctrinæque rebelles, quos rationis ſplendore conuinci & redargutionis telo feriri neceſſe eſt; ſicuti Diuus Paulus Titum admonebat: *Sunt multi etiam inobediētes, vaniloqui, & ſeductores, quos oportet redargui*, cap. 1. num. 13. Ad Tit. 1 num. 13. Sed quis ita ad arguendum potens inuenietur: niſi qui omnimodam Scripturarum cognitionem fuerit aſſecutus? Qualē ego in D. Paulo veneror, & agnoſco, quem ideo S. Bernardus ſerm. 12. in Cantic. D. Bern. Matrem fideliū appellauit *Mater membrorum Chriſti*. Eodem tendit illud Ambroſij ſermon. 18 vbi Paulus dicitur. *Nutritor Eccleſiæ*. D. Ambr. Nec repudiabit titulum, qui de officio gloriabatur; vnde ad Galat. 4. n. 19. dicebat. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur* Gal. c. 4

Yy Chri-

Chriſtus in vobis. Formabatur quidem in fidelibus Chriſtus Pauli doctrina; ipſius ſapientiæ luce, & ſplendore illuſtrabatur: quapropter à D Chryſoſt in commemorat. eiuſdem, *Communis totius*
D.Chryſ. *mundi Pater*, dicitur: & in Panegyrico Petri, & Pauli: *Os Chriſti*. Nec immeritò; quoniam in Paulo Chriſtus loquebatur vnde verba, quæ ex ipſius ore profluebant, Chriſti ſapientiā ſpirabant, Chriſti ſpiritum redolebant, & quam ab ipſo mari ſapientiæ Chriſto hauſerat ſapientiam teſtabatur. Vnde eſt illud eiuſdem Apoſtoli ad Co-
2 Cor. 13 num. 13. tinth. 2. cap. 13. num. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus*. In quem locum hæc ex Petro Damiano di ſertè ſcripta ptælibo. *Nec mirum*, dicebat *ſi prædicator egregius ferventiùs æſtuat, ſi præ cunctis mortalibus in eo copia veræ dilectionis abundans cùm fons vitæ, qui eum vas electionis appellat, in eum ſe decreuerit abundanter influere, eumque dignatus eſt Sacramentorum ſuorum fluentis incōparabiliter irrigare. Hinc eſt quod ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus*.

At verò D. Max homil. 3. in Natal. Petri, & Pauli, duos Apoſtolos cæli lumina, & mundi Soles æquiparat: Nam ſicut Petro data fuit clauium poteſtas ampliſſima, ſic Paulo cathedra ſapientiæ, vt ille regeret Orbem, iſte doceret, & æqualibus meritis Mundi Rector, & ipſius Doctor potentia, & ſapientia valerent. Maximi verba ſunt: *Nam Petro ſicut bono* D.Max. *diſpenſatori clauem Regni cæleſtis dedit; Paulo tanquam idoneo Doctori magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis iniunxit; ſcilicet vt quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem; vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat Regna cælorum. Clauem enim quodammodo à Chriſto ſcientiæ & Paulus accepit*. Ita ille. Et quidem vt planum fiat quàm ſublimis Pauli ſapientia extiterit, vtpotè quàm præceptore Deo in cæleſti Lycæo perdidicit, ipſum 1. ad Corinth. capite 2. loquentem audiamus. *Prædicatio mea non in perſuaſibi-* 1. Cor. 2. *libus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis; vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi; neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in miniſterio, quæ abſcōdita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula, in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit*. Hęc ille ſacramentis pleniſsima: Nec in ipſius epiſtolis quidquam inuenies, quod non ſit myſterijs repletum. Paruum ſanè eſt epiſtolarum ipſius volumen, ampliſſima tamen in eo

Digitized by Google

ſacramenta reperies . Non temerè dixerim tot in eo eſſet myſteria , quot elementa . Quidni ? In tertio cælo vidit, & didicit, quod poſtmodum ſcripturus erat in terris . Euſebium huc refero lib.3. hiſtoriarum cap 23. ita ſcribentem. *Paulus qui inter cæteros Apoſtolos eruditior etiam in verbis videtur, & in ſenſibus præpotens, non amplius quàm paruulum epiſtolarum ſuarum corpus reliquit: quod vtique immenſa continet intra ſe, atque innumera ſacramenta, vtpotè qui vſque ad tertium cælum raptus, quæ gererentur inſpexerat, & in ipſum quoque à Deo dignum paradiſum abductus viderat ineffabilia verba, & doctrinam illius interim ſcholæ diſcipulus effectus exceperat.* Hucuſque Euſebius.

Euſebius

Sed quid omnes commemorem epiſtolas ? cùm ſola, quã ad Romanos ſcripſit, omnia ferè legis gratiæ myſteria contineat : tam miraque ipſius profunditas ; & altitudo exiſtimabatur ab Auguſtino , vt cùm aggreſſus fuerit illam commentarijs illuſtrare, rei difficultate, & magnitudine retractus, ſicuti lib. 1. Retractionum cap.25. ſcripſit, calamum depoſuit, veritus vt labor eſſet immenſus, & nec minimam myſteriorum partem, quæ in ſublimitate, & profunditate ſcientiæ occultabãtur, detegere, & explicare poſſet. *Cœperam*, inquit, *in epiſtolam ad Romanos, ſed quoniam ſi perficeretur plures futuri erant libri, & ipſius operis labore, & magnitudine deterritus, in alia faciliora deflexus ſum*. Licèt hìc Pauli ſapientiam demirari: ſiquidem Auguſtinus ingeniorum apex ſcientiæ lumen, & clariſsimus doctrinarum Sol, quaſi conſpecta Pauli ſapientia, lucem, ſplendoremque amiſerit, à conſcribendis commentarijs abſtinuit.

D.Auguſt.

Vtinam hoc æui noſtri prædicatores agnoſcerent, Deumque obnixè precarentur, vt obeundo miniſterio ſcientiam ipſis neceſſariam impertiret; & toto pectore incumberent, ad illam proprijs viribus conquirendam, ſicuti Diuum Paulum egiſſe demonſtrabimus. Et quidem, vt taceam naturalium rerum, & Græcanicæ litteraturæ peritiam, in qua admirandum eruditionis ſpecimen præbuit; ita vt apud Gentiles non leuem ſui admirationem excitaret. Vnde licèt Platonis doctrinam propter eximiã grauitatem, ingenij acumen, & ſublimitatem Gentiles venerarentur, teſte D. Chryſoſtomo, magna inter eos erat diſceptatio: an D. Paulus eſſet Platoni anteferendus. *D.Chryſ.* Quod non parùm adiuuabat linguarum omnium donum præſtantiſsimum, quo præ cæteris quantùm ad oſtentionem fruebatur. Vnde in 1. ad Corinth. cap. 14. dicebat: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua* *1.Cor.14*

loquor. Nec Corinthiorum tantùm, ſed Gentium omnium & Nationum, quas adijt linguis loquebatur. Nec his contentus, ad maiora animum adiecit, diuinarum Scripturarum lectioni, & intelligentiæ quàm maximè inſudabat atque adeo ab ineũte ætate ſic in eo ſtudio proficiebat, vt coætaneos ſuos longè ſuperaret. Magiſtrum habuit Gamalielem virum in Scripturis peritiſsimum è cuius ſchola diſcipulus euaſit perfectiſsimus: etenim qua pollebat ingenij dexteritate, & ſolertia iuuante labore, & induſtria facilè comparauit, quantùm naturæ viribus licèt, quæ ad Scripturarum notitiam, & myſteriorum omnium, quæ ibi continentur, agnitionem deſeruire poterant.

§. DECIMVMTERTIVM.

Paulus in ſapientiæ ſublimitate animi ſubmiſſionem retinuit, qua inſtrui, & admoneri libenter ſuſtinebat.

INnata eſt hominum ingenijs, quos ſapientiæ claritudo nobilitat vanitas quædam; vt neminem patiantur monitorem, nec cuiuſquã inſtructionibus, aut correctionibus libenter ſe ſubdant: Ne ſuperiores videantur agnoſcere, quos infra gloriæ ſuæ gradus poſitos deſpiciunt. Hinc ſæpe odia cernes & frequenter iras in pacatiſsimis etiam ingenijs, ſicuti fluminibus ſolet accidere, quæ lentitudine ſua curſum oculis eripiunt, ſi tamen incumbant venti, exurgunt fluctus, & manſuetum illud elemẽtum, quod inſtar ouiũ motus ignorare videbatur, in leoninas ſubitò iras exaſperatur. Quam alium ſe exhibuit noſter Apoſtolus! Pacatum ſemper, humilem, & manſuetum in correctione, admonitioneque inſpiceres. Cũ adhuc lupus eſſet rapax, antequam conuerteretur, ouinam in diſciplina manſuetudinẽ præſtitit. Quid ni, eandem iam mutatus in agnum exhiberet? certè exhibuit, etiam poſtquam Angelicis adſtans choris Doctoris Gẽtium lauream promeruit.

Repeto priorem, antequàm conuerteretur, ſtatum. Proh ſuperi! quàm humilem hìc Paulum Lucas depinxit. *Secus pedes Gamalielis eruditus eſt.* Act. 22. n. 3. ad pedes ſe proijcit, vt audiat præceptorem, ſola humilitas locum hunc deſignaret. O quales vires ex hac humilitate hauſit Apoſtolus! illas (Hieronymo crede epiſtola 113. ad Paulinum) quibus poſtea armatus aduersũ fidei hoſtes acerrimè dimicauit. *Paulus Apoſtolus ad pedes Gamalielis legem Moyſi, & Prophetas didiciſſe ſe gloriatur, vt armatus ſpiritualibus telis poſtea diceret confidenter. Arma noſtræ militiæ non carnalia ſunt, ſed potentia* D. Hier.

Deo ad deſtructionem munitionũ, conſilia deſtruentes. 2. Corinth. 10. num.4. Quin etiam D. Gregorius lib. 5. Commen. in lib Reg. exiſtimat hanc Pauli humilitatem in ipſo diſcendi tyrocinio, ab ipſis magiſtri pedibus gradus conſtruxiſſe, vt è terreno Lycæo, ad cæleſte gymnaſium veheretur: & qui apud homines ſecus Gamalielis pedes erat humilis auditor, inter cæleſtes ſpiritus clariſsimus ſciẽtiarum omniũ Doctor crearetur. *Paulus*, inquit, *vas electionis ante ad Gamalielis pedes inſtruitur, quàm rapiatur in paradiſum, vel ad cæli tertij altitudinem ſubleuetur; & ideo fortaſsè per doctrinam alijs Apoſtolis excellit; quia futurus in cæleſtibus, terrena priùs ſtudioſus dicit*. Hæc ille diſertè ſatis & acutè. Quid enim egiſſe reputas. D. Paulum quandiu ad Doctoris ſui pedes proiectus humiliter docentem audiebat? Niſi quod firma ſubſternebat fundamenta, quibus tantæ magnitudinis moles innitens cælum vſque pertingeret, ibique Deo Magiſtro arcana verba humano ore ineffabilia, & terrigenarum mentibus inacceſſa edoceretur.

2. Cor. 10 num. 4.

D. Greg.

Ipſum conuerſionis articulum tango, & hìc humiliorem Apoſtolum iam inſpicio: Nec miror, vt qui iam proficere incipiebat ad fidem, etiam in humilitate incrementa ſuſciperet. Hoc mihi ſuggerunt verba illa dicentis, *Domine quid me vis facere?* Act. 9. num.7. Non ſatis miratur Auguſtinus hanc voluntatis propriȩ reſignationem, & mentis humilitatem, in qua cœpit, quo aliorum finis eſt, & qua edoceri precatur & iuberi, paratus quidquid præcipiatur incunctàter exequi. Quare Diuus Chryſoſtomus homil. 4. de laudibus Pauli adnotauit, propterea in eius conuerſione lucem voci fuiſſe præmiſſam, vt Paulus radijs illis quaſi fulminibus ad terram depreſſus; & humiliatus verba Chriſti attentè perciperet, & ſuo cordi impreſſa retineret. *Ideo*, inquit, *non eſt allata priùs vox, ſed antea lux eum circumfulgurauit, vt cum ſilentio Chriſti vocem audiret*. Et dum honorifico ibi vocabulo Dominũ eum vocat, *Quis es Domine?* quem non ſatis adhuc internoſcebat, niſi quòd aliqua eſſet ſupra mortalem conditionem Angelica, vel diuina virtus, ſeruum ſe illius quodammodo profitetur. Quod, expreſsiùs deinceps in ſuis epiſtolis toties adſcribere cõſueuit, dum ſe Dei, & Ieſu Chriſti ſeruum libenter appellat. *Seruus namque* (vt ait Rupertus) *propriè dicitur, qui victus bello cùm poſſit occidi pro ſola victoris voluntate ſeruatur, & proindè proprius eius à quo vita donatus eſt. Cuius rei non immemor Paulus in omni vita ſua ſeruum ſe nominat Ieſu Chriſti: quia, videlicet, de bello victum gratia victoris ſeruatum ſe eſſe nouerat*, vt

Act. 9.

D. Chryſ.

Rom. 1. 1 ad Titũ 1 num. 1. & alibi. Rupert.

vt viueret, & viuens ſeruiret, qui occidi omnino potuiſſet. Hæc Rupertus. Præclarè quoque in hoc loco, & homil. de ferendis reprehenſ. Chryſoſtomus. *Quis es Domine? vide* (inquit) *animam Pauli gratam, & beneuolam, vide mentem libertate plenam, vide conſcientiam ſynceram, & incorruptam. Non obluctatur, non contendit, ſed ſtatim agnoſcit Dominum*. Quibus verbis noluit ſignificare Chryſoſtomus, à Paulo Chriſtum benè tunc cognitum, alioquin non interrogaſſet illum: *Quis es, Domine?* Sed agnouiſſe diuinam in eo, quiſquis eſſet, virtutem; & ideo magis ab ipſo voluiſſe intelligere, quiſnā eſſet, quid iuberet, paratum ſe & obſequentem ad omnia futurum. Vt poſtea, & meliùs declarat. *Domine, quid me vis facere?* Circa quæ ſuauiſsimè differentem ſanctum Bernardum ſerm. 1. de con uerſ. Pauli præſtat audire. *O verbum breue* (inquit) *ſed plenum, ſed viuum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione. Quàm pauci inueniuntur in hac perfectà obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant: vt non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine, quid me vis facere?* Sed iam, niſi fallor, hac humilitate ad Ananiæ magiſterium diſponebatur: nam ſtatim à Chriſto admonetur: *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere*. ibid. num. num. 7. Cernis, vt humilitas illa ſequentis magiſterij præludium, meritumque extiterit. Præludit enim ſcientiæ, qui præmittit humilitatem. Cæterùm, *Non ne Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes hominum*, vt dicebat Anna Samuelis mater 1. Reg. 3. Cur ergo ad hominē remittit erudiendum, quem ipſe faciliùs, & pleniùs edocere potuiſſet, & ſicut idem omnium Creator eſſe voluit, & Redemptor; ita etiam & conuerſionis author & conuerſi doctor exiſteret: Ne fortè inter Authorem conuerſionis, & Doctorem ſuum amorem partiretur?

D.Chryſ. — Act. 9. — Act. 9. — D.Bern. — 1. Reg. 3.

Adde quòd iam facti dimidium videbatur peractum, dum ſquamas ab oculis extraxit, vt intraturo cæleſti lumine peruium eſſet iter, quæ quidem Gregorio Nyſſeno atteſtante cordis illius cæcitatem denotabant. *Has*, inquit, *ſquamas ſignum fuiſſe tegumenti, quo cor eius obductum fuerat*. Diuus Gregorius has ſquamas ex oculis cadentes excepit, & vt plurimum ſolet, Tropologiæ adaptauit lib. 35. Moral. cap. 24. vnde hæc excerpo. *Carnalem ſapientiam obdureſcentem aduerſus veritatem, ſeſeque tegumento excuſationis contra vim verbi diuini, aut internæ inſpirationis opponentem, quam ſquamæ dum exciderunt, illam decidiſſe indicarunt in via*

Nyſſen. — D.Greg.

via, cùm vocatus : Saulus reſpondit : Quid me vis facere? Cur igitur promptum iam ad diſcendum, & illuminatum non erudijt, perficiendo quod inceperat? Reſpondet D. Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana in prologo, noluiſſe Deum fieri Pauli doctorem, & magiſtrum, ſed ad Ananiam remiſiſſe edocendum; vt ea humilitas plurimis eſſet exēplo, qui inaniter elati, diabolicisque ſuggeſtionibus decepti, probro ducunt aliorum ſe ſubdere magiſterio. Monet igitur Auguſtinus.

D. Aug. *Caueamus tales tentationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas, magisque cogitemus, & ipſum Apoſtolum Paulum, licèt diuina, & cæleſti voce proſtratum, & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe, vt Sacramenta perciperet, atque copularetur Eccleſiæ.* Eadem habet libr. 2. quæſt. Euangelic. cap. 47.

Gloſſa Ordinaria hanc Dei in erudiendo Paulo diſpoſitionem ad eorum exemplum, & redargutionem deflexit, qui præ tumiditate mentis, nec ex alijs ſciſcitari; nec quemquam habere dignantur magiſtrum.

Gloſſ. Ordin. *Exemplum diſcendi datur, & ſuperbia increpatur, vt nullus alium indignum exiſtimet, à quo doceatur, quod ignorat.* In idem placitum magnus Doctor Caſsianus collat. 2. cap. 15. conſpirauit.

Caſsian. *Miſſum Saulum ad Ananiam, eum illius prius doctrina, quàm ſua inſtrui volente Deo, ne ſcilicèt, quod rectè geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum præſumptionis præberet exemplum; dum vnuſquiſque ſibimet perſuaderet, ſimili modo, ſe quoque debere Dei ſolius magiſterio, atque doctrina, potius quàm ſeniorum inſtitutione formari.* Hæc ille.

Et certè inſtituebat Deus, vt hanc Pauli humilitatem in perdiſcendo imitarētur homines: ideo ſacrarum litterarum cognitionem ænigmatibus, ſeu interrogationibus dubitandi forma compoſitis tanquam eſca obuoluit, vt audiendæ reſponſionis cupiditate ineſcati, ad inquirendum ex alijs humiliter incitarentur, & edocti perdiſcerent, quod marte proprio conſequi non poſſent. Quo non abijt Origenis acumen? ſe ipſo melior, homil. c. 8. in Exod. prærogatiuam hanc agnouit in manna, quod Iſraelitis in catholicæ, cæleſtisque doctrinæ præſagium, & pignus Deus impertiuerat, vt nominis ipſius interpretatio manifeſtat: *Mannu* dixerũt, *Quid eſt hoc?* Exod. 16. num. 16. Exod 16 num. 16

Origen. vbi vides ait, quòd *Ipſa vis nominis ad diſcendum inuitat, vt cum audis legem Dei recitari, inquiras ſemper, & dicas Doctoribus; Quid eſt hoc?* Non minus doctum, & generoſum calamum redolent, quæ ab Authore imperfecti operis in Matthęum hom. 51. ſcripta reperi

D. Chryſ. *Manna, inquit, quod edebatur in eremo figuram*

habebat verbi; ideo dicebatur manna, quod interpretatur, Quid eſt hoc? vt quotieſcunque audiuimus verbum, admoneat nos ipſum nomen inquirere, quid eſt hoc? quod audiuimus.

Iam verò Paulum in tertio humilitatis ſuæ ſtatu inſpiciamus: in eo enim clarior triumphat humilitas. Quippe qui poſt doctoratus lauream in cælo adeptam, poſt tot reuelationes à Deo ſibi in paradiſo factas, magiſtrum à quo edoceretur conquiſiuit in terris. *Veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim*, verba Pauli ſunt, ad Galat. 1. nu. 18. Non abs re dies enumerat, quibus apud Petrum ſe tenuerat; ſed vt hac ratione ſignificaret, quod in epiſtola ad Paulinum ſcripſit D. Hieronymus, quantùm pro miniſterij ſui inſtructione ex illa Petri cohabitatione proficeret. *Hoc enim*, ait, *myſterio hebdomadis, & Ogdoadis futurus Gẽtium prædicator inſtruendus erat.* Ergo dum Paulus quærit Petrum, & apud eum dies quindecim immoratur, diſciplinæ, inſtructionique intendit, aptiſſimus ſignificando myſterio numerus inuenitur: qui quidem ex hebdomade, & Ogdoade, hoc eſt ſeptenario, & octonario coaleſcit, in quibus ex Eraſmi ſententia, Vetus, nouaque Lex erat ſignificata: & in vtriuſque ſcientia per illos dies Paulus erudiebatur.

Galat. 1. num. 18.

D. Hier.

Nec mireris Paulum doctrinæ à terreno præceptore capiendæ mancipatum: licèt enim vas eſſet electum ſcientiæ plenitudine refertum, & Gentium Doctor iam creatus: Petrum adibat, & conſulebat ſupremum Eccleſiæ caput, & Paſtorem. Illud mihi admirationem inijcit, quòd tranſactis quatuordecim annis, cùm iam emeritus videbatur, cum alijs Apoſtolis Euangelium contulit, ſicut ipſe cap. 2. epiſtol. ad Galat. num. 2. commemorat. *Ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet.* Et quidem iſta Euangelij collatio videtur arguere Paulum non ita perfectum Doctorem, & ſcientia conſumatum extitiſſe: alioquin, quam ob cauſam ex alijs ſciſcitabatur, & diſcere cupiebat? Sed proh laudandam humilem Apoſtoli prudentiam, prudentẽque humilitatem! Qui vt humilis appareret, minus ſapiens exiſtimari non dubitauit. Magni hoc fecit apud Caſſianum coll. 2. c. 14. Abbas Moyſes, qui inſuper eos arguit, ſic vanitate elatos, vt quia ab alijs conſilium capere recuſant, ſuo frequentiſſimè decipiantur. *Quis ergo tam præſumptor, & cæcus ſit, qui ſe audeat ſuo iudicio, ac diſcretioni committere: cùm vas electionis indiguiſſe ſe Coapoſtolorum ſuorum collatione teſtetur?*

Galat. 2. num. 2.

Abbas Moyſes.

Hinc eſt illud Tertulliani monitum lib. 4. contra Marcionem, vbi Apoſtolicæ gratiæ concionatores

tores exhortatur, ne ab Apoſtolorum doctrina diſcedant: & rationem reddit aptiſsimam: *Quoniam prædicatio diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio; ſi non aſsiſtat illi authoritas magiſtrorum: immo Chriſti, qui magiſtros Apoſtolos fecit*. Statimque de Paulo locutus, quem Lucas habuit præceptorem, hæc ſubiunxit: *Si illuminator Lucæ, authoritatem anteceſſorum, & fidei, & prædicationi ſuæ optauit: Quanto magis eam Euangelio Lucæ expoſtulem, quæ de Euangelio magiſtri eius fuit neceſſaria?* Hæc ille, ex quibus rectè perpenſis euidẽter colliges, quàm damnandi ſint, qui omni Authorum præſidio deſtituti, ad alios inſtruendos inſiliunt: quando Lucæ Euangelium authoritate Pauli, & huius prædicatio Apoſtolorum collatione, & aſſenſu opus habuit. O periculoſa temeritas! cur audes ſola, quod Paulus minimè auſus fuit? Cur nullo magiſtrorum ſuffulta præſidio docendi munus vſurpas? Cum ij, quos Chriſtus Doctores Orbis inſtituit, prædicationi ſuæ Coapoſtolorum authoritatem cooptauerint.

Tertull.

§. DECIMVMQVARTVM.

Non ſolus Paulus in capienda ab alijs doctrina præiuit, ſed etiam Petrus eodem præluxit exemplo.

Non præiuit ſolus in hoc humilitatis exemplo noſter Paulus, ſocium ſe illi adiunxit Petrus. Quid ni? hoc exigebat harmonia, vt par vtrinque concentus ederetur. Cerne Petrum Chriſti vicarium, fidei normam, Eccleſiæ Doctorem, & Paſtorem, audi quod arcana, & myſteria ex Dei Patris reuelatione acceperit, & propterea Beatus Chriſti Domini teſtimonio prædicatur: *Beatus es Simon Bar-iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Matth. cap. 16, num. 17. Et tamen cùm tantus, ac talis eſſet, tamque magnifico inſignitus foret beatitatis elogio, & vehementi deſiderio æſtuaret proditorem agnoſcendi, magiſtrum non auſus eſt in vltima cœna rogare, vt ſibi detegeret: ſed dilecto innuit Ioanni, vt ex magiſtro quæreret, & ipſi aperiret; *Quis eſt de quo dicit?* Cur ò Petre Chriſtum deproditore non rogas? Cur patronum, & interceſſorem quæris dilectũ? Quis certius deteget criminis reum, quàm ille qui dixit, *Vnus ex vobis tradet me?* Ioannes etiã hoc ignorat: Cur ex ipſo ſciſcitaris? non interroges diſcipulum;

Matt. 16 num. 17.

Ioan 13. num. 24.

num. 21

vbi

vbi adeſt magiſter: Nam & Ioannes vt tibi reſpondeat, ex Præcepto quærit, *Domine quis eſt*; num.25. D. Thomas in hoc loco cenſet Petrum, ideo palam de proditore magiſtrum non interrogaſſe, ne data reſponſione publicum euaderet traditoris delictum. D.Thom. *Petrus*, ait, *nolebat quod Dominus hoc publicè manifeſtaret, ita vt alij poſſent audire*. Perbellè dictum: nec minus venuſtum eſt, & aſſimile, quod Chryſoſtomus, & Theophilatus tradiderunt, videlicèt Petrum gladio petiturum traditorem ſi illum agnouiſſet. Tam impenſe Christum adamabat. Quod etiam placuit D.Thomæ, illius verba ſunt. *Ita feruidus in amore Christi erat Petrus, quòd ſi pro certo ſciuiſſet Iudam fuiſſe Chriſtum traditurum, ſtatim occidiſſet eum*. Vtrumque ex amore, diuerſo tamen aſpectu euenire poterat.

Cæterùm quod attinet ad noſtrum inſtitutum illa mihi ratio videtur aptiſſima, quare Petrus non Chriſtum, ſed Ioannem de proditore interrogauerit, nimirum, quia humilitatem impenſius diligebat, in eaquè virtute magiſtri ſui, & Saluatoris noſtri imaginem ſtudebat referre, ipſiusque exemplum in abluendis diſcipulorum pedibus paulò ante datum æmulari, & ideo ætate effœtus adoleſcentem, dignitate præſtantior condiſcipulum, & ſubditum, mox futurum: quaſi minus ipſe apud Saluatorem valuiſſet, interrogat, vt de proditore certior factus ipſi manfieſtet. Hanc Apoſtolorum Principis humilitatem ponderauit doctus quidam Neotericus: Do ipſum ita eleganter diſſerentem. *Qui eum paulò ante Chriſtus Dominus ſingulare humilitatis exemplum præbuerit diſcipulorum ſuorum pedes abluendo, imitari eum voluit diſcipulus, quoad potuit. Pedes non lauit, ne actum ageret. Apoſtolis non miniſtrauit, quia Chriſtus Dominus totum ſibi miniſterium vſurparat. Ad pedes ſingulorum Chriſti manibus conſecratos venerabundus non procubuit, quia parū hoc eſſe ſibi videbatur. Quid ergo egit? quantum præſtare potuit humilitatis exemplum, tantum præſtitit, ſenex iuuenem, diſcipulus condiſcipulum interrogauit*. Mendoza tom. 1. in lib. 1. c. 3. An notat. 5. ſect. 2. in fine. Hactenus ille.

Hoc Petri magiſterium, & humilitatis exemplum, quod tam, ipſe, quàm etiam Paulus interrogando, ex alijsque perdiſcendo præbuerunt: æui ſui non pauci, & poſterioris plurimi, & inſignes magiſtri ſunt amplexati. In ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio magna nominis celebritate claruit Apollo ob vitæ integritatem, & ſcientiæ præſtantiam æuo illo notiſſimus; de illo meminit ſanctus Luc. in Actis Apoſtolorum cap. 18. num. 24 & 25. *Vir*, inquit, *eloquens, & potens in ſcripturis: hic erat edoctus viam Domini*, Act 18.

mini, & feruēs ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Ieſu. En qualem nobis Lucas ſuũ Apollinem depingit: non ſicut alterum pharetris, & arcu inſignẽ viridique iuuenta decorum, poëtæ mentiuntur, ſed diuinis litteris eruditum, ſapientia clarum, ætate maturum, Euangelij magiſterio venerandum. Vidiſti quàm magnum, cerne rurſum quam paruum, & humilem ſe oſtendit: etenim Priſcillæ, & Aquilæ de media plebe, notaque inferiori ſe tradidit, vt ab ijs erudiretur, exactèque ediſceret omnia, quæ ad Dei legem nouam pertinerent. *Quem cùm audiſſent Priſcilla, & Aquila aſſumpſerunt eum, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini.* Quis non miretur? Ex communi grege homines legis ſcientia præcellentem virum aſſumunt, ſeque ei magiſtros exhibent, & erudire pollicentur, & ipſe obtemperat, nec reſpuit doctrinam: quinimo libenter ſuſcipit, & humiliter edocetur. Magni hoc fecit D. Hieronymus, & epiſt. 140. ad Principiã, ni fallor, admirabundus, ita fatur. *Virum Apoſtolum, & in lege doctiſſimum Aquila, & Priſcila erudiunt, & inſtruunt, cum de via Domini!* Et licèt Diuus Hieronymus priùs meminerit Aquilæ, quàm Priſcillæ facit textus primùm appoſuit fœminã, & deinde virum, vt vel hinc Apollinis clareret humilitas, qui fœminæ magiſterium non dedignabatur, quin etiam nec virum voluit habere præceptorem, niſi priùs à doctrice fœmina inſtrueretur, & hac præuia humilitate capacitatẽ ad percipienda, quæ doceretur, obtineret.

D. Hieron.

Falleret hoc loco hominum exiſtimatio, & mutatis vicibus crederet vulgares homines à viro doctiſsimo inſtruendos, non verò illorum ſuſcepturum doctrinam, in qua fortè diſcipulos habere poterat, quos ſuſtinebat præceptores: diſcit tamen Apollo, monitum illud obſeruandi ſtudioſus, quod poſtea tradidit Petrus Damianus lib. 2. epiſt. 14. prope finem. *Meliùs certe eſt Doctoribus à diſcipulis diſcere, quàm ſuperbè, quæ recta ſunt ignorare. Honeſtiùs eſt maiori, vt quæ neſcit addiſcat, quàm quæ diſcenda ſunt neſciat; O glorioſa virtus humilitatis, per quam homo verè diſcipulus efficitur Saluatoris.* Hęc ille, nouerint, adamuſſimque obſeruent non ſolùm prædicatores, & magiſtri, ſed etiam ſpiritualis vitæ ſectatores, vbi maius eſt periculum, damnoſiorque ſuperbia, niſi à viæ huius naucleris dirigantur. Quapropter ſummopere expedit, vt quos ſpiritualium parentum loco habent, ſæpiùs adeãt humiliter conſulant, ab ijſque inſtrui, & regi patienter ſuſtineant: alioquin ſine inſtructionis, & diſcretionis fræno per viã ſpiritualem currentes aberrabunt, & turpiter prolabentur. Et quidem non

Pet. Dam.

non ęgrè ferendum eſt, vt qui magiſterij prærogatiua inſignitur: nō nunquam à diſcipulo, quæ ignorat edoceatur. Cùm etiam homo ad formicam vile, abiectiſsimumque animalculum erudiendus remittatur: vt in Prouerbijs Salomo-
Prou.6. num.6. nis cap.6.num 6.habetur. *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.*

Quod ſi magiſter à diſci[illegible], vir ab animalculo edoceri fo[illegible] erubeſceret, inhoneſtam hanc verecundiā abſtulit ſumma Dei Sapientia ſuo exemplo hominem inſtruens, vt quæ ignorat interroget: cùm & ipſe, cuius oculis nuda omnia ſunt, & aperta, nec quidquam diuinæ mēti ſit imperuium, multoties in ſacris litteris quaſi ignorās aliquid interrogaſſe deſcribatur. Ex Adamo inqui-
Geneſ.3. ſiuit Geneſ.3.n.9. vbi eſſet: Abrahamum de vxore Sara interrogat.
Geneſ.18 Geneſ.18.num.9. ex Moyſe quærit: *Quid habes in manu tua?*
Exod.4. Exod.4. num 2. Iſaiam conſulit. *Quem*, inquiens, *mittam, & quis ibit nobis?* Ieremiam rogat quid
Ierem.1. videret cap.1. nu.11. Eliam quid
3 Reg.19 ageret 3.Reg.19.num,10. Dæmonem vnde veniret, apud Iob c.1.
Iob 1. num.7.& paſſim alibi Deum ſimilibus vtentem interrogationibus reperies. Cæterùm ſciſcitaris, quam ob cauſam Deus, cuius infinita ſapientia, abditiſsima quæque & nimium abſtruſa pertingit, hanc ignorātis ſpeciem præſeferre non dedignatur, quaſi vellet Creator edoceri à creatura? Neotericum ſupracitatum aptiſsimè in rem noſtram reſpondētem auſculta. *Ne homines*, inquit, *interrogare erubeſcant, quæ ignorāt. Nam ſi Deus ſcientiarum Dominus etiam quæ notiſsima, & exploratiſsima habet, interrogare non dubitat, quis nos inurbanus, & ſub ruſticus pudor ab interrogandis, quæ ignoramus auocabit?* Ita ille.

Quid? Ipſamet Dei ſapientia Diuinus Saluator non ſemel in Euangelicę hiſtoriæ ſpeculo nobis repræſentatur interrogans. Lucam adi cap.2.& ibi cum duodenis eſſet, ab ipſoque conceptionis inſtāti perfectiſsimam haberet ſciētiam, & eandem, qua nunc in cęlo fruitur, inter Doctores interrogantem, & audientem inſpicies.
Inuenerunt illum in medio Docto- Mend.2. in lib. 1.
rum audientem illos, & interro- Reg.c.3.
gantem eos. Quo in loco pruden- Ann.1.8
ter aduertit Origenes, voluiſſe ſect.1.
Chriſtū ætati ſuæ deferre; & ideo quamuis Doctorum Magiſtrum ſe præbere potuiſſet, diſcipulus apparere non erubuit: prædicatores inſtruens, vt quamuis ſcientia polleant, iuſtum ætatis tempus expectent, nec ante maturitatem ad prædicandum inſiliant, contenti interim pleniùs inſtrui, & perfectiùs edoceri; Saluatorem noſtrū imitati, qui ab anno trigeſimo prædicationem ſuam fuit auſpicatus, & totum quod præceſſerat tempus admirando ſilentio tranſegerat. Sed iam Origenes: *Quia*

par-

Digitized by Google

paruulus erat inuenitur in medio, non eos docens, ſed interrogans; & hoc pro ætatis officio, vt nos doceret, quòd pueris, quamuis ſapiẽtes, & eruditi ſint, conueniret, vt audiant potiùs magiſtros, quàm docere deſiderent.

Vis aliud doctrinæ huius documentum, & magis admirandũ? Lege quid Marcus c. 13. num. 32. ſcribat. Cupiebant Apoſtoli extremum magni iudicij diem præſcire, Chriſtum, vt prodat, efflagitant. Quid cæleſtis magiſter? Marc. 13 Reſpondit: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius niſi pater.* Mirum dictu! diem illum ignorare ſe dicit, quem nullus tranſit, vtpote qui Dei ſapientiæ theſaurus eſt opulentiſſimus. Magnum hìc latet Sacramentum. D. Ambroſius lib. 5. de fide cap. 8. hanc diei ignorantiam, quam hìc oſtendit Dominus Ieſus, immenſæ ipſius bonitati adiudicauit: Quippequi, ne quod à diſcipulis rogabatur, denegare videretur, ignorantiam D. Amb. oſtendere potiùs elegit. *Maluit Dominus*, inquit, *nimio in diſcipulos affectu propẽſus videri ignorare, quod nouerat, quàm negare.* Ita ille: & quidem tantùm apud Dominum valebat amor, vt alia longè difficiliora (ſi tamen quidquam difficile amor reputat) ne dum ignorantiæ ſpeciem, ſeu figuram induere ſuaderet. Aptius tamen eſt pro re nata quod ſubiungit idem Ambroſius, videlicèt Chriſtum Dominum ignorantiam, quam non habebat oſtẽdiſſe diſcipulis, vt eos, & in ijs nos omnes edoceret, vt qui verè ignorantes ſumus, ab alijs diſcere, & interrogare damnabili pudore retracti minimè vereamur. *Plus*, inquit, *amat noſtram vtilitatem inſtruere, quàm ſuam potentiam demonſtrare.* Pulchrè ſanè: vnde & tu non tam ambias opinionem, quàm doctrinam, & plus humilitatem dilige, qua ex alijs tibi ignota interroges, quàm ſuperbiam, qua vt ſapiens videaris, alios habere magiſtros dedignaris. Ægerrimè quidem ferebat D. Hieronymus multorum inſignem impudentiam, qui veritatem hanc adeo manifeſtam, & doctrinam Chriſti exemplo, authoritateque firmatam cùm agnoſcant, tacere non norunt, & quæ nunquam didicerint, temerè & incõſultò proferre non ceſſant. Illos igitur epiſtola 8. ad Demetriadem ita arguit: *Cum loqui* D. Hier. *neſciant, tacere non poſſunt, docentque ſcripturas, quas non intelligunt, & cùm alijs perſuaſerint eruditorum ſibi aſſumunt ſupercilium, prius imperitorum magiſtri, quam doctorum diſcipuli.*

Sed quæ nam dicendi, & docendi iſta prurigo eſt, quam nec aufert periculum, nec corrigit exemplum, veterumque magiſtrorum humilitas moderatur? Audiãt quotquot hæc tangit ſca-

bies

bies, D. Bernardum epiſtola 190. ad Innocentium Papam contra Abaylardum hæreticum, iuſta ira excandeſcentem, eò quòd impius ille Nouator neminem conſulere, nec audire dignabatur: Quinimò inſigni arrogantia, illud pro magno reputabat, quod ſolus ipſe quæ proferebat opinaretur. *Omnes quidem ſic, ſed non ego ſic.* O pertinaciam, vel potius fatuitatem iure optimo damnandam! Argutè expoſtulat cum arrogāte, & temeritatis pleno ſanctus Abbas. *Omnes ſic*, dicis impie, *Sed non ego ſic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid ſubtilius inuenis? Quid ſecretiùs tibi reuelatum iactas, quod tot præterierit ſanctos, effugerit ſapientes? Aquas furtiuas, & panes abſconditos puto opponet nobis iſte. Magiſter Gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magiſter omnium ſuam doctrinam fatetur non ſuam: Non enim, ait, à me ipſo loquor. Tu verò de tuo nobis tradis: & quod à nemine accepiſti. Qui loquitur mendacium de ſuo loquitur. Tibi proinde ſint, quæ tua ſunt: ego Prophetas, & Apoſtolos audio, obedio Euangelio; ſed non Euangelio ſecundum Petrum Abaylardum. Quintum Eccleſia Euangeliſtam non recipit*: Hæc ille, aſpera quidem, & acida, ſed ad confricandam Abaylardi ſcabiem oppidò accommodata. D. Bern.

Dignum animaduerſione arbitror monitum illud Pauli, ad Timoth. epiſtol. 1. cap. 3. num. 2. vbi cùm dixiſſet: *Oportet Epiſcopum Doctorem eſſe*: in 2. epiſtol. ad eundem cap. 2. num. 25. addidit, *Oportet Epiſcopum docibilem eſſe*. Nec contraria reputes, vt Doctor ſit Epiſcopus, & docibilis, vt erudiat, & edificat: Germana quippe ſunt iſta, & eodem partu enaſcuntur. Ille Doctor euadit præſtantiſſimus, qui diſcipulum, quandoque fieri genuina docilitate non verecundatur. Nec ſi rectè ſapis Doctorem eſſe, & docibilem ab Epiſcopo ſeparabis. Hinc D. Auguſt. lib. 4. contra Donatiſtas cap. 5. ex Cypriani ſententia. *In Epiſcopo*, ait, *diligendum eſſe non ſolùm, vt ſcienter doceat, ſed etiam vt patienter diſcat*. Nec diſſimilia ſunt, quæ lib. 5. contra eoſdem c. 26. ſcripſit, *Ille Epiſcopus melius docet, qui quotidie creſcit, & proficit diſcendo meliora*. Ita ille. Et ætatum omnium ſapientiſsimus Eccleſiaſtes Salomon. *Cor docile* poſtulabat, 3. Reg. cap. 3. num. 9. *Dabis ſeruo tuo cor docile*, hoc eſt, cor facilè vt doceatur. Ex Hebræo legeres, *Cor audiens*, & Græcum tibi redderet. *Cor ſapiēs*: vtrumque bellè, quoniam docilitas, & ſapientia fæliciter maritantur in corde; illeque verè ſapiens euadit, qui ad audiendum, & perdiſcendum facilem ſe præbet. Idcirco idem Salomon librū Eccleſiaſtes huiuſmodi clauſula

1. ad Timoth. 3.
2. ad Timoth. 2.
D. Aug.
3. Reg. 3.

Eccleſ. 12. n. 13 ſula terminauit, *Finem loquendi pariter omnes audiamus*. Ibid. cap. 12. num. 13. Sed cur omnes ad audiendum inuitat, & dicit, *Omnes?* Fortè, vt quem hactenus alij oratorem, Eccleſiaſtemque audierant, modò quaſi rudimentarium cernerent auditorem? Non dubito, qui noui optimè dictum à Clemente Alexandrino
Clemens Alexan. lib. Stromatum. *Docens aliquis plus diſcit, & diſcens, & ſæpè vna audit cum ijs, qui ipſum audiunt*. Hinc D. Paulus ad Epheſ. cap. 4. num. 11. recenſens dignitatum gradus, quos in Eccleſia Deus conſtituerat, Doctores in
Ephes 4. poſtremum locum reiecit: *Ipſe*, inquit, *dedit quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*. Vltimus certè locus diſcipulis aſsignandus videbatur, non Doctoribus: cur igitur hos in poſtremo collocat? Erudire, ni fallor, Doctores volebat, & magiſtros; vt crederent tunc præſtantiores in doctrina futuros, cùm non ſolùm docendi cathedram, ſed perdiſcendi ſcamna vſurparét, & alterna viciſsitudine è Doctoribus tranſirent in auditores.

Quàm benè hoc nouit ſanctus Ambroſius, cuius eſt illud deſiderium, & perdiſcendi ſtudium, cùm iam Doctorem maximum
D. Amb. mundus ſuſpiceret. *Diligentiam*, ait, *circa ſcripturas diuinas opto aſſequi, quam vltimam poſuit Apoſtolus inter officia Sanctorum, & hanc ipſam, vt ſtudio docendi poſsim diſcere.* Eandem retulit ingenuitatem in addiſcendo ſanctus Auguſtin. ingeniorum ſplendor. epiſt. 75. quam refert text. in c. Si habes 24. q. 3. vbi ſic: *Senex à iuuene, Epiſcopus tot annorũ à collega nondum anniculo paratus ſum doceri*. Item alibi: *Si poſſes*, ait, *me docere, quod ignoro, libentiſſimè te ſufferrem, non ſolùm verbis increpantem, ſed etiam verberibus caſtigantẽ*. Quo quid fortius efferre potuiſſet, vt vehemens quo perdiſcendi tangebatur deſiderium ſignificaret? Idem etiam in D. Hieronymi pectore exardebat, non ſolùm in ipſo vireſcentis ætatis calore, ſed etiam extrema ſenectute, vt in epiſt. 65. ad Pamachium, & Oceanum teſtatur. *Iuuenis miro diſcendi ferebar ardore, nec iuxta quorumdam præſumptionem ipſe me docui*, Hoc iuuentę exultantis ſtudium: quale effœta iam in ætate viguerit, ipſius Hieronymi calamo graphicè depictũ videamus. *Iam canis*, inquit, *ſpergebatur caput, & magiſtrum potius, quã diſcipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam audiui Didymum, & in multis ei gratias ago, quod neſciui didici, quod ſciebam, illo docente, non perdidi. Putabant me homines finem feciſſe diſcendi: Veni rurſum Hieroſolymam, & Bethleem. Quo labore? quo pretio Parrabanum no-*

D. Aug. (margin) D. Hier. (margin)

ſtur-

ſturnum habui præceptorem ? timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum. Hæc ille, quæ quanto legent pudore magiſtri, & prædicatores illi, quibus cura eſt, officiumque docendi, nec tamen humilitatem habent, vt diſcant, & quæ ignorant alios interrogent. Hieronymum iſti reſpiciant, Auguſtinum, Ambroſium, Apollinem, & alios doctrina præſtantiſsimos, quos anterior ætas diſcipulos pariter mirata eſt, & præceptores. Quin immo & ipſum vas electionis Paulum, & Eccleſię Principem Petrum in hac parte imitentur, quorum humilitatis exemplum inuitat ad diſcendum, quæ planè ignorant, ſicuti duo Eccleſiæ lumina didicerunt, interrogando non ſemel, & inquirendo, quæ ignorabant. Quid? Dominus Ieſus Patris ſapientia, hoc humilitatis præluxit exemplo ignorantiā quandoque prætendens, & interrogans: Etiam Deus ipſe, vt vidimus, quærens ex hominibus nonnunquam memoratur, vt quotquot hæc meminerint pudorem abijciant, & quæ ignorant ex alijs etiam inferioribus diſcere, illosque humiliter interrogare nequaquam vereantur.

§. DECIMVMQVINTVM.

Pauli doctrina humilitate perdiſcendi inſignis, mira claruit fœcunditate.

MAgnam fructuum vbertatem ex larga, profuſaque doctrinæ ſeminatione præſagire in promptu erat. Sicut enim parce metit, qui in ſeminando parcus extiterat; ita fœcundiſsimam habet ſegetem, & confertiſsimos colligit manipulos, qui ſemen liberaliter ſparſit. Quid ergo mirū, ſi tam vberes ex prædicatione ſua fructus noſter collegit Apoſtolus? Quippequi velut alter Triptolemus ſapientiæ curru aurigāte charitate euectus, non frugum ſemina, ſed vitæ cæleſtis documēta, fidei dogmata, & legis nouæ ſalubria totum per Orbem, præcepta diſperſit: & breui tempore Nationes multitudine pene infinitas, immani barbarie efferatas, atque ab humano cultu, Religione, & Dei obſequio alienas Euāgelij ſuauitate demulcit, & ab infælicibus vepretis, & ſaltibus in Domini caulas, gregemque traduxit. Miratur D. Chryſoſtomus homil. 4. de laudibus Pauli, copioſam hanc fructuum multitudinem. *Etenim homo*, inquit, *ignobilis, abiectus, & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progreſſus eſt, vt vix triginta annorum ſpatio Romanos, & Perſas, & Parthos,* D. Chriſ.

&

& *Medos, & Indos, & Scythas, & Aethiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorſus hominum genus ſub iugum mitteret veritatis*. Hæc ille. Verùm non poſſum non admirari, cur tot enumeratis mundi Regionibus, Hiſpaniam tacitus præterijt, inter alias Europæ partes nobiliſsimã? cùm etiam ad illam, quamuis in extremas occidẽtis Orbis plagas reiectam, Sol iſte ſplẽdiſſimus doctrinæ ſuæ radios emiſerit, ampliſsimamque fidei ſegetem collegerit, vt indubitanter affirmat S. Anſelmus in cap. 25. & 28. in epiſt. ad Rom. *Peruenit igitur vſque ad Hiſpanias, & à mari Rubro, vſque ad Oceanum prædicãdo cucurrit, imitans Solis curſum ab Oriente, vſque ad Occaſum: vt antea terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi*. Hæc ille, quæ, ni fallor, à D. Hieronymo fuit mutatus ad c. 5. Amos, vbi ita fatur: *Paulus Apoſtolus vocatus à Domino, effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium ab Ieruſalem, vſque ad Illyricum, & ædificaret non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatũ: Sed vſque ad Hiſpanias tenderet, & a mari Auſtro imò ab Oceano, vſque ad Oceanum curreret, imitans vtique Dominum Deum ſuum, & iuſtitiæ Solem, de quo legimus: A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius; vt ante Paulo terra deficeret, quam ſtudium prædicandi*. Hactenus ille. Verè ſolicitus doctrinę cęleſtis agricola Paulus extitit, qui fructus colligendi ſtudio nullam terræ particulam reliquit otioſam, & ideo plures ille manipulos, quàm cæteri, in Chriſti horreum congregauit.

D. Hier.

Et verò de ipſius in Hiſpaniam aduentu conſtans eſt, & ferè omnium Patrum communis ſententia, qui Diuum Paulum à primis Neronianis vinculis ſolutum, in Hiſpaniam veniſſe teſtantur, eamque Euangelicis inſtitutis, & miniſtris ornaſſe, atque imbuiſſe. Cuius aduentus tam multa adhuc ſuperſunt indicia, vt omnem ferè dubitationem auferant: Nedum quòd ipſemet Apoſtolus cap. 15. epiſtolæ ad Romanos, ſemel atq. iterum Hiſpaniam adire pollicetur. *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos*. Et paulò inferius: *Hoc igitur cum conſummauero, & aſſignauero eis fructũ per vos, proficiſcar in Hiſpaniam*. En habes in Hiſpaniam proficiſcendi promiſsionem. Quòd autem illam poſtea compleuerit, indicijs probo, & monumentis ab ea tempeſtate in præſens, vſque æuum permanentibus. Tortoſæ in Catalonia conſtanti illius Eccleſiæ traditione creditur Paulum ibi fuiſſe, in eaque ciuitate Ruffum Simonis Syrenæi filium in Epi-

Rom. 15.

Anton. Beuter. ſcopum cooptaſſe teſtatur Antonius Beuter lib. 1. cap. 1. Interiorem deinde Hiſpaniam penetrauit; ibique apud Viennenſes in Oppido Lucronienſi vrbi vicino Dianæ templum magnificè extructum diſsipauit, & Oraculum à Gentilibus frequentiſsimè in eo conſultum extinxit: atque in honorem Sancti Michaelis Archangeli in mediocri cliuo Septentrionem verſus Baſilicam ædificauit, vt Autor eſt Ioannes de Armar. lib. Antiquit. Epiſcop. Calaguritani, & conſtanti Vienneſium traditione firmatur. Apud quos antiqui lapidis titulus, vel temporis iniuria, vel oppidanorum incuria poſtea demolitus viſebatur, in quo verſus paſsim, & vulgò à prætereuntibus legebatur.

Armar. *Saulus præco crucis, fuit nobis primordia lucis.*

Nec verò loca tantùm hactenus memorata percurrit, ſed vniuerſam Hiſpaniam peragrauit. Non leui ducor coniectura: Cùm enim impellente charitate, omnes Aſiæ angulos perluſtrauerit, Græculos quoſuis Euangelicis inſtitutis imbuerit, vtpote, qui amoris incendio agitatus quieſcere non poterat: & ideo teſte Diuo Chryſoſtomo in Procemio in epiſtolam ad Romanos, quaſi alis præditus eſſet locis o nn bus celerrimè aſsiſtebat quietudinis impatiens. *Qui quidem*, ait, *veluti volatilis præ charitate effectus, omnes aſſiduè circumibat; nuſquam manens, nuſquam ſtans*. D. Chryſ. Nec illum ita circunferebat videndi ſtudiũ, inaniſque, vt in alijs accidit, curioſitas, ſed vehemens, accenſumque deſiderium doctrinam Euangelicam diſſeminandi, vt vberrimos ex prædicatione fructus colligeret. Quod idem Chryſoſtomus homil. 34. in Geneſ. graphice depingit. D. Chryſ. *Feruidus Christi amator, & quaſi alatus in vniuerſo Orbe currens, in corpore incorporea facere ſtudens: Clamabat dicens: Charitas Christi vrget nos*, 2. Corinth. cap. 15. num. 14. Cùm igitur hæc charitas vrgeret tot aliarum Regionum loca peruadere: Qua ratione fieri poterat, vt feruorem ſuum in Hiſpania remitteret, & ipſum permitteret aliquo loco tantiſper quieſcere; quominus omnes Hiſpaniarum Prouincias perluſtrauerit? Vtramque, ſcilicèt, Caſtellam, Eſtremaduram, Beticam, & ſingularum loca præcipua, videlicèt Hiſpalim, Cordubam, Toletum. Nec præcipua tantùm, ſed etiam minora præſertim antiqua, & Romanorum fundatione erecta: cuiuſmodi in tota Hiſpania frequenter plurima, & notatu digniſsima viſebantur. Inter omnia celeberrimum extat oppidum Almadem, vbi inſignis ille argenti

genti

genti viui puteus reperitur quem multis retro ſæculis prius quàm Dei verbum humanitate veſtitum appareret, ijdem Romani detexerunt. Et iam ab illo æuo propter incredibilē argenti viui abūdantiam, & copiam inexhauſtam in præſens vſque perſeuerat, & ni fallor, ad mundi finem perennabit.

De hoc puteo, vt multorum tenet ſententia loquitur præcipuè ſacer textus, 1. Machab. c. 8. egregia Romanorum facinora commemorans. *Et quanta fecerant in Regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtatē redegerunt metalla argenti, & auri quæ illic ſunt.* Eſt igitur oppidum hoc *Almadem*, in Toletana Diœceſi ſitum, Cordubæ tamen vicinius, loco *Chilon* valdè proximum, vbi Monaſterium Seraphicæ Religionis, Almæque Angelorum Prouinciæ pietate, & Religione obſeruandum proſpicitur. Ex alia parte conterminum eſt *Almaden* oppido, quod dicunt, *Agudo* (patria mea eſt) Maioris, quam dicunt, Encomindæ equitum de Calatraua, capiti dignifsimo. Proh quam optauerim, vt minimos eorum locorum vicos, & angiportus ſacratis pedibus ſanctificaret Apoſtolus, benignifsimo afflaret aſpectu, & ſaluberrimo oris influxu fælicitaret; vt Noſtrates oppidani in ſe ipſis experirentur, quam verè illud à Diuo Chryſoſtomo dictum fuerit in Prœmio epiſtol. ad Romanos. *Diuina illa anima vniuerſum terræ Orbem circumplexa erat, & in ſe ipſo circunferebat omnes: omnes amabat ſic, vt ſi genuiſſet: quin potius maiorem præſeferebat charitatem, quam quiuis pater.* Hæc ille: quibus non abſimilia tradit, homil. 1. de Laudibus Pauli immenſam prædicationis ipſius ſegetē, & fructus vberrimos recenſens. *Statim*, inquit, *Orbem vniuerſum ſtuduit offerre, qui terram, ac mare Græciam, & Barbariem, omnemque prorſus, quanta eſt ſub cælo, Regionem, quaſi volitans circumiuit: non ſimplici labore veluti inuacuum itinera percurrens, ſed peccatorum ſpinas euellens, & verbum ſeminans pietatis: ex hominibus Angelos faciens: quinimmo ipſos homines quaſi ex Dæmonibus in Angelos prouehens.* O qualem metamorphoſim, quam admirandam hic cerno rerum mutationem. Homines in Angelos permutauit. Quid ni? amabat, nec ſolum amabat, ſed quouis parente feruentius diligebat; & ideo ſic dilectos immutabat.

1. Mach. cap. 8.

D. Chryſ.

Quàm benè charitatem aurum alius dixit magiſtrale; quia cuncta quibus imiſcetur in aurum transformat. O quales in *Almadem* mutationes Pauli ederet immenſus amor ſi ibi adfuiſſet? Et ni fallor adfuit; ita enim ardens Apoſtoli zelus mihi perſuadet. Cur loca non adiret, quæ vo-

lando facile penetrare potuiſſet? Alatus namque erat, vt iam diximus ex Chryſoſtom. Et idem penè ſenſiſſe videtur Petrus Damianus Opuſcul. de picturis Apoſtolorum cap. 2. vbi ita: *Ipſe quippe quàm valida charitate flagrat: tam nimia ex locis ad loca ſe vagatione permutat; Tranſire ad alia ex alijs appetit, quia ipſius eum, quam implet, ſtimulus charitatis impellit.*

Petrus Damianus.

Hanc percurrendi velocitatem à Damiano commendatã, in Hiſpania præſertim Apoſtolus exercuit: quoniam in ea Orbis parte admodum præcipua, imperioque præpotenti, Chriſti fidem, & Religionem catholicam ſtudioſius amplectendam, & ſempiternam ibi ſedem habituram prænidit; Ideo, ni fallor, ad Romanos ſcripſit cap. 15. Euangelium prædicaſſe, vbi nunquam fuerat prædicatum. *Sic*, inquit, *prædicaui Euangelium hoc non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſed ſicut ſcriptum eſt. Quibus non eſt annunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent.*

Rom. 15.

Quod ſi poſt tot, tamque indubitata indicia, & minimè fallentes coniecturas adhuc cuiuſquam animum inceſſit dubitatio: nec ſibi perſuadet Paulum Apoſtolum in Hiſpaniam penetraſſe, & loca quorum meminimus crebro inuiſiſſe; Cardinalem conſulat Baronium tom. 1. ad annum ſexageſimum à Chriſto nato, vbi aduentum Apoſtoli in Hiſpaniam conceptis verbis affirmat, & quæ obiter obijci poterant, facile diluit. *At*, inquit, *nec ob hanc cauſam, quod nunc ſi velimus, rediſſet in Orientem, videri poſſit elapſum tempus, quominus proficiſci potuerit poſt modum in Hiſpanias. Nam octo illi, qui intercedunt anni, vſque ad ipſum conſumatum martyrium, non tantùm fuere illi ſatis ad Hiſpanias peragrandas, ſed vniuerſum planè Orbem Romanum, ac Barbarorum externas Regiones adeũdas.* Hæc ille: quibus non parum fidei comparat ingens alijs proficiendi ſtudium, quod in Pauli pectore vigebat, ipſumque otij impatientem, & quietis prorſus ignarum reddiderat. Vnde non ſatis habuit Apoſtolus, ſi in vna tantùm Regione doctrinæ Euangelicæ ſemen ſpargeret, & vberrimam fructuum copiam colligeret: eodem impellente ſtudio, amoreque nullam in toto Orbe Regionem eſſe voluit ſui ignaram laboris: ſed omnes doctrinæ ſuæ vbertate ſtuduit fœcundare. Quapropter D. Chryſoſtom. homil. 2. de Laudibus eiuſdem, Angelis in hac parte præferendum affirmat. *Angelis ſæpe diuerſarum gentium cura commiſſa eſt; ſed nullus eorum ita creditum ſibi Populum gubernauit, vt Paulus vniuerſum gubernauit Orbem,*

Baron. tom. 1. Annal. anno 60

D. Chryſ

&

& ſtatim cõcludit: *Michaeli gens commiſſa eſt Iudæorum: Paulo verò terræ, ac maria, atque vniuerſi Orbis habitatio*, quem ipſe cæleſtis doctrinæ fructibus coronauit, gaudente terra prædicatore ſuo in cælo primum laureato.

O diuinam aquilam quid mirer, ſi tam præpeti volatu tot Regiones longiſſimo tractatu diſſitas perluſtraueris, & doctrinæ tuæ fœcunditate exhilaritas reliqueris? Diuinus amor aureo curru pennigeris equis triumphantem deferebat: quò non interritus adires? Quis à curſu retardaret Rom.8. num.35. amanter, & verè dicentem: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* O tubam cæleſtem, quam vniuerſus Orbis libenter audiuit aduerſus Principes, & Poteſtates tenebrarum harũ inteſtina bella perſonantem. Qua ratione fieri poterat, vt non omnia comminueres: Omnibus potentior factus, Philip.4. num.13. qui dicebas: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat:* atque vt Chriſtum lucrifaceres, omnia de- Philip.4. trimentum exiſtimaueras. *Omnia detrimẽtũ feci, & arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciã?* Nec verò tot, tamq. difficilia tui ſolius cauſa obibas, vt videlicet tibi Chriſtum lucrareris, ſed alios eiuſdem lucri deſiderabas conſortes. Tam impenſè Euangelij ſemen multiplicatis fructibus augeri ſtudebas! Sed quam longè ab hoc ſtudio aberrabãt ij, quos noſter Apoſtolus incredibili ſolicitudine, & labore ad Chtiſtum pertrahere conabatur. Quid illis cordi erat? Diuinam ſapientiam audiamus, capite 15. *Multi* cap.15. *æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrũ, & oportere vndequaque, etiam ex malo acquirere.* Quò etiam videtur reſpexiſſe, qui clamabat.

O ciues, ciues, quærenda pecunia Horat. lib.1. epist.1.
primum eſt.
Virtus poſt numos: hæc Ianus
ſummus ab imo
Perdocet, hæc reſerunt iuuenes
dictata, ſeneſque.

Non abſimile eſt alterius apud Sophoclem Græci iudiciũ, quod latinè redditum, ita habet: *Nullum eſt malum, quod cum lucro coniunctum ſit.* O nimium cæci, quos tam fatua eludunt iudicia. Nuſquam iſtis noſtri Solis ſplendor affulſit: Nuſquam Paulum dicentem audierunt; *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, in quo veluti fonte vitam ipſam, & quidquid in ea pretioſum delectabile eſt, & honeſtum continebat.

Cùm autem Apoſtolus è Chriſti vita ſuam hauriret; ideo terreſtria, & creata, præ cæleſtibus, & æternis pro nihilo habebat. *Non contemplantibus*, inquit, *nobis* 2.Cor.4. *quæ videntur, ſed quæ non videntur: Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur æterna ſunt* 2. Corinth. cap.4. num.18. Cùm autem ſola

cæleſtium æſtimatione, pretioque
tangeretur; ibi totus animo erat,
ibi cogitatu,& ſpiritu verſabatur:
vnde Philippenſibus 3. nu.20. di-
Philip. 3 num. 20 cebat: *Noſtra conuerſatio in cæ-
lis eſt. Et verò huiuſmodi ter-
renorum cõtemptus in Pauli cor-
de ſub ipſum ſuę conuerſionis ini-
tium pullulauit. Primum nam-
que triduum ieiunus ſpontè tran-
ſegit, orationemq. addidit, cul-
pæ veniam efflagitans, vt cenſuit
D. Chryſoſtomus homil. 19. in
D. Chryſ. Acta. *Quare autem*, inquit, *non
comedit, neque bibit? Compunge-
bat ſe propter ea, quæ fecerat,
confitebatur, precabatur, orabat
Deum*. Chryſoſtomi ſemitam
calcauit Theophilactus in cap. 9.
Theoph. Act. Vnde hæc transfero. *Tres
dies, neque comedit, neque bibit.
Cur hoc fecit? quia valde ſibi di-
ſplicebat, quòd Eccleſiam perſe-
cutus erat, & ſupra modum tri-
ſtis, & mœſtus erat, ac precaba-
tur, & orabat ad Deum*. Nec
vacuæ preces: nam orans remit-
titur ad Ananiam, qui interprete
D. Auguſtino,ouem adſignificat;
& Paulus iam è lupo in paſtorem,
magiſtrumque tranſierat. Quam-
uis autem Ananias Paulum quæ-
reret, vt doceret: ipſummet ouis
nomen latenter indicat, iam inde
Paulum paſtoris, & prædicatoris
officium auſpicari. Verba ſunt
Auguſtini ex ſerm. 14. de Sanct.
D. Aug. *Ecce lupus rapax adducitur, ſe-
quendam, non rapiendam ouem:
Ananias enim ouis interpretatur.
Mira & magna res geritur, lupo
ſæuitia interdicitur, lupus ad ouẽ
captiuus ducitur. Tanta autem
præceſſerat fama lupi raptoris, vt
eius nomine audito timeret ouis
ſub manu paſtoris: ſed ab agno
pro ouibus mortuo fit ouis ſecura
de lupo*. Sed immeritò iam dixe-
ris lupum, quem ita cernis im-
mutatum: dic potius paſtorem,
Orbiſque Doctorem, vel etiam
cùm D. Chryſoſtom. homil. 8. de
Laudibus Pauli totius mundi So-
lem, qui doctrinæ ſplendore om-
nes ipſius plagas illuſtrauit. *Sol* D. Chryſ.
enim quidam, ait, *hominibus eſt
Paulus, qui totum prorſus Orbem
fulgentibus linguæ ſuæ radijs illu-
minauit, quippe vniuerſas circũ-
eundo Gentes, curſum omnino So-
lis imitatus eſt, ac mundi Regio-
nes omnes, quaſi libero à corpore
animo peruolauit; Cuius tanta eſt
pulchritudo; vt Deus ipſe illam
deprædicet: nam aſtra cum fierẽt
admirabantur Angeli: hunc au-
tem Deus ipſe admiratus eſt, di-
cens: Vas electionis eſt mihi iſte*.

Nec ob ſolius doctrinæ lucem
Solis nomine, & munere Paulum
honeſtabis: ſplendori calorem
adiunge, quo ſuccenſus admiran-
da prorſus edebat,& omnium pe-
ctora inflãmabat. Vide quo pacto
epiſtolam ad Theſſalon exordia-
tur, & fateberis: *Euangelium* Theſſal. cap. 1.
*noſtrum non fuit ad vos in ſer-
mone tantùm, ſed in virtute, &
Spiritu ſancto & plenitudine mul-
ta*. Et 2. Corinth. 12. *Signa*, in- 2. Cori. cap. 12.
quit,

Digitized by Google

1.Cor.12 quit, *Apoſtolatus mei, facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus*. Addo Lucæ penicillum, quo Act. 19. nu. 11. Eandem Apoſtoli virtutem in miraculorum oſtenſione Act.19. depinxit. *Virtutes*, ait, *non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, ſpiritus nequam egrediebantur*. D. Chryſoſtomus homil. 6. in epiſtol. 1. ad Corinth hanc Lucæ picturam additis vitæ luminibus, mortisque vmbris reddidit clariorem: ait enim Pauli veſtibus non ſolùm è corporibus ægritudines, ſed ipſam mortem fugari, & mortuos D.Chryſ. vitæ reddi. *Nam eius veſtes mortuum ſuſcitabãt, & vmbræ morbos abigebant*. Et oratione encomiaſtica Petri, & Pauli, de vtroque locutus, ita habet. *Petrus ſua ipſius vmbra paralyticos ſolidauit, & mortem deſtruxit: Paulus veſtimentis ſuis morbos pepulit, & dæmones fugauit*. Act. 20. enarratur quo pacto Eutychus adoleſcens Paulum audiẽs concionantem, ſomno correptus magno adſtantium ſtupore in præceps ruerit, exanimiſque ceAct.20. ciderit; *Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum; & complexus dixit, nolite turbari anima enim ipſius in ipſo eſt*; Pauli virtute operante extemplò mirabiliter reſtituta.

ApudMelitam inſulam aſſiduo inſolitoque prodigio Pauli virtutis clariſsima monumenta perennant. Ibi enim viperæ veneno carent, & impunè tractari licet. Quinimo ſiquę aliundè portantur illico venenum deponunt. Addit etiam Alanus Copus Dialog. 3. Alan.Cop cap. 28. omnes quotquot in die Conuerſionis S. Pauli, quæ eſt Ianuarij 25. naſcuntur, nullo viperarum timore concuti, ſed manibus innocuè tractare ſolitos: quinimo ſaliua occidere: quod etiam tradit, & experientia probatum teſtatur Thomas Faſellus de rebus Siculis Decad. 1. lib. 1. cap. 1. Th.Faſel Hoc verò prodigium inde ortum habuiſſe reor: Cùm Diuus Paulus naufragio eiectus Melitæ portum tenuit: atque, vt refert Lucas Actor. 28. num. 3. correpto ſarmentorum faſce ignem accendere niteretur, vt è mari adhuc madidus calefieret, vipera ſarmentis deliteſcens Pauli manum inuaſit, morſu tenuit illico, vt adſtantes putabant, morituri. *Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorũ aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cùm proceſſiſſet inuaſit manum eius*. Act.28.3. Paulus verò nil nocumenti à morſu accipiens, manũ excuſſit, & pendentem ex ea beſtiam in ignem proiecit. *Et ille quidem excutiens beſtiam in ignẽ, nihil mali paſſus eſt*, ibid. num 5. Vnde Arator.

----- *Digito nam beſtia pendens* Arator.

Excutitur proiecta rogis, benè reddita flammæ,
Quam dedit ipſa priùs, quæ culpæ protulit ignem:
Vnde Gebenna calet ———

Oecumenius viperam pœnituiſſe aſtruit, morſuſque errorem flammis ſpontè caſtigare voluiſſe, Oecum. *Vipera*, inquit, *cùm in manum Apoſtoli dentes inieciſſet, & nullã peccati in ea mollitiem, & laxitatem inueniſſet, ſtatim reſilijt, & in ignem ſeſe proiecit, quaſi pœnã à ſe exegerit, quòd nihil ad ſe pertinens corpus inuaſiſſet*. At verò Militenſes miraculi magnitudine permoti, fidem ſuſceperunt, vnde, *Conuertentes ſe dicebant eum eſſe Deum*. Actor. 28. num. 6. Hæc miraculi origo, & perẽnitas, hinc quæ de Melitenſibus viperis recenſuimus, Pauli meritis referenda.

Nec ſolos Melitenſes in admirationem egit diuinæ virtutis cõſideratio, quæ in D. Paulo operabatur: totum planè Orbem admiranda ipſius doctrina pauore concuſsit. Fuit enim Paulus ſapientiæ prodigium, virtutum omnium archetypus; prædicatorum exemplar, Euangelici oratoris ſpeculum. Paulus præſtantiſſimi Phæbochriſtiani liber eſt: in eo quidquid vbique fuit magnorum virorũ inſpicitur: Paulum videat, ipſum legat, cæteros deponat libros, ſiquis ambit eſſe perfectus Eccleſiaſtès. Quod D. Chryſoſtomo contigit; ex aſsidua namque D. Pauli epiſtolarum lectione admirabilis euaſit concionator, ita vt propterea Chryſoſtomus, hoc eſt, os aureum diceretur. O quantos haberet Eccleſia Chryſoſtomos: ſi in perlegendis Pauli epiſtolis verſarentur; inde enim in prædicandi munere incredibiliter proficerent. Ideo enim dictante Spiritu ſancto plures ille epiſtolas omnibus alijs conſcripſit, quarum quatuordecim tantùm tenet Eccleſia, relicta quam ad Sardicenſes ſcripſit, vt in ipſo epiſtolarum numero doctrinæ ipſius vis, & præſtantia cerneretur. Etenim quatuordecim illis epiſtolis, quidquid ſapientiæ, & doctrinæ in Lege veteri, nouoque Teſtamento continebatur, mirabiliter concluſit; & profundiſsima vtriuſque legis arcana tam altè fuit rimatus, vt nihil intactũ reliquerit. Et ſanè decem epiſtolis Decalogum, Legem ſcilicet, & Prophetas, quatuor complexus eſt Euangelia: ita quòd vetus nouaque Lex æquo fere pondere, & Diui Pauli epiſtolæ appendantur. Quo quid illuſtriùs ad amplificãdam doctrinæ prẹſtantiam, ipſiuſque fœcunditatem in proferendis fidei, aliarumque virtutum fructibus extollẽdam reperietur? Præit mihi Anſelmus in epiſt. ad Coloſſen. & D. Gregorius lib. 35. Moral. c. 25. ex quo id videtur ab Anſelmo mutuatum. Ait igitur S. Gregorius: *Recta vita ſanctæ* D. Greg. *Eccleſiæ multiplicata per decem*

quæ-

quatuor reputatur, quia vtrumque Teſtamentum cuſtodiens, & tam ſecundum Legis decalogum, quàm ſecundum Euangelij libros viuens, vſque ad perfectionis culmen aſcenditur. Vnde & Paulus Apoſtolus quamuis epiſtolas quindecim ſcripſerit, ſancta tamen Eccleſia non amplius quàm quatuordecim tenet; vt ex ipſo epiſtolarum numero oſtendat, quòd Doctor egregius Legis, & Euangelij ſecreta rimatus eſſet. Hactenus ille: Ex cuius ſententia cernere fas erit quanti Pauli doctrinam fecerit Eccleſia, & quàm pręclaram de incredibili ipſius fœcunditate, & ſublimitate conceperit exiſtimationem, vt quamuis poſſet quindecim epiſtolas approbare, quatuordecim tantùm, vt cenſuit Gregorius, approbauit; vt in eo numero ſapientiæ ſublimitas, doctrinæ præcellentia, eximiaque fœcunditas clariùs emineret, & quantùm D. Paulus cæteros omnes Eccleſiæ Magiſtros, & Doctores his, & alijs gratiæ dotibus antecelleret, ſtatutum poſteris relinqueretur.

§. DECIMVMSEXTVM.

Quidquid ad prædicandum natura Paulo non indulſit, gratia caleſtis abundanter ſuppleuit.

POſtremum attigimus gradū, vbi ſe ſtatim obijciunt Naturæ dotes, quas vel ipſa largiter indulgens oratori Chriſtiano ad muneris ſui ornamentum conceſſit, vel auara nimis denegauit. Et quidem, ac ſi Natura prædicatoribus inuiderit: nulli vnquam largita eſt, vt in ea arte omnibus muneris abſolutus euaderet. Perfectiſsimos artes aliæ Magiſtros habuerunt. Militaris diſciplina Martem ſortita eſt propter artis præſtantiā Deum à Gentibus exiſtimatum. Pictura ſuum laudauit Apellem, qui obductis coloribus res naturales ita ad viuum expreſſit, vt etiam homines falleret. Muſica Orpheum oſtentauit canendi, pulſandique peritia adeo inſignem, vt ſaxa, feraſque lyram pulſando pariter, & canendo pertraxerit: Arithmetica Platonem enumerat miracula numerādi arte patrantem, vt Diogenes teſtatur. Philoſophia in Ariſtotele vſque adeo ſe extulit, vt non plura ediderit natura, quam Philoſophus creditur aſſecutus. Poſtrema venit Eloquentia ſuo Demoſthene lætabunda, qui in eo genere ita excelluit, vt omnium facilè princeps diceretur. At verò nulli ex prædicatoribus hæc fælicitas contigit, vt omnimoda eius artis perfectione decoratus exiſteret. Nec vnum mihi dabis, qui tanquam Phœnix in parabolam, & exemplum adduci mereatur. Non D. Paulum quoniam, etſi tam multis gratiæ, & induſtriæ prærogatiuis abundauerit: Licèt Na-

tura non pauca ipſi cõceſſerit ornamenta, nimirum, ingenij acumen, promptitudinem, viuacitatem, acrimoniam, & alia, quæ gratiæ dotibus coniuncta perfectum illum prædicatorem reddiderunt. Nihilominus æui noſtri auditorũ vana curioſitas multa in eo ad omnimodam eius artis perfectionem deſideraret: Videlicet optimam corporis habitudinem, linguæ dexteritatem, vrbanam, comemque dictionem, quam humanitas quædam, & lepos grauitate conditus in dicendo comitaretur: quod æui ſui auditores in D. Paulo etiam expetebant. Et quia his omnibus deſtitutum agnouerant, concionantem irridebant, & temerè cauillabantur.

Et quidem ob malam corporis habitudinem, & formam non ita grauem, & ſicut prædicatorem decebat, auguſtam à Corinthijs deſpicatui habebatur, de quibus eſt illud eiuſdem Apoſtoli epiſt. 2. cap. 10. vbi hanc notam ſibi à Corinthijs inuſtam commemorat.

2. Co. 10. num. 10. *Epiſtolæ, inquiunt graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma.* Ita illi, nec mendaciter, ſi Nicephoro fides eſt adhibenda, qui lib. 1. hiſtoriarum c. 37. veram Pauli effigiem docto calamo exculpſit.

Niceph. *Paulus*, inquit, *corpore erat paruo, & contracto, atque incuruo, & paululum inflexo. facie candida, annoſque plures præ ſe ferente, capite modico; oculis multa inerat gratia: ſupercilia deorſum verſus vergebant: naſus pulchrè inflexus, idemque longior, barba denſior, & ſatis promiſſa.* Hæc ille. Nec dubito, quod verè, etenim D. Chryſoſt. tom. 5. homil. de Principibus Apoſtolorum D. Paulum appellat tricubitalem *Paulus*, inquit, *tricubitalis eſt, & cælos aſcendit.* D. Chryſ. Et ideo fortaſsè non tanti apud Gentiles fiebat, quanti Barnabas auguſtiori forma ſpecieque venerandus. Vnde Paulum dicebant Mercurium: Barnabam vero Iouem Deorum apud eos maximum nuncupabãt, ſic in Actis Apoſtolorum enarratur c. 14. *Vocabant Barnabam Iouem Paulum verò Mercurium.* Act. 14. Quin adeo ipſemet Apoſtolus Paulus propter contemptibilem corporis figuram, abiectamque ſpeciem infirmitatem præ ſe ferentem reijci, & deſpicatui haberi non ignorabat. Idcircò Galatis impenſe gratatur, quod his non obſtantibus illum in vrbe ſuâ tanquam Dei Angelum ſuſceperint. *Scitis autem*, ait, *quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem, & tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis; ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me*, c. 4. num. 13. & 14. Gal. 4. 3. & 14. Quæ verba aptiſſimè in præſens inſtitutum exponit D. Hieronymus, Chryſoſtomus, & Theophylactus, tantumdemque aiunt valere, quòd Diuus Paulus per carnis infirmitatẽ Galatis euangelizauerit, ac ſi videre-

deretur omnino abiectus, vilis, infirmus, & miſerabilis; & hanc abiectionem, & vilitatem vocat tentationem in carne, quia inde Galatæ tentari potuiſſent, Paulumque cum ſuo Euangelio abijcere. Quapropter dum adijcit, *Et tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis*, paſsiuè, & per metonymiam accipiendum eſt, vt idem ſit tentatio, quod tentationis obiectum. Atque adeo *Tentationem veſtram*, ideſt, me tot contumelijs oneratum, perſecutionibus agitatum, vilem, pauperem, humilem, abiectum, & contemptibilem, qui vobis poteram eſſe tentationis obiectum, vt me meumque Euangelium aſpernaremini, non ſpreuiſtis, ſed tanquã Angelum excepiſtis. Tantum nocet prædicatoribus abiecta, viliſque corporis ſpecies, vt magni faciendum fuerit, quòd propter eam Paulus aliàs prædicator maximus non exploderetur.

Defecit etiam Apoſtolo linguæ dexteritas, loquendi facilitas, & promptitudo; ita vt verba non benè reſecta, & circinnata ex ore, ſed tumultuatim, inconcinnèque prodirent. Quod etiam Corinthij cenſoria rigiditate carpebant, vt ex eodem Apoſtolo, 2. ad Corinth. 11. deducitur; ibi enim calumniantibus fortè ob inuidiã Corinthijs (ſemper enim calumniatrix fuit inuidia) reſpondens, dicebat: *Et ſi imperitus ſermone,* 2.Cor. 11 *ſed non ſcientia*. Quaſi diceret; Etſi linguæ dexteritas mihi deſit, ſcientia tamen, in qua maximum eſt prædicationis pondus, & momentum, non deſideratur. Diuus Thomas lect. 2. in hunc locum exiſtimat D. Paulum hìc ſe balbutientem fateri. *Vel dicendum*, inquit, *ad litteram quod Apoſtolus fuit balbus, & ex hoc Pſeudo deridebant eum: & ſi imperitus ſermone, ideſt impeditæ linguæ, non tamen ſum imperitus ſcientia*. D.Thom. Planior tamen eſt interpretandi ratio, vt ſermonis imperitia non ſit linguæ tarditas, & balbuties, ſed inurbanitas quædam, & ſubruſtica verborum diſpoſitio; ita quòd D. Paulus eã non habuerit eloquentię partem, quæ in pulchra verborum concinnitate, numeroſa, & eleganti compoſitione, illuſtrium figurarum ornatu, & cultura verſatur: Quinimmo ipſius dictio parùm compta fuit, triuialis, & ruſticana, modo redundans, rurſus deficiens, obſcura longis hyperbatis diſſoluta, & frequentiſsimis abſciſsionibus hiulca. Quarum rerum exempla in epiſtola ad Roman. 1. ad Galat. 6. ad Epheſ. 3. reperiuntur, vt D. Ireneus adnotauit. D.Hiren. *Hyperbatis*, inquit, *vtitur frequenter Apoſtolus propter velocitatem ſermonum ſuorum; & propter impetum, qui in ipſo eſt ſpiritus. Quam ob rem ei detrahentes Corinthij, vt refert ipſe, dicebant: epiſtolæ graues ſunt, & fortes, præſentia autem infirma,*

Digitized by Google

ma, & ſermo contemptibilis. Quin etiam Apoſtolus in eadem epiſtola, vt iam diximus, ſermonis imperitiam fatetur. Ex quo infert Origenes, ſuperfluum eſſe & inane, orationis ornatum, & elegantiam quærere in D. Paulo, vel quia à natura id inſitum non habebat, vt ingenuè fatetur, vel impellente ſpiritu minimè curabat. Origenis verba ſunt: *Superfluum eſt ornamenta quærere ſermonis in Paulo, quippecùm non illi curæ fuerit: vnde eſt eius celebre dictum: Non in ſublimibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus.* Significantius hoc expreſsit D. Hieronymus in epiſtola ad Algaziam, verba Apoſtoli ſuperius citata interpretatus. *Quòd dixit Paulus: etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. Id non ex humilitate, ſed ex conſcientia veritate dicit; profundos enim, & recõditos ſenſus lingua non explicat, & cum ipſe ſentiat quid loquatur, in alienas tamen aures puro non poteſt tranſire ſermone.* Quod certè iis vſu venit, quibus deeſt copia fandi, linguam non ita perfectè callent; regulasque, & documenta locutionis ignorant. In quo non mediocriter peccaſſe D. Paulum aſſeruit in eadem epiſtola ſanctus Hieronymus. *Superfluis coniunctionibus vti Paulum, propter imperitiam artis grammaticæ, plerisque in locis reperimus.* Quinimò Græco, & patrio idiomate hos locutionis defectus patiebatur: vnde quæ mente aſſequebatur, culto verborum penicillo depingere non valebat, vt D. Hieronymus in epiſtol. ad Hebidiam aſſeuerat. *Cum Paulus, inquit, haberet ſcientiam ſcripturarum, & diuerſarum linguarũ gratiam poſſideret; diuinorum tamen ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquij explicare ſermone. Habebat ergo Titum interpretem, ſicut & Marcum Petrus.*

Origen. | D. Hier. | D. Hier.

Addit inſuper ſanctus Chryſoſt. homil. 4. in poſteriorem epiſtolam ad Timoth. D. Paulum non ſolùm Græcam linguam non perfectè calluiſſe, ſed eius, Græcorumque doctrinæ prorſus expertem, & ignarum extitiſſe, *Erat, inquit, ille homo, Cilix coriarius, & inops, imperitus externa diſciplina, Hebræam tantùm nouerat linguã, quæ cæteris Gentibus, ſed Romanis, maximè contemptui erat. Non enim quamlibet aliam linguam, vel Græcam, vel barbaram ita contemnebant, vt linguam Syram, cui peraffinis eſt Hebræa.* Hæc ille: & quidem ex eodẽ Apoſtolo id deſumpſiſſe videtur: quippequi epiſtola 1. ad Corinth. cap. 2. dixerit: *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos.* Quæ verba iuxta D. Chryſoſtomi expoſitionem ad eum locum perinde ſonant, acſi Paulus dixiſſet: ſe externæ ſapiẽtiæ prorſus expertem eſſe. *Hoc, inquit, dice-*

D. Chryſ. | 1. Cor. 2. | D. Chryſ.

D. Chryſ. *dicebat, quòd externæ ſapientiæ penitus eſſet expers. Sicut ergo ſuperiùs quoque dixit: veni non in ſublimitate ſermonis: nam quod ipſe quoque hoc poſſet habere eſt perſpicuum: nam eius veſtes mortuum ſuſcitabāt, & vmbræ morbos abigebant, multò magis facundiam potuiſſet eius anima ſuſcipere, nam hoc quidem eſt diſcipuli, illud autem artem omnē ſuperat. Qui ergo ſcit ea quæ ſunt arte maiora, multò magis poterit quæ ſunt longè minora, ſed non ſinit Chriſtus, non enim expediebat.* Hactenus ille. Caruit igitur Paulus facundia, & dicendi concinnitate; non tamen credo, quod ſenſit Chryſoſtomus, Græcæ linguæ omnino fuiſſe ignarum: ſed Hieronymo aſſentior, qui in epiſtola ad Algaziam, in reſponſione ad quæſtionem eius decimam, ſcribit Paulum à prima ætate linguā Græcam didiciſſe; cuius Tharſi magnum erat ſtudium. Vnde ipſius ſcripta plurimis ſcatent Græciſmis, quorum exempla recenſet S. Hieronymus. Verba il-
D. Hier. lius ſunt: *Paulus cùm in vernacula lingua ſermonem haberet diſertiſsimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis viri in lege doctiſsimi, ſe ipſum in Græca lingua interpretari cupiens inuoluitur: ſi autem hoc ei accidit in Græca lingua, quam nutritus in Tharſo Ciliciæ in parua ætate imbiberat: quid de Latinis dicendum eſt? qui verbum de verbo exprimere conantes, obſcuriores faciunt eius ſententias & veluti herbis creſcentibus frugum ſtrangulant vbertatem.* Hæc ille. Et paulò inferiùs ſuam concludens ſententiam, ita diſſerit: *Neque hoc miremur in Paulo, ſi vtatur eius lingua conſuetudine, in qua natus eſt, & nutritus: cùm Virgilius alter Homerus inter nos, patriæ ſuæ ſequens conſuetudinem ſceleratum frigus appellat.*

Itaque Græcæ pariter, & Latinæ linguæ mediocriter peritum non deffitemur Apoſtolum; non tamen Demoſthenis, Thucididis, Tullij, Craſsi, & aliorum eius æui magni nominis oratorū eloquentiam, in dicendo ſuauitatem, & in ſumma facundia proprietatem obtinuit. Quod Deo prouidente factum exiſtimo, vt Orbis conuerſio, non D. Paulo, eiusvè eloquentiæ, ſed diuinæ gratiæ tribueretur; & fòrs hoc prudenter & humiliter prçcauens Apoſtolus dicebat: *Non in perſuaſibilibus* 1. Cor. 2.
humanæ ſapientiæ verbis, ſed in num. 4.
oſtenſione ſpiritus, & virtutis, quę eò clariùs enitebat, quò minor erat prædicatorū facundia. Et illuſtrior victoria, nec niſi Dei virtute & ſpiritu comparata putabatur: cùm eloquentiſsimus orator à ruſticano, & parùm docto prędicatore ſe victum fateretur. Quod probat egregiè D. Chryſoſtomus homil. 3. in cap. 1. epiſtolæ ad Corinth. luculenta oratione referens

certamen, quod inter Gentilem, & Chriſtianum de Platonis, & Pauli eloquentia interuenerat. *Audiui*, inquit, *Chriſtianum quendam altercantem cum Ethnico ridiculo ſanè certamine: cùm ambo ſua inuicem ſoluerent argumenta: ſiquidem, quæ oportebat Chriſtianum dicere, ea Gentilis afferebat, & quæ Gentilis partes erant, eas Chriſtianus vſurpabat. Erat autem de Pauli, & Platonis comparatione diſputatio, in qua diſputatione Gentilis conabatur oſtendere Paulum, & indiſertum, & rudem, & indoctum fuiſſe. Contra verò Chriſtianus contendebat Paulum fuiſſe Platone eloquentiorem. Atque hoc pacto Gentilis victor euaſit: cùm cauſam viciſſe iudicaretur. Enim verò ſi Platone diſertior fuiſſet Paulus multi non temerè poſſent exiſtimare Paulum non gratia, ſed facundia viciſſe mundum. Itaque Gentilis agebat cauſam Chriſtiani, Chriſtianus verò Gentilis; ſed enim quia Paulus ineruditus, & indiſertus fuit; vicit autem Platonem, eiuſque diſcipulos ad ſe conuertit: idcirco clariſſima, & admiranda eius victoria*. Hucuſque D. Chryſoſtomus. D. Chryſ.

Neque mirum eſt quòd D. Paulum ille exiſtimarit indiſertum; & parùm eloquentem, quia reuera in his defecit Apoſtolus. Quinimo nulli vnquam ex prædicatoribus contigit, vt ab omnibus defectibus liber eſſet & immunis: ſed multa in multis fuerunt ignoſcenda (ſcirent ſi ignoſcere cenſores) quod ad artis ſublimitatem maximè ſpectat, vt nullus in ea ita perfectus vnquam euaſerit, vt numeros omnes aſſequeretur, ſicut palàm in ſuo perfecto oratore teſtatur Marcus Tullius. Tullius. Et certè mirum eſt vt Romæ ampliſſima in vrbe, Orbis moderatrice, vbi tot ſtrenuiſsimi duces, prudentiſſimi gubernatores extiterunt: tot Philoſophicis, & Mathematicis diſciplinis præcellentes viri floruerunt: tot muſicos canendi peritia admirandos, & quod rariùs inuenitur, inſignes Poëtas audiuit illa ætas & planè fuit admirata. Nuſquam tamen oratorem protulit omnibus muneris abſolutum: & tamen plures dicēdi ſtudio, quàm alijs artibus operam nauabant. Tota quippe Romana iuuentus, artem oratoriam ſtudioſiſſimè ſectabatur: nec proinde maior, quin imò minor oratorum, quàm Imperatorum, Senatorum, Philoſophorum, & Poetarum numerus cenſebatur. Nam, vt in primo de oratore concludit Tullius, *Nibil in hominum genere rariùs perfecto oratore inueniri poteſt.* Tullius. Idemque de Phæbochriſtiano, & Euangelico prædicatore ſentiendum, niſi Deus, dotes omnes, & prærogatiuas ita cumulatè largiatur, vt nihil ad abſolutam tanti muneris perfectionem deſideretur. Quod tamen non aſſolet: quin etiam, vt videre eſt in D. Paulo,

egre-

egregias ipſius virtutes, ampliſ-ſima decora, & ornaméta notatis defectibus contra ponderauit, ac tot donorum, & prærogatiuarum, vt ita loquar pulpæ, oſſis fruſtulũ (defectus puta) ſapienter adiecit, vt elationem deprimeret: ſubindeque prædicatorum cenſores erudiret, nullum ita perfectũ vlla vnquam ætate extitiſſe, qui ſuos manes non pateretur: cùm D. Paulus Orbis totius prædicator maximus, electionis vas præclariſsimis diuinæ gratiæ cælaturis elaboratum, atque ad prædicandi munus ſpeciali prouidentia ſegregatum, & electum ſuos habuerit defectus, quos humana in cernendis aliorum vitijs perſpicacia (neſcio an inuidia) notauit, impudenterque obiecit: cùm potiùs diuinam gratiam extollere, & prædicare debuiſſet, quæ virtute ſua, quidquid naturæ deerat, abundantiſsimè compenſabat. Quin etiam, vt illuſtrior eſſet de infidelitate humanaque ſapientia & poteſtate triũphus, noluit Deus prædicatores ſuos ſęcularibus diſciplinis eruditos, & Rhetorum eloquentia præcellentes, ſed indiſertos, rudes, & imperitos. Et ideo Chriſtus Dominus ad prædicandi officium non aſſumpſit inſignes Ægypti Mathematicos, Chaldæorũ Aſtrologos, Italiæ ſapientes, Græcorum Gymnoſophiſtas, Gallorum Druidas, Indorum Brachmanes, Peripateticos Stoicos, & alios qui ob ſapientiæ magnitudinem nominis celebritate claruerũt. Sed maris littora petijt, inter piſcatorum retia, & ſagenas prædicatores inuenturus, inde eos extraxit, efformauit, inſtruit; vt de piſcatore lucraretur oratorem: & præſtantiſsimum Eccleſiaſtici prædicatoris officium, non tam naturæ, & induſtriæ dotibus prærogatiuiſque valere, quàm diuinæ gratiæ opibus adornari, & perfici demonſtraret.

§. DECIMVMSEPTIMVM.

Pro doctrina ſua Paulus decertat Corinthiorum obiectionibus ſatiſfaciens, & interim plurium auditorum ſatuitas redarguitur.

IMproba omni æuo cenſorum rabies inuenitur. Nulli vnquam ex prædicatoribus contigit in præcelſo loco tanquã in olympo, extra auditorũ turbidos affectus extolli, vt dicendi ſplendor, & claritas improborum cauillationibus obnubilata eclypſimnõ nũquam patiatur. Quis D. Paulum prædicatorem omnium præſtantiſsimum ad tertium vſque cęlum mirabiliter euectum, ibique Doctoris Gentium inſignibus laureatum, Corinthiorũ cenſuris feriendum exiſtimaret? Quis hominem Angelis ſuperiorem, ab hominibus iudicandũ ſuſpicaretur? Quod autem Paulus ob prædicandi munus ſuperior Angelis extiterit; ne

ne dubita,ſed ipſum in epiſtola 1. ad Corinth.cap.6.dicentem audi:
1.Cor.6. *Angelos iudicabimus*. Quod de prærogatiua prædicationis interpretatur Origenes in hunc modum.
Origen. *Prædicatione Paulus Angelis ſuperior eſt*. Et ipſe Doctor gentium cùm nõ eſſet inurbanus, locum Angelis digniorem aſſumpſit ſe ipſum nominando,cùm di-
Gal.1.8. xit: *Si nos, aut Angelus de cælo*. Cæterum pernicax cenſuræ rabies fulminis inſtar, altiſſima quæque impetit,& magno impulſu deijcit validiſsima. Non parcit laureis fulmen iſtud, ipſos credo feriret Angelos,ſi humana voce loquentes è ſuggeſto audiret.Quomodo enim parceret miniſtris, quæ Regem, & Dominum Ieſum Saluatorem noſtrum toties prædicantem impetiuit? Et quidem ex magna eorum multitudine,multiplicique varietate, qui ad audiendũ Dei verbum conueniunt, plures, imò ferè omnes habet prædicator cenſores potiùs quàm auditores.

Is tantùm dicendus eſt auditor verbi,quem nec elatio inflat, nec vana curioſitas exagitat, ſed vtilitatis percipiendæ ſtudium impellit: hic auidè percipit, attentè auſcultat, à cauillis abſtinet, defectus non expendit. Et dum ſitim quærit extingure, non fontis pulchritudinem,nec poculi ornatum,elegantiamque attendit, ſed more ſitientium aquis ad ſatietatem ſe ingurgitat. Hinc eſt illud Horatianum libro 2. Satyra 2.

Nun tibi cùm fauces vrit ſitis, aurea quæris Horat.
Pocula?

Et ſanè quid ineptiùs? quàm vt dum tibi præ ſiccitate fauces araneant,pateras ex auro margaritis, & vnionibus diſtinctas mediteris. Quid hæc ad ſitim? D. Auguſtinum lib.5. confeſſionum cap.6. diſertè loquentem audio: *Quid*, inquit, *ad meam ſitim pretioſorũ poculorum decētiſsimus miniſtrator*. O quicunque ſitim illam pateris, & famem, quam Dominus per Prophetam ſe daturum promiſit. *Dabo eis non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed ſitim audiendi verbum Dei*, doctrinæ aquam inquire, ſitim extingue, pateram & miniſtratorem ne inſpicito,hoc eſt, dictionis ornatum, & prædicatoris perfectionem minimè cura: nec hominis doctrinam cogita, ſed Chriſti: non admonitorem attende, ſed quantùm tibi proderunt, ad quæ exhortatur. Quod D. Hieronymus epiſt.34. ad Iulianum prudenter ſcripſit. *Quod ſi tibi tacita cogitatio ſcrupulum mouerit, cur monitor ipſe non talis ſim, qualem te eſſe deſidero? illud breuiter reſpondebo; non mea eſſe quæ dico, ſed Domini Saluatoris*. Optima ſuadendi ratio, quam ſtatim exemplo corroborat eorum, qui palæſtritas ſpectabant. Etenim (vt Romæ frequenter viſebatur) luctatores clamoribus excitare vocibus cohorta-

D.Aug. Amos.8. num.11. D.Hier.

hortari, & vires addere conſueuerant, qui, vt plurimum non erant ipſis luctatoribus robuſtiores *Athlethæ ſuis*, inquit, *incitatoribus fortiores ſunt, & tamen monet debilior, vt pugnet ille, qui fortior eſt*. Maximè verò ponderandum eſt adhortantium prædicatorũ voces à Deo ſubminiſtrari, vt de ſe ipſo fatetur, & ſcribit ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 81. *Homo ſum*, inquit, *& quantum cõceditur de Scripturis ſanctis tantũ audeo dicere, nihil ex me*. Similemque in hac parte ſibi volebat Honoratum, quem epiſtola 120. ſic admonet. *Si purè Dominum bonorum omnium largitorem depreceris; omnia quæ cognitione digna ſunt, aut certè plurima, ipſo magis inſpirante, quàm hominum aliquo commonente perdiſces*. Ita ille.

D. Aug.

D. Proſp. D. Proſper, ingenuè fatetur, totum quod auditoribus prædicabat, & ſtylo committebat, Deo dictante prouenire, & ideo in epigrammat. de ſuis operibus ita cecinit gratulabundus.

Non noſtrum hoc opus eſt, ſed ab illo ſumitur hic ros,
Qui ſiccam rupem fundere iuſſit aquas.

Quidni ab ipſo ſapientiæ fonte omnes hæ prodibũt ſcaturigines? Deo agitante prædicatores concaleſcunt, & in doctrinæ rorem, pluuiamque ſalubrem diſſoluũtur. Ita ſe expertum teſtatur Theodotus Studuita ſermone 80. *Vt vobis comparata ſit oratio, nam qui aquæ ſcaturiginem è prærupta olim caute Iſraelitis præbuit: quid mirum ſi è lapidea hac mente breuem oratiunculam extundat*. Hæc ille.

Theodot.

Cùm igitur Deo incitante adhortationes iſtæ prouentiant, mirum non eſt, quod tantùm habeãt momenti, vt ſæpeſæpiùs victoriã adminiſtrẽt, etſi improbi ſint prædicatores, qui hortantur, & inclamant. Quapropter hortatur S. Chryſoſtomus (vt refert Salazar in cap. 15. Prouerb. num. 10.) *Qui moribus firmior eſt, ac robuſtior, alium infirmiorem audire monentem opus eſt, atque eius vocibus incitari*. Hinc, ni fallor, Diuus Paulus cùm eſſet in carcere conſtitutus, ipſique nunciaretur, aliquos Chriſti Euangelium praua intentione prædicare, non excanduit, imò potiùs ingentem prætulit iucunditatem, & ſemper lætitia ſe eſſe tendum promiſit, quoties Chriſtum prædicari, etiam à ſimilibus agnouiſſet. *Quid enim*, inquit, *dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatẽ Chriſtus annũcietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*. Ad Philip. 1. Quid ni Beatiſſime Paule Chriſti crucis inimicos, & tui inuidos à prædicatione amouendos iudicares? Non ne conuenientius foret prædicantes prohibere, quàm ipſis annuere, imò & iucundari? Minimè gentium: etenim fieri potes, vt dum ipſi propter inanem

D. Chryſ. Salazar.

Philip. 1.

Aaa glo-

gloriam, aut quemlibet inordinatum animi affectum prædicant, fideles proficiant ſaluberrimaque inde ad vitæ reformationem documenta percipiant. In quamrem disertè retulit Diuus Auguſtinus lib. contra Fauſtum cap. 18. lætitiam, quam alijs prædicantibus, Diuus Paulus oſtendit. *Hoc amore gloriæ corrupti erant, quos Paulus Apoſtolus notat, quod per inuidiam, & contentionem non caſtè Chriſtum annunciarent; quibus tamen prædicantibus gaudet Apoſtolus, ſciens fieri poſſe, vt dum illi ſectantur humanæ gloriæ cupiditatem, tamen his auditis fideles naſcerentur, non ex eorum inuida cupiditate, qua ſe volebant vel æquari, vel anteponi Apoſtolicæ gloriæ, ſed per Euangelium, quod etiamſi non caſtè, tamen annunciabant; vt de malo illorum Deus operaretur bonum.* Hucuſque Auguſtinus. Vides igitur quòd dum ſanæ mentis auditor, non attenta prædicantis improbitate, ſitim extinguit: de petra ſpiritualem aquam bibit, atque in eius pectore fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam ſcaturit.

D. Auguſt.

Alios iam memoro auditores profanos certè, voluptuarios, & cupiditatibus ſeruientes. Hi nihil in concione præter inanem verborum ornatum aucupantur genuinum veritatis candorem, & ſimplicitatem eruditam faſtidiunt: & eam tantùm probant dictionē, quam de Muſarum puluinis eleganter excultam inſpiciunt: vnde niſi criſpantibus iubis concinnata, lacinioſoque verborum faſtu ſuperbiens oratio, aut tropis inauditis tanquam margaritis diſtincta & figuris interludentibus, in proſtitutionis indicium, variegata producatur, concionatorem irrident exſibilant, abominantur; ſicuti illorum mos erat, quos apud Ezechielem cap. 33. Diuinus ſermo reprehendit. *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos.* Hoc eſt, non aliter ſermones, quam ſcenam, vel quiduis ludricum; & volupe auſcultant, & ſolam in eis aurium pruriginem, delectationisque irritamenta, non vtilitatem, & fructum meditantur: & ideo ſubiunxit: *Es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui, dulcique ſono canitur:* Videlicet, peritiſsimi cantoris in te ſuauitatem deſiderant, vt non eis concionari, ſed carmē aliquod ad citharæ concentum modulari videaris. Ita cenſuit Hieronymus ad hunc locum, vbi huius ingenij auditores indigetat. *Tales* inquit, *ſunt hodie multi in Eccleſia, qui aiunt: venite audiamus illum, & illum mira eloquentia prædicationis ſuæ verba voluentem, plauſusque commouent, & vociferantur, & iactant manus.* Ita ille. Et ſanè tempeſtatis illius calamitas in noſtram ætatem peruaſit, in qua (miſerum dictu) huius

Ezech.

D. Hier.

huius ſæculi homines floridam viridantibusque verborum folijs intextam orationem quærunt, fructum, & vtilitatem deſpiciunt verbi Diuini nectar,& ambroſiam omni cultu & ornatu deſtituta faſtidiunt: in folijs ſiſtunt, corticique inhærent,& fructus non emedullant, ſicuti plurimis accidit, qui, vt ſcribit ſanctus Auguſtinus Fauſtum Manichæum natura ipſa eloquentē audiebant, folijs delectabantur, fructus non curabant; & reiectis doctrinæ ferculis lancium ornamenta quærebant, atque in eorum contemplatione detinebantur. *Et multi*, inquit, *implicabantur in eo, per illecebrā ſuauiloquentiæ, quam ego tametſi laudabam, diſcernebam tamen à veritate rerum, quarum diſcendarum auidus eram, nec quali vaſculo ſermonis, ſed quid mihi ſcientiæ comedendum apponeret, nominatus apud eos ille Fauſtus, intuebar*. Ita ille.

S. Auguſt. libro 5 conf. c. 3.

Hinc fit,vt ex hac fæce auditoribus nemo concionatorum ſatiſfaciat, quippe cùm ſolam requirant voluptatis illecebram, prędicatorem quærunt ſuo palato ſeruientem, quod ſi alium inuenerint, euiſcerant, altè rimantur, mille næuos appingunt, infinitas penè notas temerè inurunt: quæ omnia, ſi rectè ſentirent ſibi ipſis ob inſignem ignorantiam mentis ineptitudinem, corruptique affectus prauitatem imputare debuiſſent. Verùm inter huiuſmodi calumnias ſileat prædicator, immotus perſeueret,probra tacitus audiat, calumnias patienter ſuſtineat, nec cum ipſi defectus obijciuntur reſpondeat, ſicut D. Paulus admonebat: *Nemo veſtrum moueatur, ſcientes quoniam ad hoc poſiti ſumus:* Niſi fortè obiecta in doctrinę detrimentum vergant, ad ipſiusque contemptum dirigantur,quia tunc ad defenſionem, & ſatisfactionem alacriter erit proſiliendum, quod fecit Diuus Paulus Chriſti Domini ſecutus exemplum, qui ad inſignes iniurias, fœdiſſimaque opprobria quaſi mutus conticuit, ſicut Iſaias capite 53. prædixerat: *Quaſi agnus coram tondente ſe obtumeſcet, & non aperiet os ſuū.* At verò cùm de diſcipulis, & de doctrina interrogaretur à Pontifice, ſtatim reſpondit: *Ego palàm locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil*. Quia verò propter hoc reſponſum Pontificis miniſter alapam ipſi impudenter impegit: Iterum reſpondit: *Si malè locutus ſum teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene: quid me cadis?* Et quidem Saluatoris noſtri reſponſio prædicatorum inſtructio eſt, vt nouerint, cùm de doctrina agitur tacendum non eſſe, præſertim cùm boni nominis, & exiſtimationis iactura inde ſequatur, & ſilentium in doctrinæ dedecus redundet. Solent

Iſai. 53.

Ioan. 18.

Digitized by Google

enim, vt plurimum, mundiales modeſtiæ cuſtodiã criminis obiecti conſcientiam reputare,& quos inter probra, & calumnias ſilentes vident, criminoſos arbitrantur. Ideo monebat Saluſtius defenſionem, & ſatisfactionem adhibendam. *Ne quis modeſtiam in conſcientiam ducat.* Hinc eſt quòd Diuus Hieronymus Rufino, qui ne reſponderet mortem de reſponſo minitabatur, vt reum faceret de ſilentio, reſpondit tamen. *Sed quia minaris interitum, niſi tacuero, reſpondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoſcere, & lenitatem meam malæ conſcientiæ ſignum interpreteris.* Tantùm itaque valuit apud Dominum Ieſum doctrinæ ſuæ amor, vt cùm Scribis, & Phariſæis veritatem prædicauerit. *Veritatem dico vobis:* Ne propter perſonæ vilipendium, & prauam de ipſius vita exiſtimationem prædicatam veritatem deſpiceret ſanctitatis ſuæ, & innocentiæ elogia proferre nõ dubitauerit. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis vnquam præter Dei filiũ ex hoſtibus ſuis ita fidenter ſiſcitari potuerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Neminem mihi dabis. *Habet hoc verbum Chriſti* (eo in loco Magnus ait Origenes) *magnam fiduciam, cùm nullus hominum fiducialiter hoc dicere potuerit.* Et meritò, quia ſolus Dominus Ieſus peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, ſed ea claruit innocentia, quæ Dei filium decebat.

Saluſt. in bello Gurthen.

Origen.

Hoc Magiſtri ſui, & Saluatoris noſtri exemplum ſecutus Gentium Doctor Paulus, nonnunquam multa protulit, quæ perſonæ dignitatem, officij celſitudinem, doctrinæque integritatem commendabant: Nec proinde humilitatis, quam profitebatur leges credendus eſt violaſſe. Primum ex epiſtola ad Galatas exemplum profero ipſius epiſtolæ principium. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem; qui ſuſcitauit eum à mortuis.* Miraberis, cur ex hac tituli pompa, & apparatu exorſus fuerit hanc epiſtolam, qui aliàs ſeruum ſe dicere conſueuerat. Verùm vt ſcitè adnotauit Diuus Anſelmus: Propterea honorificum Apoſtoli nomen tot circunſtantijs adornatum appoſuit, vt æmulis reſponderet, qui ad eneruandam ipſius doctrinam Apoſtoli authoritatem ſapientiam, & exiſtimationem conuellebant: Ipſe verò, vt ſemel, & vnico ictu hoſtium conatus amputaret, prorſuſque extingueret in ipſo epiſtolæ initio ſe ipſum Apoſtolum nominauit, *Paulus Apoſtolus:* quod certè nomen ſupremam authoritatem, ſapientiam incredibilem, & perſonæ celſitudinem repræ-

Galat. 1.

D. Anſel.

repræſentat. Vnde, quod notat Legionen. in epiſtola ad Galatas vno verbo, eoque breuiſsimo oppoſitas aduerſariorum calumnias diſſipauit, atque ad alias poſtea inferendas ſe præmuniuit. *Idcirco,* ait, *Paulus ſtatim in hoc ſalutationis exordio, & ſe, & munus ſuum quibuſcumque poteſt modis à contemptu vendicat, ac ſimul iacit quædam veluti ſemina futuræ diſputationis.* Addit vlteriùs idem Author, non tanquam illicitum, humilitati contrarium, ſanctitatique Apoſtolicæ diſſentaneum damnari poſſe, cùm ob doctrinæ æſtimationem dignitatis tituli, nonnullaq. perſonæ encomia proferuntur. *Nam etſi laudare ſe neminem deceat, tamen quando alicuius Doctoris authoritati iniuſtè derogatur, quò ſic eius diſcipuli ab eo faciliùs auelli poſſint, & in errorem induci; honeſtè is ſe laudet, quod Paulus hic neceſſitate conſtrictus facit.* Hæc ille.

Fr. Ludouic. Leg.

Nec ſibi diſſimilis idem Apoſtolus in epiſt. 2. ad Corinth. c. 12. in Pſeudoapoſtolos iuſtè indignatus quòd de ipſius nominis exiſtimatione apud auditores detraherent, ita fidenter loquitur, & omnino verè. *Nihil enim minus feci ab his, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli:* quaſi diceret: Nemini etiam Apoſtolorum maximo doctrina, & labore cedo. Sed cur, dices, relictis Pſeudoapoſtolis quibuſcum lis agebatur, ad veros Apoſtolos ſe conuertit eorumque virtutibus, & doctrinæ laboribus æquiparauit? Iure optimo id fecit, vt reſpondet Chryſoſtom. homil. 27. ad eum locum. *Ex abundanti eorum ſenſus excitare volens, & oſtendere, ſe non illis modo præſtantiorem, verùm nec magnis quidem Apoſtolis inferiorem eſſe.* Non ſatis habuit meliorem ſe illis oſtendere, qui ei ſtudebãt adæquari, niſi etiam inter Eccleſiæ primores non inferiorem locum in Apoſtolici muneris dignitate ſortiri demonſtraret. Et quidem niſi doctrinæ iniuria laceſsitus his comparationibus non vteretur. Tanti verò apud eum valuit doctrinæ reuerentia, prædicationis zelus, officijque authoritas, vt pro ijs ſuſtentandis in has laudes erumpere nõ dubitarit, etſi quod ad ſpeciem vanus crederetur. Ipſe tamen in humilitatis ſuæ gradu firmus, & ſtabilis conſiſtebat. Atque adeo quod arrogantia, & animi elatio exiſtimari poterat, non niſi verus Dei amor, Euangelicæque authoritatis defendendæ animoſitas dicenda eſt.

2. Cor. 12

D. Chryſ.

Hinc eſt, quòd ſuggillans aliquando Apoſtolus fideles, eo quòd ad Gentilium tribunalia cauſas deferrent, ac ſi inter Catholicos iudicem non inuenirent: *Niſcitis,* inquit, *quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia* 1. Corinth. 6. Origen. meo iudicio germanam attigit huius loci interpretationem: exiſtimat enim D. Paulum in hac ſententia

1. Cor. 6.

cùm Angelis ſe conferre: atque adeo labores, vigilias, ſudores, & plura alia, quæ pro fide propaganda obierat, expendens, ad menſuramque & pondus reuocans cū ijs quæ Angeli miniſterij eiuſdem cauſa ediderant; in Dei iudicio ſe Angelis ſuperiorem futurum recognoſcit. Do Origenem homil. 11. in Num. *Erit inter Angelos, & homines iudicium Dei: & fortaſſis iudicabuntur Angeli aliqui cum Paulo, & conferentur laboribus eius, & inuenietur in laboribus ſuperior etiam aliquibus Angelis, & ideo dicebat: an neſcitis quia Angelos iudicabimus?* Hæc ille. Cæterùm, vt videas quanta animi, corporisque contentione Paulus egerit, vt Angelicis ſpiritibus ſe exæquaret, vel etiam ſuperior exiſteret, aureum Chryſoſtomi os homil. 2. de laudibus Petri mirificè loquentem audi. *Paulus in terra gradiens ſic ſe agebat in cunctis, quaſi Angelorum ſocietate frueretur. Nam paſſibilis adhuc, colligatus corpori illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus ſubditus, in nullo inferior ſupernis virtutibus apparere certabat: nam & tanquam pennatus totum docendo peruolauit Orbem, & velut incorporeus labores omnes, periculaque contempſit, & quaſi iam cælum poſſidens cuncta prorſus terrena deſpexit; & tanquam cum ipſis iam incorporeis degeret, ita iugi mentis intētione vigilauit. Et Angelis quidem ſæpe diuerſarum gentium cura commiſſa eſt, ſed nullus eorum ita creditum ſibi gubernauit Populum, vt Paulus vniuerſum gubernauit Orbem. Michaeli gens commiſſa eſt Iudæorū; Paulo verò terræ, ac maria atque vniuerſi Orbis habitatio.* Concludit tandem: *Quomodo non admirabile, hoc atque improuiſum videtur, cùm ex terrena lingua ſermo proſiliens mortem fugat, peccata diſſoluit, tenebras cæcitatis illuminat, & mutatione mirifica terram conuertit in cælum.* Hæc ille. Cerne verò quot, & quàm magnam virtutum ſuarum encomia D. Paulus perbreui illa ſententia, *Angelos iudicabimus*, ſapienter concluſit. Sed quorſum iſta? Siccine ſolent humiles de ſe magnificè loqui, grandiaque proferre? Non equidem, ſed omni conatu ab oculis eripiunt, nec virtutum theſaurū in pectore abſconditum manifeſtant. Verùm quàm potens eſt doctrinæ vendicandæ ſtudium; quantùm vrget, in quas anguſtias Pauli ſpiritum redigit: ſiquidem ea propalare & in lucem proferre conſtringit, quæ humilitas occultare, & penitus abſcondere ſuadebat. Æmulentur hanc doctrinæ ſuæ defenſionem æui noſtri prædicatores: cùm probris feriri, & calumnijs ſe ſenſerint lacerari, tanquam muti conticeſcant; & nouerit vnuſquiſque ſe poſitum eſſe in ſignum cui contradicatur. Si autem

Origen. D.Chryſ. 1. Cor. 4.

tem doctrinæ irrogetur iniuria: tunc nō patientes, & mutos quaſi agnos coram tondentibus, ſeu potius excoriātibus inimicis voueo: ſed leones, qui ad defenſionem etiam purpuratis citra iniuriam ſanguine hoſtibus, ſi ita neceſſe ſit, generosè proſilient: veros prædicatores, & Eccleſię apes imirari Petrum, & Paulum, qui exerto aculeo pro fidei augmento, pro Chriſti honore, pro doctrinæ ſuæ defenſione, pari animi contentione, & generoſitate decertarunt; vt facta vtriuſque doctrinæ collatione, & additis ſanctorum Patrum encomijs, capite ſequenti planius conſtabit.

CAPVT TERTIVM.

Admiranda Petri, & Pauli doctrina, & prædicatio inter ſe conferuntur, præclariſſimiſque ſanctorum Patrum elogijs illuſtrantur.

OMnî calamo, & ſtudio maior vtriuſque Principis Apoſtolorum doctrina, prædicatioque pari laude certantes ſeſe oſtentant: æquus omnino ſplendor irradiat, quo gemini Orbis chriſtiani Soles diſpulſis errorum tenebris ipſum illuſtrarunt. Pulcherrimas affert D. Chryſoſtom. ſimilitudines tom. 5. orat. encomiaſtic. de Princip. Apoſtol. quibus hæc doctrinæ æqualitas declaratur. D. chryſ. *Eccleſiæ*, ait *Columnæ, magna mundi lumina, vobis inter vos præſtantiores, & quauis ſimul creata natura excellentiores*. Æquali altitudine faſtigiatis, opereque, & cælaturæ inciſis opus habet columnis ædificij moles, vt firmitate, & pulchritudine ſit ſtabilita. Incredibiliter oris pulchritudinem auget diſpoſitio oculorum: verum neceſſe eſt vt æquali ſint magnitudine, æqualē in facie ſitum occupent, & æqualem gratiam ſortianrur: aliter faciem minimè pulchram reddent, ſed omnino fœdam, deformitateque abominandam: Cùm ergo Apoſtolorum Principes Eccleſiæ lumina extiterint, qua ratione faciem ipſius pulchram redderent, ſicut dixit Sponſus: *Facies tua decora*, Cant. 2. num. 14. niſi æquali gratia, æquali ſplendore, & pulchritudine radiarent. Hinc eſt vt affirmat idem Chryſoſtom. quòd cæleſtes ſpiritus: hac oculorum pulchritudine deliniti choros agebant, laborioſamque eorum doctrinam magnis laudibus extollebant. D. chryſ. *Nam & cæleſtium*, inquit, *agmina collaudant honeſtis vocibus eorum laboris doctrinam*. Pergit adhuc Chryſoſtomus, & expendens quo pacto noſtri Principes cęleſtem doctrinam per totum Orbem ex æquo detulerunt, euulſis peccatorum ſpinis, floridum virtutibus, doctrina cultum, pietateque adornatum reddiderunt, boues appellat eodem iugo ſociatos: *Petrus*, inquit, D. chryſ. &

& Paulus iugati boues Eccleſiæ, qui Orbi terrarum inſignem operam nauarunt, qui pro iugo crucem ſuſtulerunt; at pro ſeſſore Saluatorem, pro iugi nexu Scripturarum vtrumque Teſtamentum, pro ſtimulo Spiritus ſancti gratiam. Hæc ille: nec contentus vtriuſque doctrinam, labores, induſtriam exæquare; neminem ipſis doctrinæ ſublimitate, & prædicandi gratia componendum teſtatur. Quippequi non ſolùm hominibus, verùm etiam Angelis ſuo miniſterio præſtiterunt. *Quid enim*, inquit, *Petro maius? Quid par Paulo? qui opere, atque ſermone creatam omnem naturam, cæleſtem ſimul, ac terreſtrem ſuperarunt; ac homines luto implicati, Angelis ipſis meliores extiterunt.* Deinde quaſi tantæ magnitudini ſuccumbens, laudandæque Apoſtolicæ magnitudini ſe imparẽ agnoſcens, adijcit admirabundus. *Quid igitur de vtriuſque naturæ Doctoribus dicemus? Neque enim dignam orationem inuenio, qua laudes eas compenſem, quibus hi genus noſtrũ tantopere honeſtarunt, qui terram omnem, & mare colluſtrarunt, ſeclerum radices euulſerunt, pietatisque ſemina in fidelium cordibus iniecerunt.* D.Chryſ.

Cæterùm animus non eſt Apoſtolicam doctrinam Angelorum encomijs exornatam, cuique aureum Chryſoſtomi os impar videbatur, vlterius amplificare: ſed duorum Eccleſiæ oculorum lumẽ viciſsim componere; & quàm pulchra æqualis doctrinę proportione faciem Eccleſiæ peruenuſtent, ſub aſpectum collocare. Quod vt facilius, & luculentius fiat; præmittendum eſt prædicationis campum inter Petrum, & Paulum diuinæ diſpoſitionis præſcripto fuiſſe bipartitum. Ita quòd Iudęorum ager Petro, Gentilium Paulo obtigit, Euangelij aratro ſubigendus. Ita D. Paulus ad Galat. 2. teſtatur: *Cum vidiſſent*, inquit, *quòd creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circunciſionis: qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circunciſionis, operatus eſt mihi inter Gentes.* Cernis vt Petrus prædicando Iudæis Euangelio, & Paulus Gentilibus fuerit deſtinatus. Vide etiam qua ratione, vt vtriuſque par eſſet fructus, æqualis doctrinæ ſplendor, Dei cooperationem vtrique ex æquo aſsiſtentem fateatur. *Qui operatus eſt Petro, operatus eſt mihi.* Ambo, itaque Iudæorum alter, Gentilium alter, Apoſtoli extiterunt, quaſi tota prædicandi prouincia inter ipſos fuerit pręcipuè diuiſa: idcirco licèt reliquis Apoſtolis peculiares Orbis plagæ aſſignarentur, vt in eis Euangelium diſſeminarent, ſicuti refert Euſebius lib. 3. hiſtoriarum, cap. 1. vbi ex Origine hunc in modum Prouinciarum diuiſionem factam fuiſſe commemorat. *Andreæ Scythiam,* Galat. 2. Euſeb.

Thomæ

Thomæ Parthiam, Bartholomæo Indiam, Matthæo Aethiopiam, Ioanni Aſiam, aliaſque alijs peculiariter tradiderunt. At verò latiſſimus Eccleſiæ ager Gentiliũ, & Iudæorum populos complectens, Petro, & Paulo fuit vniuerſim traditus, vt quiſque in ea parte, quæ ſibi obuenerat, quanto poſſet labore, ſtudioque inſudans Euangelicam ſpargeret doctrinam, vberrimos ex ea fructus certò percepturus. Hac tamen diſtributione non obſtante, potuit Petrus Gentiles etiam edocere; & re vera edocuit. Nam
Act. 10. Actorum 10. ſcribitur, quo pacto Cornelium Gentilem, & omnem ipſius clientelam in fide inſtruxerit. Item cap. 15. aſſerit idem Apoſtolus factam ſibi à Deo facultatem, vt Gentilibus prædi-
Act. 15. caret. *Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus, Deus elegit per os meum Gentes audire verbum Euangelij,& credere*. Et quidem tot in Gentilium regionibus extant veritatis huius monumenta, vt de ea nefas ſit dubitare. Quapropter mirificè in D. Petrũ quadrant elogia, quibus D. Petrus Chryſolog.ſermon.107. Apoſtoli
D.Chryſ. magnitudinem extollit. *Ipſe eſt cuſtos fidei, petra Eccleſiæ, ianitorque cælorum: ipſe eſt Apoſtolicus piſcator electus, qui ad ſe turbas errorum fluctibus merſas hamo ſanctitatis inuitat; & doctrinæ ſuæ reti concludit ad fidem hominum multitudinem copioſam. Eſt etiam ipſe beatiſsimus, & Apoſtolicus auceps,qui animas iuuenum per aëra volantes calamo diuini ſermonis attingit*. Hæc ille.

Eadem etiam ratione D. Paulus, etſi ad Euangelium Gentilibus prædicandum foret potiſsimùm addictus: Iudæis tamen Euangelizare potuit: vnde quocunque pergebat in Synagogis Iudæorum prædicabat: Actorum c.13. apud Salaminam, & Antiochiam, Piſidiæ in Synagoga Chriſtum annunciat. Item cap. 14. apud Iconium, & Theſſalonicam, cap.17. Corinthi, Epheſi cap.18. Quinetiam Romæ in Iudæorum Synagogis, quæ ibi erant primo loco fidem edocebat, Actor.28. Huc, refero illud eiuſdem Apoſtoli ex prima ad Corinth. cap.9. *Iudæis factus ſum tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*: quod 1.Cor.9.
etiam probat epiſtola ad eoſdem ſcripta. Præterea 2.Corinth.12. Magnam Eccleſiarum omnium gerere ſolicitudinem ſcribit: igitur dubitare nõ licèt etiam ad Iudæorum doctrinam animum aduertiſſe. Quapropter etſi attenta ſupremi Numinis diſpoſitione, Petrus,& Paulus tam Gentilibus, quàm Iudæis Euangelium prædicare potuerint: attamen D. Paulus Gentilium Doctor præcipue fuit inſtitutus. Vnde in Actis dicitur: *Vas electionis mihi eſt iſte,* Actor.9.
vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael; Vbi vides Diuum Paulum

pri-

primò, & præcipuè ad Gentilium inſtructionem deſtinari; Petrum verò, & alios cùm mitteret Dominus ad prædicandum, dicebat:
Act.7.8. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Ordinem hic cernis inuerſum: dum Paulus mittitur Gentiles
D.Hier. priori loco ponuntur. *Vt portet nomen meum coram gentibus.* At verò dum Petrus & alij iubentur prædicare, non ita, ſed Iudæa primum, deinde terræ vltimum deſignatur. Hinc eſt quod Diuus Paulus peculiariter gentium Apoſtolus, Doctor, & Magiſter, & prædicator Euãgelij præputij, Petrus verò circumciſionis ſiue Iudæorũ miniſter appellatur. Quod interprete D. Hieronymo in c.2. ad Galat. ſic eſt intelligendum. *Principale quidem*, ait, *ſingulis in Iudæos, & gentes fuiſſe mandatum, vt qui defendebant legem haberent, quem ſequerentur, & qui legi gratiam præferebant, ijs non deeſſet Doctor, & præuius. In commune verò hoc eos habuiſſe propoſiti, vt Chriſto ex cunctis*
Euſebius *gentibus Eccleſiam congregarent.* Hæc ille. Euſebius lib.6. hiſtoriarum cap.11. tacito Authoris nomine cauſam adducit diuerſam, ob quam Paulus Gentium Apoſtolum, ſe diceret, non Iudæorum, videlicet, quia ad Hebræos ſcribẽs Chriſtum Dominum Patris ſui Omnipotentis Apoſtolum ad Iudæos miſſum appellauerat: idcirco ſe gentium Doctorem dicit, modeſtiæ cauſa Hebræorũ Domino reuerentiam exhibens, ne eiuſdem gentis, cuius & ille Apoſtolus diceretur. Quinimo nec gentium Apoſtolum, ſe in hac epiſtola nominauit; ne cum Gentilium præco eſſet, præter officiũ ad Hebræos ſcripſiſſe videretur.

Sed iam vltra in proſequenda vtriuſque Principis Apoſtolorum doctrinæ æqualitate progrediamur. Quis enim vtrique ſapientiam ad muneris exercitium collatam à Deo ſic attemperata manu fuiſſe dubitet, vt alter alterum non excederet, ſed ambo æqua doctrinæ laude commendabiles exiſterent? Ita ſenſiſſe videtur Diuus Chryſoſtomus tom.5. in Panegyr. Petri, & Pauli, vbi hæc: *Petrus & Paulus Eccleſiæ luminaria, quibus ipſa quotidie illuminatur: penuaria Dominica publica totius mundi hoſpitia: ſpiritus receptacula, apta ſanctæ Trinitatis interpretandæ inſtrumenta. Diuini verbi œconomiæ Doctores.* Perpende quæſo, vt æqua manu Chryſoſtomus doctrinæ, & ſapiẽtiæ titulos partiatur. Et quidem in hac ſapientiæ prærogatiua nihil magnum efferes pro D.Paulo, quin idem ad Petrum referre poſſis: & viceuerſa, quod de Petro laudabiliter dexeris, conuenientiſsimè Paulo adaptabis. Audi Sponſam Canticor. 5. Eccleſiæ caput laudantem. *Caput eius aurum optimum*, ſeu vt alij legunt, Cantic.5

aurum Cephas: Ex quo iam coniector Sponſam in hoc encomio Petrum Chriſti Vicarium Eccleſiæ caput reſpexiſſe. Atque adeo dum *caput aurũ Cephas*, appellat tantumdem, vt opinor valet, ac ſi diceret: Quidquid in Eccleſiæ capite aureum radiabat, quidquid firmum ſolidumque apparebat, Petrum, quem ob aureum ſapientiæ ſplendorem, & incredibilem firmitatem Cephas à Chriſto nouimus appellatum, referebat. Et quidem in auro Cephas, radiantem Petri ſapientiam vidit S. Ambroſius ſermone 15. in Pſalm. 118.
S. Ambr. *Caput eius*, inquit, *aurum Cephas, vnde & Aquila Petrum aurum dixit, Symmachus lapidẽ aureum; quòd ſignificat ſtabilem, eminentemque ſapientiam*. Proh boni ſuperi! qualis fuit auri huius ſplendor, quanta aurei lapidis ſublimitas, quàm ingens ipſius altitudo, quæ in terris cùm eſſet, altiſsima cæli culmina pertingebat: vnde humanis auribus Æterni Patris vocem inacceſſam percipere potuit, & verbum inde procedens
Matt. 16 nobis prædicauit, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Quin etiã abditiſsimum pandit Trinitatis myſterium, & ſecretiſsimam Perſonarum diſtinctionem, in vnitate eſſentiæ penetrauit. Quod etiam Paulo in paradiſum rapto con-
2 Cor. 12 ceſſum non dubito. *Scio* (inquit ille in 2. ad Corinth. 12.) *hominem in Chriſto ante annos quatuordecim* (*ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit*) *quoniam raptus eſt in paradiſũ, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Quapropter iure optimo Diuus Chryſoſtomus ambos Apoſtolorum Principes ſpiritus receptacula, apta ſanctæ Trinitatis interpretandæ inſtrumenta appellauit.

Illud tamen hoc loco Pauli doctrinam non ſolùm Petri doctrinę, & aliorum æqualem, ſed præſtantiorem extitiſſe videtur comprobare, quòd ſolus Paulus plures epiſtolas reliquis omnibus conſcripſerit, vt D. Cyrillus, Catecheſ. 10. adnotauit. Verùm, vt monet idem Cyrillus non quia Petrus doctrina inferior extitiſſet, conceſſum eſt Paulo plures epiſtolas ſcribere: ſed quia perſecutor antea cùm eſſet, voluit Deus multiplici epiſtolarum numero doctrinam ipſius reddere firmiorẽ, vt fidei inimicos validiùs expugnaret, qui pro fide, quàm antea impetratis à Principibus Phariſæorum epiſtolis expugnauerat, prædicando, & ſcribendo ſtrenuiſſimè decertabat. Sed iam Cyrillus: *Miratus ſũ, inquit, ſancti Spiritus diſpenſationem, quòd aliorũ quidem Apoſtolorum epiſtolas, paruo numero circũſcripſit, Pauli autem ſui perſecutoris quatuordecim eſſe conceſſerit. Non enim quòd minor eſſet Petrus, aut Ioannes plura ſcribẽdi præcidit eis gratiam. Abſit. Sed quod dubia futura non eſſet doctrina, qui antea* D. Cyril.

ſuiſ-

ſuiſſet inimicus & perſecutor: ideo eum plura ſcribere voluit, vt omnes ſic nobis vera eſſe, quæ doceret, faciliùs perſuaderemus. Vnde Iudæi ſtupebant audientes eum de Chriſto diſputantem acerrimè, & dicebant: Non ne hic eſt, qui expugnabat in Hieruſalem eos qui inuocabant nomen iſtud, & huc ad hoc venit, vt illos vinctos duceret ad Principes Sacerdotum. Hactenus ille. Vbi vides maiorem epiſtolarum numerum, doctrinam non reddere præſtantiorem, ſed dubietatem auferre, & æqualitatem conſtituere, quę fortè non adeſſet, ſi is qui perſecutor extiterat, largiùs ſcribendo luculentiora doctrinæ teſtimonia non exhiberet.

Aliunde verò præſtantiſsimam fuiſſe Petri doctrinam, tum prædicando, tum etiam ſcribendo non ambiget, qui Petrum non ſolùm ordinis, & iuriſdictionis, ſed etiam ſcientiæ claues nouerit accepiſſe. Hinc eſt illud Petri
Petr. Damian. Damiani ſermone 28. *Epiſtola Petri & ſublimis illa ſermonum doctrina, nunquid non mirabiliter paſcit Eccleſiam Dei?* Et ideo Bonifacius Epiſcopus, & Martyr, cui
Bar. to. 9. annal. pagin. 39. alias 45. num. 7. ſemper, teſte Baronio, in mente, ore, & opere Petrus erat, ab Eadburga Abbatiſſa, Regis Cantiorũ affine petijt epiſtolas Petri aureis ſibi litteris deſcribi. Epiſtolæ ipſius partem huc tranſcribo.
Bonif. ep. *Quia ſæpe, ſiue ſolamine librorum, ſiue veſtimentorum adiuuamine pietas tua triſtitiam meam conſolata eſt: ſic & adhuc precor, vt augeas quod cœpiſti, id eſt, vt mihi cum auro conſcribas epiſtolas Domini mei ſancti Petri Apoſtoli, ad honorem, & reuerentiam ſanctarum Scripturarum ante oculos carnalium in prædicando: & quia dicta eius, qui me in hoc iter direxit, maximè ſemper in præſentia cupiam habere.* Hæc ille. Tanti faciebat doctrinam Petri epiſtolis contentam! Nec mirum ſi hoc Apoſtoli amicus fecerit & Eccleſiæ filius, cùm hoſtis & alienus eandem non mediocriter laudauerit. Eraſmi teſtimonium eſt, qui primam Petri epiſtolam ait: *Dignam profectò eſſe Apoſtolorũ Principe, plenam authoritatis, ac maieſtatis Apoſtolicæ; verbis parcam, ſententijs differtam.* Vnde propter ipſius ſublimitatem ei conuenit, quod de Pauli epiſtolis idem Petrus aſſeuerat. *Secundum datam ei ſapientiam ſcriptas eſſe, atque in eis quædam contineri difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant.* 2. Petr. 3
Non aliter in epiſtolis Petri præſertim prima inueniũtur plurima intellectu difficillima. Arias Montanus locum ex cap. 3. adducit, quem inter omnes ex nouo Teſtamento difficillimum teſtatur, videlicet, quo pacto. *In ſpiritu Chriſtus veniens prædicauerit his qui in carcere erant ſpiritibus, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiã in diebus Noe* 1. Petr. 3. n. 19. & ſequent.

cùm

cùm fabricaretur arca. Alium adijcio non abſimilem ex c.4.n.6. 1.Petri 4.nu.6. *Mortuis euangelizatum eſt, vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu*. Pluribus ſuperſedeo, quia ex his Petri epiſtolarum profunditas,& ſublimitas,Pauli ſublimitati,& profunditati exæquanda ſatis propalatur.

Et ſanè quemadmodum doctrinæ ſublimitas, & ſapientiæ profunditas in vtroque Orbis Doctore pares extiterunt, ſic etiam æquali efficacitati, & paribus inde ſuccreſcentibus fidei, aliarumque virtutum fructibus in ſeminãda Euangelij doctrina contenderunt. Eandem operam apud Iudæos Petrus, quam apud Gentiles Paulus collocauit. Par fuit vtriuſque ſtudium, æquus labor; nec minor fructus ei reſpõdit.Idcirco Paulus ad Galat.2. ſcripſit: Galat.2. *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu circunciſionis, operatus eſt mihi inter Gentes*, quaſi diceret: Eaſdem vires Petro Iudæis prædicanti, quas mihi dum Gentilibus prædicarem, diuina gratia ſuppeditauit: vnde fructus æquales ſuccreuerunt. Quò, ni fallor, reſpexit D.Chryſoſtomus oratione in Principes Apoſtolorum, D.Chryſ. dum ait: *Petrus inſanorum Iudæorum frænum, Paulus gentium cohortatio*. Vterque ager ſpinis erat obſitus, & ſentibus inhorreſcens, atque adeo difficillimæ culturæ, & ſubactionis, Iudæi rebelles, impij, duræ ceruicis, frænum excutientes: Gentiles ignorantia cæci, ſuperbia elati, leuitate incoſtantes cohortationem, & doctrinam reſpuebant. Et tamen Petrus Euangelij fræno Iudæos conſtrinxit, edomuit, cicurauit. Quis hic incredibilem doctrinæ efficacitatem non demiretur? Paulus gentiles fide imbuit, chriſtianis moribus erudiuit,virtutibus illuſtrauit. Quod non minorem requirebat induſtriam, nec leuiori, vt conſummaretur, labore indigebat. Vnde cultoris vtriuſque laborem, induſtriam, doctrinam, efficaciam in æquilibrio ſtare dubitandum non eſt.

Cæterùm pondus adhuc adijcio, vt Petri efficacitas in prò ſeminanda fide clariùs appareat. Igitur Petrus Chriſti doctrinam, crucis ipſius opprobria, Romam primus inuexit, vt Benedictus Pererius diſput.5. in cap.1. epiſtolæ ad Romanos latiſsimè probat., & nos ex multorum Patrum ſententia ſtatim demonſtrabimus. Eſt autem plurimi faciendum, quod Petrus Romæ noualia fidei aratro ſubegiſſet, incultaque gentis illius pectora chriſtianis moribus imbuiſſet: Nedum quòd muneris Petro commiſſi dignitas præſtantior fuit: etenim Iudæis prædicauit, quibus Dominus Ieſus ſolum modò voluit prædicare, iuxta illud Matth.15. *Non ſum miſſus* Pererius Matt.15

Digitized by Google

miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Quin etiam Diuus Paulus ad Roman. c. 15. affirmat,
Rom. 15. *Chriſtum Ieſum fuiſſe miniſtrum circunciſionis.* At verò ipſemet Paulus Gentilibus prædicauit, quos Iudæis inferiores fuiſſe, probat illa Apoſtoli ad Romanos cap. 11. ſimilitudo: nam Iudæos
Rom. 11. æquiparat oliuæ: *Gentiles autem oleaſtris in bonam oliuam inſerendis, vt fiant participes pinguedinis illius.* Attamen poſthabita huiuſmodi prærogatiua; tantùm valet, quod Petrus primus Romanorum Doctor extiterit, & ipſos ad fidem pertraxerit, vt æqua efficacitatis laude cum Paulo Coapoſtolo ſuo decertaſſe videatur. Erant enim Romani valde indomiti, idolorum cultui addictiſsimi, & propriæ opinionis tenaces: Quapropter admirandum planè fuit, prodigioque ſimillimum, vt abiecta idolorum ſuperſtitione Chriſti fidem amplecterentur: quod D. Hieronymus in epiſt. ad
D. Hier. Rom. disertè adnotauit. *Quia omni mundo mirum fuit Romanos crediſiſſe, quia idolorũ nimia fuerant cultura poſſeſſi: ita vt dijs omnium gentium, quas vincerēt, deſeruirent.* Illud deinde legis ſuſcipiendæ difficultatem plurimum adaugebat, quòd Romani vt D. Chryſoſtomus in cap. 6. ad
D. Chryſ. Galat. aduertit, *Vehementer admirabantur, & expetebant res mundi huius proſperas, diuitiarum abundantia, potentiæ magnitudine, dominationis amplitudine, bonorum ſplendore, victoriarum gloria, ſummum bonum, & fœlicitatem determinabant. Quin etiam Imperatores ſuos, & vt Deos habebant, & aris, & templis, & ſacrificijs dignabantur.* Hinc eſt quod faſtu, ambitioneque tumeſcentes, Dei humilitatem, quem fabri filium cruci inter latrones affixum à gente ſua damnatum acceperant, omnino reſpuebant. Et quidem nihil difficilius videbatur, quam Romanis gentes alias contemptui habentibus, Saluatoris noſtri contemptum, crucem, verbera, opprobria, ſpinas, tormenta vt amplecterentur ſuadere: ſubindeque abiecta mundi pompa, & vanitate Chriſtum verum Deum agnoſcerent, legemque ipſius cuſtodirent. Verùm ſic admirabilis fuit D. Petri efficacitas in prædicando, potens adeo ipſius doctrina, vt cupiditatem Romanorum, elationem, pompam, dominandi ſtudium contriuerit, illoſque in humilitate potentiam, & in ea, quam ſtultitiam reputabant, diuinam ſapientiam ſalubriter edocuerit. Admirentur alij Romanorum diuitias, prælia, victorias, Imperium, triumphos. Ego plus D. Petrum doctrinæ ſuæ efficacitate, & potentia de his omnibus admiror triumphantem. Atque adeo Coapoſtolo ſuo Paulo in hac parte non inferiorem, ſed omnino æqualem extitiſſe non du-

dubito. Verùm quia Petri doctrinam, ipſiusque potentiam Romę clarius illuxiſſe aſſeruimus. Iam de Apoſtoli ad vrbem acceſſu narrationem contexamus.

CAPVT QVARTVM.

Fidem ſuam D. Petro primo in ea legis Euangelicæ Prædicatori Roma debet.

ROmanos chriſtiana fide, & moribus à D. Petro imbutos, nemo eſt, qui dubitet: illud videbatur difficilius, an ille omnium primus Vrbem illam Orbis caput Euangelij ſplendoribus illuſtrarit. Cæterùm tot ſunt authorum id affirmantium teſtimonia, vt nulla dubitandi ratio ſupereſſe videatur. Euſebius lib. 2. hiſtoriarum cap. 14. de Petro loquens, ita ait: *Salutaris prædicationis verbo primus in vrbe Roma Euangelij ſui clauibus ianuã Regni cæleſtis aperuit.* Idem ſcripſit Theodoretus in cap. 1. epiſt. ad Rom. *Primus eis* (id eſt Romanis) *Magnus Petrus doctrinam Euangelicam præb. it.* Gregorius Turonenſis lib. 1. hiſtor. c. 25. poſtquam D. Petrum ſub Claudio Imperatore Romam veniſſe teſtatur, ſtatim ſubiungit. *Ab illis diebus Chriſtiani apud ciuitatem Romanam eſſe cœperunt.* Cum ergo antea non extiterint, aperto colligitur indicio, Petrum in ea Vrbe omnium primum legem Euangelicam diſſeminaſſe. Aper- Euſeb. Theodor. Gregor. Turon.

tius id tradit Paulus Oroſius libro 7. hiſtor. cap. 6. *Exordio*, inquit, *Regni Claudij Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cũctis fidem fideli verbo docuit, potentiſsimisque virtutibus approbauit, atque exinde (nota) Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt.* Oroſius.

Addo Irenei calculum ex lib. 3. cap. 3. vbi Romanam Eccleſiam à Petro primùm, poſtea à Petro ſimul, & Paulo fundatam aſſeuerat. Pro eadẽ veritate certat magnus Leo ſermon. 1. de Natali Apoſtolorum. *Cum Apoſtoli*, inquit, *imbuendo Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici Ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij.* Idem etiam reperies apud Chryſoſtomum tom. 5. homil. de duodecim Apoſtolis, vbi Regiones, quæ vnicuique obtigerant, vt in eis Euangelium prædicarent, hũc in modum recenſet. *Petrus hinc Romam erudit, Paulus inde mũdo Euangelium annunciat: Andreas Græciæ ſapientes corrigit: Simõ Deum docet Barbaros: Thomas baptiſmate Aethiopas dealbat: Iacobi cathedram Iudæa honorat: Marci thronum Alexandria, ad Nilum complectitur: Lucas, & Matthæus conſcribunt Euangelia: Ioannes autem diuina tractans myſteria, etiã poſt mortem tanquam viuus Epheſum curat: Bartholomæus Lycaoniam* Ireneus. D. Leo. D. Chryſ.

ad

ad temperantiam inſtituit: Philippus miraculis conſeruat Hierapolim. Hactenus ille. Theodoſij magni authoritatem etiam interpono, cuius eſt illud relatum *in* Theodoſ. *cap. de ſum. Trinitate,& fide Cathol.* habeturque in l. *Cunctos populos*. *Cunctos*, inquit, *populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium in tali volumus religione verſari, quam beatum Petrum tradidiſſe Romanis, religio vſque adhuc inſinuata declarat*. Quin etiam D. Antoninus in ſumma hiſtoriali par. 1. lib. 3. cap. 9. §. 14. à Sybilla Erythræa Petri in vrbem aduentum, & prædicationem, ad quam Romani ſuperſtitione abiecta fidem erant ſuſcepturi multò D. Ant. ante prædicta teſtatur. *Chriſtum*, igitur prædixit Sybilla, *non in gladio,& bello Aeneadum vrbem ſibi ſubiecturum, ſed in hamo piſcantis*. Poſtremò quod omnium inſtar mihi eſt Pauli gemma rem conſigno: nam cap. 1. ad Roman. Rom. 1. ita ſcribit: *Vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos*. Itaque litteras ſe miſſurum fatetur, vt Romanos, qui iam fidem ſuſceperant, in ea confirmaret; *Ad confirmãdos vos*. Sed quo Doctore primum Romani fideles facti, niſi Petro? Ita planè cenſuit D. Hieronym. ad eum D. Hier. locum. Verba illius ſunt. *Romanos Petri prædicatione fidem tenentes confirmare ſe velle Paulus dicit: non quod minus accepiſſent à Petro, ſed vt duobus Apoſtolis, teſtibus, atque Doctoribus eorum fides magis roboraretur*.

Quia verò Romani talem fidei ſuæ Magiſtrum, & Doctorem obtinuerunt: ita firmiter illam ſunt amplexati, vt integram, & inuiolatam, multiſque inſuper virtutibus adornatam vſque in hæc tẽpora ſuſtentarint. Fides enim, quam Romana Eccleſia à Petro ſemel accepit, illæſam, & incorruptam cuſtodiuit. Vnde Tertullianus, Ireneus, & alij fidei propugnatores, hoc argumento doctrinam hæreticorum falſitatis conuincunt, quòd fidei repugnet, quam Romana Eccleſia à Petro acceptam caſtè, incorruptèque ſeruauit: Et quod magis admireris ad finem, vſque mundi eodem tenore ſeruabit; ita quod ſemper Romæ vigeat, vt ex multorum Doctorum ſententia probat egregiè Cardinalis Belarminus controuerſ. 8. de Rom. Pontifice lib. 4. cap. 4. Bellar. Quid ni, hinc fidei ſoliditatem, & firmitatem à Præceptore ſuo,& Magiſtro mutuarentur? Cum etiam Angelus, qui in Chriſti ſepulchro reſurrectionem ipſius prædicabat, dicẽs: *Ieſum quæritis Nazarænum crucifixum, ſurrexit non eſt hic*; vt firmam redderet ſuæ prædicationis fidem, Petri firmitatem quæſiuit; idcirco reuoluto lapide ſuper eum ſedebat prædicaturus. Marc. 16 *Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum*.

Mat-

Matth. cap. 28. Inquirit autem hoc loco Diuus Petrus Chryſologus: *Et Angelo quæ cauſa ſedendi erat, cui nulla inerat laſſitudo?* Reſpondet acutè, vt ſolet: *Sedebat vt fidei Doctor, vt Reſurrectionis magiſter: ſedebat ſuper petrã, vt ſoliditas ſedis daret credentibus firmitatem. Ponebat Angelus ſuper petram fundamenta fidei, ſuper quam Chriſtus erat Eccleſiam fundaturus, qui dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* E Petro igitur quærebat fidei firmitatem, quia in auditorum ſuorum animis firmiter manſuram deſiderabat. Vnde iam non miror Petrum fidem, quam in Romanorum cordibus plantauerat ita firmam, & inconcuſſam reddidiſſe, vt nullis perſecutionum flatibus concuti, & euelli potuerit. Quippe quæ in petra radices egerat, aduerſus cuius firmitatẽ portæ Inferi non prævalebunt.

Matth. 28 D. Petr. Chryſol.

Hinc eſt, niſi fallor, quòd Diuus Paulus ad Roman. c. 1. fidem ipſorum commendat. *Gratias*, inquit, *ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo*. Mirum dictu! cum vix tredecim anni effluxerant, ex quo Romani fidem Chriſtianam ſuſceperant, & eam tanta Religione obſeruabant, vt eius rei fama omnes Orbis Regiones per breui illo temporis decurſu peruaſerit. Nec hyperbolicè, aut blandientis affectu hæc ab Apoſtolo dicta Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophilactus exiſtimant. *Non hoc Romanis dixit Paulus eis blandiens, ſed verè dicens: neque enim fieri poterat, vt quæ Romæ eueniebant, ea illos, qui in toto erant terrarum Orbe laterent. In illa enim vrbe olim Romanorum Imperatores regiam ſuam habebant; illic emittebantur, qui & gentibus præeſſent, & qui à ciuitatibus vectigalia exigerent. In illam quoque vrbem concurrebant omnes, qui regalia profitebantur beneficia, & per hos omnes vbique ſignificabatur, quòd ciuitas Romanorum Chriſti fidem acceperat: id autem iis, qui audiebant, maximam vtilitatem afferebat.* Hæc ex Chryſoſtomo; qui fidem hanc Romanorum, non nudam, nec mortuam, ſed viuam, plurimiſque virtutum ornamentis decoratam extitiſſe aſſeuerat. In eadem epiſt. cap. 15. ait Diuus Paulus, *Certus ſum fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere:* Pauciſque interiectis adiungit: *Veſtra obedientia in omnem locum diuulgata eſt: gaudeo igitur in nobis*. Cernis charitatem omnigenã in his, quæ ad ſalutem ſpectant, ſcientiam, obedientiam, quibus Romani ſuſceptam à Petro fidem nobilitarunt: Hæ quidem virtutes vnà cum fide, & aliæ quam

Rom. 1. D. Chryſ. Rom. 15.

Bbb plu-

Digitized by Google

plurimæ ſuccreuerunt, atque ad poſterorum ætatem fæliciter promanarunt, vt Euſebius lib. 2. hiſtor. cap. 14. teſtatur. *Tanta*, ait, *pietatis lux in Romanorum mentibus, qui Petrum audiebant, aſfulſit; vt non eius tantùm ſermonibus audiendis, non doctrina diuinæ prædicationis percipiendæ cõtenti eſſent, ſed à Marco Petri comite, ac diſcipulo diu, multumque flagitarent, vt monumentum eius doctrinæ, quam ipſis Petrus prædicatione, ſermoneque tradidiſſet, ſcriptis futuram ita ſtabilem mandaret. Nec prius hominem dimiſerunt, quàm eorum poſtulatis obſecutus Euangelium ſcripſiſſet.* Accinit D. Hieronymus, eandem Romanæ Gentis fidem, & deuotionem mirificè extollens. *Vbi nam*, inquit, *alibi tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & Martyrum ſepulchra concurritur, vbi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui amẽ reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam Romani habeant fidem, quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum.* Theodoreti præconium addo ſatis luculentum, ex oratione ad Leonem cognomento Magnum ſcripta, depromptũ. *Præcipuè inſigniter*, inquit, *iſtam vrbem exornat fides, cui dignus fide Apoſtolus, hoc perhibuit teſtimonium: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Si autem à principio ſuſceptis diuinæ prædicationis ſeminibus tam miros fructus Roma tulit; ad eam quæ nunc in ea vrbe verſatur pietatem, meritis laudibus celebrandam, quænam ſuffecerit oratio?*

Euſeb.

D. Hier.

Theodor.

Cùm igitur fides Romanorum in Petro radicata, & in ipſius firmitate benè fundata ſic floruerit, & noua quotidie ſuſceperit incrementa virtutum: cùm Romæ ſit Chriſti Vicarius, Eccleſiæ caput, & Paſtor, Chriſti oues fide, doctrina, pietate paſcens, & protegens; hallucinata eſt. Federici Secundi Imperatoris impietas, qui in Innocentium Quartũ Pontificem Maximum excandeſcens, hæc carmina iactabat.

Roma diù titubans varijs erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Impium æque, & vanum omnem; nec niſi ab homine, qui in Eccleſiam bella mouerat, prolatum. Non defuit tamen, qui Pontificis, & fidei partes agens, reſponderet.

Niteris in caſſum nauem ſubmergere Petri:
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Verè dictum, & pietate plenum, & ideo à Federico oppugnatum, diſticho non minus impio, quàm ſuperſtitioſo.

Fata volunt, ſtellæque docent, auiumque volatus,
Quòd Federicus ego malleus Orbis erõ.

De-

Demens, qui Deum aſtris dominari non agnouerat; dementior, qui volucrum volatibus fortunæ ſuæ euentus credebat. Si vitam ille ſuam reſpiceret, exitum videret, quem ſequens diſthicus pollicebatur.

Fata volunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Securior equidem Romæ fides ſub Petri, & Pauli vadimonio permanebit, quàm ſub falſis auſpicijs ſua ſpes ſtetit Federico: Illi vitam breuem, pœnam æternum manſuram improbitas portendebat: Romæ fidei firmitatem, & perennitatem Apoſtolorum patrocinium ominatur. Vnde exclamat Chryſoſtomus oratione in
D.chryſ. Principes Apoſtolorum. *O par vadum cuius fidei totius mundi animæ ſunt concreditæ! Petrus orthodoxæ fidei principium, magnus atque illuſtris Eccleſiæ Sacerdos, neceſſarius Chriſtianorũ conſiliarius, ſupernarum poteſtatum theſaurus, honoratus à Domino Apoſtolus. Paulus magnus præco veritatis, vniuerſi terrarum Orbis gloria; in cælis homo, & in terra Angelus, decus Eccleſiæ, in ſublimibus aquila, lyra ſpiritus.* Vterque Romæ fidem ſeminauit, ſub vtriuſque auſpicio creuit, & immota perſenerabit.

Soli hi præ cæteris Apoſtolorũ nomina in ſuis epiſtolis vſurparunt. Lege Iacobum, Ioannem, & Iudam, nuſquam inuenies, quod ſe ipſos Apoſtolos nominauerint. Lege Paulum in epiſtola ad Romanos, & in ipſo
ſtatim veſtibulo inſpicies: *Paulus* Rom.1.
ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus. Lege primam Petri epiſtolam, & ſtatim tibi occurret;
Petrus Apoſtolus: quia, vt reor, 1.Petr.1
iſti præceteris munus Apoſtolicũ pari doctrinæ efficacitate Romæ præcipuè obierunt. Ne quemquam moueat, ſi Paulum in prima ad Corinth. cap. 15. ſcriben-
tem legat; *Plus omnibus laboraui.* 1.Co.15.
Non enim dixit, vt quidam pru-
denter aduertit, *Plus omnibus* Arſe ora-
profeci, ſed laboraui, Petri ratio- tione de
nem habens, cui doctrinæ pro- S. Andr.
fectu æqualis extitit, & ſi in laborando plus inſudarit. Quam reſpiciens æqualitatem D. Chryſoſtom. oratione in Principes Apoſtolorum, ambos alternis laudum
præconijs mirificè extollit. *Pe-* D.chryſ.
trus, ait, *Apoſtolorum dux: Paulus ordinis ſupernarum virtutum cognitor, atque inſpector: Petrus inſanorũ Iudæorum frænũ: Paulus Gentium cohortatio.* Et paulo poſt ſubdit: *Cerne mihi ſublimem Domini ſapientiam, quæ quidem Petrum è piſcatoribus, Paulum verò è pellionibus elegit.* Rationẽ electionis reddidit Arator in Acta Apoſtolorum cap. 13. verſ. 3. his carminibus contentam.

Piſces Petrus agens homines capit, Arator.
æquoris hoſpes,

In ſacris perſiſtit aquis: babitacula Paulus,
Dum terrena leuat, docet vt cæleſtia condat,
Factaque ſæpe manu nunc conſtruit atria verbo.

Artem itaque eis reliquit exercendam, licèt artis ſubiectum immutauerit: & qui primũ piſces, poſtea homines expiſcatur: Alter pro papilionibus coriaceis cęleſtes habitationes molitur in cælo. Pulchrè autem, aduertit eodem loco S. Chryſoſtomus, hos duos artifices in prædicatione coniunxit, vt quos Petrus *Hamo piſcatoris* (hoc eſt artificioſo doctrinæ ſermone) *fuiſſet expiſcatus, Paulus tanquam ſutor lege, & gratia nudos, pelle coccinea indueret, Domini aqua, & ſanguine intincta.* Nobile par, & omni æuo memorandum. D. Chryſ

Proh boni ſuperi quanta animi contentione, quo ſtudio gentium inſtructionem ſuſceperunt: æquali efficacitate, & fructu continuarunt, & fælici pariter exitu terminarunt, quod ſequens monſtrabit Archielogium.

Digitized by Google

ARCHIELOGIVM TERTIVM.

Primi Eccleſiæ, præcipuique Paſtores, pro lege, & pro grege, ſanguine ſuo poſt vincula purpurati referuntur.

PLVRIMIS ad ſui commendationem præclariſsimæ Petri, Paulique virtutes nominibus, ac titulis indigent. Vnde & ſi plures inueneris, doctoque, & generoſo calamo reddideris; ſupra omnia virtus ſublimior, quàm ſupra reliquos Orbis montes Olympus, eminebit. Chryſoſtomum conſule ſermon. de Pentecoſt. & totum in enumerandis Apoſtolicæ virtutis appellationibus videbis diſtentum: ore tamen aureo, & calamo virtutibus mi-
D. Chryſ. norem. *Etenim*, ait, *vinitores erant, & piſcatores, & turres, & columnæ, & medici, & duces, & doctores, & portus, & gubernatores, & paſtores, & athletæ, & pugnatores, & coronas geſtantes*. Ohe quot nomina! expone tamen cum eodem Chryſoſtomo, & omnia reperies virtuti-
Chryſoſt. ibid. bus minora, *Columnæ quidem*, inquit, *quoniam virtute ſua Eccleſiæ robur ſunt: fundamentum autem, quia in confeſsione ipſorũ fundata eſt Eccleſia, dicente Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã. Portus autem, quia tempeſtates impias repreſſerunt: Gubernatores, quoniam Orbem terrarum viam rectam docuerunt: Paſtores, quoniam lupos abegerunt, & oues conſeruauerunt: Aratores, quoniam ſpinas eradicauerunt: Vinitores, quoniam labruſcas eradicauerunt, & ſemina pietatis plantauerunt: Medici, quoniam vulnera noſtra curauerunt*. Hæc ille, quæ ſtatim Pauli exemplis firmat, illuſtratque. *Et vt diſcas*, inquit, *me non in caſſum hæc dixiſſe, adducam Paulum in medium hæc omnia facientem. Vis eum plantatorem videre? Audi:*
Ego plantaui, Appollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Vis 1. Cor. 3.
eum ſtructorem videre? Sicut ſa- ibid.
piens, inquit, Architectus fundamentum poſui. Vis eum dimicantem videre? Sic pugno non 2. Cor. 9.
vt aërem cædens. Vis eum videre curſorem? Ab Hieroſolyma, Rom. 15.
& in circuitu, vſque ad Illyricũ, & inde ad Hiſpanias, & in vltimas partes repletum eſt Euangelium Chriſti. Vis eum videre

Ephe.ſ.6. *athletam? Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem. Vis eum videre ducem?*
Ibid. *Aſſumite arma Dei, & induite loricam fidei, & galeam ſalutis, & gladium Spiritus ſancti. Vis eum videre certantem? Certamen bonum certaui, fidem ſeruaui.*
2.Tim.4. *Vis videre coronatum? de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Hæc in enarrandis Pauli prærogatiuis Chryſoſtomi clauſula, & pulchrè beatitudinis corona orationi coronidem impoſuit: Tam magna quippe ſunt Pauli merita, vt ſolus qui dignè potuit præmiare, laudare poſſit.

Non inferior corona, & laude Petrus, quam & ſi pluribus adeptus fuerit nominibus, & muneribus: illud præcipuum, & ad commendationem, præmiumque pluris reputandum, quòd vna cum Paulo Eccleſiæ paſtorem egit prȩſtantiſsimum: quippe quã doctrina pauit, ſanguine fœcundauit, morte illuſtrauit, muniuitque: Vnde optimi paſtoris
Ioan.10. prærogatiua exurgit: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Ioan. c. 10. Non grauiter, credo, errem, ſi Petro, & Paulo illud Ezechielis vaticinium ada-
Ezech. cap.34. ptauero. *Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem*, cap. 34. num. 23. Vbi ſub Dauidis perſona bonus Eccleſiæ paſtor largiendus promittitur.

Et verò quis alius promiſſionis diuinæ fidẽ exoluere melius poſſet illo, qui apud Ioannem: *Ego* Ioan.10
ſum, ait, *paſtor bonus:* Et ideo Chriſtus in eo vaticinio promittebatur, & in Chriſto fuit impletum. Citra violentiam tamen, in Chriſti Vicarium, & ipſius Coapoſtolum Paulum licebit inflectere: ipſi enim poſt Chriſtum digniores in Eccleſia paſtores extiterunt; vt doctrinæ, ſanguinis, vitæque teſtimonium demonſtrat. Nec obeſt, quòd Propheta de vno tantùm loquatur: *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum*: Quoniam Petrus Chriſti Vicarius, vniuerſi gregis Chriſtiani paſtor fuit, & princeps, vt ſors ibi prædice-
batur. *Ego autem Dominus ero eis in Deum: & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorũ*, nu. 24. Ezech. cap.34.
Et ſanè iuxta Scripturarum morẽ figuræ nomen, qualis fuit Dauid, attribuitur figurato; atque adeo ſub illo Petrus Eccleſiæ paſtor futurus prænunciatur: *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum.*

Cùm autem audis vnum promitti, non ſolùm cogites Petrum, ſed Paulum ibi etiam prænunciatum agnoſce. Tam in diſcreta, namque ſimilitudine duo Eccleſiæ Principes vixerunt, vt vnus tantùm reputari queat. Vitam, doctrinam, mortem, merita, coronam inſpice; & prope eris duos negare, dum paribus certãtes meritis in terra conſpicis, pari in cælo diademate coronatos in-

ſpe-

ſpecturus, ſi illuc adire contingat. Interim S. Brigittæ reuelationes legas lib. 8. c. in fine &, Chriſtũ ibi audies hæc dicentem: *Ecce qualem charitatem cum iſtis duobus feci; nam Petro dedi claues Regni cælorum, vt quæcunque ligaret, & ſolueret in terra, ligata, & ſoluta eſſent in cælis. Paulo verò dedi vt ſimilis Petro fieret in gloria. Et ideo ſcias quod ſicut in terra pares fuerunt, & coniuncti, ſic nunc in cælo in gloria perpetua coniuncti ſunt, & glorificati.*

Lib. 8. reuel. c. 1.

Et fortaſſis dixerit ideo S. Chryſoſtomus orat. in Principes Apoſtolorum, ipſos in cælo mediam tenere Deiparam. *Qui in medio habetis Matrem Domini, & iuſto ſpiritu eſtis potentiores*: quia poſt ipſam nemo ampliori fruitur gloriȩ choragio, in qua pares ſũt, ſicut paribus in vita meritis certantes, eandem pari exitu concluſerunt. Maximum hìc audio homil. 5. de Petro, & Paulo disertè perorantem: *Non ſine cauſa factum putemus, quod glorioſiſsimi Chriſtianæ fidei Principes Petrus, & Paulus, vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiam. Vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirẽt: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque conſtringeret. Dies ergo, puto, pro merito, locus, pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute.* Et ibidem expreſſiùs adhuc adiungit: *Ergo Beati Petrus, & Paulus eminent inter vniuerſos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipſos quis cui præponatur incertum eſt. Puto enim illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione.*

D. Chryſ.

D. Max.

Eandem æqualitatem duorum Eccleſiæ Principum, quam loquẽs & diſerta D. Maximi pictura nobis oſtendit, muta tabularum tum Romȩ, tum alibi pictura edocet, in qua Paulum ad dexteram modò, & ad ſiniſtram rusùs inſpicies: quin etiam diplomata in dextera, & numiſmata proferunt in ſiniſtra. Quid ni hæc locorum erit indifferentia, vbi tanta fuit morum ſimilitudo, parilis vitæ ſanctitas, æqua mors, eademque pro præmio corona. Diui Leonis exiſtimatio iſthæc ſermone 1. de Natali Apoſtolorum eleganti, vt ſolet, calamo reddita, *Hos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum; de quorum meritis, atque virtutibus nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum: quia illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* D. Leo.

Cùm igitur tam indiſcreta fuerit vtriuſque Apoſtoli ſimilitudo; mirum non erit, vt Prophetam termino vtentem ſingulari, *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum*, vtrũque prædixiſſe intelligamus: Ezech. 4.

 vter-

vterque enim Romæ Epiſcopus fuit, ipſius Eccleſiam fundauit, rexitque; vt præter alios tradidit Ireneus lib. 3. cap. 3. Licèt verò Petrus dignitate Paulum præſtiterit, authoribus Cypriano epiſt. ad Quintum, Auguſtino epiſt. 19. ad Hieronymum, & Hieronymo epiſt. 89. ad Auguſtinum Gregorio homil. 18. in Ezechielē Theodoreto epiſtola ad Leonem, Oecumenio in cap. 1. ad Galatas non proinde dignitatis præſtantia ſimilitudini, æqualitatique obſtaret vt ſub vno vterque non foret intelligendus. Verùm etſi æquæ pollerent dignitate, vel Paulum in ea præiuiſſe admitteremus, nihil inde ſequeretur, quod Pontificiæ Petri dignitati derogaret: minùs verò aliorum Pontificum Petri ſucceſſorum, quippequi Petrum, & Paulum, vt prædeceſſores, & parentes agnoſcunt, & venerantur. Et Petri authoritas ordinaria fuit, Pauli verò extraordinaria, priuilegioque ſpeciali conceſſa: ſicut in Iſraelitica plebe Aaron ordinaria ſummi Pontificis authoritate, & Moyſes extraordinaria fungebatur. Quidquid tamen de hoc ſentiendum ſit, illud mihi indubitatum eſt, duos Apoſtolorū Principes æqualibus meritis claruiſſe, æquali præmio coronatos, æqualibus Romanum epiſcopatum habenis moderatos, ac ſi vnus in ea, tantùm Paſtor eſſet, *Paſtorem vnum*; ibidemque, & eodem die, quaſi vna tantùm eſſet vtriuſque ceruix, vnius tyranni gladio fuit amputata, licèt alter iugulatus, & alter cruci affixus obierit. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum.* Suſcitauit Chriſtus, iugulauit Nero: accendit Eccleſiæ lumina Saluator, extinxit perſecutor. Et certè tyrannorum manus, & enſes certiſſimus paſtorū finis, nec aliud ſui muneris clarius monumentum aſpicies, quàm martyrium: vinculis, cruciatibus, ſanguine paſtoris optimi dedicatur officium. Fortunati quibus Domini gregis cuſtodia pertraxit ad necem; qui ne oues à lupis diſperſæ raperentur, ab eorum rabie in fruſta diſſecti, ſicut Petrus, & Paulus fæliciter perierunt, quorum martyria calamum ſanguine madidum, & ſcripturientem manum prouocant, impelluntque.

Margin notes: *Ireneus.* *Cyprian.* *Auguſt.* *Hieron.* *Gregor.* *Theodor.* *Oecumen.* *Ezec. 34*

CAPVT I.

Petrus, & Paulus pro Chriſto patiendi deſiderio efferuntur: & catenarum vtriuſque pretium, ac dignitas æſtimatur.

PRincipum Apoſtolorum in carceres tormentaque affectus, & patiendi amor incredibilis, Chryſoſtomi calamū, & mentem mirificè detinuit. Vnde Petrum, hinc Hieroſolymitano carceri mancipatum, ſequenti die ad capitale ſupplicium extrahendum, & tamen dormientem, *Cùm autem producturus eum eſſet Herodes,* *Act. 12.*

rodes,

rodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Actor. 12. num. 6. & Paulum inde vnà cum Sila in Macedonia vinctum, vigilem nihilominus, & nocte canentem intempeſta ſpeculatus: *Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum, & audiebant eos, qui in cuſtodia erant*. Actorum 16. numero 25. Petri ſoporem, Paulique vigiliam, & cantum ad aſpectum contraria demiratur. Multùm nihilominus conuenientiæ, & ſimilitudinis in vtraque actione adinuenit: quia ſomnus, & cantus, ſopor, & harmonia de patientiæ voluptate naſcebatur. Paulus, & Silas canebant, quia antequam in vincula detruderentur: acerbiſsimis fuerant flagellis excepti: *Iuſſerunt eos virgis cædi, & cũ multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem*. Actor. 16. num. 23. Itaque verbera lætitiam, & virgæ ad hymnodiam perduxerũt. Chryſoſtomum ibi ſupra dicentem repeto: *Hi vigilabant, & hymnos canebant, quoniam iam flagellis cæſi fuerant, & totum eorum negotium confectum erat*. Petrus è contra verbera adhuc non fuerat expertus, ſequenti die verberandus, vel crucifigendus; ex quo tam incredibilem, ait Chryſoſtomus voluptatem concepit, vt tormentorum contemptu ſomno caperetur. *Eſt enim vinctus, & traditus militibus, & dormiebat. Adeo gaudebat, nec alterabatur, & profundus eum tenebat ſomnus: non dormijſſet, ſi in magna fuiſſet ſolicitudine*. Hinc eſt illud vtriuſque moriendi deſiderium: nam Petrus ſibi pro morte iam impendente gratulabatur: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*, epiſt. 2. cap. 1. num. 14. Paulus eodem impulſus amore dicebat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, Philip. 1. num. 23. Gloſſa ad verba Petri, ait: *Pulchrè non mortẽ, ſed depoſitionem vocat: ſic enim eſt famulis Dei carnis retinacula exuere, ſicut poſitis in expeditionem proſtrato hoſte ad patriam redire*. D. Gregor. libr. 5. Moral. cap. 40. Pauli ſententiam ita interpretatur. *Benè Paulus æterna deſiderans, ſed tamẽ adhuc corruptionis ſuæ ſarcinam portãs, vinctus clamat: cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Diſſolui enim non quæreret, niſi ſe proculdubio vinctum videret*. Quaſi diceret: mortem non ambiret, niſi ſe vinculis illigatum ſentiret: mori tamen feſtinat, non vinculorum liberationem quærens, ſed quia inter catenas opportunum moriendi tempus cogitabat. *Diſſolui enim non quæreret, niſi ſe proculdubio vinctum videret*. Nec verò ſolam mortem, ſed inſuper catenis, & cruciatibus aſſociatam expetebat.

Actor. 16

D. Chryſ.

D. Chryſ.

2. Petr. 1

Philip. 1.

Gloſſa.

D. Greg.

Quid autem eſt quòd D. Paulum hæc omnia deſpicientem admireris D. Chryſoſtomum adi ho-

mil. 2.

mil. 2. de laudibus Pauli, & ipſius contemptum tibi oſtendet elegāter depictum. *Sic deſpiciebat vniuerſa quæ cernimus; vt ſolet herba tam putrefacta contemni: tyrannos verò ipſos, ac populos ſpirantes furorem, velut eſſe quoſdā culices exiſtimabat. Mortem verò, & cruciatus, & mille ſupplicia, quaſi ludum putabat eſſe puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret.* Nec mediocrem in ſuſtinendo voluptatem ſentiebat: vnde addit idem Chryſoſtomus. *Tunc enim, & tunc amplectebatur libenter, & decorabatur, vinctus catena magis quàm diademate coronatus. Etenim coactus carcere, habitabat cælum, ac libentiùs verbera excipiebat, & vulnera, quàm alij brauia deripiunt: & dolores non minus, quàm præmia diligebat: cùm ipſos vtique dolores loco duceret præmiorum: propterea enim illos, & gratiam nominabat.* D.Chryſ.

Nec catenæ tantùm ſolatio ipſi erant, ſed ex omnibus, quæ pro Chriſto patiebatur, incredibilem percipiebat iucunditatem. Iterum Chryſoſtomus, *Sic igitur, & Paulus nocte, & die conſolationem excipiebat ex lachrymis: nullus ſiquidem tanto affectu mala propria, quàm ille deflebat aliena.* Et homil. 1. de laudibus Pauli ait: *Vnde & iuges lachrymarum ex eo fontes, non diebus ſolùm, ſed etiam noctibus affluebant, omnique muliere parturiente: vehementiùs affligebatur in ſingulis propter quòd etiam dicebat. Filioli mei, quos iterum parturio.* Itaque aſſiduis vel propria, vel aliorum cauſa doloribus, & cruciatibus Paulus torquebatur; in medijs tamen paſſionibus, ac inter ipſas lachrymas magna lætitia perfundebatur. D.Chryſ.

Omnia tamen hæc ex amore naſcebantur, hic enim Paulum extra ſe quodammodo rapuit, & in Chriſtum transformauit: ita quod totus Paulus in patiēdi pro Chriſto affectum tranſierit. Et ſanè magna eſt amoris vis, qui vt dicebat Dionyſius Areopagita de diuinis nominibus lib. 4. *Extaſim facit Diuinus amor, & amātes ſui iuris eſſe non ſinit, ſed amatorum iubet exiſtere: vnde Paulus ille Diuino amore occupatus clamabat: viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus; tanquam verus amator extra ſe poſitus viuens vitam non ſuam, ſed amatoriam.* Et Diuus Bernardus in eadem Pauli verba ad Galat. ſermone 7. de Quadrag. ait: *Ac ſi diceret, ad alia quidem omnia mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo. Si qua verò ſunt Chriſti, hæc viuum inueniunt, & paratum.* Ebrius enim erat amore Paulus, & præ ebrietate è mente exierat. Vnde ad Corinthios priuſquàm diceret: *Charitas Chriſti vrget nos*, cap. 5. num. 13. præmiſit. *Siue mente exceedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis* Dionyſ. D.Bern. Cor. 5.

vobis. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: *Inſanimus*, ita enim reddit Syriacum verbũ illud *Excedimus*. Quapropter ſubnectit diſertè ad
Theoph. eum locum Theophil. *Inſaniebat Paulus amatoria quadã inſania, Deum amans, ac amatoris inſtar illi viuens: nempè adamato, extra ſe ipſũ raptus, ac totus in Deũ tranſlatus, nec ſuam ipſius vitam viuens, ſed illius quẽ amat, amatoriam planè dilectam, & valde charam.*

Hunc Pauli amorem verè dixeris fontem, ex quo adeo vehemens patiendi deſiderium ſcaturiebat, vt à tormentis pro Deo ſuſtinendis, nulla occaſione abduci poſſe exiſtimaret; & ideo creaturas omnes incertamen prouo-
Rom. 8. cabat. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Roman. 8. num. 35. & ſtatim num. 38. addit: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Quo
D.Chryſ. in loco audiendus eſt D. Chryſoſt. homil. 1. de laudibus Pauli. *Sed quis Paulo poſsit æquari, qui non modo patriam, cognatos, ac domum, ſed ſe ipſum quoque, mundum reliquit: immo etiam cælum, & cælum cæli, & hæc omnia Chriſtum ſuſcipiendo deſpexit: Vnum pro cunctis, & ſolum, ideſt, Chriſti charitatem requirẽs: Neque præſentia, inquit, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Apud Cæſarem ſe tenebat Paulus, quem Propheta nomine Agabus conuenit, & prophetico ſpiritu edocuit, quo pacto Hieroſolymam eſſet petiturus, vbi ipſum vincula manebant, quemadmodum, referente Luca Actorum 21. num. 11. Agabus hunc in modum prædixit. *Tulit zonam* Act. 21.
Pauli, & alligans ſibi pedes, & manus dixit, hæc dixit Spiritus ſanctus: virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Hieruſalem Iudæi, & tradent in manus gentium. Quæ cùm adſtantes audirent, additis obſecrationi lachrymis, Paulum ab itinere dehortabantur. *Quòd cum audiuiſſemus rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Hieroſolymam:* ibid. num. 12. quibus Paulus alacriter reſpondit: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meũ? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu*, ibdem nu. 13. In quæ verba pulchrè admonet Beda: *Sed quia* Beda.
non amore, vel lachrymis filiorum ad dexteram, non ad ſiniſtram deflecti

flecti poterat matris conſtantia vide, abitura plorantibus dicat; Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim, non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu. Hæc & plura ſuadebat amor, cuius tanta vis eſt, vt omnia mundi vincula, cruciatus omnes, mortem ipſam tanquam nihilum reputauerit. Quid ni talia ederet Orbis prodigium, humanarum mentiũ ſtupor, Phœnix charitatis? qui, vt cenſuit Chryſoſtomus homil. 1. de laudibus Pauli humanæ, Angelicæque perfectionis cumulum obtinuit. D.Chryſ. *Quæ autem lingua laudibus eius inuenietur æqualis, cùm omnia quæ ſunt in hominibus bona, vna anima poſſideat, & ea cuncta plenè, atquè cumulatè, quæ non ſolum hominum ſunt, ſed quod amplius eſt, Angelorum.* Illud tamen, addit Chryſoſtom. Paulum verè magnũ efficit, quòd magnitudine ſua omnem facundiam excellit. *Eſt enim hoc maximum laudis genus, cùm orationis copiam virtus exuperat, & magnitudo laudati: ſicque vinci nobis eſt multò glorioſius, quàm ſæpe viciſſe.* Neſcio tamen quid delectationis latet in commemorandis Pauli virtutibus, vt quamuis laſſeſcat oratio, calamusque deficiat, nititur tamen, & quaſi ſuauitate illectus in ijs, & ſi parũ politè depingendis libenter immoratur. Pulchram D. Chryſoſtomi ſimilitudinem, ex homil. 8. de laudibus Pauli in hanc rem traduco. D.Chryſ. *Sæpe fulgido cæli globo delectatus oculus ad ſpectaculum oppoſiti è regione luminis ſe ſe violenter intendit: & licèt ſentiat aciẽ ſuam imparem eſſe radiorum certamini, deſiderio tamen illius pulcherrimi luminis intendi libenter inacceſſibili radiãtis Orbis reluctatur coruſco. Tale igitur quippiam ego ipſe perpetior, qui cum videã propriæ mentis oculos ex radijs Apoſtolici ſplendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam miro fulgore virtutum rutilantem, velut eminus intueri, & contra importabiles Solis micatus contentioſa ſubire certamina.*

Sed iam Petrum intueamur, quem eadem charitas, & patiendi affectus Coapoſtolo ſuo parem omnino retulit. Plurima de ipſius amore congeſſimus lib. 1. nunc inſtar omnium ſit illud Diui Ambroſij elogium, quo lib. 1. in Luc. c. 7. Petri charitatem erga Chriſtum, ipſiusque aſpectus fruendi ſtudium ampliter exornat. D. Amb. *Non contentus Petrus vidiſſe, quæ viderat, repetit intuenda: & quærendi Domini amore ſuccenſus nõ ſatiatur videndo. Vidit ſolus, vidit cum vndecim, vidit cum ſeptuaginta, vidit, & quando Thomas credidit, vidit cum piſcaretur: ſed non vidiſſe contentus, impatiens deſiderij, negligens captionis, immemor periculi, vbi Dominum vidit in littore, ſerum æſtimat*

mat ſi cum cæteris nauigio perueniret. Hìc Petri ardor ad Magiſtri conſpectum, quem etiam, eo abſente, & Neronis iuſſu vnà cum Paulo in Mamertinum carcerem detruſus retinuit. Dicebatur verò carcer ille Mamertinus, à Marte, quem etiam Mamertem aliqui dixerunt, ſiue ab aliquo ex nobili familia Mamertina, qui carcerem illum non tam extruxit (nam carcer antiquior ea familia videtur) quàm innouauerit, & à ſe denominari fecerit. Nunc autem Petri, & Pauli carcer appellatur, magnaque populi frequentia ſtatutis anni diebus inuiſitur. Iacet ad radices montis Capitolij, ex quo Egeſip. monte, ſi credimus Egyſippo, Simon Magus in præceps actus. Forum boarium verſus orientem reſpicit prope triumphalem arcum Septimij, vbi cùm adhuc Romanorum gloria vigeret, victoriarũ monumenta reponebantur, hic etiam in obſcuro ſubterraneoque ſpecu catenis onerati, lætitiaque perfuſi propter martyrium iam impendentem Petrus, & Paulus clariſsimam de Nerone victoriam reportarunt. Quidni Romæ vincti eundem oſtenderent voluptatis affectum, quem alibi carceribus traditi præſtiterunt? Petrus Hieroſolymis vinctus paulò poſt in crucem agendus, præ gaudio (vt ex Chryſoſtomo dicebamus) dormiebat: Paulus de catenis, tanquam de ſpolijs gloriabatur; vnde Epheſijs dicebat: *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino*, cap. 4. & Philemoni: *Paulus vinctus Chriſti Ieſu*, nu. 1. & infra num. 9. *Paulus ſenex nunc autem, & vinctus Ieſu Chriſti*. Ad Eph. 4 ad Phil. 1

Nunc igitur Romæ moriendi deſiderio incenſi martyrio propinqui, catenis onerati gaudio efferebantur incredibili, mortem alacriter expectãtes, quam pro Chriſto vita iucundiorem, & catenas ſuas omni auro, gemmiſque pretioſores æſtimabant. Quod poſtea de catenis Pauli locutus dixit eleganter Diuus Chryſoſtom. *Nihil eſt æquè præclarum, atque vincula propter Chriſtum, atque catenæ ſanctis illis manibus impoſitæ. Vinctum eſſe propter Chriſtum eſt præclariùs, quam eſſe Apoſtolum, quàm eſſe Doctorem, quàm eſſe Euangeliſtam. Siquis amat Chriſtum nouit quod dicitur. Siquis in Dominum inſanit, & eius amore vritur, nouit vim vinculorum. Maluerit eſſe vinctus propter Chriſtum, quàm habitare cælos*. Ita ille homilia 8. in epiſt. ad Epheſ. Et paulò inferiùs Paulum catenis detentum, fæliciorem, quàm ad cælos euectum arbitratur. *Non tam*, inquit, *beatum exiſtimo Paulum quòd raptus ſit in paradiſum, quàm quòd coniectus ſit in carcerem. Non tam enim cenſeo beatum quòd raptus ſit in tertium cælum, quàm eum cenſeo beatum propter vincula*. Et rationem reddit. *Quoniam*, ait, *mihi eſt opta-* D. Chryſ. D. Chryſ.

bilius

bilius, & magis eligendum malè pati pro Chriſto quàm honorari à Chriſto.

Quanti facienda eſſent Petri, & Pauli vincula D. Chryſoſtomus agnouit: & ideo ſancta permotus inuidia Petrum in carcere contẽplatus, quem percuſſo latere, vt Lucas ait, Act. 12. n. 7. Angelus excitauit dormientem: *Percuſſoque latere Petri excitauit eum*, dicebat: *Si quis ergo mihi diceret: quid malles an eſſe Angelus, qui Petrum pupugit, an Petrus qui ſaluus euaſit, mallem eſſe Petrus: propter quem venit Angelus. Illa mihi prodeſſent vincula*. Ita ille homil. 8. in epiſt. ad Epheſ. & ſtatim de Pauli catenis ſubijcit. *Si quis mihi daret totum cælum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud ſuperos collocaret cum Angelis, aut cũ Paulo vincto, eligerem cacerem, & vincula: nihil eſt illa catena beatiùs.* Ne verò quiſquam tot de Pauli catenis elogia demiretur, earum virtutem extollit idem Chryſoſtomus in hunc modum. *Admiraris Paulum quando eius manum tetigit vipera, & nihil fecit, reuerita enim fuit catenam, etiam totum mare eam reuerebatur, tunc enim erat vinctus.* Sed quis in exaggeranda catenarum virtute dicendi finis? laſſeſcet oratio, calamus atteretur, & finẽ nuſquam faciet. Quapropter Chryſoſtomi exclamatione claudo, & obſigno. *O beata vincula, ò beatas manus, quas ornauit illa catena! Vellem videre catenas, quas pertimeſcunt quidem, & horrent dæmones, reuerentur autem Angeli. Si ego fuiſſem illis temporibus, tunc maximè eas eſſem amplexus, & pupillis meis admouiſſem non ceſſaſſem deoſculari manus, quæ dignæ ſunt habitæ, quæ pro Domino meo vincirentur.* Hæc ille. Sed nos Chriſti vinctos è Mamertino carcere extrahamus; & qua ratione Romæ in Orbis theatro martyrium cõſtanter ſubierint inſpiciamus.

Act. 12. D. Chryſ. D. Chryſ.

CAPVT II.

Roma Petro, & Paulo triumphalem pro Chriſto mortem ſubituris ampliſsimum exhibuit theatrum.

Conſtans omnium ferè Patrum, Eccleſiæque Doctorum ſententia, Principes Apoſtolorum vitæ curſum martyrij gloria decoratum, Romæ peregiſſe tuetur. Primum pro ea D. Maximum profero ferm 5 de Natali Apoſtolorum, vbi ita: *Petrus, & Paulus martyrium pertulerunt in Vrbe Roma, quæ principatum, & caput obtinet Nationum; ſcilicet, vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis.* Dionyſius genere Corinthius, qui centum fere annis ab Apoſtolorum obitu floruit, & aliquandiu Romæ vixit, vt teſtatur

D. Max.

Euſeb. tur Euſebius lib.2.hiſt.cap.22. de Petri, & Pauli martyrio Romæ Dion.Cor peracto, ita fatur: *Ambo in hac Vrbe ſimul docentes, etiam martyrio pariter vno eodemque tempore coronati ſunt.* Idem etiam ex plurimorum placito refert Theo- Theod. doretus in epiſtola ad Leonem Pont. Max. *Habet*, inquit, *communium Patrum* (de Roma ſermo eſt) *& veritas Doctorum Petri, & Pauli ſepulchra, quæ fidelium animas illuminant.* Addo Origenem, cuius ſententiam di- Euſeb. ſertis verbis commemorat Euſe- Origen. bius lib.3.hiſtor.cap.2. *Et Petrus*, inquit, *ad vltimum in vrbe Roma commoratus, ibi & crucifixus eſt deorſum capite demerſo. Quod ipſe ita fieri precatus eſt; ne exæquari Domino ſuo videretur.* Concinit Athanaſius in Apologia pro fuga ſua. *Petrus*, inquit, *& Paulus cùm audiſſent oportere ſe Romæ martyrium ſubire, non abiecerunt eam profectionem, ſed cum gaudio abierunt.* Multorum inſtar etiam profero Magnũ Gregorium lib.6. epiſt.37. de Eccleſia Romana loquentem. *Petrus* inquit, *ſublimauit ſedem, in qua quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt.* Prudentij carmi- Prudent. na ex hymno S.Laurẽtij adnecto.

Diſce adulter Iupiter ſtupro ſororis oblite:
Relinque Romam liberam, plebemque iam Chriſti fuge.
Te Paulus hinc exterminat: te ſanguis exturbat Petri,
Tibi id, quod ipſe armaueras, factum Neronis officit.

In eandem rem aptari poſſunt, quæ in Actis Apoſtolorum ſub finem cecinit Arator. Arator.

Digna materies Petri, Paulique coronæ,
Cæſareas ſuperare minas, & in arce tyranni
Pandere iura Poli, ſummumque in agone tribunal
Vincere, ne titulos paruus contingeret hoſtis.

Præter iam memoratos Doctores refero Chryſoſtomum in epi- D.Chryſ. ſtola ad Roman. homil.32. *Non ita*, inquit, *cælum ſplendeſcit quãdo radios ſuos ſol ex ſe dimittit, quemadmodum Romanorũ vrbs duas illas lampadas vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus: cõſiderate, & horrete quale ſpectaculum viſura ſit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cũ Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſum ferri.* Hæc ille; ex quibus deduces Apoſtolorum Principes Romæ diem clauſiſſe extremum, ibique in conditiuo quieſcere, vt cum alijs ad nouiſsimæ tubæ ſonitum reſurrecturis Chriſto obuiam in aëra rapiantur.

Tandem, ſæuiente Neronis perſecutione Petrus, & Paulus qui in alijs Orbis Regionibus tunc temporis ſe tenebant, diuino conſilio Romam veniunt, vt Eccleſiam cohortationibus ſuis & inſtitutionibus firmarent, & ſo-

ſolaretur. Cumque à ſatellitibus Petrus quæreretur vinciendus, fidelium ſuaſu, qui vt populi inſtructioni, & ſolatio ſe ſeruaret hortabantur, ab Vrbe ſecedere occepit, vt refert Ambroſius oratione 4. contra Auxenſium lib. 5. D. Ambr. epiſtolar. *Nocte*, inquit, *Petrus muro egredi cœpit, & videns ſibi porta Chriſtum occurrere Vrbemque ingredi*, ait, *Domine quò vadis? Reſpondit Chriſtus, venio Romam iterum crucifigi: intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum*. Paucisque interiectis concludit: *ſtatimque correptus per crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum*. D. Greg. Egeſip. Idem etiam enarrat Gregor. in Pſalm. 4. Pœnitent. Egeſippus libro 3. excidij Hieroſolymitani.

Cæterùm hanc Ambroſij, & aliorum enarrationem irridet impudenter Velenus, falſamque, & ſacræ Scripturæ dicit repugnantem: quia vt idem Petrus Actor. 3. de Chriſto loquutus affirmat, Act. 3. *Quem oportet cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium*: Ex quibus nititur probare Velenus Chriſtum Dominum nunquã poſt ſuum in cælos aſcenſum inde niſi in magno iudicij die reuerſurum. At irriſione, quin etiam & flagellis dignum iudico Velenum: quippequi Chriſti potentiam coarctare, ipſumque intra cæli clauſtra iniectis veluti compedibus ad extremum vſque iudicium remorari contendit. Quò quid falſiùs, & execrabiliùs tentare potuiſſet. Etenim omiſsis alijs Chriſti apparitionibus, quas probatiſsimi referunt Authores, celeberrima eſt apud Luc. Act. 9. vt videre eſt in ijs, quæ Saulo retulit Ananias. *Dominus Ieſus miſit me, qui apparuit tibi in via.* Act. 9. Igitur Chriſtus Dominus in aëre terræ proximo conſtitutus Paulo apparuit, eique corporeis oculis ſe ſpectandum exhibuit, vt lux eum circumfulgens & cæcitas inde proueniens manifeſtat: quinimo ipſius Pauli teſtimonio Actorum 9. identidem repetito confirmatur. *Barnabas apprehenſum Paulum duxit ad Apoſtolos, & narrauit illis quomodo vidiſſet Dominum*. Actor. 9. Item 1. Corinth. 9. *Nunquid non ſum Apoſtolus? Nonne Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum vidi.* 1. Cor. 9. Et cap. 15. eiuſdem epiſtolæ ſe ipſum inter eos enumerat qui Dominum Ieſum poſt reſurrectionem ſuam oculis corporeis inſpexerunt. *Nouiſſimè*, inquit, *tanquàm abortiuo viſus eſt, & mihi*. 1. Cor. 15. Nec obſtat quod ex Actis Apoſtolorũ opponebatur: Chriſtus enim in cælo conſiſtens, Petro apparere potuit, ſiquidem vnum, & idem corpus diuina potentia pluribus in locis conſtitui poteſt, vt planum eſt. Vel ſi mauis, verba illa Petri de manifeſtatione publica coram omnibus facienda: interpretare: quibus nõ repugnat, vt priuatim, prout liberet, & conueniens iudica-

dicaret, nonnullis apparere potuerit, vt reuera Petro Romæ egrediēti prope muros apparuit: qui ad mortem ſuā referens Chriſti reſponſum, ſtatim reuertitur. *Et per crucem ſuam honorauit Dominum Ieſum*, vt iam ex Ambroſio, & alijs dicebamus. D. Ambr.

CAPVT III.

De Authore tempore, & loco martyrij Principum Apoſtolorum.

ANnum agebat Pontificatus 25. Petrus Apoſtolus cùm Nero Imperij ſui anno 13. ex Achaia Romam rediens ob nouas accuſationes in Apoſtolorū Principes Petrum, & Paulum commotus ad capitale ſupplicium extrahi iubet è carcere Mamertino, in quem eiuſdem Neronis iuſſu detruſi nouem menſium ſpatio tenebantur. Igitur vna eademque die tertio Kalendas Iulij eiuſdem anni, iuxta veriorem, & magis probatam ſententiam, quam ſequitur Baronius diuerſo mortis genere glorioſum martyrium pertulere. Sic etiam ſcribit Euſebius lib. 2. Euſeb. hiſtor. cap. 25. *Igitur Nero, vt apertum ſe hoſtem diuinitatis pietatiſque profeſſus eſt, ipſorum priùs Apoſtolorum, quippequi duces, & ſigniferi erant, in Populo Dei expetit neces, & Paulum quidem capite in ipſa vrbe Roma: Petrum verò crucis patibulo condemnat*. Ita ille. Et in Chronico anno à Chriſto nato ſeptuageſim oprimo eadē confirmat. *Primus*, inquit, *Nero ſuper omnia ſcelera ſua etiam perſecutionem in Chriſtianos fecit, in qua Petrus, & Paulus glorioſè Romæ occubuerunt*. Euſeb. Euſebij veſtigia preſſit D. Hieronymus de viris illuſtribus, vbi de Petro hæc ſcribit. *Simon Petrus ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram Sacerdotalem tenuit vſque ad vltimum, ideſt decimum quartum Neronis annum, à quo, & affixus cruci martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo*. D. Hier. Nota verò Hieronymum poſuiſſe annum decimum quartum ex lectione Euſebij, quæ vt conuincit apertè Baronius corrigenda eſt, indubitanterque tenendum Apoſtolorum Principes decimo tertio Neronis anno martyrio coronatos. Paul. Oroſ. lib. 7. hiſt. Nerone͂ producit Apoſtolicę necis authorem. *Nam primùm*, inquit, *(Nero) Romæ Chriſtianos ſupplicijs, & mortibus affecit, ipſumque nomen extirpare conatus beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit*. Oroſius. Preſſiùs eadem tradidit Gregorius lib. 1. cap. 25. *Nero*, ait, *Petrum cruce, Paulum gladio occidit*. D. Greg. Hæc de interfectore, ad cuius imperium ſua Orbis lumina vidit extincta.

Porro Mamertino carcere educti, in quo Petrus aqua è fonticulo

mirabiliter erumpente, & vſque in hanc diem ebulliente Proceſſum, & Martinianũ ſacro baptiſmate initiauerat: ambo, vt Romani moris erat virgis cædi iubentur, priuſquàm vltimũ ſubirent mortis ſupplicium. Nec de flagellatione ait, Baronius ad annum Chriſti 69. quiſquam iure dubitare poterit præſertim, *Cùm adhuc Romæ in Eccleſia S. Mariæ Trãſpontem extent, & in honore habeantur columnæ illæ, quibus ambo Apoſtoli illigati, & virgis cæſi feruntur*. Sicut etiam carcer viſitur Capitolio vicinus iuxta Auguſtiſsimum S. Mariæ de Aracæli Templum. Et nobiliſsimum Seraphicæ Religionis Conuentum, magnaque fidelium deuotione frequenter inuiſitur, qui non ſine voluptate aquam ibi ſcaturiẽtem bibunt. Et quidem non ſine numine factum puto vt carceris illius pretioſiſſimi locus, & Seraphici Franciſci Cœnobium vicinitate coniungerentur, vt vbi ſpirabat Chriſti ſimulacrum, Franciſcus videlicet ſacris ſtigmatis inſignitus, vbi Saluatoris noſtri paupertatis, & patientiæ, effigies viſebatur, ibi etiam Principum Apoſtolorum fidei, & patientiæ monumenta cernerentur. Baron.

Flagellati igitur ambo extremum ſubituri ſupplicium, ſimul ducebantur ad portam vſque Trigeminam, quæ Hoſtienſis etiam dicebatur, vbi mendici vileſque perſonæ ſtipem corrogantes ſtabulabanr, vt illud Plauti non obſcurè ſignificat.

Vel extra portam ire Trigeminam ad ſacculum licet,
Quod mihi ne eueniat nonnullum periculum eſt. Plautus.

Quod etiam Plinius tradidit dicens: *Item P. Minutio Præfecto, annonæ extra portam Trigeminã vnciaria ſtipe collata*. Plinius. Præceperat autem Nero vt Chriſtiani extra Vrbem inter viles perſonas ſe tenerent, vnde memorat Philo de legat. ad Caium Transtiberinã Regionem ad habitandum Iudæis fuiſſe traditam: & ideo Apoſtoli huc fuerunt traducti: quò vbi primùm peruenerunt apparitores, qui eos ducebãt mutato conſilio ſepararunt. Philo. Et Petrum quidem in gratiam Iudæorũ in ea Regione, vbi ipſi degebãt, cruci affigendum reliquerunt. Paulum verò inter Chriſtianos gladio iugulandum aliò aſportarunt. Paulus verò antequàm à Petro diuideretur mutuam ei ſalutationem impertijt, & Chriſtiano more in oſculo ſancto vale dixit, atque deſtinatum ſupplicij locum rectà perducitur. Interim Petrus, vt in Actis, quę Lini nomine circunſeruntur, habetur vna cum ingenti populi multitudine ad locum qui appellatur Naumachia iuxta Neronis Obeliſcum peruenit: ſumitas ea erat Ianiculi, ſeu Vaticani montis Naumachiæ imminẽs oliuarum feraciſsima, fontiſque perenni-

rennitate irrigua, vt Prudentius his verſibus teſtatur.

Prudent. *Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum*
Canens oliua murmurans fluēto
Namque ſupercilio ſaxi liquor ortus excitauit (*ratem*.
Fontem perennem chriſmatis ſe-

In hoc loco Vaticani, qui Ianiculus quondam, modo ob nobilem Petri triumphū Mons Aureus dicitur, Petrus capite deorſum verſo, pedibuſque in ſublime elatis crucifigitur; quod ex animi ſui ſententia factum D. Hieronymus, Ambroſius, Theodoretus, & Maximus aſſeuerāt. Conſummato ſic in cruce martyrio Petrus à Marcello presbytero, curato priùs aromatibus corpore, & more regio magnificentiſſimè condito ſepelitur.

Porro Diuus Paulus ad Aquas Saluias, ita enim locus ille Chriſtianorum carnificinæ deſignatus, tertio ab Vrbe diſtans lapide, dicebatur. Multa quidem inter eundum memoratu digna accidiſſe in Actis Lini referuntur: quæ magis veterum Scriptorum aſſertione probata, vel antiqua traditione firmata videbuntur breuiter prælibo. Igitur Paulo, magna populi caterua comitante, ad paſſionis locum properāti obuiam proceſſit nobilis fœmina nomine Plautilla, quam Petrus luſtrali aqua initiauit. & Flauiæ Domitillæ matrem extitiſſe memoriæ proditum eſt. Hanc lacrymis vbertim manantibus ſuffuſam Apoſtolus cùm inſpexiſſet velum ab ea petijt, quo gladio feriendus oculos obuelaret, vt teſte Ioſepho lib. 7. de Bello Iudaico c. 14. in more poſitum erat apud Iudæos: annuit Plautilla, traditque prope Oſtienſem portā velū, in qua facti huius memoria perennat, Apoſtolus illud ſe redditurum pollicetur. Cùm autē vlteriùs pergeret muneris ſui nequaquam oblitus Chriſtum iamiam moriturus prædicabat, eoque audito tres milites ex Imperatoris ſatellitio ad Chriſti fidē cōuertūtur, & paulò poſt ob fidei conſtantiā idem Imperatoris gladius ſecūda Iulij die martyrio cōſecrauit. Perducto denique ad Aquas Saluias Apoſtolo fuſis ad Deum precibus, hilari vultu & exultanti animo iugulū præciditur. O miraculum nulla vnquā obliuione delendum! Pauli caput abſciditur, & è vulnere non tam ſanguinis fluēta, quā lactis pocula candidiſſima efluxerūt: diuulſum autē corpore caput vi quadam ſpiritus agitatū tres edidit ſaltus, ſanctiſsimū Ieſus nomen ter repetens, ſic fideli maiorum traditione ad poſteros tranſmiſſum reperitur. Et tres fōticuli dulcis aquæ ſcaturiēres ſatis probant, qui tunc primū erupiſſe dicuntur, cùm excuſum Apoſtoli caput in ternos ſaltus ſe cōmouit & primus quidem cęteris dulcior lactis ſaporē bibētibus refert, alij paulùm à primo, ac inter ſe diſtātes diuerſum ſaporem guſtui affe-

runt,vt quotidiana Chriſtianorum experiētia teſtatur,qui locū illum celeberrimū trium fontium dictū frequentiſſimè inuiſunt, & deuotione potiùs quàm ſiti,vt mihi accidit,aquam ſemel iterumq. epotār. Iam verò Paulus polliciti memor per viſum apparens Plautillæ velum ei reddidit:tantoque in honore habebatur, vt Conſtantina Auguſta magnis precibus à ſancto Gregorio Pontif.Rom.ad ſe mitti poſtulauerit,cui ille redditis litteris reſpōdit:haud quaquā ſibi fas eſſe Apoſtoli ſepulchrū aperire,in quo velum illud corpore inuolutum ſeruabatur.Porro Lucina clariſſimi ſanguinis fœmina ſublatū Apoſtoli corpus in ſuo prædio via Oſtienſi tumulo condidit honeſtiſsimo.

Sic igitur concludit Baronius ſupra citatus,*Glorioſiſſimo martyrio tam Petrus,quàm Paulus vita functi ſunt,locaque ipſa vbi eorum corpora ſepulta fuerunt,non quidē obſcura,ſed (quod mirandum eſt) inter perſecutores abſque iactura vel contumelia aliqua permanſerunt;eademque veluti nobiliſſima trophæa victoriæ à Chriſtianis ſūmo honore ſunt habita*. Cuius rei teſtem locupletiſsimū laudat Euſebius lib.2.c.24.Caium Theologum Zepherini Pontificis coæuum & ita loquentē inducit.*Ego Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere.Nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quæ Oſtienſis dicitur, te conferre; trophæa eorum, qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone,& virtute ſtabilierūt, inuenies*. Ita ille. Et quidem in ea Vaticani parte, qui Ianiculus, ſeu Mōs Aureus appellatur,clariſſimū ingentis victoriæ cernitur monumentum,videlicet Templū, & Seraphici Ordinis Cęnobiū Hiſpanię Regum magnificētia ſuperſtructū, & poſtea renouatum in ea ſummitate,vbi Apoſtolorū Princips paſſus,& aliquandiu ſepultus iacuiſſe exiſtimatur; vt Cenotaphium illic magnificè erectum, clariſſimis inuiſentium laudibus celebratū deuotiſſimisque Religioſorum illius Cęnobij precibus & ſacrificijs percultum demonſtrat.Vnde potiori iure de Petro dicere poſſemus quod de Ianiculo loquens, & Pōpei theatro ibi erecto in ſuum Mæcenatem Lyricus decantauit.

--- --- Datus in theatro
Cum tibi plauſus
Care Mæcenas eques, vt paterni
Fluminis ripæ, ſimul & iocoſa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago

Fallebatur ille, & fallebat patronum, cui mendaciter blandiebatur: nuſquam illic vera Mæcenatis enconiia reddidit echo. Petri maximè ſi Prudētio credimus, cuius eſt illud Perimph.hymn.12.

Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat;
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes.

Fa.

Baron.

Euſeb. Caius.

Fœlix nimium Seraphica Religio, quæ locum hunc obtinere, frequenterque, & liberè potuit inuiſere: cuius inuiſendi gratia Christiani, ex remotibus tam Orientalis, quàm Occidentalis Orbis partibus Romam venire conſueuerant. Quin etiã, reddita Eccleſiæ pace, Imperatores ſepulchra Apoſtolorum inuiſere, ex oſculari, debitoque Religionis obſequio colere ſtudioſiùs quæſiuerunt, & propenſiùs adamarũt. Hinc eſt illud Auguſt. ſerm. 28. de Sanct. *Nunc*, inquit, *ad memoriam piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piſcatoris*. Similia ſunt quæ Madaurenſibus ſcribit epiſt. 42. *Videtis*, inquit, *& Imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrũ piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare*. Cæterùm illud deuotionem hanc, & Apoſtolorum decus ampliſſimum clariùs illuſtrat, quod de ſuo in Vrbem aduentu, litteris ad Pulcheriam Auguſtam miſſis, Galla Placidia Auguſta teſtatur his verbis. *Vt Romam frequentibus conuerſionibus adæquè deſideremus inſpicere, cauſa eſt nobis amplectendæ Religionis, vt terminis Sanctorum noſtram exhiberemus præſentiam, quos certum eſt pro virtute in cæleſtibus conſtitutos, neque inferiora deſpicere. Nos itaque ſacrilegium eſſe credimus, ſi ſolemnium ordinem denegemus*. Hæc illa, quibus mirificè conſonant, quæ D. Chryſoſt. hom. 26. in capite 1. epiſt. 2. ad Corinth. eleganter ſcripſit. *Seruorum Christi*, ait, *ſplendida ſunt ſepulchra quæ Vrbem maximè regiam occupauerunt, & dies perſpicui ſunt diem feſtum terrarum Orbi facientes, non ædificiorum pulchritudine, & ſplendore (hac enim parte excellunt) ſed quod ampliùs eſt conuenientium ſtudio. Nam, & ipſe ille purpura indutus peregrè proficiſcitur ſepulchra illa complexurus; & faſtu depoſito contingit Sanctos rogans, vt ſibi apud Deum patrocinentur; & tabernaculorum opificem, & piſcatorem patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema geſtans*. Hactenus ille.

Fælix igitur Roma. *Fælix* (cum Tertulliano dico) *Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt, vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur*. Proh boni ſuperi quantùm Vrbis gloria Petri, & Pauli triumphali morte, ſacratoque ſepulchro ſe extulit! Etenim illis martyrio vita functis, mirum eſt ait D. Leo ſermone 1. de Natal. Apoſtolorum, *In quantam ſobolem diuini germinis ſemina pullularunt, vt beatorũ millia martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum Vrbem noſtram purpuratis, & longè latè rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum bonore gemmarum conſerto*

vno diademate coronarunt. Fælix iterum Roma, & alijs Orbis ciuitatibus inuidẽda. Porro ſuam ei fælicitatem Orientales inuiderunt. Vnde hoc eodem triumphi ſui anno ſacra Apoſtolorũ corpora ſurripere conati ſunt, in Orientemque transferre, vt D. Gregorius ad Conſtantinam Auguſtam ſcribens teſtatur his verbis. *Eo tempore, quo paſſi ſunt ex Oriente venerunt, qui eorum corpora ſicut ciuium ſuorum repeterent, quæ ducta vſque ad ſecundum Vrbis milliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas collocata ſunt. Sed dũ ea inde leuare omnis multitudo conueniẽs niteretur: ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, vt talia denuò nullatenus attentare præſumerent.* Ita Gregorius. In hoc loco Apoſtolorum corpora diu occluſa, & ingloria iacuerunt, interim tamen, vt in B. Brigittæ reuelationibus continetur, cæleſtiũ ſpirituum melodia, concentuque ſuauiſſimo mulcebantur. At verò fideles ſuam mœſtitudinem, deſideriumque viſis Petri, & Pauli imaginibus ad viuum expreſſis ſolabantur. Etenim vt refert Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 14 & probat Baronius ad annum Chriſti 69. Qui ex gẽtibus ab Apoſtolis prędicatam Chriſti fidem accepiſſent immenſi beneficij accepti memores, illorum imagines coloribus, aliove modo ad viuum exprimere curabant: quarum plurimas penicillo redditas magna cum animi voluptate inſpexiſſe Euſebius teſtatur è cuius calamo redditam Petri effigiem hic repono. *Petrus quidem haud craſſa corporis ſtatura fuit, ſed quæ aliquanto eſſet erectior, facie ſub pallida, & alba admodũ: capilli & capitis, & barbæ criſpi, & denſi, ſed non admodum prominentes fuere, oculi quaſi ſanguine reſperſi, nigri, ſupercilia prope euulſa; naſus autem longior ille quidem non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus, ſimuſque magis.* Hæc Petri effigies. Paulum iam oſtendo ijs coloribus expreſſum quibus Triephon apud Lucianum Critiæ cathecumeno depinxit. *Ego*, inquit, *docebo te quid ſit vniuerſum, & quid fuerit ante omnia, & quæ item conſtitutio & corpus vniuerſi: quando enim me Galilæus ille conuenit recaluaſter, naſo aquilo, qui tertium vſque ad cælum per aërem ingreſſus eſt, quæque optima, & pulcherrima ſunt inde didicit, per aquas nos renouauit, in Beatorum veſtigia inſiſtere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.* Aliam Pauli effigiem docto magis, & generoſo calamo expreſſit Nicephorus lib. 2. cap. 37. in hunc modum: *Erat Paulus corpore paruo & contracto, & quaſi incuruo, facie candida, annoſque plures præſeferente capite modico, & oculis admodum venuſtis, & gratia plenis: ſupercilia deorſum verſus deuexa, naſus pulchrè inflexus,* Niceph.

idem-

idemque longior: barba denſior, & ſatis prolixa, eaque non minùs quàm capitis coma canis aſperſa: Cùm inſpiciebatur ab alijs, diuinũ quid præferebat, atque toto ore ſpirabat, vt qui eum cernerent fideles, ex ſolo aſpectu arcanam quandam, & latentem conſpicerent gratiam, & ad benè, ſanctèque viuendum incitarentur. Pari ſtudio, ſed impari euentu nixi sũt plurimi in quibus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus Apoſtoli effigiem reddere. Hęc Nicephori pulchrior & verior apparet, quippequæ non ſola corporis lineamenta refert, ſed latentes animi virtutes, gratiamque repræſentat.

Baſil. Sel.

Tandem ſacras Apoſtolorum reliquias in Catacumbis latitantes manifeſtare Deo viſum eſt. Indeque ad Templum S. Petri in Vaticano magna totius Populi frequentia, & celebritate transferuntur, & ſub auguſtiſsimo Templi illius tholo, fabrefacto ex pretioſiſsimis lapidibus auro, argentoque adornatis, ſepulchro recõduntur. Quod Apoſtolorum monumentum Vrbanus fæliciſſimæ dominationis Octauus quatuor ex ęre columnis immenſæ magnitudinis in imbricatam aſperitatẽ excifis, ſpiratimque erectis, & mentira ex eadem materia, auro ſuperinducto, apibus, & puellis interludentibus, ramorum pulchritudine circumueſtitis adornauit. Quibus Vmbellam operoſæ magnitudinis turbinatim erectam ſuperſtruxit; ſuper impoſitis ex ære ſimulacris, quæ ad omnes Eccleſiæ partes ſacri Pontificatus inſignia, & ſanctorum Apoſtolorum monumenta intraturis proſpicienda repræſentant. Opus quidem magnitudine, artificio, materiæ dignitate admirandum, atque inter Romanæ magnitudinis miracula recenſendum, & Vrbana magnificentia digniſſimũ. Quod enim Romani Imperatores non fecerunt, & fòrs nec potuerunt, fecit, & potuit Barberinus. Macte animo Eccleſiæ Princeps maxime, Petri ſucceſſor, & Orbis parens. Tibi, ni fallor, Romanæ fidicen lyræ ſuum illud monumentum conſecrauit. Veriùs enim illo dicere potuiſſes.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique ſitu pyramidum altiùs,
Quod non imber edax, non aquilo impotens,
Aut innumerabilis annorũ ſeries
Poſſit diruere. ———

Cæterùm etſi locus eſſet maieſtate auguſtiſsimus, nòn potuit eo ſolo tanta gloria concludi: idcirco Petri, & Pauli capita apud S. Ioannem Lateranenſem reponuntur; vbi etiam Seraphicæ Religionis alumnos in ſacræ Pœnitentiariæ collegio inſpicies: itaut vbi vincti Apoſtoli extiterant, vbi Petrus obijt, & ſepultus iacuit; vbi vtriuſque capita reconduntur S. Franciſci filios ſemper inſpexeris, ſacra recolentes Apoſtolorum mo-

numenta, & certiſſimum ſentientes apud Deum patrocinium, vtpote qui veros Apoſtolicæ paupertatis hæredes ſe exhibent, quia cum Petro præ cæteris dicere poſſunt: *Argentum, & aurum non eſt mihi*.

Hunc igitur tumulum ſic adornatum, & Apoſtolorum reliquijs venerandum S. Chryſoſtomus homil. 32. in epiſt. ad Roman. ardentiſſimè ſuſpirabat, & inter ſacrorum cinerum oſcula, tumulique amplexus animam efflare cupiebat. *Quis mihi*, inquit, *nunc dabit circunfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant implentis: ſtigmata illa geſtantis, prædicationem Euãgelij vbique ſeminantis, puluerẽ, inquam, oris illius, per quod Chriſtus locutus eſt. Vellem videre ſepulchrum, quo recondita ſunt arma iuſtitiæ, arma lucis nunc viuentia, tunc autem cùm in hac vita eſſent mortua*. Hæc ille. Factaque deinde ad Romã apoſtrophe, quàm magno Vrbem affectu ob Apoſtolorum tumulum, proſequatur, his verbis declarat.

D. Chryſ. *Ego Romam propterea diligo, tametſi eam aliũde laudare queam: nempè à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à diuitijs, à bellis, & triumphis; ſed relictis omnibus illis, ob id illam beatam prædico, quòd erga illos Paulus dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coram diſſeruit, & poſtremò vitam finiuit. Vnde & ciuitas illa tunc facta eſt inſignis pluſquàm à reliquis omnibus, & ſicut corpus magnum ac validum duos habet oculos illuſtres, Sanctorum videlicèt illorũ corpora. Non ita cælum ſplendeſcit, quando radios ſuos ſol ex ſeſe dimittit, ſicuti Roma duas illas lampadas vbique terrarũ effundens. Propterea celebro hanc Vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ*. En quæ Chryſoſtomus de ſuo in Romam affectu ſenſerit audiuimus: iam quæ de aliorum erga Apoſtolorũ Principes deuotionem ſcripſerit videamus. *Relictis*, inquit, *rebus omnibus ad ſepulchra piſcatoris, & pellionis, Petri, videlicet, & Pauli currunt & Reges, & præſides, & milites. Et in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non prope Apoſtolos, ſed vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur*. Hæc ex homil. quod Chriſtus ſit Deus. Similia ſunt, quæ homil. 4. in 2. ad Timotheum ſcribit: *Nullus ex* D. Chryſ. *Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto eſt Paulus. Imperator enim foris alicubi iacet abiectus, hic autem velut viuens, & regnans medium Vrbis tenet. Longè Imperatore clarior, & honoratior eſt pellium ſutor*, ideſt Paulus. Homil. verò in Pſal. 48. de Petro loquens, hæc habet: *Quot Re-*

Reges vrbes euerterunt, portus extruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis deceſſerunt: nec tamen eis quidquam profuit, ſed ſilentio & obliuioni mandati ſunt. Piſcator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſequutus, & ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam poſt mortem reſplendet ſole clariùs. Quid? Non ſolùm mediam Vrbem occupant, ſed etiam muniunt, nobilitant, mirificèque exornant. Iterum Chryſoſtomus homil. 32. in epiſt. ad Roman. *Hoc corpus*, inquit, *plebẽ hanc munit, quod quauis turri innumeriſque mœnibus, ac vallis eſt tutius, & cum ipſo corpus etiam B. Petri.* Et quidem nemo vel mediocriter in hiſtoria verſatus erit, ac prudens, qui omnes Orbis principatus, & regna conſiderans, ipſorum ruinas euerſiones, extremamq. defauillationem contemplatus, hæc omnia Regnantium peccatis concuſſa periiſſe non intelligat: Romanorũ verò Imperium ſub tot feralibus iniquitatis, & ſæuitiæ monſtris ſtetiſſe: quouſque alternante ſe, Dei prouidentia, rerum ordine ad Eccleſiam tranſlatum fuit: vbi propter Sanctorum Apoſtolorum patrocinium, quos Deus Opt. Max. nutanti machinæ, collabentique Imperio veluti columnas ſubſtruxit firmiſſimas, ad finem vſque Mundi perennabit. O quale tunc erit ſpectaculum, exclamat Chryſoſtomus loco ſupra citato, *Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus: cõſiderate, & horrete quale ſpectaculum viſura ſit Roma, Paulum videlicet repente ex techa illa cum Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſum ferri. Qualem roſam Chriſto mittet Roma?* (de lactis candore niueam, de ſanguinis rubedine purpurantẽ) *Qualibus coronis ornatur Vrbs iſta? Qualibus catenis aureis cincta eſt? Quales habet fontes?* Sacratam ergo Apoſtolorum ſepulchro Romam, & eorum patrocinio tutam, ac munitam, triumphoque, & gloria nobilitatam inſpeximus. Quid vltra? pulcherrimis Venantij Fortunati carminibus Epitaphij inſtar tumulum claudo, & obſigno.

D.Chryſ. D.Chryſ.

Cælorum porta lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitis, celſior ille gradu.
Corda per hunc hominum reſerãtur, & aſtra per illum:
Quos docet ipſe ſtylo, ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cælis hic dogmate, clauibus alter:
Eſt via cui Paulus, ianua fida Petrus.
Hic petra firma manens, ille architectus habetur:
Surgit in his templum, quo placet ara Deo.

A ſa-

A facie hoſtili duo propugnacula præſunt;
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.
Hi radiant oculi pretioſo in corpore Chriſti,
Lumine qui proprio cætera membra regunt.

CAPVT QVARTVM.

In ipſa carceris obſcuritate, Petri, & Pauli doctrinæ ſplendor illuxit, & plurimos fidei lumine reſperſit.

PEt nouem integros menſes, qui ab Octobri (cum decimus tertius Neronis annus incipiebat) vſque ad Iunium decurrerunt, Petrus, & Paulus in Mamertino carcere detenti ſunt: Nuſquam tamen à prædicanda Chriſti fide ceſſarunt, tum ijs, qui in eodem carcere claudebantur, tum alijs, qui amicos, & familiares inuiſendi gratia illuc cōcurrebant. Quinimò, vt ſcribit Surius ad diem 2. Iulij, plurimi varijs moribus afflicti, à dæmonibusque obſeſſi carcerem adibant, & illico Apoſtolorum patrocinio ſanitatem ex improuiſo recipiebant, à malignisque ſpiritibus liberabantur. Vnde magnis precibus luſtrali aqua initiari poſtulabant. Cumque baptizādis aqua deeſſet, Petrus in ſubterraneo carceris ſpecu ſigno crucis lapidem terebrauit, ex eoque fontem eduxit in tali copia, vt nec ſuperefluat, nec haurientibus deficiat, vt etiam hodie durante miraculo apparet, cùm fideles locum illum inuiſentes iucundiſſimè hauriant, vt etiam mihi non ſemel accidit, qui deuotus potius, quam ſitiens melleam de petra illa aquæ ſuauitatē reguſtaui. In actis Proceſſi, & Martiniani res ita deſcribitur. *Tunc omnes Chriſti fidem recipientes abiecerunt ſe ad pedes Apoſtolorum rogantes, vt Baptiſmum ab eis reciperent. At verò beatiſſimi Apoſtoli orauerunt Deum, orationeque expleta, beatus Petrus in monte Tarpeio ſignum crucis expreſſit in eadem cuſtodia, atque eadem hora emanarunt aquæ de monte, baptizatique ſunt promiſcui ſexus, & diuerſæ ætatis numero 47. qui omnes Martio menſe, decima quarta die poſt quintum ſuæ regenerationis menſem martyrio coronati in cælum trāſferri meruerunt*; De quo in Martyrologio Romano ſic habetur: *Romæ Natalis quadraginta ſeptē Martyrum, qui baptizati ſunt à B. Petro cùm teneretur in cuſtodia Mamertini, cum Coapoſtolo ſuo Paulo: vbi nouem menſes detenti ſunt, qui omnes ſub deuotiſſima fidei confeſſione Neroniano gladio conſumpti ſunt.* Act. Proc. Martyr. Roman.

Torpes etiam, & Euellius ex Cæſaris familia, Herodion, & Olympia, teſte Metaphraſte, fidem ſuſceperunt, eandemque

mar-

martyrij palmam vndecima die Maij conſecuti ſunt. Præcipui tamen, & magis memorandi Proceſſus, & Martinianus carceris cuſtodes extiterunt, qui prædicationis Apoſtolicæ lumine colluſtrati, & tot viſis miraculis permoti Chriſtianam Religionem ardentiſſimè ſuſceperunt, & vitæ curſum perpeſſo martyrio fæliciter conſummarũt, tribus ſocijs militibus, quos dum ad martyrium pergeret Paulus, vt iam retulimus, ad fidem pertraxit. Huius rei meminit Martyrologium Romanum, *Martyr. Roman.* *Romæ via Aurelia Natalis SS. Martyrum Proceſſi, & Martiniani, qui à beato Petro Apoſtolo in cuſtodia Mamertini baptizati ſub Nerone oris concuſſionẽ, equuleum, neruos, fuſtes, flammas, ſcorpiones perpeſſi, nouiſſimè gladio caſi. Romæ item paſsio triũ militum, qui in martyrio B. Pauli Apoſtoli ad Chriſtum conuerſi cum eo cœleſtis gloriæ participes fieri meruerunt.* Quin etiam affirmat Chryſoſtom. Oratione de Principibus Apoſtolorum ipſum carnificem ſanguinis Pauli contactu reſipuiſſe, & cum alijs triginta *D.chryſ.* quinque fidem ſuſcepiſſe. *Qualis*, inquit, *locus tuum Paule ſanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veſte, qui te percuſsit: Qui quidem ſanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipſe vnà cum ſocijs ad fidem traduceretur, ita effecit. Sit mihi inſtar coronæ gladius ille, qui triginta & quinque viros ſumma ad ſeruiendum Deo alacritate mancipauit.* Non parum demiratur idem Chryſoſtomus. Chriſti Saluatoris noſtri virtutem, qui in crucis patibulo poſitus: *D.chryſ.* *Auerſam latronis mentem valuit immutare.* Nam cùm ambo ei primò conuitiarentur, alter poſtea reſipuit, & peccatorum pœnitentia ductus Chriſtum confeſſus eſt paradiſi Regem, & Orbis Saluatorem: ideoque ipſum orat dicens: *Domine memento mei dum veueris in Regnum tuũ.* Et quidem Dominus Ieſus repentinæ, inſperatæque tali tempore mutationi applaudens, reſpondit: *Amẽ amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo.* Et quomodo non applaudendum, & gratulandum, vt inimicus & latro, ſicuti aduertit egregiè S. Auguſtinus, confiteretur in cruce, quem diſcipulus tradere decreuit in conuiuio. Pace tamen tua dixerim ò Domine Ieſu: plus quodãmodo fuit quod Paulus ſanguinis attactu carnificis mentem immutarit, quin etiam alios quadraginta quinque eiuſdẽ martyrij conſortes reddiderit. Etenim latro mundum inſpexit fugiẽte Sole tenebris oppanſum, terram ſenſit magnis motionibus te moriente concuſſam, & ſcindentium ſe lapidum colliſionem, ſtridoremque audiuit, quæ te mundi Dominum, & Saluatorem teſtabantur. At verò iſti nihil niſi Paulum præciſo iugulo morientẽ inſpe-

inſpexerunt, cuius ſanguine leuiter reſperſus carnifex, animum exuit barbaricum, & ex carnifice Martyr efficitur. Ille à te immutatus patiēter ſuſtinuit crucis patibulum, in quo ſuſpendebatur inuitus, iſti quos Paulus conuertit, vltronei ad pœnas currunt, & ſpontè ſe offerunt iugulandos. Tam mirus fuit lacteus ille ſanguinis imber ſatellitis veſtem aſpergens.

Dicam audacter; non enim detrahit duci, qui addit militi, & Dominus ipſe dixit. *Qui credit in me, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*: Maiorē fòrs virtutem Pauli ſanguis oſtēdit, quàm Chriſti: Nam cum proditor accederet ad Saluatorem, vt eum oſcularetur, portabat Dominus Ieſus faciem adhuc ſanguineo ſudore litam, traditoris oſculum excepturus, *Et accedens ad eum ait: aue Rabbi, & oſculatus eſt eum*; vt ſanguinis contactu permotus reſipiſceret, quod Salmer. tom. 10. de paſſione ad hunc locum adnotauit. Quin etiā, ſcribit idem author, veſtes ſuas ſanguine vbertim reſperſas à militibus diuidi permiſit, & iactis ſortibus obtineri: vt, dum ſuper eas talos iaciebant, dum ſortem expectabant: *Illarum contactu reſipiſcerent, & ſanctificarentur*. Cæterùm & proditor Chriſti ſanguine, qui adhuc faciei inerat, litus, & milites qui veſtes eodem ſanguine intinctas contigerant, in ſua obſtinatione permanſerunt. Non ſic Pauli tortor, & carnifex: non ſic milites ex Neronis ſatellitio, qui ipſum iugulandum comitabantur: quoniam pretioſiſſimis guttis reſperſi repentè immutantur, Chriſtum Deum agnoſcunt, palàm confitentur, pro ipſo libentiſsimè martyrium perferūt; & quos Paulus habebat mortis ſuæ executores, iam coronæ, & triumphi conſortes habet. Vndenam iſta gratia, niſi ex Pauli ſanguine profluxit? Perbellè dixit olim ad Martyres Tertullianus; *Si non in mollibus febribus, & lectis occumbans tota paradiſi clauis ſanguis tuus eſt*. Eſt igitur ſanguis pro Deo effuſus magiſtra paradiſi clauis, cui nihil clauſum. Quid ergo mirum, vt Pauli ſanguis portam aperiret, qua talis gratia in carnificem, ſatellitesque defluxit, vt ex tortoribus, Chriſti Martyres, paſſionis ſocios, æternaque beatitudine coronandos efficeret. Iure optimo inuidendus eratChryſoſtomo gladius ille, & coronæ vice capiti imponendus: *Sit mihi*, inquit, *inſtar coronæ gladius ille*, quem in manu carnifex cum teneret, vbi primum Pauli ceruicē contigittranſmiſſa per ferrum virtus, manum affecit, brachium peruaſit, cor attigit, compunxit, immutauit, conuertit. Tantùm virtutis gladius ille ſacram Pauli ceruicem attingens, lacteoque ipſius ſanguine reſperſus attraxit, vt mirum

[Margin notes: Ioan 14. num. 12. — Marc. 14 num. 15 — Salmer. — Tertull. — D. Chryſ.]

rum non fuerit, quod hæc & multo maiora edere potuiſſet. O quis mihi det gladium iſtum, vt quaſi ſceptrum portem illum, & circundem eum quaſi coronam mihi, Regum omnium diademate clariorem.

CAPVT V.

Nonnullæ ex plurimis cauſis referuntur, ob quas Petrus, & Paulus Neroniano gladio percuſſi ceciderunt.

OMnes quotquot Eccleſiaſticos Annales, & ſacras rerum geſtarum Petri, & Pauli hiſtorias conſcripſerunt; cauſas, propter quas impijſsimus Imperator Nero generis humani propudium Principes Apoſtolorum occiderit, diligenter perueſtigarunt. Quæ magis probatæ, & vero propiores videbuntur, hic breuiter apponam, & illuſtrabo. Primam igitur ſacrilegi homicidij cauſam refert S. Chryſoſtomus in lib. aduerſus oppugnatores vitæ Monaſticæ c. 4. in hunc modum.
D. Chryſ. *Neronem prorſus ex fama nouiſtis, vir enim impudicitia, ſceleribusque omnibus inſignis fuit; primusque ac ſolus in tanto imperij culmine, nouos quoſdam laſciuiæ, flagitij, ac turpitudinis modos excogitauit, exquiſiuit, inuenit. Hic itaque Paulo beatiſſimo (vno enim eodemque tempore vi[illegible]am agebant) eiuſmodi, ac prorſus obijciens his, quæ vos modo ſanctis viris obijcitis: pellicem enim eius, quam ipſe deperibat, atque in delicijs habebat, cũ induxiſſet fidei, & Religionis Sacramenta ſuſcipere, perſuaſerat quoque inceſtum illum, impurumque congreſſum declinare. Hæc, inquam, ille crimina obiectans, corruptoremque, nequam, flagitioſum, ac nebulonem, & his ſimilia (quæ vos modo perſtrepitis) Paulum vocitans; primum quidem coniecit in vincula. Cum verò, vt puellæ huiuſmodi monita, atque conſilia dare deſineret, illi perſuadere non poſſet, necauit tãdem.* Hæc ille, cui adſtipulatur Metaphraſtes addito Dionyſij Alexandrini ſuffragio deconſumat. Sanct. 2. Iunij, vbi ita fatur. *Neronem eo tempore fuiſſe motum* Metaph. *aduerſus Chriſtianos propter eius fœminas, quæ in Dominum crediderant, & pudicè, caſtèque viuere ſtatuerant; nec cum eo congredi deinceps ſuſtinebant: non autẽ propter Simonem Magum. Ei verò quod ab eis dicitur, fert teſtimoniũ Ioannes ille lingua aureus, in rebus diuinis egregius, & cuius mens eſt plena ſpiritu, ſcribẽs in oratione aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.*

In Actis Lini nomine peruulgatis enarratur, Neronẽ ex Achaia Act. Lini. redeuntem, cum duas fœminas ſibi potiſsimum charas Apoſtolorum ſuaſionibus Chriſtianos mores induiſſe, & caſtitatem colere

deprec

deprehenderet, in Petrum, & Paulum excanduiſſe, ac vt in carcerem catenis oneratos conijcerētur, præcepiſſe. Poſtquàm verò vinculis diu tenuit, accerſiri iubet, accerrimeq. ſugillat eo quod amores ſuos, delicias que turbauerint. Deinde cum fœminas, quæ ad Apoſtolorum prædicationem fidem ſuſceperant, à caſtitatis propoſito auertere ad priſtinamque libidinem retrahere non poſſet, nouis iracundiæ flammis exardeſcens, vtrumque, vt ait ſanctus Linus, capitali ſupplicio mancipauit. Quid impium clariſsima extinxiſſe mundi luminaria demiraberis? Volebat in ſceleribus, & flagitijs obdormire, ideo claritatem oderat. Nonne ſolent ij, qui ſomnum molliter captare deſiderant, omnes domus ianuas, feneſtrasque diligenter occludere, lucernas extinguere ſilentium, & quietem circunſtantibus imperare? Ita planè: talis Nero libidinis ſuæ crapulam dormire, & nefandorum criminum ſomno volebat inſepeliri: ideo Petrum, & Paulum, quorū prædicatione agitabatur extingui præcepit. Egregiè philoſophatur in hanc rem D. Chryſoſtomus in appendice commentariorum ſuper epiſtol. ad Philippenſ. D.Chryſ. *Quemadmodum prædo aliquis domum cunctis dormientibus ingreſſus, vt auferat omnia; ſi quem viderit accendere candelam, illum mox interimit, & lumen extinguit, vt auferre, & rapere alia abſque metu poſsit: ità Nero tunc latronem, & furem agens dormientibus omnibus, & profundo ſomnio grauatis, omnium bona deripiebat, nuptias inuadebat, domos ſubuertebat, nullumque malitiæ genus intermittebat: proinde mox vt B. Paulum vidit accendere in mundo candelam, & afferre ſermonem doctrinæ, quo ſua reprehendebatur iniquitas: Quo omnia facere licenter poſſet, curauit vt extingueretur prædicatio, & interficeretur Magiſter.* Hæc ille. Non abſimilis inſania Herodem incitauit, vt Ioannem Baptiſtam truncato capite extingueret. Nā cum ipſius libidinē palàm redargueret, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratres tui*, Marc. 6. n. 18. Marc. 6. Non poterat impius diuinæ illius vocis clamores ſuſtinere, nō poterat clariſsimæ lucernæ ſplendorem aſpicere, erat enim Ioannes. *Lucerna ardens, & lucens*, Ioan. cap. 15. Ioan. 15. volebat in peccatis dormire ſecurus. Quid igitur? lucernam extinxit, vocis clamorem abſtulit, & ſanctiſsimi Præcurſoris caput amputauit. Non ſatis habuit in vinculis detentum occludere; niſi etiam è carcere extractum decapitaret, & conuiuij ſui delicias innocentis ſanguine funeſtaret. Vnde S. Ambr. lib. 3. de Virginib. ſub initium Ioannis oculos mortis caligine obſcuratos contemplatus, hæc ait: D.Ambr. *Clauduntur lumina, non tam mortis neceſ-*

neceſsitate, quàm horrore luxuriæ.

Apud Ægyptios Pharaonis iuſſu Patriarcha Ioſeph in carcere detinebatur; & cùm inde capite plectendus extrahi videretur: ecce tibi nobili pompa, magnifico triumpho, feſtiuis acclamationibus, Ægyptiorum principatu honorandus educitur, & magna comitante caterua per vrbis plateas, equo vectus regio deportatur. At vnde nam tam diſpares exitus viri virtute fòrs non impares, & carceris pœna, & cauſa pares tenuerunt? Cur Ioſeph è carcere triumphaturus, & Ioannes moriturus extrahitur? Acutè reſpondet D. Petrus Chryſologus ſermon. 174. *Ioſeph ſomnia dum reuelat euaſit ex morte: Ioannes, vt Dei filium reuelaret ſuſcepit, & mortem.* Quaſi diceret: veritatem Ioſeph protulit, ſed ſomniorum inuolucro obtectam: idcirco humanis fauoribus extollitur. Ioannes verò nudam omnino, apertamque propalauit: liberè enim dicebat: *Non licet tibi;* ideo caput ipſi amputatur, & inter epulas inſpicitur mortuus, qui epulones veritatis nudo mucrone viuens feriebat. Tam improbo mundiales odio veritatem perſequuntur! Quid ergo mirum, vt Paulus Neronem ob inſignem turpitudinē redarguens, ab eo occidatur? Quid mirū vt Petrus ſeminas Chriſtianis moribus imbuens, in quas Neroniana libido abſque vllo pudoris fræno graſſabatur; ab impio cruci affigendus damnetur? Hoc ego admirarer, niſi ſimili exitu Eccleſiæ Principes, & belli triumphales duces vitam concluſiſſe animaduerterem.

D. Petrus Chryſ.

Marc. 6.

Quamquam verò Neronis animus obſcœnis amoribus obcæcatus facilè ad inſaniam, furoremque impelli poterat, dū ad Apoſtolorum prædicationem obſtructas ſibi vias ad pudicitiam expugnandam intueretur: atque adeo quos iam carceri mancipauerat, capite puniret: furorem tamē Imperatoris accendit Patrocli ipſius pincernæ ad fidem conuerſio. Cum enim prędicante Paulo è feneſtra delapſus interiret, Apoſtoli precibus ad vitā reuocatur: abiuratoque idolorum cultu fidē ſuſcipit, luſtrali baptiſmatis aqua expiatur: & de ſympoſij miniſterio ad Chriſti ſeruitutem ſe tranſfert. Qua re commotus Imperator in Apoſtolum deſæuijt: habebat enim in delitijs pincernam, eiusque miniſterio mirificè delectabatur. Ego tamē plus ei Chriſtianam fœlicitatem inuideo, quā Neronis obſequium, & beneuolentiam, quam leuiſsima etiam de cauſa potuiſſet amittere, vt Pharaonis pincernæ, piſtorique euenit: quos, vt ſacra refert Geneſ. hiſt. cap. 40. Barbarus in carcerem detrudi imperauit: *Accidit vt peccarent duo Eunuchi pincerna Regis Aegypti, & piſtor domino ſuo: Iratusque contra eos* Gen. 40.

Pha-

Pharao (nam alter pincernis præerat, alter piſtoribus) miſit eos in carcerem.

Hic iam ſe ſe offert inquirendum, quodnam iſti peccatum vinculis, & morte piandum admiſerunt? Nam licet Textus ſacer illos peccaſſe teſtetur, dicens: Gen. 40. *Accidit vt peccarent*, peccati ſpeciem non enarrat. Vnde Rabbini credũt illos inſontes carceri mãcipatos, ea ſolùm de cauſa, quòd Rex culicem in vino reperit, quod pincerna ei obtulerat epotandũ; & per incuriam in cibos pilus deciderat, quos piſtor menſæ Regiæ præparauerat. Deus bone quam vitrea eſt principum gratia! Quã faciles habet motus Regum iracundia! Caue quicunque Regibus fidis, vigila qui profundum hoc enauigas, & time fluctus, qui tam leui aura commouentur. Expende quo pacto Dauid aquã ex Bethlehemico puteo bibẽdi cupiditate tres ex fortiſsimis Iſrael fortè voluptuarius magis, quàm ſitibundus hoſtium gladijs obiecit. Aduerte qua ratione fęminę vnius ſaltibus delinitus Herodes ſplendidiſsimam Orbis lucernam abſciſſo capite extinxit. Quin etiam vt ſaltatrici gratularetur Regni dimidium, petendi optione facta, iuramẽto adhibito ſe daturũ pollicetur, vt cernes apud Marcũ c.6. Marc. 6. *Quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium Regni mei*. At illa Marc. 6. quid petijt? *Volo*, inquit, *vt des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*. Marc. ibid. Proh boni ſuperi quantùm valuit apud fœminam profanę voluptatis amor improbus, vt ſpreto Regno vitam Ioannis expeteret, cuius ſuaſionibus Regem à turpi cõgreſſu auertendum verebatur! Et ideo quaſi plus odiſſet adulterij reprehenſorem, quàm Regni largitorem adamaret, repudiata corona, Ioãnis caput expetiuit. Egregiè Diuus Fulgentius in cap.6. Marc. D. Fulg. *Culmine*, inquit, *Regni contempto caput Ioannis petiuit in diſco, plus odiens eum, qui interdixit inceſtũ; quàm diligẽs eum qui promiſerat Regnum*. Heu quam prona ad malum iſtorum pectora, ſiue iracundia moueat, ſiue appetitus excitet, aut libido furibũdos impellat. Vnde iam non miror Neronem, cui iracundia, appetitus, libido impotenter dominabatur, Petrum, & Paulum occidiſſe, vt hos voluptatis ſuæ obices amoueret.

Cæterùm tam Græci, quàm Latini Scriptores vnanimi conſẽſu aſſeuerant Neronem propterea Petrum, & Paulum in carcerem coniectos mortis ſupplicio adiudicaſſe, quia Simonem Magum mentito volatu in cælum tendentem infami præcipitio deiecerũt. Et ſanè Magus ille propter incantationes, & præſtigias erat Neroni gratiſsimus. Cũ enim ab Hieroſolymis expulſus Cæſaream veniſſet, ibique, vt refert Clemens Clem. Ro. Roman. lib.6. conſtit. cap.7. in publica diſputatione à Petro fo-

ret

ret conuictus, in Italiam fugit, vt Petri Romam aduentum præueniret. Cum igitur præſtigijs, & impoſturis eſſet inſtructiſſimus, ad omnemque aſtutiam ingeniatus veterator: tantam ſui apud Romanos admirationem excitauit, vt in Tiberina inſula, in qua Seraphici Ordinis Conuẽtus inædificatus apparet, S. Bartholomæi Apoſtoli corporis theſaurum ſeruans pretioſiſſimum, ſtatua illi fuerit poſita, cum hac ſubſcriptione *Simoni Deo ſancto*. Meritò tamen ad abolendum magicæ ſuperbię monumentum ſuperſtructum poſtea fuit Seraphicæ humilitatis monaſterium.

Non mediocrem deceptionis occaſionem, fateor, Romani habuerunt: Etenim præſtigiator ille quædam operabatur ad aſpectum admiranda, vt refert Anaſtaſius Nicænus, quæſtione 23. Euſebius lib. 2. hiſtoriarum c. 13. *Statuas*, inquit, *faciebat ambulare, & in igne volutatus non exurebatur, in aëre volabat, & ex lapidibus panes faciebat, ſerpens fiebat, & in aliquas alias beſtias transformabatur, fores clauſas aperiebat: duas habebat facies, in aurum conuertebatur, vincula ferrea ſoluebat: in conuiuijs exhibebat ſpectra formarum omnis generis, vaſa quæ erant in ædibus faciebat videri, tanquam ſi ſua ſponte mouerentur ad miniſterium, ijs, qui portabant non viſis, efficiebatque, vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat eſſe animas mortuorum*. Hucuſque Anaſtaſius. Propter has, & ſimiles impoſturas Simõ in Neronis gratiam ſeſe inſinuauerat, vt refert Egeſippus lib. 3. Excidij Hieroſolymitani, cap. 2. ſic ſcribens: *Simon Magus venerat, & ſuis magicis artibus animum Principis ſibi conciliauerat. Cùm igitur Petrus, quo cum eo tempore erat & Paulus, cum Simone Mago decertaſſet ſuper ſuſcitatione mortui cuiuſdam: quia Simon tantùm motum capitis in illo cadauere efficiebat: Petrus verò in nomine Ieſu Chriſti eum ſurgere, ſtare, ambulare, & loqui feciſſet. Ille irritatus ſtatuto die in montem Capitolinum conſcendit, & inde ſe deijciens volare cœpit, vmbris Dæmonum nigris eum portãtibus: ſed precibus Apoſtolorum præceps factus eſt, & fracto debilitatoque crure Ariciam conceſſit, atque ibi extinctus eſt*.

Anaſt. Nicænus. Euſeb.

Cæterùm omni excuſatione caret Neronis deceptio, quoniam, vel ex Simonis caſu aduertere debuerat falſa omnino, & ſimulata eſſe illius miracula: nedum, quod ad nullius commodum, & vtilitatem, ſed ad vanam oſtentationem edebantur. In quo diuinæ virtutis, præſtigiatricisque deceptionis certiſſimum diſcrimen apparet, vt teſtatur Clemens Romanus libro 3. Recognitionum, vbi Petrum ſic alloquitur. *Et nunc ergo quid peccant*

Egeſipp. Clem. Ro.

cant ij, qui Simoni credunt, cum videant eum tanta facere mirabilia? aut non eſt mirabile per aëra volare igni admiſtum vnum corpus effici: facere ſtatuas ingredi, canes æreos latrare, & alia his ſimilia, quæ vtique diſcretionem neſcientibus ſatis mira ſunt, ſed & de lapidibus viſus eſt panes facere. Quod ſi peccat, qui ſigna facientibus credit. Quomodo peccaſſe videbitur & is, qui Domino noſtro pro ſignis, & virtutibus credit? Ita cum Magiſtro ſuo Clemens expoſtulabat, deinde illum ſibi reſpondentem inducit. *Ille* ait, *qui à malo eſt ſigna quæ facit, nulli proſunt: illa verò quæ facit bonus, hominibus proſunt.* Quaſi diceret: Non vtique excuſati capit, qui quantũ inter Chriſti, Simonisque miracula diſcrimen adſit, non aſſequitur: Quoniam malignus ſpiritus beneſaciendi ignarus vaniſſima ſemper edit, & hominibus minimè profectura; illa tantùm oſtentat, quæ in theatris admirationem excitent, non quæ vtilitatem hominibus afferant. Canum latratus, ignea ſpectra, ſtatuarum greſſus mentietur, nunquam tamen ægris ſanitatem, cæcis viſum, ſanitatem, & mortuis vitam reſtituit. Certè præſtigiatores mala auferre neſciunt, ſed augere: plagas nuſquam minuunt, ſed multiplicant, ſicut Pharaonis incantatores feciſſe deprehendimus.

Celebris inter Moyſem, & Pharaonis magos fuit olim contentio: nam vt Dei potentiam Ægyptijs oſtenderet Moyſes ranas, cynifes eduxit, ſerpentes protulit, & aquas in ſanguinem immutauit. Quid Pharao? Magos ſuos accerſit, adſunt illi: atque vt potentiam mentiantur, nouas ranas producunt, ſerpentesque efficiunt. Quid agitis ó incantatores? productas à Moyſe ranas, & cynifes extinguite, ſerpentes interficite, ſanguineas aquas ad natiuum colorem, & ſaporem iterum reuocate, plagas imminuite, non augete: Sic enim diuinam potentiam melius oſtentabitis. Vt quid plagas additis alijs plagis? *Fecerunt autẽ, & malefici incantationibus ſuis ſimiliter, eduxeruntque ranas ſuper terram Aegypti,* Exod. cap. 8. Exod. 8. Ecce tibi Pharao ranarum plaga territus, & indignatus Moyſen, & Aaronem acciri iubet, *Et dixit eis: Orate pro me Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo.* Exod. 8. Quid agis ó Pharao? cur magos tuos non accerſis? cur ab eis non poſtulas, vt ranarum plagas extinguant? Quo pudore, qua fronte, ó Magi Regem veſtrum ad alienum auxilium ſe cõferre ſuſtinetis? qui ranas, & ſerpentes edidiſtis, iam extinguite, potentiam veſtrã beneficijs exhibete, non plagis. Cæterùm vt prudenter aduertit quæſtion. 18. ad ad eum locum Theodoretus, ſo- Theodor.

lus

lus Deus tanquam peculiare ſibi inſigne vendicat, vt potentiam ſuam benefaciendo manifeſtet: Maligni ſpiritus diuinam mentiẽtes virtutem plagas augent, non minuunt, mala non auferunt, ſed multiplicanr. Quapropter dixit meritò Fulgentius lib. 3. cap. 15. ad Regem Traſimundum Chriſtũ benefaciendi virtute diuinitatis ſuæ potentiã comprobaſſe: quippequi nullum edidit miraculum, quod in maximum hominum beneficium non redundaret. *Vnus,* ait, *atque idem Chriſtus infirmitate humana paſſionem pertulit, & miracula beneficiorum omni potentia diuinæ virtutis perfecit.* Nouerat optimè præſtigiator ille Simon virtutem diuinam non ludicris ſpectris, & terriculamentis probari, ſed miraculis, quæ in hominum cederent ſalutem: idcirco mortuum excitare inani tamen conatu tentauit: deluſus enim eſt, nec quidquam efficere potuit, niſi vt mortuus motaret caput, non tamen viueret. Hoc enim ſolis fidelibus, qui in Dei virtute edunt opera, ſeruabatur. Vnde arguebat fortirer more ſuo Tertullianus lib. de Præſcript. aduerſus hæreticos: *Si alium Deum prædicant, cur eiuſdem rebus, & litteris vtuntur, contra quem prædicant? Si eundem quomodo aliter? alioqui probent ſe nouos Apoſtolos; dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, & dediſſe eis virtutem eadem ſigna edendi. Volo igitur* (replicat) *eorum virtutes proferre: niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in peruerſum æmulãtur. Illi enim de mortuis ſuſcitabant, iſti de viuis mortuos faciunt.* Similes profectò Pharaonis incantatoribus, qui proiectis in terram virgis ſerpentes mortem allaturos ediderunt. At verò ſolus Moyſes, cui diuina aderat virtus, virga ſua in colubrum verſa Magorum ſerpẽtes deuorauit, vt Exod. cap. 7. deſcribitur. *Proiecerunt que ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Quid ni inter Dei ſeruum, & Pharaonis famulos diſcrimen illud intercederet? Vt Moyſes ſerpentes occideret, quos Magi præſtigiatoresque protulerant. Hi itaque ſerpentes edunt, plagas augent, malaque multiplicanr. Moyſes verò minuit, & extinguit, atque adeo virgam ſerpentem factam in priſtinum ſtatum reſtituit; quia non ſolum afferendi, ſed etiam auferendi plagas poteſtatem obtinebat, qua Magi omnino carebant, quibus ſolummodo datum erat, vt virgas in ſerpentes imutarent. Vnde illa tantum vera exiſtimabis miracula, quæ ad hominum fauorem, vtilitatemque diriguntur. Idcirco in Euangelio apud Matthæum cap. 10. Chriſtus Dominus Apo-

D. Fulg.

Tertull.

Exod. 7.

ſtolos ad prædicandum mittens, Matt. 10 dicebat: *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit Regnum cælorum: infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite*. Perpende, vt ſola ea præceperit operari, quæ hominibus eſſent profutura. Prudenter igitur inferebat Diuus D. Aug. Auguſtinus libro de vtilitate credentium cap. 17. Nos omnes veris miraculis tanquam compedibus, & catenis in Eccleſia vinctos detineri. Atque adeo liberè, & audacter Deo fas erit opponere, quod piè, prudenterque dicebat Richardus de ſancto Victore Richar. libro 1. de Trinitate cap. 2. *Si error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus: iſta enim in nobis ijs ſignis, & prodigijs firmata ſunt, quæ non niſi à te fieri potuerunt*. Ea enim, quæ Dei virtute fidei prædicatores, ad ipſius confirmationem operantur, eius conditionis ſunt, vt Dei teſtentur potentiam: nec aliter, quam ipſo operante edi potuiſſe videantur. At verò Simon Romanos, præcipuè Neronem præſtigijs, & incantationibus illudebat: eoque inſaniæ deuenit, vt ſe per aërem volaturum cunctis ſpectantibus affirmaret; Petrumque die quodam Dominico cum ipſo de volatu certaturum prouocauit, vt ex multorum ſententia refert ſanctus Auguſtinus epiſtola 86. ad D. Aug. Caſulanum. *Eſt quidem hæc opinio plurimorum, quamuis ea nonperhibeant eſſe falſam plerique Romani, quòd Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiuſdem vrbis Eccleſia ieiunauerit; & conſecuto tam proſpero, glorioſoque ſucceſſu eundem morem tenuerit, eumque initiatæ ſint nonnullæ occidentis Eccleſiæ*. Cyrillus Hieroſolymorum Antiſtes, Paulum etiam huic certamini, victoriæque adſtitiſſe, Catecheſ. 6. teſtatur his verbis. *Dilatato au-* Cyrill. Hieroſ. *tem errore* (videlicèt Simonis Magi) *par amicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus, & Paulus cum eſſent præſides Eccleſiæ, & oſtentantem ſeſe iſtum Simonem ſtatim extinxit. Cùm enim prædicaret Simon in cælos ſe aſcenſurum, & vehiculo Dæmonum in aërem eſſet ſublatus, ſerui Dei genibus flexis, & concordiam oſtendentes, & concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerunt illum in terram. Nec mirum eſt; Petrus enim erat, qui claues Regni cælorum portabat, Paulus erat, qui in tertium cælum raptus eſt*. Igitur præſtituto certaminis die, proceſsit Simon ex Neronis aula, vbi lautiſsimè veſcens tenebatur. Aderat Imperator, ingensque Romani populi multitudo: Cùm ſubito in aërem libratus, & ſurſum ferri, & volare videbatur.

De-

Digitized by Google

Demens, inquit Tertullianus, qui
ſtraminea ſcala in cælum aſcende-
re nitebatur; ideoque in primo
volandi conatu in terram eliſus,
fractis cruribus adſtantes, immo
& ipſum Neronē ſanguine cruen-
tauit, & temeritatis ſuæ pœnas
luit. Hunc Simonis caſum memi-
Sueton. nit Suet. in Nerone cap. 12. *Sed
Icarus*, inquit, *primo ſtatim
conatu iuxta cubiculum eius de-
cidit, ipſumque cruore reſperſit*.
Haud dubium Simonis caſum
Apoſtolorum orationibus tribuē-
dum, vt vltra memoratos autho-
D. Epiph. res, Epiphanius hæreſ. 21. Greg.
D. Greg. Turon. Turonen. hiſtor. Franc. cap. 25.
D. Max. Maximus Taurinenſ. ſerm. de Na-
Proſper. tal. Apoſtol. Proſper Aquitanus
Sev. Sul. de promiſſ. cap. 13. Seuer. Sulp.
lib. 2. hiſtor. & alij penè innumeri
teſtantur. At verò Simon non
ſtatim vt decidit repentè obijt,
Metaph. ſed vt Metaphraſtes apud Surium
ſcribit 29. Iunij, vna die ſuperui-
xit, vt reſipiſcendi, ſi vellet, tem-
pus haberet. Plures tamen dies
ſuperuixiſſe tradidit Arnobius li-
bro 2. poſt initium, & Roma Brū-
dam delatum ſe præ impatientia
Arnob. egiſſe præcipitem. *Viderunt*, in-
quit, *Romani curſum Simonis
Magi, & quadrigas igneas Petri
ore diſſlatas, & nominato Chriſto
euanuiſſe. Viderunt, inquam,
fidentem dijs falſis, & ab ijſdem
metuentibus proditum, pondere
præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſ-
ſe perfractis: poſt deinde perlatum
Brundam, cruciatibus, & pudo-
re defeſſum, ex altiſſimi culminis
ſe iterum præcipitaſſe faſtigio.* Di-
gna impoſtoris vindicta, vt qui
ſurſum ferri, atque in cælum vo-
lare Dæmonum miniſterio nite-
batur, ſpontè ſua verſus Tartarū
volaturus in præceps ageretur.

Attamen quoquo modo id ac-
ciderit, quo ve tempore præſti-
giator volare contenderit: illud
inconfeſſo eſt apud omnes, Ne-
ronem ob illius caſum vehemen-
ter commotum in Apoſtolorum
Principes capitis ſententiam pro-
tuliſſe. Quid agis ò Nero? Cur
in eos deſæuis, & iubes perdere,
quos ſaluos, magniſque honori-
bus auctos ad Imperij tui muni-
men conſeruare debuiſſes, & Ma-
gum, veteratoremque fractis cru-
ribus doles, & ingemiſcis occi-
ſum? An ideò indignaris, quia
ipſius ſanguine te vides aſperſū?
Furorem verte in Magum, cuius
præſtigijs te ſentis illuſum. Parce
Petro, Chriſti Vicario parce: at-
que, vt aureo Chryſoſtomi ore
loquar, orat. encomiaſt. in Prin-
cip. Apoſt. Serua *Petrum dulce* D. Chryſ.
*ſpectaculum Eccleſiæ, totius mun-
di ſplendorem, columbam caſtiſ-
ſimam, Apoſtolorum Doctorem,
Apoſtolum ardentem, ſpiritu fer-
uentem, gratia plenum, firmam
fidei petram, ſeniorem Eccleſiæ ſa-
pientiam.* Serua Paulum (Chry-
ſoſtomi verba ſunt) *Chriſti os,
Spiritus ſancti lyram, Organum
Dominicum, vigilantem Chriſti
miniſtrum, tubam cæleſtem*,

Euangelico certamine primipilũ. Sed proh ſcelus deteſtandum! Simonem vnum ſanctimonia venerandum, miraculis clarum, veritate diligendum, odio proſequeris, & iubes interfici. Simonem alium ſceleribus abominandum, præſtigijs execrabilem, falſitatis conuictum miſeraris, eique interempto Apoſtolorum vita parentare inſtituis. Similem te Iudæis exiſtimo, qui optione ſibi data, vt quem vellent à morte eriperent, Barabbam latrocinijs, ſeditionibus, homicidioque inſignem à præſide liberandum poſtularunt; è contra Dei filium, *Act. 10. num 38.* *Qui pertranſibat benè faciendo, & ſanando omnes*, repetitis clamoribus cruci affigendum precabantur. Cæterùm, vt illos inuidia commouit, quod vel etiam Romanus præſes agnouit. *Sciebat enim* (ait Euangeliſta) *quod* *Marc. 15 num. 10* *per inuidiam tradidiſſent eum*: Sic etiam eiuſdem inuidię facibus incenſus tam dirum facinus admiſiſti nullo vnquam ſupplicio expiandum.

CAPVT VI.

Vna Neronis inuidia Petrum, & Paulum ſuſtulit, qua etiam tanquam veneno multi ex prædicatoribus abſumuntur.

OMnes quotquot Dei fauor, fortunæ blandientis afflatus, vel naturæ indulgentia magnos Orbi dedit, inuidia fulminis inſtar de fauillauit. Hæc Neronem incendit, atque ad occidendos Apoſtolorum Principes excitauit, vt, ni fallor, apertè deducitur ex ijs, quæ apud Seuerum Sulpitium 2. libr. hiſt. ſcripta reperiuntur. *Abundante iam Romæ Chriſtianorum multitudine, accidit vt Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium conſtituto. Sed opinio omnium inuidiam incendij in Principem retorquebat, credebaturque Nero gloriam innouãdæ vrbis quæſiſſe. Nec vlla re Nero efficiebat, quin ab eo iuſſum putaretur incendiũ. Vertit igitur ille in Chriſtianos inuidiam: actaque in innoxios crudeliſſimæ quæſtiones, quin & noua mortis rationes excogitatæ, vt ferarum tergis cõtecti laniatu canum interirent: multi etiam crucibus affixi, & flamma vſti: plerique in id reuerſati, vt cum defuiſſet dies in vſum nocturni luminis vrerentur. Tunc Paulus, & Petrus condemnati, illi ceruix gladio decerpta, hic in crucem ſublatus eſt.* *Sev. Sulpit.* Hæc ex Tacito Sulpitius ferè tranſcripſit, in quibus cernere eſt inuidiam Petro, & Paulo interitum attuliſſe. Cùm enim in obuios quoſque, & gregarios hæc lues graſſaretur: qua ratione magnis parceret, & Principibus, quæ veluti fulmen alta quæque impetit?

Cùm igitur Nero ob imputatũ ſibi incendium in Chriſtianos inuidiam

nidiam retorſerit,& plurimos neci dederit. Quidni Chriſtianorum Magiſtros eadem inuidia permotus occideret? vt noſcerint Eccleſiæ prædicatores, & magiſtri quãdo perituri ſunt, & qua morte, nimirũ,cùm maiùs exarſerit æmulationis incendium.Etenim ſæculis retroactis inuidia florentes demeſſuit, eademque poſteros abſumet. Quid ego Prophetas, & antiquos memorem prædicatores? quot per inuidiam labores ſunt perpeſſi,quot pericula obierunt. Inuidia Hieremiam coniecit in puteum,alapis Micheam deturpauit, Iſaiam ſerra concidit, lapidibus obruit Ezechielem: Inter rugientes leones Daniel̃e occluſit lacerandum: Moyſem lapidauit, Eliam egit in fugam, Ioannem Baptiſtam detruſit in vincula, indeque ad capitale ſuppliciũ extraxit. Cur etiam in Apoſtolorum Principes Neronis manu ſua tela vibraret, venenumque non effunderet? Non potuit certè hominum ſceleratiſsimo deeſſe inuidia, qua viros probitate inſignes perſequeretur, ac tandem neci dederet.

Hinc eſt pulchrũ illud Chromatij monitum ſerm.de Beatitudine Chromat. *Non eſt dubium fratres, quia bono facto comes eſt ſemper inuidia. Nam ſalua perſecutorum crudelitate, vbi cœperis rigidam tenere iuſtitiam (vitæ ſcilicet integritate, & probitate) inſolentiam repercutere, incredulos ad pacem Domini conuocare(tuba nimirum Euangelicæ prædicationis)vbi cœperis denique à mundanis hominibus diſcrepare, ſtatim perſecutiones oriuntur; neceſſe eſt vt ſurgant odia, æmulatio laceret.* Hactenus ille.Quid igitur nobis ſperandum eſſet? qui Neronis pellices Paulo prædicante vidimus conuerſas, caſtitatem amantes, & nefandos Neronis congreſſus reſpuentes: Simonem etiam, cuius incantationibus Imperator delectabatur, Petri oratione præcipitatum; niſi, vt ſtatim exorta rectè factorum comes inuidia Neronem alioquin crudeliſsimum,ſuperbia elatum,& vaniſſimum agitaret,vt clariſsima mundi lumina Petrum, & Paulum extingueret. Non potuit enim inuidus non eſſe, qui ita ſuperbia efferebatur, vt diuinos honores affectaret.Vnde ex Achaia regreſſus in quã vanæ oſtentationis gratia ad rumpendum Iſthmum fuerat profectus,inani tamen conatu & planè ridendo, ſuperbo triumpho, vt ſcribit Sueton.c.25. Romam intrauit. *Ingreſſus*, inquit, Sueton. *Romam eo curru, quo Auguſtus olim triumphauerat, & in veſte purpurea, diſtinctaque ſtellis aureis clamyde, coronam capite geſtans olympicam, dextra manu Pythiam, praeunte pompa cæterorum cum titulis, vbi quo genere cantionum, quoue argumento fabularum,& quos viciſſet, ſequentibus currum ouantium ritu plauſoribus. Incedenti paſſim victi-*

Digitized by Google

mæ caſa, ſparſo per vias identidẽ croco, ingeſta bellaria, immiſſæ aues volitantes, & cantillantes. Vidiſti Neronis ſuperbiam: vis etiam videre inuidiam? Regium Vatem auſculta Pſalmo 100. occinentem: *Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quæ verba expendens Auguſt *Si ſuperbus eſt,* ait, *inuidus eſt; aliter eſſe non poteſt, & ſi inuidus eſt, malis alienis paſcitur.* Meritò quem ſuperbum dixerat, inuidum conſequenter iudicauit. Inuidia namque, & ſuperbia nexu indiſſolubili copulantur. Cùm autem inuidiæ rabies non niſi ſanguine quieſcat. Quid mirum, vt Nero Petri, & Pauli ſanguinem ſitiret, nec niſi altero cruci affixo, altero iugulato conquieſceret. Et quia ſanguinem bibentes maior ſitis excruciat: idcirco de Pauli ceruice nõ ſanguis effluxit, ſed lac, vt inuidiæ rabiem placaret, ſitimque extingueret; quinimo lacteum aperuit fontem vnum, & duos aquarum perennitate manantes, vt in eis ſuperbus, & inuidus ſitim extingueret; Apoſtolorumque Principes occidiſſe contentus, in alios non deſæuiret.

Pſal. 100. D. Aug.

Cæterùm quæ probitas inuidiæ rabiem ſedabit? Quis ſanguis in ipſa nocendi ſitim extinguet? Cũ tale ſit inuidorum ingenium, vt etiam rectè operentur, quò noceant ijs, quibus inuident. Vnde nonnulli Pauli hoſtes, ob ipſius inuidiam Chriſtum prædicabant, vt ipſe Apoſtolus cap. 1. epiſt. ad Philippenſes enarrat. *Quidam*, inquit, *& propter inuidiam, & cõtentionem Chriſtum prædicant:* paucíſque interiectis ſubdit. *Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant non ſyncerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Proh inuidiæ genium, ingeniumque ad nocendum peritiſſimum! Nouerant iſti D. Paulum propter fidei prædicationem carceri addictum: Neronem in Chriſtianos, & Chriſtianorum magiſtros ferocientem conſpiciebant: ignem magis accendunt, flammas ſuſcitant, prædicationi accumulant prædicationem, vt Imperatoris iram aduerſus Apoſtolum vehementiùs exſuſcitent, & Paulum tanquã prædicationis authorem Cæſariano gladio iugulandum obijciant. *O crudelitatem*, exclamat hoc loco D. Chryſoſtomus, *O diabolicam energiam: vinctum videbant, & in carcerem coniectum, & tamen adhuc inuidebant: auctas videbãt illius calamitates, maiorique ira Regis obnoxium factum.* Parcite vincto ò inuidi, vt quid catenis, inuidiæ tormenta adijcitis? Sed quis improbam nocendi cupiditatem in inuidia ſatiabit? Iterum Chryſoſtomus. *Quoniam in vinculis detinebatur Paulus vehemẽs bellum multi infidelium apud Regem excitatum cupientes, Chriſtũ & ipſi prædicabant, vt aucta Regis ira, tãquam ob prædicationem*

D. Chryſ.

latius

Digitized by Google

latiùs diſſeminatam, omnis furor, & commotio in caput ipſius Pauli redundaret. Hæc ille, ex quo mutuatus videtur Theophilactus, quæ ex ipſius Commentarijs in hunc locum depromptа ſubijcio.
Theophil. *Cùm*, inquit, *comprehenſus eſſet Paulus, haud pauci infidelium annunciabant etiam Chriſtum, volentes ad maiorem iram accendere Neronem, vt eò celeriùs Paulum de medio tolleret, veluti prædicatione vbique per eum diſperſa, & diſſeminata*. Vides igitur quo pacto Apoſtoli aduerſarij ex prædicationis antidoto Magiſtri inuidia conficiebant venenum; vt inuidi Neronis iracundiam excitarent, Paulumque occidi iuberet.

Eandem ſemitam calcauit ille alius Saulis ſeruus Dauidi contrarius. Nam vt Reg. 1. c. 26. enarratur; cùm Rex Saul à Dæmone obſeſſus miſerum in modum torqueretur, & cantorem iuberet accerſiri, dicens: *Prouidete mihi aliquem benè pſallentem, & adducite eum ad me*. Doeg Idumæus (id enim erat nomen) reſpondit: *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitidem, ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo*. Admiratur non parùm Rupertus, & meritò hæc Idumæi encomia, quibus Dauid quem impensè oderat coram Rege honeſtauit; & quærit quam ob cauſam vt amicum laudat, quem vt hoſtem auerſabatur, egregièq. reſpondet: *Puer ille, qui hoc reſpondit Saul Doeg Idumæus fuiſſe perhibetur inimicus Dauid, & omnia, quæ de Dauid in laudem dixiſſe videtur, in odium eius dixiſſe dicitur, quia volebat inimicitiæ cauſa, & inuidiæ liuore, vt ad Saul veniret: quatenus ibi qualibet occaſione necaretur*. Hæc ille lib. 2. in Reg. hiſt. c. 1. Cernis quo pacto Dauid æmulus, & Pauli hoſtes, ille laudando, iſti prædicando vtrumque ex inuidia faciebant, vt Saulem contra Dauid, & aduerſus Paulum Neronem excitarēt. Omnibus ſua fauit inuidia: Saul quippe in Dauidem irritatus haſta penè transfixit. Nero Petrū, & Paulum carceri mancipatos, alterum crucis ſupplicio, alterum gladio perimendum extraxit. Non enim potuit ſors vlla diuidere, quos mutuus amor, doctrinæ paritas, prædicandi efficacia, vitæ ſanctitas, Chriſti cauſa, totius Orbis magiſterium pares reddiderat nexuque indiſſolubili copulauerat. Cæterùm quia multiceps eſt, multiformeque inuidiæ monſtrum. Nec tot capita habuit hydra, quã ipſa nocendi ſpecies; ita vt iure de ea dixeris, quod de ſerpente in ſcorpiaco Tertullianus. *Cui quot ſunt ingenia, tot venena, tot pernicies, quot ſpecies, quot colores, tot dolores*. Nonnulla proponamus, quæ prædicatoribus cautelæ ſeruiant, doctrinæque proficiant.

1 Reg. 16
Rupert.
Tertull.

§. PRI.

§. PRIMVM.

Alienam timens fælicitatem prophetat inuidia, eoque magis promouet, quò ampliùs nititur impedire.

OCciſis Apoſtolorum Principibus, libidinis ſuæ obſtacula Nero inani tamen ſtudio abſtuliſſe credebatur. Cùm enim Petrus, & Paulus prædicatione ſua plures fœminas ad Chriſtianã fidem traduxerint, atque ab Imperatoris pellicatu prorſus auerterint; alias ipſe quærebat, quibus cum in turpitudinis ſuæ volutabro licentioſiùs verſaretur: idcirco Petrum, & Paulum luxuriæ obſtacula peremit. Cæterum quãdiu fidei propagationem inuidet, & ſuccreſcentes inde fructus amputare contendit, Eccleſiæ Principes neci dedens, fidem ipſam promouet, ac impio auſu, quo primos Eccleſiæ prędicatores auſert, ampliſſimam fore, ſegetem fidelium prophetizat. Fallar, niſi idem Neroni contigerit, quod Iudæis, qui Lazarum interficere cogitabant: ne qui ipſum ſuſcitatum viderent, Chriſtum Dominum reſtitutæ vitæ authorem Deũ
Ioan.12. confiterentur. *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebãt in Ieſum.* Ita Ioannes c.12. teſtatur. Chriſtum itaque occidendi cauſa eſt, quod inſpecta Lazari ſuſcitatione, plurimi ad ipſum conuertebantur. Vt quid igitur de Lazari nece cogitant, cùm iam Chriſtum occidere decreuiſſent, cuius fidem ex Lazari ſuſcitatione auguendam ægerrimè ferebant. Hoc illa Ioannis verba inſinuant, *Vt & Lazarum interficerent*: illo igitur ſublato quid profuiſſet alios in vitam reuocare, cùm ab eorum manibus ſe eripere non potuiſſet: vnde ipſi obijciebant: *Alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt ſaluum facere.* Quaſi in- Matt 27. num.42.
dignum cui crederetur iudicãtes qui cum alijs ſalutem attuliſſet, ſibi auxilio eſſe non potuerit. Sat igitur videbatur Chriſtum neci dedere, vt quid etiam Lazari homicidium machinantur? *Vt & Lazarum.* Prophetas credo, o Phariſæi vos fecit inuidia, illa ſtimulante prædiuinatis Chriſti mortem futuræ fidei impedimentum non allaturam: alioquin ſuperuacaneum eſſet Lazarum ad necem quærere, ſi Chriſto mortuo fides eſſet extinguenda.

Cæterùm dum ſibi timent: Gentes in Chriſtum poſt ipſius mortẽ credituras prophetant, ſicut vaticinatus eſt Iſaias cap. 53 *Si poſue-* Iſai.53.
rit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum. Hoc eſt, vbi primum mortem peccati abolendi gratia ſubierit, magna inde credẽtium ſoboles orietur. Quod etiam idem Chriſtus ſumpta frumenti ſimilitudine declarauit: triticum

ticum enim non niſi terra defoſſum, & putefractum germinaſcit; idcirco ait apud Ioannem c. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit multum fructum affert*. Plurimum verò conducit ad præſens inſtitutum, qua tẽporis opportunitate Chriſtus Dominus hac vſus fuerit ſimilitudine, nimirùm, cum Gentiles quidam ipſum videre, & alloqui deſiderantes Philippi fauorem quæſierunt, tunc temporis Chriſto Domino Gentilitas vniuerſa ſe obtulit, quæ ipſo in crucem ſublato fidem eſſet ſuſceptura, nec aliud vt ipſius diuinitatem profiteretur expectabat, quam vt cerneret in cruce morientem.

Ioan. 12.

Hinc eſt, vt vix de paſsione agi cœperit apud Iudæos: Cũ adhuc ad tribunalia morti adiudicandus portaretur, dum ante Caipham, & Pilatum ſiſtens, & interrogatus reſpondit: in ipſa reſponſione aſſertæ veritatis huius ſplendor radiauerit. Quid Phariſæorum Princeps? Chriſtum adiurat his verbis: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei*, apud Matthæum cap. 26. Quid ad hæc diuinus Saluato? *Tu dixiſti* reſpondet. Quid item Pilatus interrogat? *Tu es Rex Iudaeorum? Tu dicis*, ait: Diuerſa eſt vtraque reſponſio, vt ſcitè notauit Hilarius Canon. 32. in Matth. Etenim Pontifici locutus eſt de præterito, *Tu dixiſti*. At verò præſidi Romano, de præſenti: *Tu dicis*; Nec vacat myſterio reſponſionum diuerſitas: Ex ea enim futuram gentium fidem colligi volebat. Siquidem in ipſo paſſionis ſuæ initio cum iam pro hominibus mori incipiebat, Gẽtilitas fidei pignora offerebat; quæ antea, Magis Chriſtum in præſepio recens natum adorantibus, præſentauerat. Volebat inſuper antiquum Synagogæ ingenium in ipſius fide, expectationeque denotare: quoniam antequã ſuſcepta humanitate Chriſtus appareret, illum expectabat veluti Dei filium, ipſiuſque aduentum pſalmis, prophetijs, & ſacrificijs prædicebat. At verò poſtquam venit, inuidia obcæcati Iudæi negarunt, & inſuper occiderunt. Vnde factum eſt, vt Synagogæ fides ad Gentilitatem trãſferretur; indeque per Orbem diffuſa plurimum augeretur. Et ſane hoc erat diuerſæ reſponſionis myſterium, futuraque in eo fidei propagatio ſignificabatur, vt expendit ſanctus Hilarius Canone 32. in Matthæum, *Sed quam*, inquit, *diuerſus ſermo eſt; qui fuerat ad Sacerdotem Illi enim quærenti, an ipſe Chriſtus eſſet, dixerat: Tu dixiſti. Hoc ideo quia lex omnis venturum Chriſtum prædicauerat, reſpondetur tanquam de præteritis Sacerdoti, quia ſemper venturum Chriſtum ex lege ipſe didiciſſet: Huic verò legis ignaro interroganti, An ipſe eſſet Rex Iudæorum, dicitur: Tu dicis. Quia* per

Matt. 26

D. Hilar.

D. Hilar.

per fidem præſentis confeſſionis ſalus gentium eſt. Et quod de ſe ille, qui antea ignorabat loquatur, quod hi negent, qui antea loquebantur. Hactenus ille: At tu vide, vt Phariſæorum inuidia Chriſtum, & Lazarum occidere tentantium, *Vt & Lazarum*: quia verebantur, vt gentes in ipſum crederent: magnum fidei augumentum fore prophetarit.

Et ſanè inuidorum animus fælicitatis alienæ timore agitatus plurimas in fauorem ipſius, quem odit, prophetias edere conſueuit. Somniat olim Ioſeph, quod à Sole, & Luna, & Stellis eſſet adorandus, non tamen ſomnium ſuum agnoſcit (hoc in eo vt eſſet Propheta deſiderabatur) Quid igitur? ſomnium fratribus enarrat: Illi verò ſic interpretati referuntur. *Nunquid Rex noſter eris, aut ſubijciemur ditioni tuæ*. Hoc eſt, Regiam in nos poteſtatem obtinebis, & tibi tanquam ſubditi obtẽperabimus? Potuit equidem Dominus ſomnij myſterium Ioſepho aperire, cæterùm voluit, vt fratres ipſi inuidentes illud interpretarentur, quò planum fieret inuidiam bona aliena quæ timet, prophetando eadem prædicere. Exemplo ſit etiam Saulis, & Dauidis euentus. Nam cum fœminæ Hieroſolymitanæ Dauid victo Goliath reuertẽti obuiã irent, & canerent: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia*: Inuidia commotus Saul, quod plùs Dauid, quàm ipſi tribuerent: cumq; prælatum doleret, Regno potiturum prophetauit. *Dederunt*, inquit, *Dauid decem millia, & mihi mille dederunt; Quid ei ſupereſt, niſi ſolum Regnum?* Proh boni ſuperi! Vnde nam colligis nihil iam ſupereſſe præter Regnũ, quod Dauidi conferatur? Ex eo fortè, quia illum tibi prætulerũt, maiorem illi occiſorum numerũ quam tibi tribuẽtes? Et dum prælatum indignaris, eique inuides futurum Regem prophetizas? Ita planè. Prophetis enim alienorũ bonorum inuidia eſt, ac dum fælices timet, quos odit, bona eis ventura prophetat. Vnde non tot bona, dignitatumque incrementa ſibi quiſquam optabit; quin plura inuidẽtis affectus prophetando ipſi repromittat.

Non tamen hic ſiſtit inuidia, ſed quemadmodum ipſius timor in prophetiam conuertitur: ſic etiam quæ alienæ fælicitati impedimenta opponit, in ipſius iuuamen permutantur. Hoc fratrum Ioſeph, & Saulis hiſtoria manifeſtat: quin etiam & Neronis; ac Iudæorum, dum ille Petrum, & Paulum occidit; hi verò Chriſtum occidere nitebantur. Dum enim illum in crucem egerunt, vt ſupplicij infamia credentes auerterent; Tunc, vt egregiè Leo Magnus põderauit, Redemptori ſeruiebant, viam complanantes, quam ipſemet attrahendis hominibus elegerat. *Admiſit*, inquit, n. Leo.

in

in ſe furentium manus, quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Redemptori. Quin etiam vt Saluatoris verbis loquamur apud Ioannem cap. 12. Cùm cruci affigunt, vt prorſus extinguant, tunc ſeminant agricolarum inſtar: qui triticum in terra ſuffodiunt, vt ibi emortuum magno poſtea fœnore rediuiuum augeatur. Ioan. 12. *Si autem mortuum fuerit multum fructum affert.*

Aptiſſimè etiam cadit in rem præſentem, quod Saluatori noſtro accidit, dum à quibuſdam Phariſæis inuidia agitatis vt Hieroſolimam deſerens, aliò miracula patraturus ſe conferret, oppoſita Regis Herodis indignatione, qui ipſum quærebat ad necem, prouocabatur. *Exi, & vade hinc, quia* Luc. 13. *Herodes vult te occidere.* Luc. 13. Ardebant iſti inuidia, quòd Dominum Ieſum in Regni metropoli tot editis miralibus clarum fieri, omniumque ſibi animos attrahere aduertebant. Quid ergo? Sub ſpecie beneuolentiæ, & cautelæ ad euitandam mortem in pagum, vbi non ita clareret proficiſci adhortantur. Cognita verò inuidorum aſtutia Dominus, reſpondit: Ibid. 13. *Ite & dicite vulpi illi: Ecce eijcio Dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſumor;* deinde addidit: *Verumtamen oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare,* Hoc eſt, interprete Eutymio, per tres ſequentes dies eadem quæ retuli miracula edere. Aduertunt autem hoc loco expoſitores hanc Chriſti reſponſionem prima facie contrariam apparere: quoniam primò affirmat, duobus diebus oportere miraculis patrandis diſtineri, & tertia die emori: deinde etiam in ipſa die tertia miracula ſe editurum teſtatur. Verùm omnis contrarietas euaneſcit, ſi Chriſti miracula, vt media conſiderentur, quibus Saluator incredibilem apud Solymitanos exiſtimationē colligebat: itaquòd perinde ſit miracula edere, operari, ambulare, atque nominis celebritatem, & authoritatem comparare. Ait ergo Chriſtus toto ante paſſionē tempore miraculis clarus Ego ſiã; in ipſo tamen paſſionis articulo plus claritudinis comparabo. Quod ſi hoc vos diſcruciat, videte ne meam gloriam veſtra prophetet inuidia, dumque illam opprimère contenditis, plus augearis: nam *Tertia die conſumor.* Et verò verbum iſtud *Conſumor* non abſumptionem, ſed perfectionem denotat: vnde tantùm valet, ac ſi diceret: Miracula quæ durante vita (ideſt hodie & cras) edo, vt Dei filius agnoſcar, non tantùm ad finem hunc aſſequendum conducent, quantùm vos obſtacula opponētes perficietis. Ego enim talia edens prima tantùm pono rudimenta, vos poſtea occidendo conſūmabitis: idcirco vobis dico *Tertia die conſumor.* Etenim quæ inuidia agitati impedimenta obijcietis

cietis, vltimam addent manum, adſupremumque faſtigium nominis mei celebritatem extollent. Irritus ergo euaſit Phariſæorum conatus; quin etiam Neronis, & omnium quos inuidia vaticinantes facit, atque ad aliorum bona impedienda compellit: quoniam vt diſertè dixit Tertull. de perſecut. *Semen eſt ſanguis Chriſtianorum, quo plures metimur, plures efficimur*. Concinit D. Hieronymus, cuius eſt illud de Eccleſia: *Fundendo ſanguinem, & patiendo contumelias Chriſti fundata eſt Eccleſia, perſecutionibus creuit, martyrijs coronata eſt*. Ex quo patet, quam turpis ſit tyrannorũ error, qui vt Chriſtianam fidem extinguant, fideles de medio tollunt. Quod de Nerone, & Phariſæis retulimus: ille enim Petrũ, & Paulum occidit: iſti Dominum & Lazarum ab eo ſuſcitatum interficere machinabantur. At eorum conſilium Dominus præuertit: & cùm obiectis impedimentis obruere tentabant, eius claritati, fideique incremento famulabantur. Saluatorem noſtrum inter feſtiuas populi acclamationes Hieroſolymam ingreſſum, & Regem nuncupatum, quin etiam ex Iudæis, & Gentilibus plurimos ob Lazari ſuſcitationem in eum credidiſſe aſpicientes Phariſæi, ad inuicem dicebant: *Videtis quia nihil proficimus: ecce mũdus totus poſt eum abijt*. Hoc eſt; nihil proſunt, quibus vtimur ad hunc euertendum, machinamenta. Verè quidem, ſtudium enim veſtrum, omnes perdendi artes Dei ſapiẽtia in veſtram perniciem, & fidei augmentum conuertit; & quo magis dehoneſtare calumnijs, & infami ſuſpendio tollere exiſtimatis: maior inde creſcet gloria, honor exurget, & credentium fides propagabitur.

§. SECVNDVM.

Naturam hominis immutat inuidia, Deique imaginem in eo extinguit, ac in ſui ipſius pœna conuertitur, dum inuidus alia inuidia caſtigatur.

TRiſtiùs haud inuidia monſtrum, nec ſęuior vlla peſtis, & ira Dei Tartaro ſeſe extulit: quippequæ hominum pectora inuadens, ipſos à propriæ naturæ gradu deijcit, atque in aliam trãſmutar longè alienam. Quæ verò ſit hominis natura, ipſius plaſtica & formatio tibi oſtendet. Etenim in agro Damaſceno, non ex quauis terra, ſed rore cæleſti ſuſcepto molli, & ſubacta, vt artificis manum ſequeretur, hominẽ ad ſui imaginem Deus efformauit. Si verò diuinæ ſimilitudinis, & imaginis rationem explores, occurret tibi Iacobus Chriſti Apoſtolus cap. 1. ſuæ epiſtolæ, vbi ait: *Imitatur Dei naturam beneficus homo*. Vnde tunc Dei ſimilitudinem referet, cùm ſe beneficũ exhibebit, Iacob. c. 1

hibebit, quod terra cæleſti rore blanda, mollisque adumbrabat ideo Clemens Alexandrinus 2. Clem. Al. Stromatum, ait. *Reuera imago Dei eſt benefactens homo*. In idem ferè recidit illud à Naziãzeno dictum orat. ad ciues timore perGreg Naziã. cuſſos *Nihil tam diuinum habet homo quam beneficentiam*. Nec latuit Ciceronem hæc veritas, nã Cicero. in orat. pro Ligario, ita fatur: *Homines ad Deos nulla re propius accedũt, quàm dando. Nihil habet fortuna melius, quàm vt poſſis; nec natura meliùs, quàm vt velis ſeruare quamplurimos*. Et verò tam proprium eſt hominis benefacere, vt hac ſola ratione à brutis diſſimilem fieri cecinerit Iuuenalis Satyra 15.

Iuuen. ------ *Quis enim bonus, ac face dignus,*
Arcana qualem Cereris vult eſſe Sacerdos
Vlla aliena ſibi credat mala? ſeparat hæc nos
A grege mutorum.

Hanc Dei ſimilitudinem inuidus deperdit, ab humanaque natura tranſit in belluinam; quia non contentus nõ benefacere de aliena fælicitate dolet, ac mirificè cruciatur: quaſi bonum alienum ſumma inuidentis infælicitas, reputetur.

Parum hoc eſt homines tranſfert in Dęmones inuidia, ipſis Dęmonibus multò deteriores efficit. Laudo Chryſoſtomum Homil. 44. ad Populum hac de re eleganter differentem. *Inuidi* D. Chryſ. *peiores ſunt feris, Dæmonibus autem pares, & fortè deteriores: nam feræ eſcæ indigentes, vel à nobis irritatæ aduerſus nos armãtur: inuidi verò beneficijs allecti, benemeritos maleficijs proſecuti ſunt. Dæmones quoque licèt contra nos bellum exerceant impacatum, conſortibus tamen generis non inſidiãtur. Vnde Iudæis Chriſtus os occluſit, cùm in Beelzebub eijcere Dæmonia calumniarentur. Inuidi verò neque naturæ communionem reueriti ſunt, neque ſibi pepercerunt*. Hæc ex Chryſoſtomo, quibus ferè ſimilia tradit homil. 22. in Ioan. vbi implacabilem Phariſæorum rabiem ab inuidia profectam coarguit: cùm enim Chriſtus vendentes & emẽtes Iudæos flagellis è templo expuliſſet, patienter id tulerunt, & ſolùm ſciſcitati ſunt. *Quod ſignum* Ioan. 2. *oſtendis nobis quia hæc facis*. Ioãnes cap. 2. Dum autem Chriſtus Dominus homini manum aridam habenti ſanitati reſtitueret. Proh inuidiæ rabies! excandeſcunt, in furoremque pręcipites exæſtuãt, & eum interficere moliuntur. *Exeuntes autem Phariſæi conſiliũ faciebant aduerſus eum quomodo perderent eum*. Cur, ait Chryſoſtomus, *Iudæi, qui in collatis be-* D. Chryſ. *neficijs Chriſtum accuſabant, & perſequebantur, cùm credibile eſſet tam acri caſtigatione excandeſcere, æquo animo tulerunt? Nulla enim contumelia in eum vſi sũt*.

Sed

Sed quod ſignum, inquiunt, oſtendis nobis, quia hæc facis? Animaduertis inuidiam incredibilem, & quonam pacto in alios collata beneficia eos magis irritabant. Nec miror, quia cùm propter inuidiam in beſtias iam tranſierant, ob beneficia in homines collata cruciabãtur; nam ſi naturam ſuam retinerent: qua ratione perſequerentur, quos naturæ ſimilitudo diligere hortabatur? Cæterum hæc eſt inuidorum miſera conditio, quos Deus alia caſtigat inuidia: nec aliud (credo) ſupplicium, torturaque acerbior inueniri poterit.

Phariſæorum inuidiam ex Lazari ſuſcitatione, & populi acclamatione exortam ponderauimus, & quo pacto Iudæi redditæ vitæ authorem occidere moliebantur. Poſtea cùm apud ſolymam fama percrebuiſſet Chriſtũ illuc è Bethania venturum; vbi primum vrbem ingredi cępit, Solymitæ attẽptis oliuæ, palmarumque ramis obuiam intraturo procedunt, & feſtiuis plauſibus Regem; Io repetentes per vrbis vias incedentem comitantur. At quæres: quo fine Dominus hos ſibi plauſus voluerit impendi? vt quid hanc ſibi fieri proceſſionem optauerit, qui futuram mox nouerat paſſionem? Quare plaudẽtis populi acclamationibus deduci permiſerit qui paulò poſt blaſphemijs onuſtum, manibuſque poſt terga reuinctis violenter raptandum iri præuidebat? Fòrs Iudæorum inuidiam alia item inuidia caſtigare decreuit: cùm enim ob credentium fidem torquerentur, voluit aliam addere torturam, videlicet populi applauſus, quos D. Ioan. c. 12. à nu. 17. commemorat. *In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtũ, cùm audiuiſſet quia venit Ieſus Hieroſolymam acceperũt ramos palmarum & proceſſerunt obuiam ei & clamabant hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael.* Ioan. 12. Notat verò S. Auguſtinus ſolemnem hunc Saluatoris in vrbem ingreſſum crudelem fuiſſe Iudæorum tortorem; cùm enim arderent inuidia, non poterant non auditis populi exultantis clamoribus acerbiſsimè torqueri; ſicque poſterior inuidia in prioris pœnam, ſuppliciũque vertebatur. Horribilis planè tortura, qua etiã primum Orbis inuidum Caim diſcruciatũ agnoſco. Is cùm Deum audiret dicentem Geneſ. 4. nu. 10. *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra,* Gen. 4. in quo Dei fauor, & quædam erga occiſum familiaritas elucebat, ita ægrè tulit, vt ſtatim mortem optauerit: Ne, qui viuenti germano Dei fauorem inuiderat, in eius inuidiæ pœnam, alteriùs tormento quateretur. Nam cùm ob benignum Dei aſpectum ei inuideret, quò inuidiæ rabiem ſedaret: de medio ſubſtulit. Sed poſtquàm ſublatum Deo in delicijs eſſe intellexit, alia tor-

queri

queri cœpit inuidia, cui nullum præter mortem futurum remedium cogitabat, & ideo Deum rogat, vt permittat occidi; ſic enim D. Hieronymus verba illa interpretatur. *Omnis qui viderit me occidet me.* Geneſ.4.num.15. Falleris tamen inuide, *Nequaquā ita fiet*, interprete eodem Hieronymo, quoniam nulla tibi pœna irrogari poteſt acerbior, qui per inuidiam occidiſti, quàm vt alia inuidia torquearis. Et qui homo cùm eſſes humanitatē exuiſti, Dei in te imaginem deleſti, atque imbelluinam mutatus es feritatem; vitam poſthac trāſiges penè mortuam, inuidiæque doloribus diſcruciaberis, qui ſunt ipſo Tartaro ſæuiores. Geneſ.4.

Hanc huius pœnæ acerbitatem, ni fallor, declarauit Sponſa dum Amoris vim morti, & inuidiæ tormentum Inferno ſimilem prædicauit: *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut Infernus æmulatio.* Cātic.8. Eſt verò magnū diſcrimen, quod mors dum quemquam vita & reliquis bonis ſpoliat, ſenſum aufert, & cognitionem, ne illis priuatum ſe agnoſcat, & ſentiat. At inuidia ad alienæ fælicitatis aſpectum excruciat inuidum, in quo Tartari ſupplicium æmulatur. Hoc diues ille auarus experiebatur: Vnde flammis combuſtus Abraham rogat, vt Lazarum mittat, qui extremo digiti linguam tangens incendium mitiget. *Pater*, inquit, *Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum.* Luc.16. nu.24. Optimum ſanè eſt & laudandum poſtulandæ miſerationis conſilium, ab eo præſertim, quem ad miſerendum agnouerat eſſe promptiſsimum. At non poterat Abraham miſeratione vti, quin Lazarum mitteret? Sanè poterat. Vt quid igitur diues iſte, vt mittatur exorat? Reſpondet acutè Chryſologus ſerm.66. de diuite, & Lazaro, diuiti ſic locutus: *Sciturquia plus te fælicitas Lazari, quàm Gehēna torquet incendium.* Cæterum videamus quò Lazarum diues iſte amandandum requirit, dum ait: *Mitte Lazarum.* Idem Chryſol.ſerm.121. eandem versās petitionem, diuitis poſtulatum eò tendere exiſtimat, vt Lazarus interim dum refrigeriū diuiti præſtat, quietis locum deſerat, in quo dum videt Lazarum, plus de illius refrigerio dolet, quam de ſuo incendio cruciatur. Aurea Chryſologi verba ſunt. *Adhuc tu in Lazarum ſic crudelis? Lazarum mitte: quo? Ad Infernum de gremio, de ſolio ſublimi ad profundiſſimum chaos, ad tormentorum ſtridorem de ſancta quiete, de tā to ſilentio Beatorum. Et mitte Lazarum: vt video quod agit diues, non eſt nouelli doloris, ſed liuoris antiqui, & zelo magis incenditur quàm Gehenna.* Cantic.8 Luc.16. D.Chryſ.

Inſtat adhuc diues inuidiæ facibus agitatus, & ait: *Pater Abraham miſerere mei.* Et illico addit: *Mitte Lazarum, vt intingat ex-* Luc.16.

tremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam. At cur alium ad ſe mitti non poſtulat? Planè, quia cũ Lazaro inuideret, volebat, vt interim dum mittebatur beatitudine careret, & tunc ſecum misericorditer agi reputabat: vnde poſtquàm dixerat: *Pater Abraham miſerere mei,* addidit: *Rogo te pater vt mittas eum.* Cùm autem Abraham poſtulatis non annueret, inſtat diues, & petit vt mittatur, ſed *In domum*, inquit, *patris mei.* Ecce tibi iam diues linguæ refrigerium obliuiſcitur, & Lazarum poſtulat in domum patris remitti, vt dum iter arripit fælicitate priuetur; ob quã ampliùs diues, quàm ob linguæ incendium cruciatur. Itaque Infernus, & Inuidia ſibi inuicem famulantur, in Inferno inuidiam, Infernum in inuidia diues reperit. *Dura ſicut Infernus æmulatio.* Quod ſi in inuidia Infernus reperitur, verè dixeris inuidos Infernum ſuum anteceſſiſſe; inuidiæque tormentum in futuræ damnationis pignus non immeritò ſuſtinere.

Quam ob cauſam hominem fieri damnationis reum, niſi quia peccatorum minimè pœnitet, arbitraris? At quomodo de peccatis ſuis dolebit inuidus, qui omnem doloris ſenſum in deplorandis alienis fælicitatibus expẽdit? Quod in primo Orbis inuido auſpicata eſt inuidia, & poſteris hoc ſupplicium dedicauit. Expende cum Theodoreto verba illa Geneſ. cap. 4. *Iratusque eſt Caim vehementer, & concidit vultus eius.* Geneſ. 4. An peccatorum dolor iuſtam hãc extudit iracundiam, vultumque mœſtitudine turbatum deiecit? Minimè quidem. *Non pœnitentia,* inquit, *peccati adductus, ſed fraternorum operum bonorum inuidia dolore affectus eſt.* Theodor. Vide quàm inordinata ſit animi inuidẽtis affectio. Hinc ſua crimina præ oculis habebat Caim: Inde fratris virtutes inſpiciebat, ſed peccata non plangit, & pro virtutibus dolore compungitur. Cumque ob indebitam oblationem plorare debuiſſet, ſola eum fratris apud Deum gratiæ recordatio contriſtat. Quis hunc affectum in homine ab humanitate alienum non admiretur? Sanè Deus viſus eſt admirari, & ideo quaſi ſubdubitans, & vix credens, interrogat: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Geneſ. 4. Quaſi dicat: quænam mœſtitudinis cauſa? Cur dolorem tuis debitum criminibus ſuffuraris, & totum in plangendis fratris tui virtutibus iniurius, & inuidioſus impendis, cùm potiùs ei pro rectè factis gratulari debuiſſes? Accipe igitur, & quoniã dolorem tuis peccatis debitum pro aliena fælicitate expẽdiſti, ad plangenda crimina tibi deerit, & in tanta doloris acerbitate, quali te torquet inuidia; ideo damnaberis, quia dolorem non habes, & plus in damnatione, fælicitatis alienæ inuidia, quàm Gehennæ

incen-

incendio cruciaberis. Cum autem hic acerbiſſimus ſit tartari cruciatus; quis neget inuidum, alia inuidia acerbius torqueri quàm morte: Fateantur hoc Phariſæi, fateatur Nero, quos Chriſti gloria, fidei propagatio, indeque ſuccreſcens inuidia acerbius, quã mors ipſa torquebat.

Perſimili pœna Pharaonem Deus affecit, nam Exod. 4. dicebat: *Ego indurabo cor Pharaonis.* Porro non aliquam in Regis cor immiſit qualitatem, qua obdureſceret; ſed tam multa in Iudęos, quibus Pharao inuidebat, beneficia contulit, vt ijs conſpectis, præ inuidia totus in duritiem, obſtinationemque abiret: Quod Regius Vates, Ruperto interprete in Exod. cap. 21. decantauit. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius*, Pſalm. 104. Verba Ruperti ſunt: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius*, Pſal. 104. *Non enim aliter iuxta Pſalmiſtam conuertit cor eorum, vt odirent populum eius: niſi dum benedicit, & multiplicat populum ſuum, cor eorum inuidens profecit; immo conuerſum eſt in aſperum odium: Eſt autem inuidiæ, vel odij proprium, vt quanto eis quibus inuidetur, maiora conferuntur beneficia, tanto magis ipſa inuidia, vel odium confirmetur: ſiquidem quo amplius ſplendeſcit cui inuidetur, tanto magis induреſcit, atque vritur inuidus.* Hactenus ille Auguſtinum, credo, ſecutus, qui citata Dauidis verba expendens. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius*, num. 25. Hoc eſt conuertit Ægyptios, vt odirent Hebræos: Inquirit quid ſibi velit, *Conuertit?* An quia Deus odium in cor immiſit, vel illud ad auerſionem incitauit? Minimè quidem. Sed ideo cor Ægyptiorum dicendus eſt in odium Hebræorum conuertiſſe, quia hos magnis beneficijs cumulauit. *Non illos ait malos faciendo: ſed iſtis bona, quibus mali facillimè poſſent inuidere largiendo, incitaſſe dicitur ad odium.* Quaſi tot in inuidos tormenta congereret, quot populo ſuo beneficia, & ornamenta conferret. Hoc enim eſt inuidorum ingenium, vt iuſtorum beneficia ipſis vertantur in pœnam: quapropter inuidia nullo ſupplicio acerbius, quam alia inuidia cruciatur.

Exod. 4. — Rupert. — Pſ. 104. — D. Aug.

Celebre eſt Paralytici miraculum, quem Dominus Ieſus triginta, & octo infirmitatis annos habentem ſanitati reſtituit, lectoque ſublato è piſcina diſcedere præcepit: *Surge tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioan. 5. Dictis obtemperat ægrotus, & cito citius lectum corripit, domumque ſecedit. Ecce tibi occurrunt Phariſæi, & exeunti opponunt: *Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum.* Ille verò reſpondit: *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum.*

Ioan. 5.

Inſtant Iudæi, ab eoque ſciſcitantur: *Quis eſt ille homo, qui tibi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula*. Proh inuidiæ præuerſitatem! Cur non interrogant iſti, quis te ſanum fecit? ſed quis dixit tibi: Tolle grabatum? de ſanitate ſilent, & quam putant legis tranſgreſſionem proferunt. Hæc eſt inuidorum conditio, ad alienæ fœlicitatis conſpectum obrigeſcunt, ac in lapidis duritiem immutantur. Egregium eſt illud Caiet. ad hunc locum. *Non interrogant, quis eſt ille homo, qui te ſanum fecit, ſed tantummodo, quis eſt ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum. Inuidorum enim lingua bona nullatenus profari poteſt; neque ea ipſorum os capit, mala illico profert: proinde ſanitatem omittunt, & ſolam quam putant legis tranſgreſsionẽ obijciunt*. Quapropter inuidos pictori ſimiles dixeris, qui Philippi Macedonum Regis effigiem expreſsit: Cum enim Rex ſiniſtro careret oculo, artifex dimidiam faciem, eamque ſiniſtram depingens cæcum reddidit, & turpiſsimum. Tales inuidi, ſi quid in re dextrum, & pulchrum eſt, non vident: ſiniſtrum & lumine orbum depromũt. Noctuas, credo, æmulantur, quæ luce ſplendente cæcutiunt, & tenebris ingruentibus perſpicaces ſunt: ideo mala vident, bona non inſpiciunt; & ſi fortè videant, Græco igni ſimiles ſunt, qui in aqua fortius accenditur, ad eorum conſpectum acrioribus inuidiæ flammis exuruntur. Do S. Bonauent. tom. 6. in diæta ſalutis, titul. 1. cap. 4. *Similis eſt*, inquit, *inuidus Noctuæ, & igni Græco. Noctua enim de nocte videt, & de die excæcatur, & ignis Græcus in aqua fortius inardeſcit, ſiue ſuccenditur: ſic inuidia in aquis gratiarũ fortius exardeſcit, vnde deberet extingui: & ad modum Noctuæ à luce excæcatur, vnde deberet illuminari*. Quid igitur mirum, vt Deũ vni inuidiæ aliam pro ſupplicio inuidiam addere ſolitum aſtruamus: cum nullum acerbius inuidia tormentum reperiatur.

Ioan. 5. | Caiet. | D. Bern.

§. TERTIVM.

Inuidia comes auaritiæ pectus inuidentis areſacit, & libidine citius in ſenectutem præcipitat.

REgredienti in parentis domum prodigo, magna lætitiæ argumenta parens exhibuit, opiparum inſtruxit conuiuium, accerſitiſque cantoribus, epularum lautitiem muſicæ ſuauitate reddidit dulciorem. Aberat tum temporis prodigi frater, domum reuertitur, auditaque ſimphonia, cauſas ſuſcitatur: à ſeruiſque edoctus omnia à patre peragi, vt fratris aduentum celebraret, excanduit, foris ſe tenuit, nec domum volebat intrare. Cur queſo dolore pre-

premeris, & triſtitia contabeſcis? Forſan ob illud quod parenti tuo cur non intrares ſciſcitanti reſpõ-

Luc.15. diſti: *Filius tuus hic qui deuorauit ſubſtantiam ſuam*. Luc.cap.15. Ergo non tuam: ſuum ille non tuum patrimonium obligurijt. Quid tua intereſt alieni iactura, vt propterea dolore, & triſtitia contabeſcas? Auaritia, ni fallor, iſta eſt, quæ inſeparabili aſſociatione inuidiam comitatur. Perbellè Chryſologus ſerm.4. de fi-

Luc.15. lio prodigo. *Et quando inuidus non auarus? Quando quidquid habet, alter ſe computat perdidiſſe*. Et quidem ſatis auarum ſe exhibuit, ſenior prodigi frater, dum de patre conqueritur, quod nunquam hædum ei dederit, cum amicis, & familiaribus epulandũ.

Luc. 15. *Nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer*. At cur, inquit eo in loco S. Ambroſius, cum paréte expoſtulas, quod

D. Amb. tibi hædum non dederit? *Non enim pro inuidia, ſed pro venia mundi agnus immolatus eſt.* Quaſi diceret: Propter inuidiam, agni immaculati pro mundi redemptione occiſi pretio, & merito viduaris. Vt inuidus de bono fratris ingemiſcis, atque vt auarus nunquam datum tibi à patre hædum conquereris: vnde ſatis probas, quod in virulento pectore auaritia, & inuidia nidulentur. Quiſquis hæc audis impiam hanc fuge ſocietatem, inuidiãque auaritiæ comitem deteſtare, & Diuũ

Martialem epiſt.7. exhortantem D. Mart. auſculta. *Nulla ſit in vobis inuidia: per hanc enim Spiritus ſanctus mentem derelinquit. Recedente autem Spiritu ſancto à tabernaculo mentis, euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine: nulluſque locus eſt ei in cælo, qui alienum ſe fecit à bonitate*. At quomodò bonitatis fructus inuidi pectus aridum germinabit? Nam præterquamquòd inuidia cor areſaciat, comes ipſius auaritia omnem gratiæ rorẽ ebibit, virtutiſque humorem abſumit.

Tria ægrotantium genera apud Solymam in probatica piſcina motum aquæ ad recipiendam ſanitatem expectantium morabantur, vt author eſt Ioannes cap.5. *Multitudo languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum*. Ioan.15. Multa hic ab Authoribus ſuper harum ægritudinum interpretamento congeruntur. Nonnulli tres peccatorum differentias in his ægrotis adumbratas agnoſcunt: videlicèt ignorantiam, imbecillitatem, malitiam. Ita quod in cæcis ignorantia, in claudis imbecillitas, & malitia in aridis ſit repræſentata. Et ſanè iam olim in paradiſo terreſtri generis humani hoſtis tria hæc peccatorum genera prælusit. Nam Eua ex ignorantia ſerpentis ſuggeſtione decepta peccauit: idcirco D. Paulus fœminam fuiſſe ſeductam, non autem virum teſtatur. *Adam non*

eſt ſeductus, mulier verò in præuaricatione ſeducta fuit: Adam ex imbecillitate deliquit; cum enim vxorem impensè diligeret, ne ipſam contriſtaret oblatū pomum comedit etiam non rogatus, vt ibi ſacra refert Geneſ. hiſtoria: *Comedit: deditque viro ſuo, & comedit*, In quo ſuam imbecillitatem oſtendit, quippe qui mulieri pomum offerenti reſiſtere non potuit. Dæmonis peccatum ex malitia prouenit; etenim illico diuinitatis ſuaſione furoris ſui veneno vtrumque eliſit. Itaque Adā imbecilles, quos dixeris claudos: Eua ignorantes, cæcos appella: Dæmon malignos, inter aridos numera, peccatores repræſentabant.

Geneſ 3 num 6.

Ad alia peccantium genera piſcinæ languentes, refert S. Auguſtinus: In cæcis libidinoſos intelligit, qui carnis voluptatibus deditì, laſciuiæque turpitudinibus irretiti, ita cæcutiunt, vt in turpi carnis delectatione ſitam eſſe gloriam arbitrentur. Cum tamen ex Stoici ſententia fallax ſit voluptas, venenum auro illitum, laqueus abſconditus, ſepulchrum extrinſecus adornatum, & vermibus intrinſecus ſcatens. Et tamen *Totam luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tāquam ſupremam agunt*. Ambitioſos claudis æquiparat, & merito, in eos enim aptiſsimè quadrat claudorum inceſſus, & figura, quandiu enim pedites ambulant tanquam candidati, nō vltroneas, ſed claudicatione extortas corporis inclinationes, quaſi in reuerentiæ ſignum exhibent. Si tamen equum aſcendant, mutuato alienorum pedum miniſterio, erecto collo incedunt & nemini ſe ſubmittunt: Non aliter ambitioſi quandiu dignitates ambiunt, & munia expectant, mirum eſt quanta honoris præfatione, quanta capitis, imò & totius corporis inclinatione terram penè repentes excipiant Magnates viros, ac principes, quorum ſuffragia ad dignitatem obtinendam comparare nituntur. Poſtquā verò equites ſe inſpiciūt, nimirum mania retulerunt, alios vix aſpectu dignantur, nec niſi retorto oculo obtuentur. Aridos tandem auaros appellat: aptiſsimè quidem, eſt enim auaritia humani pectoris ariditas, quæ omnem animi ſanctitatem exedit, gratiæ virtutiſque humorem exſiccat. Hinc eſt vt diues ille apud Inferos acriùs in lingua, quàm in alijs corporis membris ignis ardorem ſentiret; vnde licèt totus arderet, ſoli linguæ refrigerium poſtulabat, *Mitte Lazarum*. (ait Abrahamo) *vt intingat extremum digiti ſui in aqua, vt refrigeret linguam meam*. Vbi videtur maiorem in lingua ariditatem perpeti, ipſamque ſupra reliqua membra fortiùs aduri: Nec dubitat Chryſologus ſermon. 122. ideo linguam torqueri grauiùs: quia diuiti fuerat

Senec. epiſt. 60

Luc. 16.

aua-

auaritiæ inſtrumentum, quo pauperi miſericordiam poſtulanti denegauit: vnde cum eo expoſtulãs, ita fatur: *Certè ſi te iam poſſidet totus ignis Inferni, ſi te Gehennæ flamma complectitur: quare ſolius linguæ æſtibus deſideras ſubueniri? niſi quia cùm pectus tuum anhelat flamma ſui criminis & reatus, magis lingua vritur, ardet, æſtuat, quæ inſultauit pauperi, quæ miſericordiam denegauit.* Quin etiam, vt linguæ ariditas auaritiam epulonis deſignabat, ſic manus arida cui apud Matth. 12. Chriſtus Dominus natiuum reſtituit humorẽ: *Et ecce homo manus habens aridam*, auari manum præ auaritia arentem, largiendique ignaram denotabat, vt nonnulli interpretes aduertunt. Vbi iam vides quã ratione auari in piſcinæ aridis repræſententur. Etenim ſicut ariditas terram reddit ſterilẽ, ſic auaritia pectus ſiccitate indurat, animi ſterilitatem infert, omneſque virtutis, & gratiæ fructus abſumit: Vnde comitante inuidia hominis vigorem deterit, pectus crudeli tabe peredit, iuuentutis florem demetit, & celeriùs, quã luxuries in miſeram agit ſenectutem: quod prodigi exemplo iam illuſtro.

D. Chryſ.

Matt. 12.

Probatum iam ſupra reliquimus prodigi fratrem inuidum extitiſſe: modò præ inuidia ſeneſcentem videamus. *Erat autem*, ait Euangeliſta, *Filius eius ſenior in agro*. Mirum certè eſt filium ſenem appellari, cùm tamen pater eius ſenex minimè dicatur. Aptiſsimam huius diſcriminis rationem reddidit S. Ambroſ. lib. 7. in Luc. *Ideo*, inquit, *ſenior dicitur, quod cito aliquis per inuidiam conſeneſcat*. Quaſi dicat, non longa annorum ſeries prodigi fratrem reddidit ſenem, ſed inuidiæ tabes & lethale virus ſenectutem accelerauit, & ita confecit, vt patre ſenior, & morti vicinior crederetur. Et ideo patris ætas iam matura ſiletur, & filius inuidia contabeſcens ſenior appellatur. Huc etiam Chryſoſtomi verba ex homil. 61. in Geneſ. referenda exiſtimo. *Vbi inuidus*, inquit, *captus ab hoc morbo fuerit contra ſuam ipſius ſalutem facit omnia*.

Luc. 15.

D. Ambr.

D. Chryſ.

Verùm magna hîc ſuboritur difficultas: Cur nimirum prodigus ſenex non dicatur cum tabe confectus, & morti proximus canam effœtamq. ſenectutem referret, vtpotè, qui luxurioſè viuendo, non ſolùm ſubſtantiam, ſed annos floridę iuuentutis detriuit, valetudinemque abſumpſit, vt identidem ſacra repetit hiſtoria. *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè*. Et iterum: *Deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus*. Et ſanè fœminarum conſuetudo proculdubio fratrem ſuo maiore natu ſeniorem reddere potuiſſet, qui, vt pater ipſe fatetur, ad ipſius nutum caſtè rectè vixerat: *Fili tu ſemper mecum es*. Nam quò generis humani certiſſima peſtis libido, turpiſque fœmi-

Luc. 15.

fœminarum conſuetudo penetrauit virorem ætatis infringit, virile robur expugnat, vires deterit, in ſenectutem præcipitat, ac tumulo reddit.

Non vacat myſterio noua ſanitatis conferendæ ratio, quam Dominus Ieſus in curanda Petri ſocru tenuit, vt Diuus Matthæus cap. 8. ſcribit: quoniam, vt eam curaret, *Tenuit manum eius. Sed quæ neceſſitas*, inquirit Chryſologus ſermone 181. *tangendi erat, vbi inerat ius iubendi? ſed Chriſtus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem*. Atque vtinam ſolus Adam mulieris manu perijſſet, in plures hæc infælicitas peruaſit, quos obſcœnus fœminarum amor ſepulchro deſtinauit. Quam ob cauſam in templo Veneris funeralia pro foribus appenſa vendebãtur, vt quotquot eò adirent nihil aliud fœminarum pulchritudinem, turpesque amores exiſtimarẽt, quàm morbidam iuuenum ſenectutem, omniũque virorum certiſſimam necem, & infame ſepulchrũ. Quod in adoleſcente Lazaro vita functo non mortuis, ſed viuis coloribus expreſſum D. Chryſologus inſpexit. Chriſtum Dominum Lazari ſorores acciuerant, vt mortuum reuocaret ad vitam. Adeſt illico diuinus Saluator; domumque ingreſſus ex ſororibus ſciſcitatur: *Vbi poſuiſti eum?* Nonne qui Lazarum agnouerat mortuum, etiã vbi poſitus eſſet agnoſcere potuiſſet? Ita planè. Ad quid ergo rogat? Reſpondet Chryſologus ſerm. 4. *Cùm dicit*, inquit, *vbi poſuiſtis eum, mulieres increpat, mulieres arguit, hoc eſt, quem ego poſui in paradiſo, in regione vitæ, ecce vos vbi poſuiſtis eum*. Ac ſi nulla certior mors hominibus, nec magis propera ſenectus, quã ex fœminis prouenire poſſit. Vnde dixit Theochritus: *Amantes in die ſeneſcunt*, quia non opus eſt, vt plures anni decurrant; in quibus ipſi in ſenectutem præcipitentur; vnius diei ſpatio ad ſenectam perueniunt. Quò reſpexit Poëta Græcus, dicens: *Amantes repente ſeneſcunt*. Et de Salomone tradit Regum hiſtoria libro 3. cap. 11. num. 4. quòd. *Cùm eſſet ſenex deprauatum eſt cor eius per mulieres*. In quo loco Gloſſa Interlinealis. *Senex*, inquit, *non ætate, ſed moribus*: turpes enim amores Salomonem velociſſimè in ſenectutem præcipitarunt.

Matth. 8. D. Chryſ. D. Chryſ. 3. Reg. 11 Gl. ſ. Int.

Cùm igitur ita ſe res habeat, vt luxuriæ malum adoleſcentes conficiat, epotoque ipſius dulci veneno citiſsimè conſeneſcãt: Cur prodigus, qui libidine cõſenuerat, nõ dicitur ſenior? Cùm tamen ipſius frater, vt ex Ambroſio, & Chryſoſt. adnotauimus ſenex appelletur. Duplicem huius diſcriminis rationẽ adinuenit D. Chryſologus ſermone 4. de filio prodigo. Prima eſt: quia *Inuidia*

ma-

D. Chryſ.

Digitized by Google

malum vetuſtum, prima labes, antiquum virus, ſæculorum venenum, cauſa funeris. Quia licèt vtraque lues luxuriæ, nimirum, & inuidiæ adoleſcentiam expugnet. Illa carnem tantummodò penetrat, corpus inuadit, & externas vires deterit; hæc verò viperino roſo cor ipſum adigit, vitæ arcem impetit, internaſque animi vires abſumit Chryſologi verba ſunt: D. Chryſ. *Inuidia inteſtinus hoſtis, non carnis quatit muros, non elidit ſepta membrorum, ſed in ipſam cordis arietat arcem, & antequàm viſcera ſentiant, ipſam Dominam corporis animam prædo capit, & adducit incluſam.*

Verùm o vtinam hic ſiſteret inuidiæ rabies, & temporariam vitam demerere, floremque iuuentutis abſumere contenta, cæleſtis Regni beatitudine non priuaret. At (miſerum dictu) eò dementiæ inuidus deuenit, vt ſe ipſum ab æterna fælicitate excludat, ne alij eadem perfruantur. Quod inuidorum ingenium expreſſit Chriſtus Dominus apud Luc. cap. 11. Luc. 11. dicens: *Væ vobis legiſperitis quia tuliſtis clauem ſcientiæ, & ipſi nõ introiſtis, & eos, qui intrabant prohibuiſtis.* Vt quid iſti Regni cæleſtis fores cùm poſſint non aperiunt, & liberè ingrediuntur? Quare claues tenent, & ante fores detenti conſiſtunt, ac intrare non audent? Reſpondet egregiè D. Chryſ. D. Chryſologus ſermon. 172. *Audiſtis hodie fratres quemadmodum ſecluſit alios, ſe ipſum ianitor inuidioſus excludit.* Et paulò poſt replicat: *Audiſtis ergo quemadmodum ſecluſit alios, ſe ipſum ianitor inuidioſus excluſit. Acceperat claues Phariſæus, non vt clauderet, ſed vt intrare deſiderantibus aperiret: ſed ne intraret alter, ipſe permanere foris maluit per liuorē.* Quid infæliciùs, & immaniùs excogitare potuiſſet inuidia? quàm ab æternæ beatitatis poſſeſſione inuidos extrudere, dummodo ij quibus inuident à Regno cæleſti eijciantur. Tales nonnulli quibus Dominus Ieſus apud Lucam c. 4. dicebat: *Vtique dicetis mihi, quanta audiuimus facta in Capharnaū, fac, & hic in patria tua. Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.* Luc. 4. Dices: cur Chriſtus Dominus cum ſuis conciuibus ſic expoſtulat? Reſpõdet Ambroſius ibid. *Aſpernator Dominus inuidorum eſt. Et ab ijs qui diuina beneficia in alijs perſequuntur.* D. Ambr. Inſtabis quare conciues ſuos Diuinus Saluator miraculorum beneficio fraudare voluit? Cùm omnia ipſius miracula eò tenderent, vt Dei filius agnoſceretur, iuxta illud: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* Io. 17. 3. Vt per ipſum veluti portam fideles intrarent ad vitã, æternaque beatitudine fruerentur. Renuit ergo Chriſtus agnoſci, ac ſuis conciuibus gratiam, beatitudinemq. impertiri? Abſit:

Ioan. 3. num. 17. Ad hoc enim venerat, *Vt ſaluaretur mundus per ipſum*. At verò huiuſmodi oppidanos inuidia multipliciter agitabat; etenim miracula in extraneorum vtilitatem à Saluatore edita inuidebant, & gloriam inde partam æmulabātur; quodque minus ferendū erat, Dominum contemptui habebant: idcirco eis dicebat. *Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua*. Luc. 4. Quaſi diceret: Veſtrum ego ingenium agnoſco: miracula quidem expetitis: cæterùm quia magnam inde gloriam mihi naſcituram coniectamini, eadem reijcitis, miraculorumque authorem perſequimini. Proh inuidiæ peruerſitatem, quæ Chriſti oppidanos, dum ſuam ei gloriam inuidebant, indignos reddidit, qui Chriſti miracula in ſui vtilitatem edita conſpicerent. Hinc eſt illud D. Ambroſij ad hunc locum. D. Ambr. *Vide igitur*, inquit, *quid mali inuidia afferat. Indigna propter inuidiam patria iudicatur, in qua ciuis operetur, quæ digna fuit, in qua filius Dei naſceretur*. Digna profectò criminis vindicta: ſiquidem inuidia omnia bona etiam æternæ beatitudinis fælicitatem faſtidit, ſi vel modica ex illis vtilitas in alios deriuetur. Quid igitur tutum vbi inuidia, in præcipiti pendula, nuſquam quieta, ſed turbinibus ſēper agitata poſſeſſorem ſuum pręcipitem agit in interitum.

Exemplo ſit Scribarum, & Pharisæorum inuidia, quibus illa mille ad Saluatorem Mundi euertendum artes ſubminiſtrabat. Hinc miracula iam expoſcunt, ac ſi Dominus nulla antea edidiſſet. *Magiſter volumus à te ſignum videre*. Matth. 12. Matt. 12. ſtatim indignantur, quod magnam miraculorum multitudinem patrarit. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit*. Ioan. 11. Deinde vt ipſius doctrinam falſitatis coarguant, neminem ex Magnatibus auditorem, & ſectatorem habuiſſe teſtantur. *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum?* Ioan. 7. Ioan. 7. tandem vniuerſum poſt ſe Orbem trahere fatentur. *Ecce totus mundus poſt eum abit*. Quid ſibi vult tanta ſentiendi, & loquendi varietas? Modo nullum, rurſus plurima edit miracula: iam ſine diſcipulis, ſtatim Orbem vniuerſum in ſuam traxit doctrinam. Inuidorum cōditio hæc eſt: omnia in Chriſti perniciem moliebantur, & ſua inuidia in eorum ruinam internecionemque conuertit. Chriſtum viā, veritatem, vitamque animarum perdere tentabant, & bonis illius ſe ſpontè priuarunt: errantes ſine via, mortui abſque vita, ſine veritate cæci, eodem gladio, quo Saluatorem, ſe ipſos æternùm perituros iugularunt. Vnde, ni fallor, de illis vaticinatus eſt Iſaias cap. 50. Iſai. c. 50 *Tinea comedet eos*. Hoc eſt inuidia abſumet, quam D. Cyprianus lib. de zelo, & liuore humani pectoris tineam appellauit. *Qualis*, inquit, *eſt animi tinea* D. Cypr. zela-

zelare in altero fælicitatem, in malum proprium bona aliena cõuertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam; & velut quoſdam pectori ſuo admouere carnifices, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta maleuolentiæ vngulis pulſent.

Hinc eſt, vt liuor alienam fælicitatem inuidentiũ oculis obijciat, quò magis torqueat, & excruciet. Quod ſẽtiebat diues ille, & apud inferos fatebatur, dum Luc. 16. Abraham rogabat, dicens: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quam diuitis petitionem expendens D. Chryſo- D.Chryſ. logus egregiè philoſophatur. *Vt video,* ait, *quod agit diues, non eſt nouelli doloris, ſed liuoris antiqui, & zelo magis incenditur, quam Gehenna. Eſt graue illis malum, eſt incendium non ferendum, quos aliquando habuere cõtemptui, videre fælices. Adhuc diuitem malitia non deſerit, quem iam poſsidet pœna; qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat, ſed ad ſe Lazarum vult deduci.* Hæc ille.

Eodem reſpicit illud à D. Bernardo ſubtiliter excogitatum. Plures Dæmonum in medio aëre cælum inter, & terram cruciari vir ſanctiſſimus arbitratur, quod etiam Theologi non vulgares ad 4. ſentent. diſt. 45. communiter ſentiunt. At quæres: Cur alijs terræ viſceribus incluſis ad cruciatum, alij in aëre cruciandi detinentur? Fortè quia leuius deliquerant apud ſuperos manent, vt mitius torqueantur? Ita nonnulli crediderunt. Cæterùm magis arridet S. Bernard. reſponſio ſermon. 54 in Cantic. Ideo enim ait, Dæmones inter Eccleſiæ triumphantis beatos, & militantis iuſtos à Deo fuiſſe conſtitutos; vt vtrorumque fælicitate inſpecta inuidiæ ſtimulis acrius, quàm Gehennæ incendijs cruciarentur. *Diabolus,* inquit, *in pœnam ſuam locum in aëre medium inter cælũ, & terram ſortitus eſt; vt videat, & inuideat, ipſaque inuidia torqueatur.* D. Bern. Huc etiam refert idem Bernardus illud Seraphinorum myſterium, qui apud Iſaiam c. 6. duabus alis Domini faciem, duabus pedes obuelabant: reliqua verò corporis ſpatia oculis per via relinquebant: *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Iſai. 6. In facie Domini, Eccleſiæ triumphantis arcana; in pedibus Eccleſiæ militantis obſequia contemplatur: per medium ſpatium Angelorũ vltro citroque commeantium gratiſsima ſignificari cõmercia intelligit. Ad quid ergo capite, pedibuſque abſconditis, ideſt, Eccleſię vtriuſque myſterijs, reliqua, ideſt cæli, terræque cõmer

mer

mercia, quibus è terra vota, & obſequia, è cælo dona, [& beneficia deferuntur, aſpectui peruia relinqui Deus voluit? Egregiè reſpondet S. Bernardus Dæmonem alloquutus. *Licèt*, inquit, *& caput in cælo, & pedes in terra à te abſconduntur: quiddam tamen tibi medium videndum, ad inuidendum dumtaxat permittitur: dum ſuſpenſus in aëre deſcendentes quidem per ſe, & aſcendentes Angelos intueris, ſed quid vel audiant in cælis, vel nuncient in terris penitus neſcis*. Et verò dum ille Angelorum ſurſum, deorſumque commeatus aſpiceret, mutuam cæleſtium, terreſtriumque charitatē intueretur, quam plurima hominibus afferri dona conijciebat, vnde inuidiæ doloribus magis, quam Inferni cruciatibus torquebatur.

D. Bern.

Poſtremo ſicut Inferni pœna perennis eſt, ita etiam inuidiæ tormentum nullo vnquam fine concluditur, iuxta D. Cypriani ſententiam lib. de zelo, & liuore: *Zelus*, inquit, *terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum eſt*, ſtatimque ſubdit: *Calamitas ſine remedio eſt odiſſe fælicem*. Quis igitur ita improbus inuenietur, vt alienam fælicitatem exoſus, ex aliorum oblectamentis tormenta eliciat, & vnde alij delectantur, ipſe torqueatur; ſicut inuidi ſolent: inter quos & improbos diſcrimē aſſignat D. Ambroſius lib. 2. officiorum cap. 30. *Quod improbus ſuo delectatur bono, inuidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit; vt prope tolerabilior ſit, qui ſibi vult benè, quàm malè omnibus*: Immo & malè ſibi, qui in Tartari pœnis deliciatur, cum ſuo tortore, & carnifice colludit, & cum fera peſsima libenter ſtabulat; cuius crudelitatem depinxit eleganter Chryſologus ſerm. 172. *Omnia quidem vitia ad ſuorum ſemper intendunt, & proſiliunt læſionem, ſed ſuos ſemper amplius inuidia conſumit. Inuidia ſuorum carnifex ſemper exiſtit, extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. Et quid plura? Hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia, quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorē. Quis ibi malorum finis? vbi alterius bonum pœna eſt, vbi cruciatus eſt aliena fælicitas*. Abſoluit tandem Chryſologus: *Inuidia malum multiplex: quot ſunt proſperitates hominum, tot tormenta inuidorum*. Vnde malum interminabile liuor eſt; nec vnquam de eo dicendi finis eſſet. Hic tamen ſiſtendū fuit, lectorem admonendo, quòd nec cōſuetudini, nec famæ, ſed vtilitati ſcripſerimus.

D. Cypr.

D. Amb.

D. Chryſ.

FINIS TOTIVS LIBRI.

IN-

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVÆ IN HOC OPERE ILLVSTRANTVR.

Prior numerus Paginam, poſterior Columnam indicat.

VETVS TESTAMENTVM.

Ex Geneſi.

C. 1 2 SPiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 73. 2.
3 Fiat lux, & facta eſt lux. 603. 2.
9 Congregentur aquæ in locum vnum. 377. 2.
16 Duo luminaria magna. 412. 2.
26 Faciamus hominem. 603. 2.
C. 2 2 Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat. 305. 2.
12 Aedificauitque Dominus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem. 267. 2.
15 Vt operaretur, & cuſtodiret illum. 517. 1.
17 In quacunque die comederis, morte morieris. 226. 2.
18 Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. 311. 1.
23 Hoc nunc os ex oſſibus meis. 412. 2.
C. 3 6 Pulchrum oculis, aſpectuique delectabile. 245. 2.
7 Comedit, deditque viro ſuo, &c. & aperti ſunt oculi amborum. Cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos. 304. 2. 136. 2.
9 Adam vbi es. 275. 1.
12 Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. 701. 1. 443. 1.
17 Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi. 240. 2.
22 Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. 132. 1.
C. 4 2 Fuit Abel paſtor ouium, & Cain Agricola. 321. 1.
4 Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties. 247. 1.
7 Ad te conuerſio eius, & tu ipſius dominaberis. 445. 1.
9 Vbi eſt Abel frater tuus. 445. 2.
4 10 Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. 800. 2.
4 15 Omnis qui viderit me occidet me. 801. 1.
4 5 Iratusq. eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. 802. 2.
11 Quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem Abel. 573. 2.
C. 5 28 Vixit Lamech annos centum octoginta, & genuit filium, & vocauit nomen eius Noe. 41. 2.
C. 7 4 Ego pluam ſuper terram quadraginta diebus, & qua-

quadraginta noctibus, & delebo, &c. 447. 1. & 2.

C. 9 21 Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo, &c. 262. 1.

27 Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem. 262. 2.

C. 11 27 Hæ ſunt generationes Thare, Thare genuit Abraham, & Nacor, & Aram. 320. 2.

C. 12 17 Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius, &c. 114. 2.

C. 15 1 Noli timere. 68. 2.

9 Sume vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, taurũ quoque, & columbam, &c. 199. 2.

C. 16 6 Affligente eam Sara fugam iniȳt. 45. 1.

C. 19 4 Viri autem ciuitatis Sodomitæ circundederunt domũ, à iuuene vſque ad ſenem. 448. 2.

7 Nolite fratres mei, nolite hoc malum facere, habeo duas filias. 449. 2.

9 Recede illuc, te rogo ipſum magis, quàm illas affligemus. 448. 1. 450. 2.

10 Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Lot. 450. 2.

11 Viros autem qui erãt apud ianuam, percuſſerunt cæcitate à paruo, vſque ad magnum. 453. 2.

14 Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui. 450. 2.

26 Reſpiciensq. vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. 451. 1.

C. 20 3 Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi, en morieris. 114. 2.

6 Dixitque ad eum Deus, & ego ſcio, quod ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te. 117. 1.

C. 21 9 Cum vidiſſet Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo. 43. 2.

C. 22 8 Dominus prouidebit ſibi victimam. 211. 2.

11 Abraham, Abraham ne iniȳcias manum tuã in puerum. 435. 1.

C. 25 6 Et ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo. 307. 2.

C. 27 18 Ego ſum primogenitus tuus Eſau. 201. 2.

28 Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abũdantiam. 138. 2.

38 Cui Eſau, num vnam tantùm benedictionẽ habes Pater. 307. 2.

De pinguedine terræ, & in rore cæli erit benedictio tua. 138. 2.

C. 28 12 Viditq. in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum. 188. 2. 522. 2.

21 Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait, verè Dominus eſt in loco ſancto iſto, & ego neſciebam. 188. 2.

C. 37 9 Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & Stellas adorare me. 623. 2.

C. 38 15 Quam cũ vidiſſet Iudas ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuit enim vultum ſuum, ne agnoſceretur. 114. 2.

26 Iuſtificata eſt magis Thamar, quàm ego. 484. 2.

C. 40 Accidit vt peccarent duo Eunuchi pincerna Regis Aegypti, & piſtor Domino ſuo. 783. 2.

C. 43 30 Feſtinauit, quia commota fue-

fuerunt viſcera eius, & introiens cubiculũ fleuit. 58. 1.
33 *Et admirabantur nimis ſũptis partibus, quas ab eo acceperant*. 692. 1.
C. 49 3 *Rubem primogenitus meus, & principium doloris mei; effuſus eſt ſicut aqua, non creſcas*. 270. 2.
24 *Inde egreſſus eſt lapis Paſtor Iſrael*. 58. 1.

Ex libro Exodi.

C. 3 14 *Ego ſum*. 91. 2.
C. 4 14 *Scio, quia frater tuus Aaron Leuites eloquens eſt, ipſe erit tibi*. 687. 2.
16 *Ipſe erit os tuum, ipſe loquetur tibi ad populum*.
7 1 *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. 272. 1.
3 *Ego indurabo cor Pharaonis*. 211. 1. 803. 1.
9 *Tolle virgam tuam*. 269. 1.
12 *Proieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones*. 787. 2.
8 18 *Fecerunt autem, & malefici incantationibus ſuis ſimiliter*. 786. 2.
C. 15 12 *Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra*. 35. 1.
17 *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſsimo habitaculo tuo*. 169. 1.
C. 18 17 *Non bonam rem facis; ſtulto labore conſumeris*. 87. 1.
C. 24 15 *Cumque aſcendiſſet Moyſes operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini quaſi ignis ardens*. 134. 1.
C. 32 20 *Arripiens vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſq. ad puluerẽ*. 105. 2.
31 *Aut dimitte eis hanc noxã; aut dele me de libro tuo*. 311. 2. 459. 1.

Ex Leuitico.

C. 2 11 *Nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino*. 595. 1.
C. 10 2 *Egreſſusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sũt coram Domino*. 36. 1.
C. 24 14 *Educ blaſphemum, & ponant omnes, qui audierunt manum ſuã ſuper eũ*. 251. 2.

Ex Numeris.

C. 3 1. *Hæ ſunt generationes Aaron, & Moyſi*. 321. 2.
C. 11 17 *Auferam de ſpiritu tuo, tradamq. eis, vt ſuſtentent tecũ onus populi*. 169. 1.
C. 12 13 *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*. 438. 2.
C. 15 35. *Dixitq. Dominus ad Moyſem, morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra*. 36. 1.
C. 16 3 *Cum ſtetiſſent aduerſum Moyſem, & Aaron, dixerunt ſufficiat vobis*. 620. 2.
31 *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis*. 37. 2.
C. 17 8 *Et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt*. 458. 1.
C. 18 3 *Sed & fratres tuos Leuitas, & ſceptrum Patris tui ſume tecum, præſtoq. ſint*. 625. 2.
C. 20 8 *Loquimini ad petram coram*

eis, & ipſa dabit aquas. 37. 1.

C.5 5 *Dixitque Moyſes ad Iudices Iſrael, occidat vnuſquiſque proximos ſuos.* 279. 2.
8 *Cũ vidiſſet Phinees; ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione.* 279. 2.

C.33 1 *In manu Moyſi, & Aron.* 269. 1.

Ex Deuteronomio.

C.32 8 *Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam.* 240. 2.
31 *Non enim eſt Deus noſter, vt Dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* 421. 2.

C.33 6 *Viuat Rubem, & non moriatur.* 270. 2.
12 *Beniamin amantiſſimus Domini habitauit confidenter in eo.* 690. 1.

C.34 10 *Nõ ſurrexit vltra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes.* 272. 1.

Ex Iosue.

C. 5 16 *Solue calceamenta de pedibus tuis.* 521, 1.

C.22 22 *Fortiſſimus Deus Dominus, ipſe nouit.* 279. 1.

Ex libro Iudicum.

C. 7 6 *Fuit numerus eorum, qui manu ad os proijciente, lamberunt aquas, trecenti viri.* 788. 2.

C.14 7 *Ecce examen apum in ore Leonis erat, ac fauus mellis.* 599 2.
14 *De forti egreſſa eſt dulcedo.* 505. 1. 565. 2.

Ex 1. Regum.

C. 2 3 *Nonne Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi praeparantur cogitationes hominum?* 710. 2.

C. 3 9 *Ait ergo Samuel, loquere Domine: quia audit ſeruus tuus.* 249. 1.

C.16 7 *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturae eius, quoniam abieci eum.* 566. 2.
13 *In medio fratrũ eius.* 326. 1.
17 *Prouidete mihi aliquem bene pſallentem, & adducite eum ad me.* 793. 1.

C.17 8 *Nunquid ego non ſum Philiſthaeus, & vos ſerui Saul, eligite ex vobis virũ.* 203. 1.
39 *Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo, & depoſuit ea.* 203. 2.
40 *Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi,* 203. 2. 793. 1.
43 *Quaſi ad canem exiſti cum lapidibus, & virga.* 201. 1.

C.21 2 *Rex praecepit mihi ſermonẽ, & dixit.* 21. 2.
13 *Inmutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum.* 9. 2.

C.26 7 *Inuenit Saul iacentem, & dormientem in tentorio.* 226. 1.

Ex 2. Regum.

C. 5 8 *Caecus, & claudus non intrabunt in templum.* 50. 1.

C. 6 6 *Calcitrabant boues, & declinauerunt eam, iratuſque eſt Dominus contra Ozam.* 36. 2.

C.12 5 Reus eſt mortis. 678. 1.
C.19 22 Quid mihi & vobis filij ſaruiæ cur efficimini mihi hodie in ſatan. 100. 2.

Ex 3. Regum.

C. 3 9 Dabis ſeruo tuo cor docile. 718. 2.
C.13 24 Inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, &c. 42. 2.
C.18 46 Manus Domini facta eſt ſuper Eliam, accinctiſque lumbis currebat ante Achab. 519. 2.
C.19 9 Quid hic agis Elia. 275. 1.

Ex libro Tobiæ.

C.12 19 Ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videre non poteſt, vtor. 180. 1.

Ex libro Iob.

C. 1 22 In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt. 438. 2.
C. 2 6 Ecce trado eum in manu tua. 463. 2.
9 Benedic Deo & morere. 156. 1.
C. 4 4 Si habes brachium ſicut Deus & ſimili voce tonas? 584. 1.
C.10 25 Cum ſederem quaſi Rex circunſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. 418. 1.
C.11 5 Vtinam Deus loqueretur tecum, vt intelligeres. 704. 2.
C.13 13 Quare taces conſumor. 663. 1.
C.14 13 Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, &c. 198. 2.
C.19 4 Et ſi ignoraui, mecum erit ignorantia mea, & vos contra me erigimini, &c. 122. 2.
26 In carne mea videbo Deum Saluatorem meum. 172. 2.
C.26 8 Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. 674. 2.
11 Columnæ Cæli contremiſcunt, & pauent ad aduentum eius. 191. 2.
C.28 2 Lapis calore ſolutus in æs vertitur. 53. 1.
C.38 25 Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum. 519. 2.

Ex libro Pſalmorum.

5 3 Rex meus, & Deus meus. 312. 2
9 23 Propter quod irritauit impius Deum, dixit enim in corde ſuo, non requiret. 200. 1.
15 9 Propter hoc lætatum eſt cor meum. 243. 2.
17 10 Inclinauit cælos, & deſcendit. 72. 1.
11 Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit. 233. 1.
17 Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis. 73. 2.
18 5 In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 583. 2.
19 Delicta quis intelligit ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. 115. 2.
20 12 Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire. 443. 2.
21 1 Deus Deus meus reſpice in me. 48. 1.
17 Foderunt manus meas, & pedes meos. 494. 1.
19 Ipſi conſiderauerunt, & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, &c. 257. 2. 259. 1. 548. 1.
22 4 Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt 457. 2.

24 8 *Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via*. 33. 2.

28 3 *Vox Domini ſuper aquas, vox Domini in virtute*. 585. 1.

30 20 *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*. 593. 2.

33 Titulus. *Pſalmus Dauid cum immutauit vultum ſuum coram Achimelech, &c.* 10. 1.

9 *Guſtate, & videte, quam ſuauis eſt Dominus*. 165. 1.

34 15 *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*. 249. 2. 251. 1.

35 9 *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, &c.* 176. 1.

36 24 *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam*. 73. 2. 520. 1.

37 5 *Silui, patiens fui ſicut vir, non habens in ore ſuo redargutiones*. 7. 1.

12 *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*. 309. 2.

18 *Ego in flagella paratus ſum*. 252. 1.

39 18 *Ego autem mendicus ſum, & pauper*. 532. 1.

41 2 *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus*. 161. 2.

5 *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, &c.* 161. 2.

42 14 *Confitebor tibi in cithara*. 501. 2.

45 Titulus. *Filijs Core pro arcanis*. 38. 1.

6 *Deus in medio eius*. 309. 1.

47 10 *Suſcepimus Deus miſericordiam in medio templi tui*. 309. 1.

48 13 *Homo cum in honore eſſet, nō intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, &c.* 132. 2. 645. 1.

49 21 *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. 199. 1.

52 6 *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. 68. 2.

54 7 *Quis mihi dabit pennas, ſicut columbæ*. 480. 2.

57 8 *Ad nihilum deuenient tanquā aqua decurrens*. 410. 1.

11 *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam impiorum, & manus ſuas lauabit, &c.* 29. 2.

63 8 *Sagittæ paruulorū factæ ſunt plagæ eorum*. 65. 1.

66 10 *Zelus domus tuæ comedit me* 253. 2.

67 4 *Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei*. 180. 1.

28 *Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu*. 690. 2.

68 3 *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*. 242. 2.

12 *Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni*. 241. 2.

72 2 *Qui ſedes ſuper Cherubim*. 232. 2.

9 *Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terram*. 3. 2.

14 *Fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis*. 252. 1.

79 15 *Reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam*. 48. 1.

80 4 *Buccinate in Neomenia tuba in inſigni die ſolemnitatis veſtræ*. 174. 2.

17 *Et de petra melle ſaturauit eos*. 593. 2.

83 5 *Beati*

83 5 *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. 158. 1. 174. 1.
10 *Protector noſter aſpice Deus.* 48. 1.
11 *Melior eſt dies vna in atriis tuis.* 177. 2.
85 5 *Tu Domine ſuauis, & mitis.* 593. 1.
88 16 *Miſericordia, & veritas præcedent faciem eius.* 40. 1.
38 *Sedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum.* 361. 1.
94 8 *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* 211. 1.
98 7 *Qui ſedes ſuper Cherubim moueatur terra.* 232. 2.
100 5 *Superbo oculo, & inſatiabili corde, cùm hoc non edebam.* 792. 1.
105 5 *Viſita nos in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum.* 581. 2.
108 17 *Perſecutus eſt hominē inopem, & mendicum.* 532. 1.
113 8 *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* 494. 2.
114 5 *Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* 459. 2.
117 13 *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* 73. 2.
118 103 *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* 596. 1.
147 *Preueni in maturitate, & clamaui.* 686.

Ex Prouerbijs.

C.5 15 *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui deriuentur fontes tui foras.* 651. 2.
C.6 6 *Vade ad apem ò piger, & conſidera vias eius.* 507. 2. 514. 2. 716. 1.
C.14 12 *Eſt via quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.* 120. 1.
C.25 16 *Mel inueniſti, comede quod ſufficit, ne fortè ſatiatus euomas illud.* 602. 1. 607. 1.
C.30 3 *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, vt comedat inopem, de terra.* 3. 2.
C.31 20 *Et manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* 59. 1.

Ex Eccleſiaſte.

C. 5 1 *Ne temere quid loquaris; neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem.* 669. 2.
C. 7 6 *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* 661. 1.
C.10 1 *Pretioſa eſt ſapientia, & gloria parua, & ad tempus ſtultia.* 10. 1.
C.12 9 *Cùm eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit populum.* 652. 2.
10 *Quæſiuit verba vtilia, & cōpoſuit ſermones rectiſſimos.* 653. 2.
13 *Finem loquendi pariter omnes audiamus.* 719. 1.

Ex Canticis Canticorum.

C. 1 3 *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* 176. 1.
6 *Indica mihi, quē diligi anima mea, vbi paſcas, vbi cubes*

in meridie. 177.1.

9 *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis*. 496. 2.

16 *Lectulus noſter floridus tigna domorum noſtrarum cedrina*. 309. 2.

C. 2 1 *Ego flos campi, & lilium conuallium*. 309. 2.

7 *Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, ceruosque camporum*. 210. 1.

9 *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*. 514. 1.

14 *Sonet vox tua in auribus meis facies tua decora*. 586, 2. 743. 2.

16 *Dilectus meus mihi, & ego illi*. 72. 2.

C. 3 7 *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael*. 65. 1. 154. 2.

9 *Ferculum fecit Rex Salomon de lignis Libani*. 113. 1.

11 *Videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit*. 243. 1.

C. 4 1 *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum*. 498. 2.

2 *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro*. 138. 1. 619. 2.

4 *Collum tuum ſicut turris Dauid, mille clypei pendent ex ea*. 652. 2. 693. 2.

7 *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. 102. 1.

8 *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni*. 102. 1. 631. 1.

9 *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa in vno oculorum tuorum*. 38. 2.

11 *Fauus diſtillans labia tua Sponſa*. 595. 1. 632. 1.

C. 5 1 *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*. 180. 1.

3 *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illà, laui pedes meos*. 227. 1.

11 *Caput eius aurum optimum*. 746. 2.

12 *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum*. 498. 2. 661. 1.

13 *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam*. 680. 1.

16 *Guttur illius ſuauiſsimum*. 593. 1.

C. 6 4 *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt*. 496. 1.

12 *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intuamur te*. 633. 2.

C. 7 2 *Vmbilicus tuus crater tornatilis*. 672. 2.

4 *Naſus tuus ſicut turris*. 654. 1.

C. 8 6 *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut Infernus æmulatio*. 801. 1.

14 *Fuge dilecte mi aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel*. 561. 1.

Ex Sapientia.

C. 4 1 *Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate*. 610. 2.

C. 6 6 *Duriſsimum iudicium, in his qui præſunt fiet*. 461. 1.

C. 12 1 *O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus*. 593. 1.

C. 15 12 *Multi æſtimauerunt luſum eſſe*

Digitized by Google

eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ. 625. 2.

C.19 19 *Ignis in aqua valebat contra ſuam naturam.* 243. 1.

Ex Eccleſiaſtico.

C. 3 22 *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* 202. 1.

C. 4 18 *Vox tonitrui eius verberauit.* 584. 4.

24 *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* 662.

C. 5 4 *Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triſte.* 120. 1.

C. 7 6 *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* 454. 2

C.11 2 *Non laudes hominem in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo.* 564. 1.

3 *Breuis in volatilibus eſt apis.* 531.1. 553.1. 564.2. 566.2.

C.50 10 *Vas electionis, vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo.* 644. 1.

Ex Iſaia.

C. 3 12 *Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* 660. 2.

C. 5 6 *Non fodietur, & aſcendent vepres, & ſpinæ.* 241. 1.

C. 6 2 *Seraphim ſtabant ſuper illum ſex alæ vni, & ſex alæ alteri.* 233.2. 266.2. 677.1. 811.2.

5 *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum.* 662. 2.

8 *Quem mittam: ecce ego mitte.* 91.2. 209.2.

C. 9 4 *Superaſti ſceptrum exactoris eius, ſicut in die Madian.* 688. 1.

C.11 1 *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* 458.2. 618.2.

C.16 11 *Propter hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit.* 591. 1.

C.24 16 *Secretum meum mihi.* 179. 2.

C.33 10 *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* 794. 2.

C.37 16 *Qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus.* 232. 2.

C.41 15 *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum habens roſtra ferrantia.* 664. 2.

23 *Annuntiate quæ ventura ſunt, & ſciemus quia dij eſtis.* 419. 1.

C.50 9 *Tinea comedet eos.* 810. 2.

C.52 7 *Quàm pulchripedes euangelizantium pacem.* 268. 2.

C.53 3 *Deſpectum, & nouiſſimum virorum.* 214. 2.

5 *Diſciplina pacis ſuper eum.* 251. 1.

7 *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum* 739. 2.

10 *Et voluntas mea in manu eius dirigetur.* 417. 2.

Ex Ieremia.

C. 5 21 *Audi popule ſtulte, qui non habet cor, qui habentes oculos non vidiſtis.* 453. 1.

C.15 10 *Væ mihi mater mea, quare genuiſti me virum rixæ.* 664. 1.

C.49 16 *Arrogantia tua decepit te.* 657. 2.

Ex

Ex Thrènis Ieremiæ.

C. 2 13 *Magna eſt velut mare contritio tua*. 242. 2.

Ex Ezechiele.

C. 1 10 *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor*. 225. 2.
16 *Aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris*. 224. 2.
C. 2 1 *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*. 306. 1.
Lamentationes, carmen, & væ. 169. 2.
C. 3 3 *Et factum eſt in ore meo ſicut mel dulce*. 598. 2.
18 *Si dicēte me ad impium morte morieris, non annunciaueris ei, ſanguinem eius requiram de manu tua*. 648. 1 680. 2.
C. 7 26 *Conturbatio ſuper conturbationem veniet*. 462. 2.
C. 33 31 *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos*. 738. 2.
C. 34 12 *Sicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum*. 727. 1.
15 *Ego paſcam oues meas*. 327. 2.
23 *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas ſeruum meum Dauid*. 718. 1.

Ex Daniele.

C. 2 32 *Statuæ caput eius ex auro optimo, pedes autem, & brachia de argento*. 508. 2.
40 *Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic cōminuet*. 509. 1.
44 *Regnum, quod in æternum non diſſipabitur*. 411. 1.

Ex Oſea.

C. 7 3 *In malitia ſua lætificauerunt Regem, & mendacijs ſuis Principes*. 664. 1.
C. 11 1 *Sicut mane tranſit, pertranſit Rex Iſrael*. 220. 1.
C. 12 4 *Inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, & fleuit, & rogabo eum*. 495. 2.
C. 14 8 *Viuent tritico*. 327. 1.

Ex Ioele.

C. 3 15 *Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. 198. 1.

Ex Amos.

C. 8 11 *Dabo eis non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed ſitim audiendi verbum Dei*. 736. 2.

Ex Iona.

C. 3 4 *Adhuc quadraginta dies ſunt, & Niniue ſubuertetur*. 466. 1.

Ex Sophonia.

C. 1 14 *Turbabitur ibi fortis*. 197. 1.
C. 3 19 *Et ſaluabo claudicantem, & eam quæ eiecta fuerat congregabo*. 50. 1.

Ex Zacharia.

C. 1 15 *Ira magna iraſcor ſupra gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum*. 42. 2.
C. 3 7 *Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt*. 514. 1.
9 *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, ecce ego cælabo ſculpturam eius*. 493. 2.

C. 9 12 *Quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum.* 316. 1.

Ex libro 1. Machabæorum.

C. 8 3 *Et quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtate redegerunt.* 723. 1.

Ex libro 2. Machabæorum.

C. 6 21 *Tollentes eum ſecretò rogabāt afferri carnes quibus veſci ei licebat.* 16. 1.
24 *Non enim ætati noſtræ dignū eſt fingere.* 16. 1.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

C. 1 25 *ET non cognoſcebat eam, donec peperit filium.* 223. 1.
C. 2 2 *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum: vidimus Stellam eius in Oriente, &c.* 206. 2.
4 *Et diligenter didicit ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* 135. 2.
10 *Videntes autem Stellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.* 156 1.
13 *Accipe puerum, & matrem eius, & vade.* 625. 1.
C. 4 2 *Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* 375. 2.
6 *Si filius Dei es mitte te deorſum.* 81. 1.
9 *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens, adoraueris me.* 81. 1.
19 *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* 202. 2. 667. 2.
C. 5 3 *Beati pauperes ſpiritu, quoniā ipſorum eſt Regnum cælorum. &c.* 582. 1.
44 *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* 366. 1.
C. 7 13 *Intrate per anguſtam portam, quia lata, & ſpatioſa via eſt. &c.* 230 2.
23 *Nunquam noui vos.* 252. 2.
C. 8 9 *Dico huic, vade, & vadit. & alij veni, & venit, & ſeruo meo fac hoc. & facit.* 276. 2.
20 *Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* 278. 1. 529. 2.
C. 10 2 *Ita duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus, &c.* 319. 1. 438. 1. 320. 2.
7 *Euntes prædicate dicētes, quia appropinquauit Regnum cælorum.* 788. 1.
9 *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniā in zonis veſtris.* 541. 1.
16 *Ecce ego mitto vos ſicut oues.* 620. 1.
23 *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* 482. 2.
42 *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrū: ſufficit ſi ſit, &c.* 550. 1.
33 *Qui me negauerit coram hominibus, negabo ego eum coram patre meo.* 475. 2.
C. 11 17 *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentauimus, & non planxiſtis.* 145. 1.
C. 12 38 *Magiſter volumus à te ſignū videre.* 800. 2.
C. 13 38 *Vis imus, & colligimus ea.* 513. 2.
47 *Sagena miſſa in mare ex omni genere piſcium congreganti.* 93. 1.

C. 14 26

C.14 26 *Domine ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas*. 64. 1. 69. 2.
33 *Vere filius Dei es*. 378. 2.
C.15 13 *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur*. 74. 1.
24 *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. 749. 2.
26 *Non eſt bonum ſumere panẽ filiorum, & mittere canibus*. 155. 1.
28 *O mulier magna eſt fides tua*. 55. 1.
C.16 13 *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*. 281. 2.
16 *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. 229. 1. 285. 1. 471. 1. 555. 2. 747. 2.
17 *Beatus es Simon Bar-iona*. 129. 1. 140. 1. 142. 1. 378. 1. 501. 2. 713. 2.
18 *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. 85. 2. 99. 1. 144. 1. 284. 1. 315. 1. 328. 1. 333. 1. 361. 1. 494. 1. 593. 2.
22 *Et aſſumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens, abſit à te Domine*. 74. 1. 76. 1. 235. 1. 296. 1.
23 *Vade poſt me Satana ſcandalum mihi es, &c*. 74. 2. & à cap. 4. Archielogij 2. lib. 1. vſque ad finem totius Archielogij.
C.17 4 *Bonum eſt nos hic eſſe, & omnia alia verba Matth. huius capitis late per totum Archielogium 3. lib. 1.*
C.18 12 *Quæcunque ligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cælo*. 285. 2.
21 *Domine dimittam ei vſque ſepties, &c*. 246. 2.
C.19 21 *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus*. 278. 1. 531. 1.
27 *Ecce nos reliquimus omnia*. 92. 1. 531. 1. 538. 2.
C.20 6 *Quid hic ſtatis tota die otioſi*. 515. 1.
21 *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus, &c*. 472. 2.
C.21 38 *Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra ſe, venite occidamus eum*. 120. 2.
C. 22 14 *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*. 230. 2.
In reſurrectione neque nubẽt, neque nubentur. 170. 1.
C.23 2 *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo, &c*. 687. 2.
13 *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, hypocritæ*. 16. 2.
34 *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Scribas, & ex illis occidetis, &c*. 572. 1.
C.24 15 *Cum videritis abominationẽ deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta* 489. 2.

Capue 25.

32 *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua*. 189. 2. 193. 1.
34 *Venite benedicti Patris mei*. 190. 1. 199. 2.
35 *Eſuriui, & dediſtis mihi mãducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere*. 182. 1.
41 *Ite maledicti in ignem æternum*. 190. 1. 195. 2. 197. 2. 199. 2.
Quando te vidimus eſurientẽ, & pauimus te: ſitientem, &c. 181. 2.
C.26 10 *Vt quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt*

eſt in me. 228. 1.
21 Vnus veſtrum me traditurus eſt. 452. 2.
31 Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta. 461. 1. 486. 1.
34 Antequam gallus cătet ter me negabis. 476. 1. 477. 2. 686. 1.
39 Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. 79. 1. 96. 1. 487. 2.
40 Et dicit Petro, ſic non potuiſti vna hora vigilare mecum. 381. 2.
52 Omnes qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. 432. 2. 438. 2.
58 Petrus autem ſequebatur à longe. 78. 2. 298. 2. 473. 1. 479. 2. 565. 1.
63 Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei. 556. 1. 795. 1.
64 Videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei. 483. 2.
65 Blaſphemauit quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nũc. 256. 1.
C. 27 21 Quem vultis vobis de duobus dimitti. 2 5. 1.
25 Sãguis eius ſuper nos. 587. 1.
42 Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. 794 2.
51 Terra mota eſt, & petra ſciſſa ſunt. 646. 1.
C. 28 1 Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi. 605. 1.
2 Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem. 752. 2.
20 Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi. 334. 2.

Ex Marco.

C. 1 32 Veſpere autem facto, cum occidiſſet, Sol afferebant ad eum omnes male habentes. 248. 2.
C. 3 19 Et Iudam Iſcariotem, qui & tradidit illum. 320. 2.
C. 4 37 Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim. 107. 1.
C. 5 37 Non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem. 319. 1.
C. 6 8 Præcipit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm. 537. 2. 541. 2.
9 Omnes calceatos Sandaliјs. 551. 2.
14 Quia Ioannes Baptiſta ſurrexit à mortuis. 442. 1.
18. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. 682. 2.
23 Quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium Regni mei. 784. 1.
C. 8 30 Tu es Chriſtus. 555. 2.
31 Poſt tres dies reſurgam. 465. 2.
33 Vade retro me Satana. 555. 2.
C. 9 5 Non enim ſciebat quid diceret late per totum Archielogiũ 3. lib. 1.
6 Hic eſt filius meus charisſimus audite ilium. 265. 2.
C. 10 17 Magiſter bone. 293. 1.
Præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant. 214. 2.
C. 11 13 Non erat tempus ficorum. 606. 2.
C. 13 32 De die autem illo nemo ſcit, neque Angeli in cælo 717. 1.
C. 14 15 Et accedens ad eum ait, aue Rabbi, & oſculatus eſt eum. 780. 1.
34 Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. 79. 1.
37 Et ait Petro, Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare. 38 . 1.

47 Vnus

Digitized by Google

47 Vnus autem quidam de cir-
cunſtantibus educens gla-
dium percuſſit. 435. 2.
54 Sedebat cum miniſtris ad
ignẽ, & calefaciebat ſe. 487. 1.
62 Ego ſum. 556. 1.
71 Ille autem cœpit anathema-
tizare, & iurare, quia ne-
ſcio hominẽ iſtũ. 4711. 491. 1.
C.15 10 Sciebat enim quod per inui-
diã tradidiſſent eum. 790. 1.
C.16 2 Et valde mane vna Sabba-
thorum veniunt ad monu-
mentum. 605. 2.
6 Ieſum quæritis Nazarenũ
crucifixum ſurrexit, non eſt
hic. 752. 2.

Ex Luca.

C. 1 13 Vxor Eliſabeth pariet tibi
filium. 310. 1.
31 Vocabis nomẽ eius Ieſũ. 623 1.
32 Et regnabit in domo Iacob
in æternum. 307. 1.
C. 2 7 Pannis eum inuoluit, quia
non erat ei locus in diuerſo-
rio. 528. 2. 579. 1.
48 Ecce Pater tuus, & ego do-
lentes quærebamus te. 71. 2.
51 Et erat ſubditus illis. 623. 1.
C. 4 13 Receſsit ab illo, vſque ad
tempus. 453. 1.
23 Vtique dicetis, quanta au-
diuimus facta in Capbar-
naum. 809. 2.
24 Nemo Propheta acceptus
eſt in patria ſua. 810. 1.
38 Socrus autẽ Simonis teneba-
tur magnis febribus. 610. 1.
41 Exibant dæmonia à multis
clamantia, & dicentia quia
tu & filius Dei. 442. 1.
C. 5 3 Intrauit in vnam, quæ erat
Simonis. 380. 1.
4 Duc in altũ, & laxate retia
veſtra in capturã. 380. 1. 454. 2
8 Exi à me Domine, quia
peccator homo ſum. 501. 2.
10 Noli timere, ex hoc enim ho-
mines erit capiens. 380. 1.
C. 6 18 Et Iudam Iſcariotem, qui
fuit proditor. 320. 2.
C. 7 38 Lachrymis cœpit rigare pe-
des eius, & capillis capitis
ſui tergebat. 206. 1.
C.10 4 Nolite portare ſacculum,
neque peram, neque calcea-
menta. 541. 2.
C.11 27 Beatus venter, qui te porta-
uit, & vbera quæ ſuxiſti. 97. 2.
52 Væ vobis legiſperitis, quia
tuliſtis clauẽ ſcientiæ. 809. 1.
C.12 33 Vendite quæ poſſidetis, &
date eleemoſynam. 546. 2.
C.13 23 Domine ſi pauci ſunt, qui
ſaluantur. 230. 2.
31 Exi, & vade hinc, quia He-
rodes vult te occidere. 397. 1.
32 Ite dicite vulpi illi. 16. 1.
37 Animam meam pro te ponã.
490. 1.
C.15 6. Congratulamini mihi, quia
inueni ouem meam, quæ pe-
rierat. 308. 2.
20 Cecidit ſuper collũ eius. 258. 2
22 Cito proferre ſtolam primã,
& induite illum. 258. 1.
C.16 22 Factum eſt, vt moreretur
mendicus, & portaretur ab
Angelis. 522. 1.
24 Pater Abraham miſerere
mei, & mitte Lazarum, vt
intingat extremũ digiti ſui
in aquã. 150. 1. 801. 2. 811. 1.
25 Filij recordare, quia reci-
piſti bona in vita tua. 149. 1.
27 Rogo te Pater, vt mittas eũ
in domum Patris mei. 484. 1.
C.18 32 Tradetur enim gentibus, &
illudetur, & flagellabitur,
& conſpuetur. 250. 1.
C.19 5 Zachæe in domo tua oportet

me

me manere. 531. 2.
C.20 35 Qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis. 171. 1.
C.21 26 Nam & virtutes cælorum mouebuntur. 191. 1.
28 Capillus de capite veſtro nõ peribit. 172. 1.
C.22 8 Miſit Petrum, & Ioannem. 319. 1.
29 Ego diſpono vobis Regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater. 180. 2.
31 Simon, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum. 329. 1.
32 Ego rogaui pro te, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. 318. 1. 347. 2. 471. 1. 636. 1. 683. 2.
35 Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, nunquid aliquid defuit vobis. 546. 1.
36 Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. 434. 1.
49 Domine ſi percutimus in gladio. 429. 2. 431. 2.
41 Sinite vſque huc, &c. 431. 1. 434. 4. 440. 2.
55 Erat Petrus in medio eorũ. 487. 1.
61 Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & egreſſus foras, fleuit amarè. 493. 1.
C.23 42 Domine memento mei cũ veneris in Regnum tuũ. 194. 1.
44 Hodie mecum eris in Paradiſo. 488. 2.
C.24 14 Loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. 159. 1.
19 Potens in opere, & ſermone. 645. 1. 675. 2.
28 Fingit ſe longius ire. 23. 2.
34 Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. 381. 1.
39 Palpate, & videte. 496. 1.

Ex Ioanne.

C. 1 12 Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 283. 2.
14 Gloriam quaſi Vnigeniti à Patre. 123. 2. 296. 1.
32 Vidi Spiritum deſcendentẽ quaſi columbam, & manſit ſuper eum. 497. 1.
42 Tu es Simon filius Iona, tu vocaueris Cephas. 313. 2.
49 Tu es filius Dei. 378. 2. Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis. 72. 2.
C. 2 11 Hoc fecit initium ſignorum Ieſus. 531. 2.
15 Cum feciſſet quaſi flagellũ de funiculis. 254. 1.
17 Recordati ſunt diſcipuli eius quia ſcriptum eſt. Zelus domus tuæ comedit me. 254. 1.
18 Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis. 799. 2.
C. 3 5 Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei. 141. 1.
17 Vt ſaluetur mundus per ipſum. 610. 1.
C. 4 6 Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. 207. 2.
7 Mulier da mihi bibere. 131. 2
C. 5 8 Surge, tolle grabatum tuũ, & ambula. 53. 2. 605. 1. 803. 2.
35 Ille erat lucerna, ardens, & lucens. 782. 2.
C. 7 20 Dæmonium, habes, quis te quærit interficere. 98. 1.
58 Nũquid ex principibus aliquis credidit in eum. 810. 2.
C. 8 58 Amẽ, amẽ dico vobis antequã Abrahã fieret ego ſum. 256. 1.
C. 10 11 Ego ſũ Paſtor bonus, bonus Pa-

ſtor

ſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis . 325. 2. 758. 1. & 2.
30 Samaritanus es tu , & dæmonium habes . 98. 2.
24 Quouſque animam noſtram tollis ? Si tu es Chriſtus dic nobis palam . 442. 2.
25 Loquor vobis, & non creditis, opera quæ ego facio in nomine Patris mei . 444. 1.
30 Ego & Pater vnum ſumus . 256. 1.
Quia Ioannes quidem ſignũ fecit nullum . 442. 1.
C.11 35 Lacrymatus eſt Ieſus. 498. 2.
43 Lazare veni foras . 110. 2.
47 Quid facimus , quia hic homo multa ſigna facit. 83. 2. 810. 2.
Hoc autem à ſemetipſo non dixit , ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit . 129. 2.
C.12 10 Cogitauerunt Principes, vt & Lazarum interficerent . 794. 1.
12 In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum . 800. 2.
24 Niſi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit multum fructum affert . 795. 1.
27 Anima mea turbata eſt . 488. 1.
C.13 2 Cum iam diabolus miſiſſet in cor , vt traderet eum Iudas . 83. 2.
4 Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet. 548. 2.
5 Cœpit lauare pedes diſcipulorum ſuorum . 375. 2.
6 Venit ergo à Simonem Petrũ. 375. 2.
8 Non lauabis mihi pedes in æternum . 431. 1.
21 Cum hoc dixiſſet Ieſus turbatus eſt ſpiritu , & proteſtatus eſt , & dixit . 198. 1.
23 Erat recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu . 436. 2. 438. 2.
24 Quis eſt de quo dicit. 713. 2.
34 Mandatum nouũ do vobis , vt diligatis inuicem . 265. 1.
35 In hoc cognoſcent omnes , quia diſcipuli mei eſtis. 267. 1.
36 Sequeris autẽ poſtea . 78. 2.
C.15 4 Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eũ, proceſſit 253. 1.
9 Quos tradidiſti mihi, non perdidi ex eis quemquam . 7. 2.
12 Qui credit in me , quæ ego facio , & ipſe faciet , & maiora horum faciet . 780. 1.
Ego rogabo Patrem, & aliũ Paracletum dabit vobis Spiritum veritatis . 640. 2.
C.17 2 Hæc eſt vita æterna , vt cognoſcant te Deum verum .
C.18 51 Ego ſum . 432. 2.
10 Simon ergo Petrus habens gladium , eduxit eum , & percuſſit. 430. 2. 435. 2. 439. 1.
11 Conuerte gladium tuum in vaginam . 432. 1.
13 Erat enim ſocer Cayphæ . 464. 2.
15 Sequebatur Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. 436. 2.
20 Ego palàm locutus ſum mũdo, & in occulto locutus ſum nihil . 739. 2.
C.18 5 Ecce homo . 251. 1. 257. 2.
6 Tolle tolle crucifige eum 255. 2.

Digitized by Google

255. 2. 256. 2. 587. 2.
19 *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* 256. 1.
23 *Milites ergo eum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius.* 533. 2.
25 *Et milites quidem hæc fecerunt.* 260. 1.
30 *Et cum accepiſſet acetum, dixit conſummatum eſt, & inclinato capite.* 198. 2. 242. 1.
Venerunt ergo milites, & primi quidẽ fregerunt crura. 261. 1.
C. 20 19 *Stetit Ieſus in medio.* 325. 2.
22 *Tu me ſequere.* 78. 2.
28 *Dominus meus & Deus meus.* 312. 2.
C. 21 3 *Vado piſcari, dicuntque ei alij, venimus, & nos tecum.* 478. 2. 622. 1.
7 *Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus.* 449. 2. 544. 2. 622. 1.
15 *Simon Ioannis diligis me plus his?* 73. 1. 92. 1. 287. 2. 300. 2.
17 *Contriſtatus eſt Petrus, & dixit tu Domine omnia noſti, paſce oues meas.* 296. 2. 339. 1. 506. 1.
17 *Amen, amen dico tibi cum eſſes iunior cingebas te, & ambulabas.* 301. 2.
Domine hic autem quid? 302. 2.

Ex Actis Apoſtolorum.

8 *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa.* 746. 1.
C. 1 11 *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in Cælum.* 167. 1.
Manebat Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas. 319. 1.
C. 3 1 *Petrus autem, & Ioannes aſcendebant in templũ.* 52. 1.
1 *Is cùm vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum.* 47. 1. & 2.
4 *Intuens in eum Petrus.* 49. 1. 54. 2.
6 *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo tibi do.* 48. 1. 382. 2.
7 *Et apprehẽſa manu eius dextera alleuauit eum.* 49. 2.
8 *Et exiliens ſtetit, & ambulabat, & introiuit cum illis in templum.* 51. 1.
17 *Scio fratres quia per ignorãtiam feciſtis hoc malũ.* 116. 2.
21 *Quem oportet cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium.* 768. 1.
C. 4 32 *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* 268. 2.
34 *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erãt.* 27. 2.
C. 5 2 *Fraudauit de pretio agri cõſcia vxore ſua.* 27. 2.
3 *Dixit autem Petrus; Anania cur tentauit Satana cor tuũ.* 25. 1.
5 *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* 26. 1.
15 *Ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis.* 69. 2. 61. 2.
Si ex hominibus conſilium hoc, & opus diſſoluetur. 74. 2. 411. 1.
C. 7 51 *Dura ceruice, & in circumciſis cordibus, & auribus.* 456. 2.
55 *Et Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* 574. 1.

57 Continuerunt aures ſuas. 453. 1.
C. 8 23 In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. 34. 1.
C. 9 1 Saulus adhuc. 570. 2.
2 Petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros. 573. 1.
3 Cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damaſco. 571. 1.
5 Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris. 574. 1.
9 Et erat ibi tribus diebus, & non manducauit, neque bibit. 515. 2.
15 Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum. 594. 1. 641. 2. 643. 1.
18 Et ceciderũt ab oculis eius tãquam ſquamæ. 192. 2.
20 Continuò in Synagogis prædicabat Ieſum quoniam hic eſt filius Dei. 516. 1.
33 Inuenit autem ibi hominem quẽdam nomine Aeneã. 53. 1.
34 Et ait ille Petrus, Aenea ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus, ſurge. 54. 2.
36 In Ioppe autem fuit quædam diſcipula nomine Thabita. 55. 2.
38 Miſerunt duos viros ad eũ rogantes, ne pigriteris venire vſque ad nos. 56. 1.
39 Exurgens autem Petrus venit cum illis. 56. 1.
40 Eiectis autem omnibus foras. Petrus ponens genua orauit 57. 2.
41 Dans autem illi manum erexit eam. 59. 1.
C. 10 11 Et vidi cælum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum. 244. 2.
13 Occide, & manduca 383. 2.
26 Surge, & ego ipſe homo ſum. 436. 1.
Qui pertranſibat benefaciendo, & ſanando omnes. 790. 1.
C. 12 6 Cùm autem producturus eũ eſſet Herodes in ipſa nocte erat Petrus dormiens. 760. 1.
7 Percuſſoque latere Petri excitauit eum. 101. 2. 766 1.
Calcea te caligas tuas. 551. 1.
10 Venerunt ad portam ferreã, quæ vltrò aperta eſt eis. 510. 1.
12 Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. 383. 2.
C. 13 10 O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli 45. 1.
Excutite puluerem de pedibus veſtris. 552. 1.
C. 14 11 Vocabant Barnabam Iouem, Paulũ verò Mercuriũ. 730. 1.
13 Barnabas, & Paulus conciſſis tunicis ſuis, exilierunt de turba. 526. 2.
C. 15 7 Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum gentes. 745. 1.
C. 16 23 Iuſſerunt eum virgis cædi, & cùm multas plagas ei impoſuiſſent. 761. 1.
C. 18 3 Qui eiuſdem erat artis, & operabatur. 516. 2. 526. 2.
24 Vir eloquens, & potens in ſcripturis, hic erat edoctus viam Domini. 714. 2.
C. 19 11 Virtutes non quaſlibet faciebat Deus per manus Pauli. 727. 1.
C. 20 10 Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus incubuit ſuper eum. 727. 1.
18 Vos ſcitis à prima die quã ingreſſus ſum in Aſiã 621. 1.
33 Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut

ſicut ipſi ſcitis. 516. 2.
34 Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt. 526. 1.
C.21 11 Tulit zonam Pauli, & alligans ſibi pedes, & manus dixit. 763. 2.
13 Quid facitis flentes, & affligentes cor meum 62. 1.
C.22 3 Secus pedes Gamalielis eruditus eſt. 708. 2.
20 Cùm fũderetur ſanguis Stephani teſtis tui, & ego aſtabam. 572. 2.
C.24 25 Tremefactus eſt Fælix. 588. 1.
C.25 10 Ad tribunal Cæſaris ſto, vbi me oportet iudicari. 613. 1.
C.26 24 Inſanis ò Paule non inſanio optime Feſte. 588. 2.
29 Opto omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis ego ſum. 673. 2.
C.28 3 Cum congregaſſet autẽ Paulus ſarmentorum aliquãtam multitudinem. 727. 2.

Ex epiſtola Pauli ad Romanos.

C. 1 1 Paulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus. 755. 2.
8 Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis. 313. 2. 752. 2.
11 Vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos. 752. 1.
19 Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita. 278. 2.
82 Et qui faciunt, & qui conſentiunt facientibus digni sũt morte. 27. 2.
C. 2 21 Qui prædicas non furandũ, furaris, qui dicis non mœchandum mœcharis. 679. 1.
C. 3 20 Vbi abundauit delictum, ſuperabũdauit & gratia. 601. 2.
C. 6 9 Iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. 696. 2.
C. 8 7 Sapientia carnis inimica eſt Deo. 137. 1.
35 Quis nos ſeparauit à charitate Chriſti. 725. 1. 763. 1.
C.10 15 Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem. 268. 2.
17 Fides ex auditu, auditus autem per verbũ Chriſti. 439. 2.
C.11 13 Quandiu ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorifico. 698. 2.
24 Gentiles autem oleaſtris in bonam oliuam inſerendis, vt fiant participes pinguedinis. 750. 1.
C.12 3 Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. 602. 1.
C.13 14 Non in commeſſationibus, & ebrietatibus nõ in cubilibus. 589. 1.
C.15 8 Chriſtum Ieſum fuiſſe miniſtrum circumciſionis. 750. 1.
14 Certus ſum fratres mei, & ego ipſe de vobis. 753. 2.
15 Propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter.
20 Sic prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus. 626. 1. 724. 1.
Cùm in Hiſpaniam proficiſci cæpero, ſpero quod prateriens videam vos. 721. 2.
C.16 1 Commendo vobis Phœbem ſororem noſtram. 616. 1.

Ex 1. ad Corinthios.

C. 1 12 Vnuſquiſque dicit, ego ſum Pauli, ego Apolo, ego Cephæ, ego Chriſti. 324. 1.
C. 2 1 Non in ſublimitate ſermo-

nis. 673. 2. 700. 1.

2 *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos*. 732.2.

3 *Ego in infirmitate, & timore & tremore multo fui apud vos*. 80.1.

4 *Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*. 706.2. 733.2.

8 *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. 116.2.

9 *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*. 178.1.

C. 3 11 *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt*. 325.1.

C. 4 4 *Nihil mihi conſcius ſum*. 119.1. 697.2.

11 *Vſque in hãc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus*. 524.2.

12 *Inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris*. 516.2.

15 *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto*. 612.2. 619.2.

21 *Quid vultis in virga veniã ad vos, an in charitate*. 459.1. 614. 2.

C. 5 3 *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu*. 44.2.

5 *Tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis*. 619.1.

6 *Non eſt bona gloriatio veſtra*. 661.2.

C. 6 3 *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus*. 736.1. 741.2.

C. 7 8 *Dico autem non nuptis bonũ eſt ipſis ſi manſerit ſicut ego*. 614. 1.

C. 9 5 *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circunducendi*. 614. 2.

17 *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte*. 678. 2.

20 *Factus ſunt Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*. 700.2. 745.2.

22 *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. 684. 1.

24 *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium ſic currite*. 517.2.

26 *Ego igitur curro, non quaſi incertum*. 519.1.

C. 11 23 *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. 600.1.

28 *Probet autem ſi ipſum homo*. 600. 2.

C. 12 21 *Non poteſt caput dicere pedibus non eſtis mihi neceſſarij*. 407.1.

C. 13 12 *Videmus Deum facie ad faciem*. 154.2.

C. 14 18 *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor*. 707.2.

C. 15 3 *Tradidi vobis in primis quod accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt*. 381.1.

8 *Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt mihi*. 437.2.

10 *Plus omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum*. 515.2. 520.2. 755.2.

Ex 2. ad Corinthios.

C. 1 4 *Vt poſſimus, & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſũt*. 163. 1.

7 *Sicut eſtis ſocij paſſionum, ita eritis conſolationis*. 163.2.

8 *Supra modũ grauati ſumus, ſupra virtutẽ; ita vt tæderet nos etiam viuere*. 162. 2.

C. 2 15 *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco*. 596.2.

17 *Non*

Digitized by Google

17 *Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei.* 667.1.

C. 3 6 *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti.* 641.2.703.1.

C. 4 4 *Semper mortificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes.* 552.1.

17 *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ.* 183.2.

18 *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* 725.2.

C. 5 8 *Transformamur de claritate, in claritatem vſque ad Domini gloriam.* 175.1.

13 *Siue mente excedimus Deo.* 523.1.

14 *Charitas Chriſti vrget nos.* 762.2.

15 *Et qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* 240,1.

21 *Qui non nouerat peccatum.* 253.1.

C. 6 1 *Ne inuacuum gratiam Dei recipiatis.* 211.1.

C. 7 4 *Repletus ſum conſolatione ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* 163.1.

9 *Gaudio non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* 700.1.

C. 8 9 *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniã propter nos egenus factus eſt.* 531.1.

13 *Non vt alijs ſit remiſsio, vobis autem tribulatio.* 685.2.

C. 10 5 *Captiuantes intellectum in obſequium Chriſti.* 602.2.

10 *Epiſtola graues ſunt, & fortes præſentia autem corporis infirma.* 565.1.730.1.

C. 11 6 *Et ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* 713.1.

18 *Inſtantia mea quotidiana, & ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* 515.2.

19 *Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes.* 133.1.

23 *Miniſtri Chriſti ſunt (vt minus ſapiens dico) plus ego.* 575.2.

27 *In fame & ſiti, & in ieiunijs multis, in frigore, & in nuditate.* 524.2.

31 *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula.* 580.1.

C. 12 1 *Veniam ad viſiones & reuelationes Domini, ſcio hominẽ in Chriſto.* 437.2.577.1.747.1.

4 *Et audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 594.2. 641.2.

2. ad Corinthios.

6 *Parco autem, ne quis me exiſtimet, ſupra quod videt in me.* 694.2.

11 *Nihil enim minus fecit ab his qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* 741.1.

12 *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patiẽtia.* 726.2.

33 *Per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* 483.1.

C. 13 3 *An experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus.* 696.1. 706.1.

Ex epiſtola ad Galatas.

C. 1 1 *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominẽ, ſed per Ieſum Chriſtum.* 182.1.703.1.740.1.

8 *Si aliter Angelus de cælo euãgelizet vobis, anathema ſit*

Digitized by Google

ſit. 237.1.736.1.
15 *Cùm autẽ placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ*. 515.2. 695.2.
17 *Et continuò non acquieui*. 516.1.
Deinde poſt tres annos aſcendi Hieroſolymam, vt viderem Petrum. 323.2.384.1.712.1.
C. 2 2 *Ne forte in vacum curreret, aut cucurriſſet*. 712.2.
7 *Cùm vidiſſet quod creditum eſt mihi Euangelium præputij*. 744.2. 749.1.
9 *Iacobus Cephas, & Ioannes*. 323.1.
14 *Cùm vidiſſet quod non rectè ambularet ad veritatem Euãgelij*. 17.2. 87.2.
20 *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. 551.2. 694.1. 696.1.
C. 3 1 *O inſenſati Galatæ quis vos faſcinauit non obedire veritati*. 700.1.
C. 4 13 *Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis*. 730.2.
19 *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. 612.2. 642.1. 700.1. 701.2.
29 *Quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum*. 43.2.
C. 5 22 *Fructus autem ſpiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas*. 324.1.
C. 6 11 *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu*. 628.1.
14 *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. 629.1.
17 *Ego autem ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto*. 698.1.

Ex epiſtola ad Epheſios.
C. 2 11 *Aedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*. 324.2.
C. 3 8 *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia in gẽtibus euangelizare*. 703.1.
C. 4 1 *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambulatis vocatione*. 270.1.
3 *Soliciti ſeruare vnitatẽ ſpiritus, in vinculo pacis*. 592.1.
11 *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas*. 719.1.
13 *Donec occurramus omnes in virtutem fidei, & agnitionis filij Dei*. 170.1.

Ex epiſtola ad Philippenſes.
C. 1 16 *Quoniam in Euangelio ad defenſionẽ poſitus ſum*. 640.1.
18 *Quid enim dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per virtutem Chriſtus*. 737.2.
23 *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. 166.2. 761.2.
C. 2 7 *Semetipsũ exinaniuit*. 127.2.
8 *Factus obediens vſque ad mortem*. 278.2.
21 *Omnes quærunt quæ ſua ſunt*. 404.2.
C. 3 5 *Ex genere Iſrael de Tribu Beniamin*. 690.2.
20 *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*. 7:6.1.
C. 4 13 *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. 725.1.
C. 6 18 *Orantes omni tempore*. 699.1.

Ex epiſtola ad Coloſſenſes.
C. 2 15 *Principatus & poteſtates traduxit confidẽter, palã triumphans eos in ſemetipſo*. 82.2.
C. 4 11 *Hi ſunt adiutores mei in Regno Dei*. 404.2.

Ex epiſtola 1. ad Theſſalonicenſes.
C. 1 5 *Euangelium noſtrum non fuit*

*fuit ad vos in ſermone tantũ. Videte quales fuerimus.*162.1. 726.2.

C. 2 9 *Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis*. 526.1.

Ex 2. ad Theſſalonicenſes.

C. 3 8 *Nõ inquieti ſumus inter vos neque gratis panem manducauimus ab aliquo*. 526.1.

Ex 1. ad Timotheum.

C. 1 13 *Sed miſericordia Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci.* 110.1. 117.1.

Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ peccatores ſaluos facere. 637.2.

C. 2 7 *In quo poſitus ſũ ego prædicator & Apoſtolus, veritatẽ dico non mentior*. 640.1.

14 *Adam non eſt ſeductus, mulier verò ſeducta in præuaricatione fuit*. 304.1.

C. 3 2 *Oportet Epiſcopum Doctorẽ eſſe*. 718.2.

C. 5 9 *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum quæ fuerit vnius viri vxor*. 617.1.

18 *Dignus eſt operarius mercede ſua*. 516.2.

C. 6 8 *Habentes quibus tegamur his contenti ſumus*. 520.2.

Ex 2. ad Timotheum.

C. 2 25 *Oportet Epiſcopum docibilem eſſe*. 718.2.

C. 3 15 *Ab infãtia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem*. 703.2.

C. 4 2 *Obſecra, increpa, in omni patientia*. 460.1. 646.1.

6 *Ego enim iam delibor, & tẽpus reſolutionis meæ inſtat*. 653.2.

13 *Penulam quã reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum*. 527.1. 653.2.

16 *Nemo mihi aſtitit, omnes me derelinquerunt*. 405.1.

17 *Liberatus ſum de ore leonis*. 389.2.

Ex epiſtola ad Titum.

C. 1 10 *Sunt multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, quos oportet redargui*. 705.2.

Ex epiſtola ad Philemonem.

C. 1 22 *Simul, & præpara mihi hoſpitium*. 628.2.

Ex epiſtola ad Hebræos.

C. 2 *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum*. 242.2.

C. 5 7 *Cum clamore valido, & lachrymis*. 498.2.

12 *Cũ deberetis magiſtri eſſe propter tẽpus. Facti eſtis, quibus lacte opus eſt*. 285.2. 700.1.

14 *Perfectorum autem ſolidus cibus eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habẽt ſenſus*. 287.1.

C. 9 4 *In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ frondu rat*. 457.2.

C. 10 27 *Terribilis quædã expectatio Iudicij, & ignis æmulatio*. 196.1.

C. 11 19 *Suſcepit eũ in parabolã*. 697.1.

Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filiũ filiæ Pharaonis. 272.2.

C. 12 12 *Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite*. 50 2.

23 *Acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis*. 308.1.

C. 13 17 *Ipſi peruigilant, quaſi rationẽ pro animabus veſtris reddituri*. 462.2.

Ex epiſtola Iacobi.

C. 1 5 *Qui dat omnibus affluenter*. 127.2.

Ex 1. Petri.

C. 1 12 *In quem deſiderant Angeli pro-*

Digitized by Google

proſpicere . 174.2.
C. 2 2 Sicut modo geniti infãtes ſine dolo lac concupiſcite . 599.2. 609. 2.
3 Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus . 600.1.
11 Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſiderijs . 611.2.
20 Qui peccata noſtra ipſe tulit in corpore ſuo ſuper lignum . 258.2.
21 Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquẽs exemplũ.78.1
C. 3 2 In qua pauci, ideſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt.230.1.230.1.
15 Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos.705.1.
19 In Spiritu Chriſtus veniens prædicauerit his qui in carcere erant ſpiritibus . 748.2.
C. 4 6 Mortuis euangelizatum eſt vt iudicentur . 749.1.
18 Si iuſtus vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebũt. 191.1.
C. 5 2 Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes, non coactè . 621.1.
8 Sobrij eſtote, & vigilate.602.2. 611.1.
Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus 388.1.
Ex 2. Petri.
C. 1 13 Iuſtum autem arbitror quãdiu ſum in tabernaculo ſuſcitare vos . 291.2. 295.1.
14 Velox eſt depoſitio tabernaculi mei . 215.2. 276.1.
16 Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem . 392. 2.
18 Et habemus firmiorem propheticũ ſermonẽ.294.2.295.2.
C. 2 6 Euerſione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt . 611.2.
Iniquos verò in die iudicij reſeruare cruciandos . 611.2.
C. 3 14 Satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace. 86.1.
15 Chariſsimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit . 641.1. 703.1.748.2.
16 Sicut in omnibus epiſtolis loquens in eis de his in quibus ſunt . 601.1.
Ex 1. Ioannis.
C. 3 2 Videbimus eũ ſicuti eſt.154.2.
C. 4 8 Deus charitas eſt . 696.2.
Perfecta charitas foras mittit timorem . 71.1.
Ex Apocalypſi.
C. 1 4 A ſeptem ſpiritibur qui in conſpectu eius ſunt . 494.1.
Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo . 240.1.
C. 4 6 In medio ſedis: & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis . 381.2. 652.1.
C.10 9 Accipe librum, & deuora illũ, & faciet amaricari ventrem tuum . 598.1.
C.12 7 Diabolus, & Angels eius, Michael & Angeli eius.322.2.
C.14 1 Vidi ſupra montem Sion agnum, & cum eo centum quadraginta millia . 278.2.
2 Et audiui vocem de cælo tãquam vocem aquarum multarum . 589.2.
C. 17 9 Septem capita ſeptem montes ſunt ſuper quos mulier ſedet . 391.1.
C.18 1 Poſt hæc vidi aliũ Angelũ deſcendentem de cælo . 636.1.
2 Cecidit cecidit Babylon magna . 391.
C.22 20 Veni Domine Ieſu . 303.1.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

Prior numerus Paginam, poſterior Columnam indicat.

A

Aaron.

AARON tanquam Sacerdotum, & Leuitarum caput, & Pontifex meliori loco ponitur, quam Moyſes. 321. 2.

Abel.

Abel apud Damaſcum fuit occiſus. 573. 2.
Eius ſanguis vitæ Sauli tortor, ipſiusque crudelitatis accuſator. Ibid.
Abel natu minor ob paſtoralem prærogatiuam ſeniori præponitur. 321. 1.

Abſalon.

Abſalonis ſupplicium delicto fuit menſuratum. 31. 1. 2.
Abſalonis pœna peccati in parentem commiſsi clariſsimum præconium. 32. 1.

Adam.

Adam cur in extaſim raptus. 160. 1. 2.
Quæ myſteria in eius ſomno reperta. Ibid. 2.

Adulatio.

Adulatio omnibus applaudit. 659. 2.
Adulatio perniciosiſsimum vitium, à folio 660. vſque 664.
Adulatio non habet oculos columbæ ſicut ſponſus. 661. 1.

Affectus.

Affectus laudandus quando prudentia commendari non poteſt. 126. 2.

Afflictio.

Cur Sara afflixit Agar ancillam. 43. 1. 2.
Afflictio corporis quamuis magna, parua Dei ira. 40. 2.
Per afflictionem carnis ſaluti ſpirituali conſulitur. 44. 1. 2. 45. 1. 2.

Agudo.

Oppidum in Hiſpania Toletanæ Diœceſis encomiendę maioris de Calatraua caput. 723. 1.

Alexander.

Qui Alexandrum muſicis inſtrumẽtis ad iracundiam, & manſuetudinem deducebant. 644. 1.

Almaden.

Locus Hiſpaniæ, vbi eſt antiquiſſimus argenti viui puteus à Romanis quondam effoſſus: 723. 1.

Digitized by Google

Amor, Amans.

Amor,& timor ſimul eſſe non poſſunt. 71. 1.
Verè amans Chriſti præſentia nec ad modicum carere poteſt. 71. 2.
Amantis cor amoris in amato ſpeculū. 73. 1.
Amor mortem hilariter expectat. 101. 2.
Amor Deum exinaniuit,& hauſit. 127. 2.
Amor de Deo triumphat. 233. 1.
Amoris examen oſtendit quantum animæ ſalus chara ſit Deo. 299. 2.
Maximum amoris erga Deum indicium, cura omnium. 302. 1. 2.
Amans & bonus Saluator potius, quàm potens apparere voluit. 473. 1.
Amor diuinus extaſim facit. 762. 2.
Inſaniam inducit. 763. 1.

Amphion.

Amphion Thebas teſtudinis pulſu condidit. 644. 2.

Ananias.

Ananias,& vxor eius noui ſceleris authores, noua pœna plectuntur. 30. 1. 34. 1. 38. 1
Ananias,& Saphira ob voti fractionem morte plectuntur. 25. 26. & 27.
Ananias,& Saphira, an in æternam mortem incurrerint. 39. 1. 2. 41. 1. 2. 44. 2.
Angeli circa animarum ſalutem nunquam quieſcentes. 522. 2.

Antonius.

S. Antonij de Padua mira meditatio. 238. 1. 2

Apis.

Quot Sancti dicti ſunt apes. 504. 2.
Patriarchæ, & Prophetæ apes. 505. 1. 2.
Spiritus ſanctus apis. 506. 1.
Apis dotes. 506. 2. 507. 1.
Apis quam ſedula. 507. 2.
Inter inaugurandū Vbambā Hiſpaniæ Regē, è sūmo capitis vertice prodijt apis. 504. 2
Apis Eccleſiæ Doctorem ſignificat. 620. 2.
Apes contra ventorum vim lapillis ſe muniūt. 629. 2.
Apis parſimonià. 523. 2. 524. 1.
Apis caſtitatus ſymbolum. 608. 1. 2.

Apoſtoli.

Apoſtoli parciſsimi. 524. 2.
Sæculum Apoſtolorum fælix, aureum. Ibid. 1.
Apoſtolici viri ſemoti ab omni cura ſæcularium rerum. 543. 1.
Quo ſenſu duabus tunicis vſos eſſe, vel non eſſe Apoſtolos dicatur. 545. 1. 2
Apoſtolorum paupertas coniuncta cum non indigentia. 546. 1. 2.
Apoſtoli Eccleſiæ ambulones. 514. 1.
Apoſtoli omnes, Petro excepto cœlibem vitam ſeruauerunt. 613. 2.
Fœminę, quæ Apoſtolos ſequebantur, eorū vxores non fuerunt. 614. 2. 615. 1. 2.
Apoſtoli dentes Eccleſiæ, quomodo. 620. 1.

Auditor.

Diuini verbi auditor qualis. 736. 1.
Si ſanam aquam habet, aurea pocula non quærat. Ibid. 2.
Concionatorem ex Deo proferentem oracula, non ex ſe dicentē exiſtimet. 737. 1. 2.
Etiam ſi malus concionator ſit, auditores cōuertere poteſt. 738. 1.
Quam malus auditor, qui verborum ornatū ſectatur. Ibid. 2.
Diſcernendus cibus à vaſculo, vt faciebat Auguſtinus in Fauſto. 739. 1.

Auguſtinus.

Quanta fuerit Auguſtini ſapientia. 765. 1.

Authores.

Qui fuere in artibus excellentes. 729. 2.
Gladius in facinoris authorem conuertitur. 432. 2.
Mulieres nefandæ culpæ authores. 451. 2.

B

Baptiſmus.

Baptiſmus an ſub Chriſti nomine collatus abſque trium perſonarum expreſsione ſit ratus. 356. 2. 357. 1. 2.
In Baptiſmo an tres perſonæ diuinæ implicitè vel explicitè inuocari debeant. Ibid. 2.
Et an circa hoc in Eccleſia aliquid definitum ſit. Ibid.

Bea-

Beati.

Beati nunquã vacare laudibus poſſunt. 174. 1.
Beati quod habent deſiderant. 175. 2.
Beati omnes aliorũ fælicitate gaudẽt. 184. 1.

Bellum.

In bello an ex inſidijs, an aperto marte pugnari debeat. 10. 2. vſque ad 23. 2.
In bello quo ſenſu vulpina forma, & ſimulata permittenda. Ibid.

Beneficus.

Beneficus homo Dei imago. 799. 1.
Imitatur Dei naturam. 798. 2.

Bonauentura.

S. Bonauenturæ affectus de ſuſcipienda ſacra Synaxi. 232. 1.
Eius latus diuinitus apertum, vt Chriſti corpus recipiat.

C

Charitas.

Charitas impoſsibilia tentat 69. 1.
Charitas ſcholæ Chriſti inſigne. 266. 2. 267. 1
Charitate præſente diſcedit timor. 472. 1.
Charitas in Eua ex Adamo formata commẽdatur. 267. 2.
Item in Petro, & Andrea, Iacobo, & Ioanne, Moyſe, & Aaron 268. 1. 269. 1.
Euãgelij præcones, vnus ob charitatẽ. 268. 2.
Fraterna charitas maledictiones auertit. 270. 2. 271. 1. 2.

Caſtitas.

Caſtitas cum claritate quid ſit? 612. 2.

Cayphas.

Cayphas propheta dici non poteſt. 129. 2.

Cephas.

Cephas petram, & caput ſignificat. 314. 2.

Carcer.

Carceres, & vincula propter Chriſtum quàm precioſa. 761. vſque ad 766.

Concionator.

Cõcionator vitia, nõ perſonas inſectetur. 105
In carcere tribulatus Angelo præſtantior. 101. 2.
Concionãdi ars inſtrumentũ muſicũ. 643. 2.
Concionator prius diſcat, quã doceat. 705. 2.

Continentia.

Continentia virtutum ædificium ſuſtentat & protegit. 324. 2.

Correctio.

Correctio ſeuera, melior, quàm blanda ſuauitas. Ibid.
Correctio non adhibenda, vbi putatur inutilis. 85. 1.
Laudabilius eſt libenter accipere corrigentẽ, quam audacter corrigere deuiantẽ. 86. 2.
Corrigendus publicè, qui publice peccat. 87. 2. 88. 1.

Chriſtus.

Chriſtus pro nobis ſurſum, & deorſum. 72. 2.
Chriſti greſſus ſuper aquas ipſum Deum eſſe teſtatur. 73. 2.
Chriſti exemplum noſtræ imbecillitatis remedium. 79. 2.
Chriſtus non infunditur, niſi impius occidatur. 44. 1.
Chriſti diuinitas certior ex Prophetarum voce, quam Patris. 294. 1. 2.
Chriſtus in domo Iacob dicitur regnare. 307. 1. 2.
Chriſtus flos campi quia omnibus communis. 310. 1.
Chriſtus in monte Thabor Rex Orbis inauguratus. 123. 2.
Chriſtus in medio diſcipulorum quia paſtor. 325. 2. 326. 1. 327. 1.
Chriſtus idem paſtor, & Deus. 227. 2.
Chriſtus ignorantiam ſimulat, vt amorem oſtendat. 717. 1. 2.
Chriſtus peccantibus virga, iuſtis flos. 619. 1.
Chriſti humilitas ex ſubiectione ad Matrem, & Ioſeph. 623. 1. 2.
Chriſtum qui tenet, tempeſtatibus non quatitur. 630. 2.
Cur Chriſtus Spiritus ſancti non dicitur filius. 141. 2.
Chriſtus credentium oculis vbique pulcher. 245. 2. 246. 1.
Cur Sole occidente omnes infirmi ad Chriſtum adducuntur. 248. 2.
Chriſtus de ſententia in impios proferenda dolebit. 198. 2.

Chriſti incarnatio.

Chriſtus in Adami formatione cogitabatur. 603. 2.
Chriſtus ob noſtram ſalutem miracula operatur. 768. 1.

Chriſti paupertas.

Chriſti Dñi paupertas in præſepio. 528.2.
Omnibus pretioſior. 529 1.
Chriſti præſepium luteum ex Chryſoſtomo, ſed tamen ligneum 529. 1.
Eius paupertas ſilentio magis, quàm elogio celebranda. 529. 2.
Chriſtus vulpibus, & volucribus pauperior. Ibid.
Eius diſcipuli diuites eſſe nō poſſũt. 530. 1.
Chriſti paupertas ex tributi ſolutione. Ib 2.
Ne pauperum eleemoſynis detrimentum afferret Chriſtus in piſce ſtaterem creauit. 531. 1.
Chriſtum ſequentibus nil aliud, quàm paupertatem contulit. Ibid.
Chriſtus pauper mendicus, quia precario vixit. 531. 2.
Ad eius exemplũ Seraphicus Pater Frãciſcus ſuos Fratres mendicare voluit. 532.1.2.

Chriſti veſtes, & calceamenta.

Cur non latronum, ſed Chriſti veſtimenta diuiſerunt milites. 533.1. 2.
Chriſtus calceamenta non habebat. 536.2. 637.1. 2.
Chriſtus, & Apoſtoli ſandalia detulerunt. 537 2.& cur? 538.1.551.552.
Sepultura Chriſti Genetrice glorioſior. 310.2
Chriſtus vndequaq Virginis filius. 282. 1. 2.
Chriſti veſtes pauperes. 432.2.533.1.2.
Quot Chriſti veſtes. 548.1.2.

Chriſti crux, nuditas, & paſſio.

Mors Redēptoris extinguit libidinē. 280. 2.
Paſsio præcipuum decus Chriſti. 93. 1.
Paſsio Chriſti non tam lugenda, quàm gaudijs celebranda. Ibid.
Chriſtus in paſsionis ſuæ impeditores excandeſcit. 93. 2.
Calix paſsionis a Chriſto epotus ſitim huius mundi reſtringuit. 242. 2.
Chriſti paſsio ſuauiſsima. 242.243.1.2.
Singulæ plagæ Chriſti pro peccatoribus grãditer exorabant. 256. 1.
Paſsiones conſolatio meditatur. 166. 1.
Nuditas Chriſti in cruce magnam ignominiã ei attulit. 157.2. per totum §. 4.
Nuditas Chriſto peccatis mundi grauior. 258. 1 2. 259. 1. 2.
Nuditas acerbior Chriſto crurum fractione. 261. 1 2.
Nuditas Chriſti cum nuditate Noe confertur. 262. 1. 2. 263. 1.2.
Chriſtus in cruce, nec à Matre conſolationem accepit. 241. 2.
Chriſtus in crucē humani generis aduocatus & medicus. 93 1.
Chriſto in cruce pendente, vniuerſa natura dolorem ſenſit. 94. 1.
Chriſtus in paſsione timens fideles in ſe transformat. 96 2.
Chriſtus diuerſorũ iudiciorũ obiectũ. 97. 2.
Crux tribunal iudicij. 194. 1.
Chriſtus retorſit mortem, in mortis authorem. 82. 1.
Chriſti claui perpetuis diabolum fixere vulneribus. Ibidem 2.
Chriſtus, & diabolus in eadē cruce cõfixi. Ib.
Chriſtus In Cruce non valuit Patris faciem in homicidas irati ferre. 198.2.
Cur Chriſtus non lapidationi, ſed crucifixioni datus. 255.1.2 256.1.2.
Chriſtus amore ebrius in morte, & in Euchariſtiæ inſtitutione. 32. 1.
Ex Chriſti morte, Gentilium ad fidem conuerſio. 795. 1.
Eius rei indiciũ in paſsione monſtratũ. Ib. 2.

Chriſti corona ſpinea, & lotio pedum.

Corona ſpinea in capite Chriſti conſumpta. 240. 1. 2.
Spinea corona. 70 Spinas habuit, vt omnium gentium expiaret delicta. Ibid.
Chriſtum nudum lauiſſe pedes diſcipulorum Origenes putauit. 548. 2.
Sicuti nudus crucem aſcendit. Ibid. & 549.
Contrarium alij aſtruunt. Ibid.

Chriſti reſurrectio.

Chriſto reſurgenti antelucanus Sol famulatus eſt. 605. 2. 606. 1.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus reſurgendo abſtulit mortis timorem. 300. 1.
Chriſtus poſt Aſcenſionem in terra viſus eſt. 768. 1. 2.

Conſcientia.

Conſcientiæ remorſus duo. 120. 1.

Curioſitas.

Curioſitas mala. 480. 1.
Curioſitas circa diuina præcepta damnabilis. 604. 1. 2.

D

Damnati.

Damnati omnes defectus obtinebũt. 172. 2.
Damnati flammis rediuiui nunquam mortē inuenient. 156. 1.

Deus.

Diſſimulator Deus perſpicaciæ ſuæ non eſt. 193. 1.
Deo non charior grex, quàm ouicula. 308. 2.
Deus minimum, vt maximum diligit. 308. 2.
Deus in medio, quia omnibus æqualis. 309. 1. 2.
Deo plus placet cauſa communicandi ſua bona, quam peccandi cauſa diſpliceat. 311. 1.
Deus vulneratur, dum vulnerat. 432. 1.
Deus omnia omnibus. 593. 1.
Deus impuniendo dulcis, & rectus. 33. & 34.
Deus maximis peccatoribus remedia ſalutis offert. 445. 1. 2.
Cur Deus ſuper Cherubim, non ſuper Seraphim ſedet. 233. 1. 2.
Deus ipſe interrogat, vt nos interrogare non pudeat. 716. 1. 2.
Deus potentiam in benefaciendo, Dæmon in malefaciendo demonſtrat. 787. 1. 2.

Diabolus.

Diabolus ignarus, & imprudens. 81. 1. & 2.
Diabolus dum in Chriſtum irruit, ruit, & captus eſt ſuis artibus. 83. 2.

Didacus.

Paradiſi flores vidit ſanctus Didacus. 166. 2.

Diues diuitiæ.

Diuitum ſortes diuerſæ in hoc mundo, ac in inferno. 149. 1. 151. 1.
Diues gloriæ guttam petit non aquæ. 149. 1. & 2.
Lingua diuitis damnationis inſtrumentum. 150. 1.
Diuitiæ pedibus calcandæ, 27. 28.

Diaconiſſa.

Diaconiſſarum officium quod, & quandiù in Eccleſia permanſerint. 617. 1. 2.

Doctores.

Doctores Eccleſiæ, Salomonis lectulum cuſtodiunt. 65. 1.
Doctores Eccleſiæ plantatores, rigatores, ædificatores 107. 2.
Doctores ſcala Iacob. 108. 1.
Doctores lampades illuſtrantes Eccleſiam, Ibidem.

E

Eccleſia.

Eccleſia inter cælum, & infernum media. 95. 2.
Eccleſiæ firmitas prauam confeſſionem non admittit. 99. 1.
Eccleſia Romana etiam vt particularis Eccleſia eſt, à fidei integritate nunquam deficiet. 372. vſque ad 375.
In captura piſcium Eccleſiæ ſtatus deſignatur. 379. 2.
Eccleſiæ caput fidei repugnantia docere non poteſt. 330. 1.
Eccleſia ſanguine Martyrum fundatur, augetur, perficitur. 799. 1.

Elias.

Elias virgo. 279. 2.
Elias phinees eſſe dicitur. 279. 1.
Eleemoſynæ pro nobis orant, noſque à morte reuocant. 57. 1. 2.

Epiſcopi.

Epiſcopus debet eſſe, & Doctor, & Diſcipulus. 718. 2. 719. 1. 2. 720. 1.
Leuiori cauſa excuſatur Laicus, quám Epiſcopus. 485. 1.
Senes excuſatiõe peccati nullam adhibere poſ-

Digitized by Google

poſſunt, quæ iuuenes digni ſunt. 484. 2.

Eua.

Eua cur ſeducta non Adam. 304. 1.
Eua cur creata, ſi futura cauſa peccati. 311. 1.

Eucharistia.

In Euchariſtiæ inſtitutione Chriſtus amore ebrius 23. 1.
Euchariſtia mellis fauus. 599. 1. 2.
Lac animam nutriens, & augmentans. ibid. 2.
A Petro, & Paulo apibus Eccleſiæ, & matribus nobis propinatum. 600. 1.
Chriſtus in Euchariſtia nos manducat, dum manducatur à nobis. Ibid. 2.
Cibus grandium in quem comedentes mutantur. Ibidem. Probandus eſt homo, an ſuo palato talis cibus arrideat. Ibid.
Euchariſtia panis quotidianus. 326. 2. 327. 1.
Euchariſtia panis indigentiæ noſtræ. Ibid.
Euchariſtici panis petitio, in medio petitionum orationis Dominicæ reperitur. Ibid.

F

Federicus.

Federici Imperatoris in Romanam Vrbem, & Innocentium Papam, vana dicteria. 754. 2. 755. 1.

Fælicitas.

Aeternæ fælicitatis memoria omnes calamitates, tormentaque exuperat. 156. 1. & 2.
Confeſſio fidei nequit abſcondi, vbi neceſſitas vrget. 474. 2. 475.

Flagella.

Flagellationis Chriſti acerbitas. 249. 2. 250. 1. 2. 251. 1. 253. 1. 2.
Quot Chriſti flagellatores. 251. 1.
Quot verbera. Ibid. 2.
Quot verberum inſtrumenta. 252. 1.
Chriſtus in hac vita flagellat, ne flagellet in alia. 254. 1. 2.
Chriſtus flagella ignoraſſe cur dicatur. 249. 2. per totum §. 3.

Franciſcus.

Franciſcus parens amore incenſus in aëra ferebatur, & ſocium Maſeum ſecum rapiebat. 232. 2.
Sanctus Franciſcus vnicum citharæ cæleſtis ictum ſufferre non potuit 156. 2. 157. 1. & 2.
Franciſcus paupertatem ſectando, eius ignominiam detraxit. 547. 1.

G

Gladius.

Quo ſenſu dictum, qui acceperit gladium, gladio peribunt. 433. 2.

Gloria.

In gloria omne bonum deſiderabile habetur. 184. 1. 2.
Gloriæ recordatio cordis oſtiaria ad praua deſideria repellenda. 187. 2.
Gloria oſtenditur, vt illius deſiderio inflammetur cor. 305. 2.
Nemo in corpore mortali, gloriam Dei videre poteſt. 306. 1.
Nec ſimilitudo gloriæ in terra haberi poteſt. Ibid.
Gloriæ meditatio patientiam in tribulationibus operatur. 90. 1.
Gloriæ aſpectus vnionis cum Deo affectum inflammat. 127. 1.
Ante gloriam moriendum. 131. 2.
Gloriæ vmbra omnium terrenorum obliuionem parat. 140. 1. 147. 2.
Infidelitatis genus eſt ex gloriæ auditu non gaudere. 144. 2.
Gloriæ, & pœnæ prædicatione moueri debet animus Chriſtianus. 145. 1.
Minima gloriæ gutta totum infernum extinguere poteſt. 152. 2.
Gloriæ aſpectus ad certamen animos addit. 162. 1. & 2. 163. 1. 2.
Vna gloriæ gutta omnem dulcedinem creatam faſtidit. 165. 2.
Habitaculum gloriæ Deus ſine noſtro labore præparat. 169. 1.
A gloriæ fælicitate omnis defectus abeſt. 170. 1.
Breuis apparet immenſitas gloriæ. 174. 2.
Gloriæ

Digitized by Google

Gloriæ ſtatus Cella vinaria. 176. 1. 2.
In æterna gloria omnes ſenſus perfundentur. 178. 1.
Gloria à Petro Damiano deſcripta. 179. 2. 180. 1.
Gloriæ conuiuium. 180. 1.
Gloria incomprehenſibilis. 181. 1.
In ipſa malorum obliuio. Ibid.
Nec malorum erit memoria, ſed prophetia. 182. 2.
Gloriæ pretium nil aliud præter te. 183. 1.
Curſus impiger ad capeſſendam gloriam neceſſarius. 518. 1.

H

Hæreſis, hæreticus.

Hæretici prodentibus gladios habent, & ponunt in Cælum os ſuum. 3. 2.
Hoſtem dolis non viribus ferire turpe. 105. 1.
Hæreſes ſpumoſi fluctus Petri nauim tentantes. 107. 2.
Hæretici lux erratica. 108. 2.
Hæretici ſcripturam per vim detorquent. 601. 1. 2.
Quot loca in Pauli Epiſt. deprauarunt. Ibid.
Oportet hæreſes eſſe quo ſenſu, verum. Ibid. 2.
Sapientiæ mel ad ſobrietatem non guſtant. 602. 1.
Nimis ſapiunt, ideò deſipiunt. Ibid.
Ad curioſitatem, non ad ædificationem ſtudent Ibid. 2.
Intellectum in fidei obſequium non captiuant. Ibid.
Audacius quam par eſt de diuinis præceptis inquirunt. 603. 1.
Hæreticus difficilè caſtus. 452. 1.

Homo.

Homo vitij promptuarium. 122. 2.
Homo non ad otium, ſed ad laborem natus. 517. 1. 2.

Humilis.

Humilis propria facinora extenuat. 436. 2 437. 1.
Hypocriſis nequiorum ſpirituum habitaculum. 16. 2. 17. 1.

I

Ieiunium.

Moyſes, & Elias ſimiles Chriſto, quia quadragenarij ieiunij amatores. 274. 1. 2.
Deus Eliæ ieiunanti, comiter, Adam comedenti acerbè loquitur. 275. 1.
Ieiunans non mortalis, ſed Deus eſſe videtur. Ibid. 2. 276. 1.

Ignorantia.

Ignorantiæ peſſimæ filiæ falſitas, & dubietas. 107. 1.
Ignorantia inuincibilis à peccato excuſat. 108. per totum §.
Ignoranter, & per ignorantiam facere, diuerſum. 110. 1.
Ignorantiæ, & neſcientiæ diſcrimen 113. 1.
Ignorantia qua ratione in peccatum inducit à fol. 114. vſque ad 117.
Humana noſſe, diuina eſt ignorare, & è cõtra. 137. 1.
Ignorat, qui tabernacula in cælo deſiderat. 171. 2.

Inconſtantia

Ezechielis quadriga vitæ inconſtantiam proponit. 225. 2.

Indulgentia.

Peccatoribus ſemper indulgendum 247. 1. 2.
Inimicis indulgendum & benefaciendum. 41. 1.

Ioannes.

Cur Ioannes Euangeliſta in cruce non eſt mortus. 302. 2. 303. 1.
Ioannes ad Dominum virginitatis alis euolauit. 280. 1.
Ioannes Apoſtolus quare notus Pontifici. 437. 1.

Ioſeph.

Ioſeph Sponſus Mariæ Chriſto reſurgenti ſuperſtes fuit. 623. 624.

In-

Inuidia inuidus.

Inuidia Prophetas abſumpſit. 791.1.
Bonorum factorum comes. Ibid.1.2.
Inuidia bonis operibus vtitur ad nocendum. 792.2.
Laudat vt noceat. 793.2.
Eius ingenia tot venena. Ibid.
Alienam timens fælicitatem prophetat inuidia. 794.1.2. 795.1.2. 7961.2.
Sub ſpecie boni alienam fælicitatem inuadit. 797. 1.2.
Superbus idem ſemper, & inuidus. 792. 1.
Inuidi feris,dæmonibuſque peiores. 792. 2.
Beneficia in alios collata eos cruciant. 800.1
Clara facinora proximi inuidorum terrores. Ibid. 2.
Inuidia morte crudelior. Ibid.
Gehenna imcomportabilior. 801. 1.2. 802.1. 811. 1.
Omnem doloris ſenſum in deplorandis aliorum fælicitatibus expendit. Ibid. 2.
Inuidi cor ad præſentiam alienæ fælicitatis obduratur. 805.1.2.
Lingua eius proximi bona præfari nõ poteſt. 804. 1.
Inuidus ſimilis noctuæ,& igni græco. Ibid.2.
Inuidus quando non auarus. 805.1. 896.2. 807. 1.
Inuidia vitæ ſenectus. Ibid.2.
Inuidiæ deſcriptio ex Chryſologo. 808.2. 809. 1.
Ne alij in paradiſum ingrediantur, inuidus extra manere maluit. 809. 2.
Beatitudinem faſtidit. 810. 1.
Varijs cogitationibus abſumitur. Ibid. 2.
Inuidia animi tinea. 811 1.
Inuidia dæmones cruciantur. Ibid.2.
Diuina myſteria aliqua ex parte dæmonibus exponuntur, vt videant, & inuideant. 812. 1.
Inuidia malum perenne, & ſine remedio. Ib
Inuidus quouis improbo peior. Ibid. 2.
Inuidiæ aurea S. Chryſologi deſcriptio. Ibid.
Inuidiæ liuor virtutem miraculorum eneruat. 126. 1.

Iudas.

Iudas commune bonum ſuum particulare fecit. 307.1.
Iudas ſemper vltimus nominatur. 321.2.
An Chriſtus lauerit pedes Iudæ. 376. 2.
Iudas cur ad Apoſtolatum aſſumptus, ſi proditurus agnoſcebatur. 576.2.
Iudæi tempore extremi iudicij conuertendi. 441. 1.2.

Iudicium.

Diuini iudicij rigor. 29.2.
Omnes obtumeſcere facit. Ibid.
Imo hilares reddit iuſtos de vindicta. Ibid.
Iudicij terror ex Chriſti humilitate dignoſcitur. 96.2.
Iudicij finalis imago ſcala Iacob. 188.2. 189 1
Futuri iudicij; Chriſti transfiguratio prælufio ſtetit 189.1.
Chriſtus medius inter Moyſem, & Eliam iudicabit. 190. 2.
Nihil Deum in iudicio latebit. 193.2.
Angeli in iudicio erunt quaſi aures Dei, & oculi. 193.2.
Iudicij meditatio omnem cogitationem excedit. 197. 1.2.
In Abrahamo iudicij terror ſignatus. 200. 1.
Cane peior, qui iudicium non timet. 201.1.
Iudicij terror ex Chriſti patientia magnitudine menſurandus. 431.2.
Vulgi prauum iudicium. 98. 1.
Iudicium de alienis virtutibus difficile. 73.1.

Iuſtus iuſtitia

Iuſti timent peccatum, etiam illud cuius cõſcientiam non habent. 467. 2.
Vir iuſtus nunquam arbitratur ſe comprehendiſſe. 523.1.
In inferno iuſtitia cum æternitate pugnabit. 196. 1. 2.

L

Labor.

Ex labore ad laborem nos vocat Chriſtus. 521. 1.
In futura vita nullus labor. 522. 1.

Lacryma.

Lacrymæ ex Auguſtino, nil aliud niſi ſanguis cordis ſunt. 492. 1.
Sunt animæ peccantis baptiſmus. Ibid.

Propter Deum ſolum fundendæ. Ibid.
Lachrymæ linguæ reatum diluunt. 492. 2.
Abluunt peccatum, quod lingua defendi non poteſt. Ibid.
Earum vis ex Sancto Maximo. 493. 1.
Verecundia lachrymas mouet. Ibid.
Non pudere de peccatis mortis ſignum, & damnationis initium. Ibid. 1. 2.
Lachrymis gaudia merentur. 495. 1.
Cordis incendium fouent. Ibid.
Deum inflexibilem flectunt. 2.
In lugentem Spiritus ſanctus deſcendit. 497. 1.
E Dauid plorante beata Virgo Maria deſcendit. Ibid.
Filium Dei ad nos inclinant. Ibid.
In Chriſti, eiuſque Matris columbinis oculis familiares lachrymæ. 498. 1. 2.
Lachrymæ, vel faciunt, vel inueniunt Paradiſum. 499. 1.
Noſtri cordis fideliſſimæ teſtes. Ibid.
Dulces ex amaro affectu. 2.
Mitē eſſe debent, vt cordis maculas lauent. Ibid.

Laſciuia.

Laſciuiæ ſæua perſecutio in Chriſti amicos. 782. 783.
Odium ex laſciuia natum, vindictam Regno præponit. 784. 2.
Laſciuia vires minuit, ætatem conſumit. 807. 2. 808. 1. 2.
Luxuria hominem excæcat. 449. 2. 2. 450.

Latro.

Bonus latro in cruce à præluſione ad Iudicij Veritatem præuolauit. 194. 1. 2.
Latro in cruce maximè latro. 204. 2. 205. 1. 2.
In latrone Chriſtus fidei reliquias collegit. 471. 1.

Laus.

Quomodò Deus in Patria, & Beati laudantur? 581. 2. 582. 1.

Lazarus.

Lazari, & diuitis hiſtoria ne, an parabola. 148. 1. & 2. 150. 2. 151. 2.

Lingua.

Non minus amori, quam timori lingua deſeruiat. 298. 1.

Lex.

Lex per Chriſtū in melius reformata. 247. 1.

Littera Sacra.

Sacræ litteræ medela omnium animi ægritudinum. 704. 1.
Cur tanta obſcuritas in diuinis litteris reperitur? 711. 2.

M

Magi.

Magi ſtellis decepti, ſtella ad Chriſtum ducuntur. 207. 1.

Maria Chriſti Mater.

B. Virgo Maria, Chriſti præſentia, nec ad modicum carere poterat. 71. 2.
B. Virgo ex Chriſti conſortio in vultu clariſſima. 223. 1.
Cur Virgo Maria in ſalutatione Angeli turbata. 197. 2.
Maria non ſibi, ſed omnibus genuit filium. 310. 1.
B. Virginis in partu erga filium obſequium; ex Cypriano. 528. 2.
Mariæ pudorem ſuæ omni potentiæ prætulit Deus. 624. 625.
B. Virginis magna paupertas. 535. 1. 2.
Quo habitu inuenta fuerit à magis in Bethlē Ibid.
Viliſſima lana induta, ſine cilicio vixit nunquam. Ibid.

Martyr.

Martyr cithara dulcè modulans. 501. 2.

Mel.

Mel cæli nectar ex Plinio. 565. 2.
Cur mel in ſacrificijs adhiberi vetitū. 595. 2. 596. 1. 2.
Prædicatio dicitur mel, quare 596. 2.
Mel diuinæ gratiæ cum felle peccatorum

manere non poteſt, 797. 1. 2.

Mendacium.

Mendacium nulla occaſione dicendum. 14. 15. & 16.
Non tantum ſe extulit Poëtarum fabuloſitas mentiendo, quantum Chriſti poteſtas benè operando. 293. 2.

Minores.

Loca ſancta Hieruſalem cur Fratres Minores poſſideant. 223. 2.
Fratrum Minorum habitus, Chriſti, & Apoſtolorum habitui ſimiles, 551. 1.

Miracula.

Miracula Dei perfecta ſunt. 50. 1.
Fides petentium miracula operatur. 58. 2.

Miſericordia.

Miſereordia diuina in peccatores quàm patiens. 446. 1. 2. 447. 1. 2.
Tormenta propria commiſerationem docent. 484. 1.

Mors.

Mortis beneficium aliquando Deus damnatis denegat, vt magis puniat. 37. 2.
Mortis vmbra appetitum reprimit. 226. 1.
Somnus mortis imago. 226. 2.
Anima per mortem à morte reſurgit. Ibid. 2.
Adam ſopore proſtratus mortis documentum accepit. 227. 1.
Mortis memoria, qui non reſipiſcit reprobus apparet. 228. 1.
Nix mortis ſignum. 515. 1.
Inexcuſabilis Iudas, quia non caſu, ſed ex meditatione mortis Dominum prodidit. 228. 1. 2.
Sol mortis præco. 214. 1.
Mortis deſiderium in Chriſti famulis delectabile. 761, 2.

Moyſes.

Quis præſtantior Moyſes, an Elias. 272. 1. 2. 273. 1.
Moyſes an verbo Ægyptiū occiderit. 454. 1.

N

Nero.

Nero Iudæis ſimilis, qui Barrabam petierunt vt Chriſtum perderent, ipſe enim Apoſtolos occidit, vt Magum ſeruaret. 790. 1.
Neronis crudelitas, & impoſtura in Chriſtianos. 790. 2.
Neronis fatua ſuperbia. 792. 1.

Nicolaus.

S. Nicolaus Tolentinus per ſemeſtre antè obitū paradiſi concentus delibauit. 164. 2.
Nicolai Factoris igneus amor ſtagna gelu concreta ſoluit, & feruere fecit. 232. 1. 2.

Nomen.

Nomina cur aliquibus à Deo immutata. 314. 1.

O

Obedientia.

Obedientia diuinæ naturæ participes facit. 91. 1. 2.
Obediens Simon interpretatur. 92. 1.
Qui neſcit obedire, neſcit imperare. 92. 1.

Obſtinatus.

Obſtinatus ſalutis remedio non deſtituitur. 440. 2.
Obſtinatus remedia in interitū vertit. 404. 2. vſque ad 448.
Obſtinatus Domini patientia abutitur. 452. 2.
Obſtinati diabolo peiores. 453. 2.

Occaſio.

Occaſio peccati vitanda. 480. 2. vſq. ad 483.

Oculi.

Oculi miſerantis oſtia. 48. 1.
Quid ſunt ſeptem oculi Dei. 493. 2.

Opera.

Opera diuina, quia à Deo facta ſunt, alia com-

commendatione non indigent. 603. 2.

Oratio Orator.

Oratio miraculorũ clauem habet. 52. 1. & 2.
Orator perfectus raro inuentus. 734. 2.

Orpheus.

Orphei cantus mira vis. 644. 2.
Sed mirabilior, & veracior in Chriſto. 645. 1.

P

Paradiſus.

Paradiſi plantatio vbi. 185. 2.
Paradiſi cæleſtis Patria non habet numerum, nec menſuram, nec pondus. 179. 1.
Paradiſi requies nullo verborum ornatu explicari poteſt. 153. 1. & 2. 154. 2. 158. 1.
Paradiſi requies poſt ſex laborũ dies. 305. 2.

Paſtor.

Paſtor plus gregem, quam ſua, & quam ſe debet amare. 288. 1.
Chriſti diuinitas ex paſtoris officio comprobatur. 293. 1. 2.
Prælati mites, ſed aliquando rigidi eſſe debent. 84. 2.
Prælatus vigil eſſe debet. 381. 2. 382. 1.
Prælatus manſuetudinem, & rigorem habere debet. 453. vſque ad 463.
Prælatus ſubditos vt fratres habeat. 625. 2.
Labores cum ſuis diuidat. 626. 1.

Paupertas.

Paupertatis votũ ab initio Eccleſiæ. 25. 26. 27
Pauperẽ audiat, qui à Deo audiri deſiderat. 52. 1
Chriſtus exaudit, quia in paupere veſtitus reperitur. 59. 1.
Manus ad pauperes extenſa habet Dei manum ad ſe paratam. 57. 1. 2.
Pauperum vulnera diuites alloquũtur. 257. 1.
Pauperum miſerię miſericordiam admonent. 484. 1.
Ad Cælum cum pallio, & veſtibus ire non poſſumus. 540. 2.
Viri Apoſtolici omninò pauperes. 541. 2. 542. 1. 2.
Origenes Apoſtolicæ paupertatis eximius æmulator. 541. 2.
Paupertatis præceptum Apoſtolis datum, non temporale, ſed perpetuum. 543. 1.
Paupertas ſuſpicionem excludit, admirationem inducit. 544. 1.
Mundana in manus Euangelicorum pauperum venire non audent. 547. 2.

Peccator peccatum.

Peccatores Deus non nouit, quia non fecit. 252. 2.
In Deum peccator ſuæ malitiæ cauſam retorquet. 443. 1. 2.
Pharao Saram in domum ſuam introducendo quomodo peccauerit. 117. 1.
Peccatum occultum in ſacra Scriptura quodnam ſit. 118. 1. 2.
Peccatum ignorantiæ quod dicendum. Ibid.
In graui munere vix venialia peccata vitantur. 119. 1.
Peccata in peccatores tanquam teſtes adſtabunt. 199. 1.
Melius eſt in gehennam, quam in peccati pudorem incurrere. 199. 1.
Peccati inſtrumenta deſeruiant pœnitentiæ. 206. 1.
Peccatorum memoria triſtitiã parit. 293. 1. 2.
Rex ob peccatum fit ſeruus, id in Malcho expreſſum. 439. 1.
Sodomiæ peccatum à fęminis ortum habuit. 451. 2.
Noui peccati authores, noua pœna plectuntur. 30. 1. 34. 1. 38. 1.
Pœna delicto menſuratur. 31. 2. 32. 1. & 2.
Putiphar in libidinis pœnam factus repentè Eunuchus. 32. 1. & 2.
Ad peccati deteſtationem punit Deus etiã beſtias, & inanimata. 32. 1. 35. 1.
Præſens punitio futuræ animaduerſionis indicium. 34. 1.
Punitionis ſigna conſeruat Deus ad emendationem noſtram. 35. 1. & 2.
Ob leuia peccata aliquãdo grauiter quis punitur 36. & 37.
Punitio quietem operatur. 42. 1.
Peccati maculas detergit. Ibid.
Peccatorem ad Deum reuocat. 43. 1. & 2.
Homo peccator lapide durior. 646. 1.
Qui peccatores in piſcinæ infirmis deſignati. 805. 2. 806. 1. 2.

D 2 Pani-

Pœnitentia.

Pœnitentia, amiſſa merita reuocat. 343. 2.
Quadragenarius pœnitentiæ numerus eſt. 468. 2.
Pœnitentium pugnis Deus patrocinator exiſtit. 485. 2.

Petrus.

Petrus, & non alius fuit ille Cephas ad Gal. 2. à Paulo reprehenſus. 6. 2.
Petrus ſupplicij Ananiæ, & Saphiræ miniſter. 29. 1.
Petrus verbis ſuis quaſi manu oppanſum Ananiæ oculis velum eripuit, culpæque grauitatem obiecit. 41. 1.
Petrus in ſanando Paralytico, eiſdem, quibus Chriſtus vſus eſt verbis. 53. 2.
Petrus ante paſſionem Chriſti, patiendi præceptum accepit. 78. 1. & 2.
Petro, verba illa, *Vade poſt me Satana*, iuxta aliquorum ſententiam, dicta non fuêt. 76. 2. & 77. 1.
Petrus ſolus vtitur reti, & hamo in piſcatione. Ibid. 2.
Quid eſt linteum, quod Petrus vidit de Cælo ad ſe miſſum. 244. 1. 2. 245. 1. 2.
Petri timorem Chriſtus ſuſcepit. 487. 2. 488. 1. 2.
Verba illa Chriſti, *Tu dixiſti*, ad Petrum relata. 556. 1. 2.

Petri apud Thabor ignorantia.

Petri ignorantia in monte Thabor laudabilis per totum tertium Archielogium. lib. 1.
Petrus ob deuotionis, & admirationis exceſſum in ignorantiam incidit. 113. 2.
Petrus neſciens quid diceret prophetat Eccleſiæ gloriam. 128. 1. & 2. 129. 1. & 2.
Petrus ironice ignorans dicitur. 131. 1. 132. 1. & 2.
Petrus dictante Spiritu ſancto in Thabor locutus. 128. 1. & 2.
Ad ſuperna Petrus conſcendens, noluit ad terrena deſcendere. 135. 1.
Petrus Spiritu ſancti filius. 140. 2. 141. & 142.
Petrus, & ſocij ceciderunt in faciem ſuam, vt humilitate roborentur. 143. 2. 144. 1.
Petrus in transfiguratione ebrius 165. 2.
Gloriæ magnitudo ignorantem reddidit Petrū, eademq. ab ignorantia excuſat. 173. 1. 2.
Petrus in montem ducitur, vt gloriæ recordatione à culpa reſurgeret. 187. 1.
Profundè in Thabor locutus eſt. 212. 1. 2.
Lingua Petri plus nouerat, quam cor. Ibid.
Ignorantia Petri, quia ex piſcatore fieri voluit architectus. 201. per totum cap.
Petri ignorantia, quia ſine morte in Thabor manere diu volebat. 213. per totum cap.
Ibi ipſe de vitæ breuitate docetur. 213. 214. 215.
Tabernacula in monte Petrus deſiderat, quia omnes ad Chriſtū cupit attrahere. 229. 1. 2.
Vox Patris in Thabor, *Hic eſt filius meus dilectus*. Petri laudatio, & remuneratio eſt. 231. 1. 2.
In eo Petri ignorantia conſtitit, quia Chriſti mortē voluit impedire. 234. per totū c. 7.
Petri ignorantia ex affectu erga Chriſtum excuſatur. 236. 1.
Simplicitas Petri profunda ſētentia. 239. 1. 2.
Petrus tria poſtulans tabernacula Moyſem, & Eliam à Chriſto diuidit, in quo neſcius apparet. 246. per totum cap. 8.
Non vult Petrus Moyſem, & Eliam à Chriſto ſeparare, ſed honorare ipſorum virtutes montis ſtatione. 271. per totum §.
Tabernaculorum tamen diſtinctio in ipſo reprehenditur. 266. 2.
Petrus poſt Apoſtolatū vxori vale dixit. 281. 1. 2.
Quare, vt amator caſtitatis Moyſi, & Eliæ ædificare voluit tabernacula. Ibid.
Vrbanus, & comis in hoc. 282. 2.
Ignorans reprehenditur à D. Hieronymo, quia contra ſuam Monarchiam in Thabor locutus eſt. 283. per totum cap.
Petrus in Thabor omnium inferiorum oblitus. 288. 2.
Plus Chriſtum quam ſe amauit. Ibid.
Cur in Thabor princeps Eccleſiæ non inauguratur. 290. 1.
Petrus in Thabor reprehenſionē Chriſti pertimeſcens emendauit ſeipſum dicens. *Si vis, &c.* 294. 2.
Ignorantia ſua in monte, quia ſine conſilio locutus fuit. 303. 2. 304. 1.
Petri ignorantia, quia fælicitatem anticipatā petitione voluit occupare. 304. 2.
Petri ignorantia, quia cum veritatis luce, figurarum vmbras adnexuit. 304. 2.
Petri ignorantia, quia præmium ſine prælio am-

Digitized by Google

ambiuit. 305. 1.
Cum Petro errat, qui Regnum Cælorum in terra conſtituit. 306. 1.
Ignorauit Petrus, quia commune bonum in priuatum vſum contulit. 306. 2. 307.
Petrus ab omni ignorantia omninò excuſatur. 312. 1. 2. 313. 1.

Petri Principatus.

Petri Monarchia viginti quinquè prærogatiuis illuſtrata celebratur, quæ totidē annis reſpondēt, quibus à tranſlato Romā Pontificatu Eccleſiā gubernauit. 315. vſq. ad 386.
Petro, & ſucceſſoribus ſuis non vnius Cæli tantùm ſicut cæteris Apoſtolis, ſed Cælorum claues traditæ ſunt. 285. 2. 286. 1.
Petro omnes oues totius mundi concreditæ. 286. 1. 2.
Omniū ſubditorū, ac Paſtorū Paſtor. Ib. 287. 1.
Pontificia dignitas tabernaculum ab ipſo dicta. 291. vſque ad 296.
Cur in trino amoris examine contriſtatur. 296. 2. per totum §.
Creatio Petri à prādio facta miraculoſa. 300. 2
Petrus Apoſtolorum os. 300.
Diuini amoris Vicarius. 301. 1.
Vt talis crucis ſubeūdę pręſagiū accepit. Ib. 2.
Petrus cum Pontifex inſtituitur, nec iuuenis, nec ſenex 302. 1. 311. 2.
Sui nominis mutatio myſterioſa. 314. 1. 2.
Petrus à Chriſto in conſortium ipſius vnitatis aſſumptus. 315. 1.
Supra Petrum ędificata eſt Eccleſia. 31. vſque ad 38. 1. 2.
Petrus in Apoſtolorum ſerie ſemper primus. 319. 1. 2. 320. 1. 2.
In numeratione ſemper præfertur. 321. 2.
Petrus vt Paterfamilias, & Eccleſiæ caput in Euangelio præponitur. 322. 1. 2. 323. 1.
Petrus Chriſto coniunctior. 324. 1.
Nec contra Petrum, nec contra Eccleſiam præualebit Infernus. 328. 2.
Pro Petri fide rogat Chriſtus, quia Princeps Eccleſiæ. 329. 1. 2.
Septem teſtimonia ad inconcuſſam fidei Petri firmitatem oſtendendam. 330. 331. 332.
Alia ad idem Græcorum, & Latinorum teſtimonia. 332. vſque ad 336.
Petrus quando Chriſtum negauit, non erat Pontifex, nec fidem amiſit. 339. 1. 2.
Petro primum, an alijs Chriſtus pedes lauit. 336. 1. 2.
Et quæ eius prærogatiua ex hac lotione. Ib.
Solus Petrus aquam pedibus calcat, quia Chriſti eſt Vicarius. 377. 1. 2.
Petrus Dei filium Chriſtum confeſſus, primatum obtinuit. 378. 1. 2.
Petrus pro ſe, & Chriſto tributum ſoluere iubetur, quia familiæ Chriſti erat caput. 378. 2. 379. 1.
In Petri nauicula Chriſtus docet, quia Petri ſedes eſt Cathedra. 380. 1.
Petrus in altum ducit rete, & alios ad piſcandū adducit, quia ſummus Pōtifex. 380. 1. 2.
Petro vt Apoſtolorum Principi primum Chriſtus reſurgens apparuit. 381. 1.
Ex electione Matthiæ Petri Primatus oſtenditur. 382. 2.
Petrus, quia Paſtor, primus poſt acceptum Spiritum ſanctum concionatur, ac in prima concione tria hominū millia pertraxit ad fidem. 382. 2.
Primū miraculum in pedū confirmationē edidit, vt oſtēderet ſe fūdamētū Eccleſię. 382. 2.
Ananiam, & Saphiram punit. 383. 1.
Per omnes tranſit. Ibid.
Primus Gentilibus Chriſtū annunciauit. Ib. 2.
Pro ſolo Petro in carcere conſtituto ab vniuerſa Eccleſia oratur. Ibid. 2.
Petri ſententiæ in concilio cęteri conſenſerunt. 384. 1.
A Paulo inuiſitur. Ibid. 1.
A Chriſto baptizatur. Ibid. 2.
Ab eodem ſolus Epiſcopus ordinatur. Ib. 2.
Petrus Simonem Magum inſecutus eſt, & proſtrauit. 385. 1.
Romæ ſolium Pontificatus erexit. Ibid. 2.
Recedenti ab Vrbe Chriſtus apparuit. Ib. 2.
Solius Petri cathedræ feſtiuitas celebratur. 386. 1.
Petrus Romæ Pontificatum, vſque ad mortem geſſit. 386. vſque ad 405.
Petrus Eccleſiæ Paſtor. 758. 1. 2.

Petri virtutes, & Elogia.

Petri humilitas, quia reprehenſus non reſpōdit. 7. 1.
Immo laudat Paulum. 85. 2. 86. 1. 2.
Petrus Chriſto ſimilis ob ſalutem gregis. 8. 1.
Petri intentionis puritas excuſat eum ab ignorantia. 19. 1.
Petrus in Ananiæ, & Saphiræ ſupplicio iuſtus, & miſericors oſtenditur. Ibid.
Pręcipuè à fol. 33. vſque ad 62.

Vnus

Vbus à Petro corrigitur, & multi ſanantur. 44. 2.
Petri in puniendo pietas, zelus, rigor. lib. 1. Archielog. 2. cap. 2. 3.
Petrus Deo plenus. 48. 1. & 2.
Charitate diſtentus. Ibid.
Paupertate ditiſſimus. Ibid.
Petri humilitas eſt charitate coniuncta. 49. 1.
Petrus totus in miſerorum leuamen. Ibid.
Petrus primum miraculum fecit in ſolidandis plantis, quia fundamentũ Eccleſię. 49. 2.
Petrus petra mollis, & firma. 53. 1.
Petrus humilis in claudi ſanatione. 54. 1. 2.
Petri verbis credidit infirmus, & ſanus factus eſt. Ibid.
Petrus ad benefaciendum velox, quia amans, quia humilis. 56. 1.
Petrus ad commiſerationem pronus, & lachrymas. 58. 2.
Quidquid erat in Petro ſanitatem, & manſuetudinem ſpirat. 60. 2.
Petrus præ cæteris habuit prærogatiuam, vt vmbra ſua infirmos ſanaret. 61. 1. 2.
Ambulauit in mari Petrus magis dilectione, quam pedibus. 65. 2.
Greſſus Petri in mari magnam eius fidem oſtentant. 66. 1. & 2.
Petrus cœpit mergi, ne Chriſto æquaretur. 67. 1. 68. 2.
Petri defectus etiam glorioſus. 68. 2.
Petrus vt eſſet cum Chriſto impoſſibilia tentat. 69. 1.
Petrus quomodo ſuper aquas ambulauit. 70. 1. & 2.
Petrus tentationibus proficit, periculis creſcit. 72. 1.
Petro Chriſtus vt Aquila ſuper pullos volitans. 73. 2.
Petri affectus ab amore inſuperabilis. 75. 2.
Petrus petræ firmitatem in ipſo cadendi periculo recepit. 78. 1.
Chriſtus Petri in ſe tranſtulit imbecillitatem, vt ipſe ſua fortitudine indueretur. 79. 2.
Timuit Petrus, quia Chriſtus timuerat, ne maior diſcipulus magiſtro appareret. Ibid.
Petrus Satanas dictus ad humiliationem. 84. 1.
Petrus ſuos honores tacet, negationemque profert. 90. 2. 91. 1.
Petrus ob obedientiam Chriſto comparatur in tributo ſoluendo. 90. 2. 91. 1.
Melior diſcipulis factus. Ibid.
Petrus firmorum, & infirmorum exemplar. 95. 1. & 2.
Petrus in carcere præſtantior Angelo. 101. 2. & 166. 1.
Petrus Malcho auriculam abſcidit ſine peccato. 429. vſque ad 435.
Immo amans, humilis, & obediens in hoc facto proponitur. 430. 2.
Petrus maximè laudandus in abſciſſione auriculæ. 435. 2. 436. 1.
Eique gladio vti vſque ad abſciſſionem auriculæ permiſſum. 433. 1.
Amor Petrum renitentem, & obedientem fecit. 431. 1.
Sibi lauari pedes recuſans non peccauit. ib. 1.
In Petri perſona auriculam Malchi abſcindentis, boni Paſtoris exemplum exprimitur. 454. 1. 2.
Petrus quam ſedula Apis. 508. vſque ad 515. & 518. 2. & 519. 1.
Petrus petra, quæ imperij mundialis machinam contriuit. 510. 1. 2.
Sub eius alis tutò commoratur nauis Eccleſiæ. 512. 1.
Petrus etiam in otio ſedulus, & officioſus. 513. 2.
Non ſibi, ſed alijs Apis. 514. 2.
Petrus in cibo parcus. Ibid. 1. 2.
Votum paupertatis emiſit. 536. 2. 539. 1.
Affectu omnia reliquit. 539. 1. 2.
Etiam vxorem. 540. 1.
Petrus Apis parua ex humilitate. 554. 2.
In Marci Euangelio eius defectus clarius referuntur. 551. 1.
Virtutes leuius. Ibid. 2. & 556. 557.
Marci Euangeliũ à Petro dictatũ. Ib. & 558.
Petrus ob humilitatem inuerſis veſtigijs crucifixus eſt. 560.
Vt faciliorem è terra ad Cælum pararet ſibi viam. Ibid. 2.
Vt eſſet Chriſti vmbra. Ibid.
Petrus quo plus meruerat, eò præſumebat minus. 562. 1.
Petri vox Regum, ac Imperatorum aures terribili ſonitu verberauit. 584. 1. 2.
Romani Imperij arcem prædicatione concuſſit. 585. 1.
Eius vox, Dei fuit. 585. 2.
In Romanorum duritiem, ſuperbiam, virtutem ſuæ vocis exercuit. 586. 1. 2.
Habuit cum fragore ſuauitatem. 587. 1.
Petri caſtitas. 610. 1.

In

In eius domo anus non vernula. 2.
Caſtitatem ſuadet. 611. 1. 2.
Petro non nauis vna, ſed ſeculum eſt commiſſum. 612. 2.
Petrus, & Ioannes proprios mores referunt. 612. 2.
Petrus adhuc Vicarius Chriſti villa exercitia non abhorrebat. Ibid.
Petrus ter à Chriſto vocatus, quia triplici corona decorandus. 630. 2. 631. 1.
Igne charitatis calens fide ſtabilis fuit. 631. 2.
Terno nomine apis eſſe meruit. Ibidem.
Petrus Angelus fortis de cælo deſcendens ad firmandam fluctuantem Eccleſiã. 636. 1. 2.
Maiora miracula fecit quàm Chriſtus. Ib. 2. 637. 1.
Negat quando latro conuertitur, vt in eius humiliatione peccator nõ deſperet. 637. 1
Petrus gallicantu ad pœnitentiam excitatur, quia alijs vt gallus pœnitentiam prædicaturus erat. 686. 1. 2. 687.
Petrus ex Ioanne diſcit. 713. 2.
Cur de proditore Ioannem, non Chriſtum interrogauit. 714. 1. 2.
Petri encomia ex Chryſologo. 745. 1.
Petri in epiſtolis ſermo ſublimis. 748. 1.
Quanto apud Bonifacium Martyrem, & Epiſcopum in pretio habitus. Ibid. 2.
In Petri epiſtolis multa difficillima. Ibid.
Quanta Petri excellentia in expugnanda Romana gentilitate. 750. 1. 2.
Petrus primus Euangelium Romæ prædicauit. 751. 1. 2. 752. 1. 2.
In Petro Romanæ fidei firmitatem Deus collocauit. 753. 1.
Mirus Romanæ fidei à Petro diſſeminatæ profectus. Ibid. 2.
Vt tenacius Euangelium à Petro prædicatum memoria Romani retinerent, à Marco illud ſcribi efflagitarunt. 754. 1.
Romanorum deuotio, & firmitas in credendo ex Petri prædicatione. Ibid. 2.
Petri amor in Chriſtum moræ impatiens. 764. 2.
Eius carceris deſcriptio. 765. 1.
Vinctum eſſe cum Petro, quam glorioſum. Ibid. 2. 766. 1. 2.
Petrum è carcere egreſſum ſuis verbis Chriſtus ad vincula ſponte reduxit. 768. 1.
In eo loco, vbi crucifixus eſt Petrus, inſigne Minorum Fratrum, Hiſpaniæ Regum expenſis, Cœnobium eſt extructum.
Petrus ad reportandam de Simone Mago victoriam Sabbato ieiunauit. Vnde mos in Romana Eccleſia Sabbato ieiunandi. 788. 2.
Simonis Magi caſus orationibus Petri adſcribendus. 789. 1.

Petri negationes, & lachrymæ.

Petrus ſolum ter Chriſtum negauit. 464. vſq. ad 468.
Trinæ negationi, trina eius confeſsio correſpondet. 465. 2.
Petrus ob loci circunſtantiam negat. 468. 1. 469. 1. 2.
Domum Pontificis ob amorem ingreditur. 470. 1.
Negans non fidem, non affectum, nec naturalem dilectionem, ſed conſtantiam perdidit. 470. 2. 471. 2.
In domo Caiphæ latro, & latro in cruce Petrus. 471. 1.
Fidei folia non radicem amiſit. 471. 2.
Negans, & pœnitens Eccleſiæ vtilis. 471. 2. 485. 1.
Ex timore negauit. 472. 1.
Et quia pati omnia volebat, dummodo Chriſtum videret. Ibid. 2.
Petrus cito in ſuam petræ ſoliditatem rediit. 373. 2.
Quomodo negans à mendacio reddatur immunis. 474. 1.
Negando grauiter peccauit. 474. 2. 475. 476.
Petrus negare permittitur, vt ſui amitteret confidentiam. 475. 2.
B. Virginis anima negationis Petri gladio transfixa. 476. 2.
Petrus in negationem incidit, vt propriæ fragilitatis miſeriam agnoſcat. 477. 1. 478.
Petri ſuperbia in negatione retunditur. 378. 2. 479. 1. 2.
Petrus negare permittitur, vt proximi peccatorum facilius miſereatur. 493. 1. 484. 1. 2
Petrus poſt negationem gallo canente ſemper plorauit 485. 2.
Qui ne ſummã veritatem faceret mendacem negauit. 486. 1.
Et quia adiutorium gratiæ non quæſiuit. Ibid. 2.
Petrus negauit, ex prauorũ conſortio. 487. 1.
Petrus vt ſingularis B. Virginis ſanctitas appare-

pſteret negare permittitur . 496. 1.
Petrus amator, & negator animoſitate ca-
dit . 496. 2.
Negationis crimine nil peius . 491. 1.
Petri ingens amor in comprehenſione Chri-
ſti monſtratur . 499. 1.
Cur non fleuit, niſi poſt tertiam negationem.
499. 1.
Petrus lacrymis negationem lauit . 491. 2.
A Chriſto reſpectus, & erectus . Ibid.
In ipſo caſu firmitatem acquirit . Ibid.
Petrum non lingua, ſed oculis quibus non
peccauit veniam impetrauit . Ibid.
Petrus ſeptẽ oculis reſpexit Chriſtus. 494. 1.
Quibus Petrus in ſtagna aquarũ cõuertit. Ib.
Vide de lacrymis Petri . 491. vſque ad 499.

Paulus.

Paulus adamantinus lacrymis frangebatur.
62. 2.
Paulus fortis, & coronatus quia timens . 80.
1. 2.
Paulus vt æmulationis ſuſpicionem conuel-
las, Petrum viſitaturus acceſsit. 324. 1.
Paulus Apis ſedulitatem habuit . 515. 2.
516. 1. 2.
Paulus pennata apes totum Orbem perno-
lauit . 519. 2.
Fuit Aquila . 520. 2.
Magnus præco veritatis . Ibid.
Paulus in omnibus frugalis. 525. 2. 526. 1. 2.
Obſoleta veſte contentus . 527. 1.
Nunquam vinum bibit . 528. 1.
Paulus humilem artem non deſeruit, ne fi-
delibus eſſet grauis . 527. 2.
Vt elationem premeret perſecutorem Eccle-
ſiæ ſe fuiſſe commemorat . 555. 2.
Paulus corpore paruus . 563. 1.
In paruo tamen corpore anima perfectiſsi-
ma . Ibid. 2. 564. 1. 2. 566. 567.
Præſentia eius contemptibilis, epiſtolæ gra-
ues . 565. 1.
Saulus in Paulum, hoc eſt ſuperbus in humi-
lem mutatus . 568. 2. 569. 1.
Saulus an equitans deiectus iter faciens in
Damaſcum . 569. 2.
Vt terram tetigit humilis factus eſt. 570. 1. 2.
571. 1. 2.
Saulus redditur Paulus cæleſtis gratiæ laua-
cro . Ibidem.
Saulus intuitu ſanguinis Stephani à Deo pro-
ſtratus, & illuminatus . 572. vſque ad
574.
Saulus adeo humilis, vt ſua peccata perpetuò
in epiſtolis publicaret . 575. 2.
Etiam recenſendis donis ſibi collatis quaſi
delirans loquebatur . 576. 1. 2.
Sibi infirmitates, Deo viſiones adſcribit .
577. 1.
Parciſsimus in viſionibus recenſendis. Ib. 2.
Quaſi in alterius perſona acciderint. 576. 1.
Ex raptu humilitas eius oſtenditur . 578.
1. 2.
Neceſsitatem adſtruit, vbi ſola electio hu-
militatem promouerat . 579. 1.
Raptus non ductus vſque ad tertium cælum
ex humilitate . 579. 2.
Vitauit omnia, quæ elationem parere pote-
rant . Ibid. & 580. 1.
Sua dedecora iuramento affirmat, viſiones
verò triplicata ignorantia obſcurat . Ibid.
1. 2.
Eius corpus diu poſt mortem ignotum deli-
tuit, ab Angelis tamen cantantibus hono-
ratum . 581. 1. 2.
Paulus totus vox, & pennæ . 587. 2.
Eius verba tonitrua . 588. 1.
Tremere audientes faciebat . Ibid. 2.
Prædicatio ipſius, vt radij Solis . 588. 2.
Eius verborum lectio Auguſtinum con-
uertit . 589. 1. 2.
Orbem terræ fulgore coruſcationis imple-
uit . 590. 2.
Tonitru ſimul & cithara . 599. 1.
Organum Dominicum, lyra, hirundo, cicada,
quæ rupta fidei chordas reſtaurat. Ibid. 2.
Paulus ex mellito Ieſu nomine vas melleum
effectus . 594. 1.
Paulus apis ob virginitatem 612. 2.
Et fœcunditatem . 613. 1. 614. 2.
Catharinus reijcitur, dum Paulum maritum
fuiſſe contendit . 616. 1. 2. 617. 1. 2. 618. 2.
Paulus, plus melle, quam aculeo munitus .
618. 2.
Paulus in conuerſatione ſemper humilis .
621. 1. 2.
Quò dignitate præcellebat, eò humilitate
deprimebatur . Ibid. 2.
Paulus ob humilitatem prædicationem cum
alijs diuidebat . 626. 1. 2.
Seruum, & ſocium ſe exiſtimabat. 627. 1. 2.
Pro Oneſimo fugitiuo, & latrone humillimè
deprecatur . Ibid.

In ſcribendis epiſtolis etiam in caracteribus humilitatem affectat. 628. 1.
Familiaritatem ſimulat, vt Oneſimum adiuuet. 628. 2. 629. 1.
In Chriſti cruce gloriatur. Ibid. 2.
Paulus ſe peccatorum omnium primum fatetur, quo ſenſu? 637. 2.
Animam Adæ in Paulum tranſiſſe hæreticus dixit. Ibid.
Sua conuerſione peccatores ad pœnitentiam prouocat. 638. 1. 2.
Paulo ſumma gratia collata ad euangelizandum 640. 1.
Ita vt Spiritus ſanctus à Chriſto promiſſus exiſtimaretur. Ibid. 2.
Apoſtolus per anthonomaſiam dictus. 641. 1.
Inter cæteros eruditior. Ibid.
A B. Petro de ſapientia commendatur. Ibid.
Ad portandum Chriſti nomen. Ibid. 2.
Lacte prædicationis Eccleſiam aluit. Ibid. & 642. 1.
Omnes Chriſto peperit. Ibid. 2.
Eius conuerſio celebratur, quia vniuerſo mundo conuerſionis miniſter eſt effectus. Ibid.
Vas aromaticum ex Bernardo. Ibid. & 643. 1.
Concionandi ars inſtrumentum muſicum. 643. 2.
Paulus vas auri ſolidum, & gemmis ornatum. 645. 2.
Velut alter Orpheus. Ibid.
Paulus Eccleſię gallus ob prædicationis eminentiam. 684. 1. 685. 1.
In ſe prius expreſſit, quæ alijs prædicabat. 685. 1.
Omnibus omnia factus, vt eos lucrifaceret. 686. 1.
Plus vni Paulo futuro, quam vniuerſo hominum generi Deus contulit. 689. vſque ad 693.
Tribum Beniamin præ cæteris amauit Deus, quia ex illa Paulus naſciturus. 690. 1.
Quomodò cæteris prælatus Paulus ex Tribu Beniamin. Ibid. 2.
Quomodò aptata Paulo benedictio Beniamin. 691. 1. 2.
In conuiuio fratrum Beniamin, Paulus alijs antefertur. 692. 1. 2.
Pauli encomia varia, & mira ex Patribus. 693. 1. 2.
Paulus collum Chriſti ex Nyſſeno. 694. 1.
Chriſtum vita, & moribus referebat. Ibid. 2.
Eius caput amputatum ter Ieſus pronunciauit, quia hoc dulciſſimo nomine plenus erat. 695. 1.
Lac pro ſanguine dedit moriens, quia mater fœcunda Eccleſiæ. Ibid. 2.
Etiam in partes diuiſus Ieſu odorem ſpirabat. 696. 1.
In eo Chriſtus viuebat. Ibid. 2.
Totus factus eſt charitas. Ibid.
Omnibus Sanctis à D. Chryſoſtomo comparatus. 697. 1. 2.
Omnium virtutes collectim habebat. 698. 1.
Sigillum Chriſti ſtigmatibus. Ibid.
Suis moribus miniſterium honorabat. Ibidem 2.
Paulus ob orationis ſtudium in cælis homo, in terris Angelus. 699. 1.
Pauli in prædicando prudentia, colores, formæ, affectus. 700. 1. 2.
Mira pro transformatione Pauli, ex Gregorio. 701. 1. 2.
Quibus dedit mamillam, dedit & ſanguinem. Ibid. 2.
Totus vber erat, ex compaſſione. 702. 1.
Paulus omnimoda ſapientia refertiſſimus. 703. 1.
Armarium legis, & ſcripturarum, Ibid. 2.
Paulus Mater membrorum Chriſti, & nutritor Eccleſiæ. 705. 1.
Mundi pater: os Chriſti. 706. 1.
In cælo didicit, quæ in terris docuit. 707. 1.
In eius epiſtola ad Romanos explicanda, exterritus Auguſtinus ob profunditatem myſteriorum. Ibid. 2.
Omnium lingua loquebatur. Ibid.
Paulus ad pedes Gamalielis edoctus. 708.
Eius humilitas commendatur. 709. 1. 2.
Seruus dictus Ieſu Chriſti, quia victus, & ab illo ſeruatus. Ibid. 2. & 710. 1.
In ipſo conuerſionis initio ſummam perfectionem oſtendit. 710. 1.
Lumine cæleſti ſquamas cæcitatis abiecit. 710. 2. 711. 1.
Ad Ananiam docendus mittitur. Ibid.
Paulus quindecim dies apud Petrum commoratus, vtriuſque legis eruditionem accepit. 712.
Poſt quatuordecim annos cum alijs Apoſtolis Euangelium contulit ex humilitate. Ibid. 2.

Digitized by Google

Paulus fere totum peregrinatus Orbem. 720. 2. 721. 1.
Hiſpanias petijt, ibi Euangelium prædicauit. 721. 2.
Eius rei teſtimonia. Ibid. & 722. 1. 2. 724. 2.
Paulus omnes in ſe ipſo circũferebat ex charitate. 723. 2.
Angelus cuſtos totius Orbis. 724. 2.
Paulus ob maleſacta ieiunat, & orat. 726. 1.
Paulus lupus ab Anania oue capitur. Ibid. 2.
Sol mundi à Deo admiratus. Ibid.
Pauli veſtes mortuos ſuſcitabant. 727. 1.
Viperæ in inſula Melita ex Pauli miraculo veneno carent. 727. 2. 728. 1.
Nati in die Conuerſionis S. Pauli ſerpentes innoxiè tractant, & venena deturbant. Ibidem.
Cur quatuordecim ſunt epiſtolæ Pauli ex Gregorio. 729. 1.
Pauli præſentia deſpicabilis, eiusq. deſcriptio ex Nicephoro. 730. 1. 2.
Lingua ad dicendum non ad modum facilis, & verba non ſatis vrbana. 731. 1. 2.
Hyperbatis frequenter vſus. Ibid.
In arte grammatica imperitus. 732. 1.
Ob defectum Græci ſermonis vtebatur interprete. Ibid. 2.
Externæ ſapientiæ penitus expers. 733. 1.
Græcæ, & Latinæ linguæ mediocriter peritus. Ibid. 2.
Paulus an Platone eloquentior. 734. 1.
Paulus prædicatione Angelis ſuperior. 736. 1. 742. 1. 2.
Paulus omnia deſpiciebat terrena. 762. 1.
Aliena mala deflebat. Ibid.
Amore diuino in inſaniam actus. 763. 1.
Eius charitatis eximius ardor. Ibid. 2.
Propter Chriſtum mori paratus. Ibid.
Quid egit Paulus ad martyrium pergens. 771. 1. 2.
Ex eius præciſo capite lac fluxit, & caput tribus ſaltibus tres perennes fontes excitauit. 771. 2.
Pauli carnifex eius ſanguine conſperſus ad fidem conuertitur: & quid in hoc mirum. 780. 1. 2.
Paulus adfuit Petro oranti, & Magum Simonem orationibus e volatu deijcienti. 788. 2.
Paulus plures epiſtolas ſcripſit, quàm alij Apoſtoli, & cur. 747. 2.

Petrus, & Paulus.

Petro, & Paulo iniuriæ factæ diſſimulari non poſſunt. 9. 1.
Petrus, & Paulus iuxta Hieronymi ſententiam æqualiter finxerunt. 8. 1.
An vere finxerint. 9. vſque ad 24.
Petrus, & Paulus duæ citharæ inuicem temperatæ. 501. 1. 2. 502. 1.
Petrus, & Paulus Apes mellitæ. 503. 1. 2. 504. 1.
Petrus, & Paulus indefeſſi ad laborem. 521. 1.
Petrus, & Paulus diuerſis prærogatiuis ad animarum ſalutem ordinati. 525. 1.
Petrus, & Paulus vna tunica vtebantur. 544. 2.
Eorum paupertas digna admiratione. Ibid. 1.
Petri, & Pauli corpora hominibus ignota, ab Angelis tamen honorata. 581. 1.
Petrus, & Paulus Apes mellifluæ. 592. 2.
Petrus, & Paulus labia Eccleſiæ. 595. 1.
A Petro, & Paulo matribus Eccleſiæ lac Euchariſtiæ nobis propinatum. 600. 1.
Petrus, & Paulus mundum Chriſto ſubdiderunt, Apum victorioſo ſymbolo decorati. 632. 1. 2.
Eccleſiam fauorum caſtris munitam, vt ſpectaculum admirandũ reddiderunt. 633. 1. 2.
Crucis amaritudinem in dulcedinem verterunt. 634. 1. 2.
Petrus, & Paulus duæ lampades, duo Eccleſiæ oculi. 635. 1.
Duæ columnæ firmiſſimæ. Ibid. 2.
Vrbem, & Orbem ad veritatis lucem adduxerunt. Ibid.
Petrus, & Paulus galli Eccleſiæ; tyrannicos leones terruerunt. 687. 1. 2.
Petrus, & Paulus Apes, quia omnibus Eminentiores. 630. 2.
Petrus, & Paulus duo Eccleſiæ vbera. 702. 1.
Petrus, & Paulus magna mundi lumina, Eccleſiæ columnæ. 743. 2.
Iugati boues Eccleſiæ. 747. 1.
Angelis meliores. Ibid.
Petrus, & Paulus Paſtores dulces, potentes, ſapientes ex Bernardo. 659. 1.

Petro claues, Paulo ſapiētiæ cathedra à Deo collata. 706. 2.
Quare Petrus Iudæorum, & Paulus Gentilium Apoſtolus. 746. 1.
Petri, & Pauli epitheta ex Chryſoſtomo. 746. 2. 755. 1. 2. 757. 1. 2. 789. 2.
Quos Petrus piſcatur, Paulus veſtit. 756. 2.
Petrus, & Paulus pares in laboribus, & in gloria. 759. 1.
In capite Chriſti geminum lumen oculorū. Ibid. 2.
Petrus, & Paulus carceribus mancipati. 761. 1. 2.
Sed Petrus dormit, Paulus cantat, cur? Ibid.
Petrus, & Paulus Romæ martyrium conſummarunt. 766. 2. 677. 1. 2.
Petrus, & Paulus quo anno Romæ à Nerone occiſi? 769. 1. 2.
Virgis ante mortem cæſi. 770. 1.
E carcere Mamertino, qui prope Fratrum Minorum inſigne Cœnobium reſidet, educuntur. Ibid.
Petrus in monte Aureo inuerſis veſtigijs cruci ſuffigitur: Paulus ad aquas Saluias capite plectitur. 771. 1. 2.
In Petri, & Pauli monumenta flagrans totius Chriſtiani Orbis deuotio. 773. 1. 2.
In Petrum, & Paulum pijſſimus Chryſoſtomi affectus. 776. 1. 2.
Petri, & Pauli corpora Vrbem mundi caput muniunt. 777. 1.
Petrus, & Paulus, dum carceribus detinentur infirmos ſanant, & alia miracula edunt. 778. 1. 2. 779. 1. 2.
Petrus, & Paulus in carcerem conijciuntur, quia Neronis pellicem ad fidē conuertunt, 781. 1. 2. 782. 1. 2.
quia Simonem Magum præcipitem è volatu dederunt. 784. 2.

Perfectio.

Perfectionis ſtudium, etiam in culmine non deſerendum. 102. 1. & 2.

Præcepta.

Diuina præcepta bona, quia à Deo præcepta. 604. 1. 2.
Deus ſimul cum præcepto facultatem tribuit operandi. 605. 1.
Naturæ ordinem mutat, 605. 2. 606. 1. 2.

Pecunia.

Pecuniæ acquirendæ ſtudium antiquis; quàm familiare. 725. 1.

Pontifices.

Romanum Pontificem etiam vt particularē perſonam, in hæreſim labi non poſſe. 337. 1. 2. 338. 1. 2.
Victor Papa quomodo calumniatus ab hæreticis? 339. 2.
Et quomodò defenſus. 340. 1. 2.
Zephyrinus Pontifex ab hæreticis calumniatus defenditur. 341. 342.
Marcellinus Papa an verè Idolo thus adoleuit. 342. 2.
Defenditur. 343. 1. 2.
Liberius Papa non fuit hæreticus, & an impiæ ſententiæ ſubſcripſerit, dubitatur. 343. 344.
Qua ratione eodem tempore Liberius, & Fælix Romanæ Eccleſiæ fuere Pontifices? 345. 346.
Fælicis Papæ, & martyris ſanctitas, quo miraculo claruit. 346. 2.
Dei prouidentia circa Romanum Pontificē, ne hæreſi inficiatur. 347. 1. 2.
Cæleſtinus Papa Neſtoriana hæreſi non infectus. 348. 1. 2.
Gelaſius Papa, pius, & nunquam hæreticus oſtenditur. 349. 1. 2.
Vigilius Papa defenditur. 349. 2. 350. 1. 2.
Bonifacius Papa Quintus contra fidem non ſenſit. 351. 1.
Honorium Primum, qui in Monothelitarum ſententiam eſſe dixerunt. 351. 2.
Defenditur. 352. vſque ad 356.
Martinus Primus an clericis peccantibus veniam negarit? 356. 2.
Nicolaus Primus an validum definierit Baptiſmum in Nomine Chriſti collatum? 357. 1. 2.
Stephanus Sextus, & Sergius Tertius in Formoſum Papam peccantes, quomodò hæretici non fuerint. 358. vſque ad 361.
Ioannes Decimuſtertius quomodò campanas primus benedixerit. 361. 2.

e 2 Gre-

Digitized by Google

Gregorius Septimus à Bennonis, & hæreticorum calumnijs liberatur. 362. vſque ad 365.
Silueſter Secundus, quia mathematicis ſtudebat, magus falſo exiſtimatus fuit 366. 1.
Ioannes Vigeſimusſecundus quid circa animarum beatitudinem ſenſerit; & quomodo ab hæreticorum mendacijs reddatur immunis? 366. vſque ad 369.
Ioannes Vigeſimustertius omninò certus Papa non fuit. 369. 2.
De futuræ vitæ dubio infamatus. 370. 1.
Eugenius Quartus malè in Concilio Baſileēſe damnatus. 380. 1. 2.
Innocentius Octauus Noruegis quare permiſit Miſſam ſine vino celebrare? 370. 2.
Omnes Vrbani Pontifices vſque ad octauum inſignes. 371. 1. 2. 373. 1.
Romanus Pontifex, Petri in Monarchia ſucceſſor. 405. vſque ad 428.
Miraculorum claritas, quæ ſemper in Eccleſia fulſit, Romani Pontificis adſtruit principatum. 414. vſque ad 419.
Prophetiæ donum quo Eccleſia decoratur Romani Pontificis principatum illuſtrat. 419. vſque ad 423.
Chriſtianorum Principum erga Romanum Pontificem obſequentia, illius principatum oſtendit. 424. vſque ad 428.
Pontifices cur breui moriuntur. 115. 1. 2.

Prædicator.

Prædicator Euangelicus muſicorum numerorum concinnitatem in verbis habere debet. 646. 2.
Omnes ſcientias obtinere, vt aptior euadat. Ib.
Venuſtus aſpectu. 647. 1.
Voce ſonorus, intellectu clarus; pronunciatione elegans, & diſtinctus. 647. 2.
Memoria tenax, actione venuſtus, & grauis, lingua expeditus ex Cicerone. 649. 1. 2.
Varias linguas calleat, Græcam præcipuè, & Hebræam. 650. 1.
Ex ſanctis Patribus ſcripturæ ſenſus hauriat, & aſſidua lectione delectetur. Ib. 2. 651. 1.
Niſi plumeſcat in ſacræ Scripturæ notitia ad ſuggeſta non aduolet. Ibid. 2.
Tanquam bos mare æneum ſuſtentet. Ibid.
Sedeat in circuitu, & circumeat ſedem ſupremi Iudicis oculis plenus. 652. 1.
Turris Dauidica propugnaculis armata appareat. 652. 2.
Cum floribus poma ex authoribus excerpat. 653. 1.
Animabus, non aurium delectationi ſeruiat. Ibid.
Solatium in ſanctis libris cum Paulo reponat. 654. 2.
Sacram Scripturam irreuerenter non tractet. 655. 1.
Inanes ſubtilitates abhorreat. Ibid. 2.
Ad ſcripturarum ſtudium, & concionandi exercitium ſine humilitate non accedat. 656. 1. 2.
Celebriorum concionatorum exercitia imitetur. 657. 1.
Imperitorum, & de ſe præſumentium arrogantiam oderit. 658. 1.
Coram Magnatibus celſo ſit animo, non adulans. 659. 2.
Sanctorum, qui ſine adulatione ſcripſerunt, vel libere Principes reprehenderunt, imiterur exempla. 660. vſque ad 664.
Quam difficile ſit concionandi munus aduertat. 664. 1. 2. 665. 1.
Cum libertate dicendi moderationem, & prudentiam teneat. Ibid. 2.
Culturæ fucatæ calamiſtros vt venenum Euāgelicæ prædicationis effugiat. 666. 667.
Communem loquendi modum, ad perſuadendum aptiſſimum omninò affectet. Ib. & 668. 1.
In actionibus grauis ſit, non mimicus. Ibid. 2.
Corpore erecto, facie modeſta, aſpectu non ludibundo. 669. 1.
Hyperboles, & paradoxa non ſint illi familiaria. Ibid. 2. & 670. 1.
Prudentia in ſermonibus componendis vtatur, vt ad inceptam materiæ loquatur. Ibid. 2. 671. 1. 2.
Doctrinam, & medicinam audientiū captui & complexioni accōmodet. 672. 1. 2. 673. 1. 2.
Plura ſcripturæ, vel Patrum teſtimonia non accumulet, cum pauciora, & melius digeſta ſufficiant. 674. 2.
Orationi, ad concipiendum in ſe ignem, & in alios diffundendum ſedulo vacet 675. 2.
Hac via affectus in alijs commouebit, ſi prius ipſe motus fuerit. 676. 1. 2.
Alienus alethali culpa inueniatur. 677. 1. 2.
Factis prius clamare debet, quam verbis. 678.

Digitized by Google

678. 1. 2. vſque ad 684. 1.
Prædicatores vani ſine ſtudio ſacræ Scripturæ. 704. 2. 705. 1.
Mirus prædicationis effectus ex B. Vincentio Ferrer. 45. 2.
Prædicatores veloces ad prædicandum eſſe debent. 519. 2.
Prædicator niſi in doctrina conuiciatus, non ſe defendat, 739. 2. 740. 1. 2.
Vel cum famæ detractio à doctrina auellit audientes. 741. 1. 2.

Princeps.

Pietas inordinata Principis, plebis eſt confuſio. 84. 1. & 2.
Principum gratia quàm vitrea. 784. 1.
Culmen tenere, & in ſuperbiam non erigi, arduum eſt. 622. 1.

Propheta.

Propheta non ſemper, quæ prædicit, nouit. 129. 2.

Proprietas.

Proprietatis punitio magnâ. 25. 26. 27.

Reges Hiſpaniæ.

Hiſpani Reges ſemper fideles, ſuamque Monarchiam ſemper ſub obedientia Romani Pontificis conſeruant. 424. 2. 425. 1.
Hiſpani Reges omnia Concilia legitimè coacta, à Romanoque Pontifice approbata ſemper recipiunt. 425. 1. 2.
Hiſpani Reges, quam ſeduli Romani Pontifices obſeruatores; vrgentibusque bellis opem ferunt. 426, 327.
Vita Regum breuis. 217. 2. 215. 1.

Regnum.

In Chriſti Regno omnes maioratum obtinent 308. 1.

Religioſi.

Religioſi habitus deſertores, Ananiæ, & Saphiræ ſimiles. 39. & 40.
Religioſorum eſt, non ſolum Deo ſeruire, ſed adhærere. 137. 2.
Religioſi in carne, carnem non habent. 138. 1.
Religioſi ſtatus quot ſunt bona. 238. 1.

Reſurrectio.

Reſurrectionis celeritas in claudi ſanatione adumbrata. 51. 1.
Fœminæ ſeruata differētia reſurgent. 170. 2. 171. 172.

S

Sacerdotes.

Sacerdotes ob caſtitatem Apes dici debent. 612. 2.

Samaritana.

Samaritana aquæ hauriendæ officio intenta vitam hauſit. 208. 1.

Sancti.

Sancti defectus manifeſtant, virtutes proprias occultant. 90. 2.
Sancti aliquando proprias laudes ſcribunt. 438. 1.
Sancti maioribus natu præponuntur. 321. 1.
S. Stephanus ex gloriæ aſpectu ſaxorum imbre non turbatur. 179. 1.
Dei ſeruus otioſus eſſe non debet. 513. 2.
Mala ſocietas à Sanctis fugienda. 468. 2. 469. 1. 2.

Satanas.

Satanas aduerſarius. 100. 1. 2.
Contraria Deo loquens Satanas appellandus. Ibid.
In decorum pati exiſtimans, Satanas dicitur. Ibid.
Satanas ad ſua damna Sanctos tentat. 485. 2.

Simon Magus.

Ad calcandum Simonis Magi ſuperbiam in

Digitized by Google

In inſula Tiberina Seraphicę humilitatis Monaſterium extructum eſt. 785. 1.
Simonis Magi præſtigiæ. 785. 2. 786. 1.
In Neronis gratiam ob magicas illuſiones intruſus. Ibid.
Simonis Magi caſus apud Suetonium. 789. 1.
Non ſtatim à ruina mortuus, ſed iterum ſeipſum præcipitem dedit. 789. 1. 2.

Spirituales.

Spirituales nõ omninò carnis affectibus deſtituuntur. 138. 1. & 2.
Spiritualium, & carnalium circa diuina diuerſus eſt guſtus. 598. 1. & 2.

Superbi.

Superbis vtile eſt cadere. 478. 2. 479.

Supplicia.

Solet Deus in inferendis ſupplicijs eum ſeruare tenorem, vt ipſa pœna, qua delictũ caſtigatur ipſius imaginem, qualitatemq. demonſtret. 30. 2. 31. 32. & 33.

T

Thabor Transfiguratio.

Thabor cum cælo certauit. 214. 1.
Moyſes, & Elias glorioſi in monte Thabor. 273. 1.
Chriſtus transfiguratus noctis tempore. 111. 2. 112. 1.
Cur tres diſcipulos Chriſtus in transfiguratione aſſumpſit. 124. 1. 125. 1. 132. 1.
Transfiguratio Chriſti noſtræ gloriæ exemplar. 132. 1.
Moyſes, & Elias cur in transfiguratione vocati. 220. 2. 221. 1. 2.
Cur B. Virgo Maria transfigurationi non adfuerit. 221. 2. 222. 1. 2.
Transfigurationis breuitas rerum caducarum breuitatem prædicat. 224. 1. 2.
Omnes qui in comitijs transfigurationis aderant, pro Chriſti morte dederunt ſuffragia. 236. 2. 237. 1. 2.
Solus Chriſtus ibi firmauit ſententiam ſuam. Ibid.
Transfiguratio ad tollendum diſcipulorum ſcandalum ordinata. 305. 6. 2.
Tria Euangelica vota in Chriſti transfiguratione delineata. 277. 2. 278. 1. 2.
Tria Tabernacula ex S. Antonio de Padua, quid ſint? 212. 1. 2.
Tres diſcipuli in montem ducti ſaluandorum paucitatem dicunt. 229. 2. 230. 1. 2.

Timor.

Timorem vincimus, quia Chriſtus pro nobis timuit. 79. 1. & 2.
Qui non timet pericula, non eſt fortis. 80. 1.
Timorem ſuperare fortitudinis eſt. Ibid.

V

Vana gloria.

Vana gloria morte punitur. 29. 1.

Veritas.

Verit... omnibus præponenda. 7. 1. &.

Vocatio.

In ſua vocatione quiſque permaneat. 103. 1. 2.
Deus vocando dat vires. 209. 1. 2. 210. 1. 2.
Deo vocanti non reſpondere, in duritiem cordis eſt incidere. 111. 1.

IN-

Digitized by Google

I N D E X

PRO CONCIONATORIBVS.

DOMINICA I. ADVENTVS.

E*RVNT ſigna in Sole, & Luna*,&c. Luc.21. De extremo iudicio reperies Lib.1. Archielog.3. c.4. per totum, & §.1. per totum.

Erunt ſigna. In quibus ſinguli peccatores criminum grauitatem, qualitatemque inſpicient: Nam prout ad pœnam ordinantur, cuiuſque peccatũ prædicant, ac illud tanquam ipſius imagines repræſentant. 30. 2. vſque ad 33.

Cùm ſederit filius hominis. Dum in vita præſenti Deum ob aliqua delicta non ita grauia ſeuerè nimis in peccatores ſæuientem aduertimus, cogitandũ qua ratione propter enormia, & obſtinatione plena crimina excandeſcet. 34. vſque ad 40.

Quæcunque in hac vita Deus ſupplicia infligit, parua ira reputantur. Illa enim, quam in extremo iudicio expromet, ira magna dicenda eſt, *Dies iræ, dies illa*. 40.vſque ad 46.& 96.2.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Matth.11. Nuſquam Chriſti opera aptiorem, & digniorem obtinere potuerunt auditorem, quàm Ioannem, dum vinculis tenebatur. Ita enim pretioſa habentur vincula, vt homines ſupra Angelos, & creata omnia extollant. 765. 2. 766.1.2.

Mittens duos. Cuncta Ioãnes Chriſti pedibus ſubſternit, diſcipulos, doctrinam, affectum, amorem, ac ſe ipsũ: vtpotè qui eodem quo Petrus, & Paulus affectu pro Chriſto carcerem ſuſtinebat. In quo Sanctos alios anteiuit. 760. vſque ad 765.

Mittens duos ex diſcipulis ſuis. Chriſti æmulatur exmplum, qui diſcipulos mittens prædicaturos, *Miſit illos binos*; charitais, vnioniſque præceptum commendans, qnod Chriſtus, & Ioannes ſtabilitũ reliquerunt. Lib. 1. Archielog.3. cap.8. per totum.

Tu es qui venturus es? Non dubitat Ioannes de Chriſto: diſcipulornm dubitatio iſthæc eſt, quam vt auferat magiſter interrogat: quo diſcipulis fides adgetur, & amor; ſicut euenit Petro per mare gradienti, & ſciſcitanti: *Domine ſi tu es*. Lib. 1. Archielog.2. cap.1. per totum, & cap.2.& 3.per totum.

Cæci vident, claudi ambulant. Chriſti diuinitas, & potentia fidem ex miraculis comparat, quoties per ſe vel per ſeruos ſuos illa operatur: ex quo ipſi clariores efficiuntur. 51. 1.2.

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Ioannes non arundinis inanitate leuis, ſed columnæ firmitate conſtantiſsimus extitit. Vnde Herodi ſe oppoſuit, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*. Quæ dicendi libertas ipſum vinculis dedit, ſicut Petrum, & Paulum Neronianæ libidinis cenſores. Ægerrimè namque Reges, ac Dynaſtæ admoneri patiuntur. 781. vſque ad 783.

DOMINICA III. ADVENT.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sa-

Digitized by Google

Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannē. Io. 1. Ioãnis victus, vitaq. Iudęos impulit, vt ex eo quis eſſet quærant, quem ab huius ſæculi rebus immunem aduertebant. 274.1.2. 275.1.543.2.544.1.

Tu quis es? Plus rogant dicētes: *Tu quis es,* quã ſi apertè an Deus eſſet interrogaſſent. Tam præclarè de Ioanne ſentiunt, vt ex ipſo, quis ſit, audire velint. Ioannes mirabilius Mãna prærogatiuã habuit: hoc enim in totũ quod volebant conuertebatur. Ioãnes illud ſolũ nõ fuit, quod eſſe noluit. Qui enim rogant *Tu quis es,* cuncta in ipſius arbitrio indifferenter conſtituunt.

Tu quis es. Si quid ſupra Deũ (quod fieri nequit) exiſtet: hoc de Ioãne credere ſunt parati; ſi ipſe rogatus affirmet; & Deum ſe profitenti aſſentiētur: quippe cui abſquè ſignis (*Quia Ioannes quidem ſignum fecit nullũ.* Io. 10.) pluſquã Chriſto crediderũt. 442.1.2.

Tu quis es. Non vtique intuemini? Viri ſanctitatē, Chriſti æmulã, & paupertatem à veſtra alienam videte, & agnoſcetis. 532.2.533.1-2.

Et confeſſus eſt, & nõ negauit. Quãti faciēda ſit oportuno tēpore cõfeſsio, qualis hęc: *Nõ ſum,* inquit, *ego Chriſtus* & illa Petri, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matth. 16. Vnde Hieron. atteſtãte, *Mercedē recepit iſta confeſſio.* 85.2. 778.1.2. Petrus ob confeſsionem Eccleſiæ caput inſtituitur: *Tu es Petrus, & ſuper hãc petrã, &c.* Corã Põtifice honoratur cũ rogatus ab eo Chriſtus, oculos in Petrũ intendēs reſpõdit: *Tu dixiſti.* Quaſi de iniuria ſolamen accipiēs quod de ipſo an eſſet Chriſtus dubitaſſent. Pariter Ioannes dũ ait: *Non ſum ego Chriſtus,* meritis ſupra Angelos extollitur, vt Author Imperfectus hom. 27. in Matth. opinatur. *Glorioſior eſt Ioannes quia homo fuit, & propter virtutis meritum Angelus eſt vocatus, quàm ſi nomine Angelus, & natura.*

Hæc etiã humilitas, & quã prætulit dicēs: *Nõ ſũ dignus, vt ſoluã eius corrigiã calceamẽti,* meritũ accumulauit, vt apud Iordanē ſupra Chriſti caput manũ extolleret: ſicut Petrus dũ humilitatis cauſa inuerſis pedibus crucifigit, locũ pedibus cõtingit, vbi Chriſtus habuerat caput. 560.1.2. 561.1.

Propheta es tu? Reſpondit non. Chriſtus de Ioanne quod Elias ſit, & pluſquã Propheta teſtatur: Ioãnes vtrũq. diffitetur. Vbi quærit. D. Greg. hom. 7. in Euang. *Quomodo ergo Propheta veritatis, ſi eiuſdē veritatis ſermonibus concors non eſt:* At Chriſtus de ſpiritu, ille de perſona loquebatur: *Quia ſicut Elias ſecundũ Dñi aduentũ præueniet: Ita Ioannes præuenit primũ. Sicut ille præcurſor venturus eſt Iudicis: ita iſte præcurſor factus eſt in Redēptoris. Ioãnes, igitur in ſpiritu Elias erat in perſona Elias non erat. Quod autē Dominus fàtetur de ſpiritu, hoc Ioannes negat de perſona.*

Potuit etiam ſe Prophetã eſſe diffiteri: *Quia Ioannes maior erat Propheta, quia Propheta longe pronunciauerunt: Ioannes præſentē demonſtrabat,* Sicut dixit Aug. tract. 4. in Ioan. Item vt notat Chryſoſt. homil. 15. in Ioan. quia nõ erat Propheta ille de quo inquirebant. *Quia percontantium animũ inſpexit. Exiſtimabãt enim Prophetam quendam eximium venturũ, eo quod inquit Moyſes, Deut. 18. Prophetã vobis ſuſcitabit Dominus Deus de medio fratrum veſtrorum tanquã me ipſũ audite: hic autē erat Chriſtus. Non igitur rogarunt an eſſet vnus ex aliorum numero Prophetarũ, ſed articulũ addiderunt, ac ſi dicerent: Propheta ne ille es, qui à Moyſe prædictus eſt? Propterea negauit nõ ſe Prophetã eſſe, ſed ſe Prophetam illũ eſſe negauit.*

Ego vox clamãtis in deſerto. Omnia ſua reſultat Meſſiatũ reijcit, ſe ipſum vocem pronũciat, quæ nihil aliud eſt, quàm ſonus quidam ex repercuſsione

aëris

aëris reſultãs. Tantũ in Ioanne humilitas enituit, quantũ in Petro, & Paulo. 553. vſque 562. & 575. vſque ad 582.

Vox clamantis. S. Ambroſ. ſerm. 64. *Videte*, inquit, *quid dixerit: Non enim ait tantum, ego ſum vox, ſed clamantis vox, ſcilicet vt ad fidem conſequẽdam vox aures penetret, clamor corda cõcutiat, vox Regnũ prædicet, clamor iudicium comminetur.* Quales Petri, & Pauli voces extiterunt. 583. vſq. 592.

DOMINICA IV. ADVENT.

Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris. Luc. 3. Vt quid ſub initiũ prædicationis Tiberius præmittitur? ſiquidem Prophetæ in exordijs ſolos Iudææ Reges cõmemorabant. Orig. hom. 21. in Luc. ita reſpõdet: *Quando ad Iudæos tantum ſermo propheticus mittebatur, Iudaici Reges ponebantur in titulo, v. g. viſio quam vidit Iſaias filius Amos, in regno Ioſiæ, & Ioathã. Quando verò Sacramentum Euangelij prædicandũ erat, & in toto Orbe Euãgelium diſſeminandum, cuius princeps Ioãnes in eremo fuit, & Orbem Romanum Tiberij regebat Imperiũ, & tunc in quintodecimo anno verbum Domini ad Ioãnem factum eſſe deſcribitur.* Ideoque dicitur; *à diebus Ioannis Baptiſtæ Regnum cælorum vim patitur.*

Ioannes in Iudæa; ſed Romæ Petrus primò prædicauit, & in toto Orbe Paulus: vnde hos tres Euãgelicæ prædicationis principes nũcupabis. Lib. 2 Arc. 2. c. 2. §. 15. per totum, & c. 3. & 4. per tot. & Arc. 1. c. 2. §. 1. & 2. per tot.

Procurante Pontio Pilato. Greg. homil. 20. in Euãg. ait: *Quia enim Iudæa erat pro culpa perfidiæ diſpergẽda, in Iudææ Regno per partem & partẽ plurimi principabãtur, ſecundũ illud: omne Regnũ in ſe ipſũ diuiſũ deſolabitur.* Hinc Iſraeliticũ imperiũ obijt, edito diſcordiæ præconio, cum templi velũ à ſummo vſque deorſum ſciſſum eſt, è contra Chriſti Eccleſia vnione ſtabilitur, quam tunica inconſutilis deſignabat. 533. 2. 534. 1. 2. Nec mirum quia Princeps pacis, & concordiæ Chriſtus eſt. Arch. 3. c. 8. per totum.

Factũ eſt verbũ Domini ſuper Ioãnem. Vbi primũ Ioãnes virtute claruit ſermone ditatur: nullus enim perfectus erit prædicator, quem verba, & opera, manus, & lingua non perficiãt. Lib. 2. Arch. 2. c. 2. §. 7. & 8. per totum.

Aliter S. Ambr. l. 1. in Luc. *Factũ* inquit, *verbũ vox ſecuta eſt: verbũ enim priusintus operatur, ſequitur vocis officiũ: vnde dicitur, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans.*

In deſerto. Ioannẽ virginitatis ſtudium in deſertum deduxit. Ita cẽſuit Hieron. epiſt. 4. ad Ruſtic. *Io. Baptiſta ſanctam habuit matrẽ, Pontificiſque filius erat, & tamẽ nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur; vt in domo parentũ cum periculo viueret caſtitatis.* In quo ſe veram apem oſtẽdit ſicut Petrus, & Paulus extiterunt. Lib. 2. Arch. 1. c. 7. §. 1. & 2. per totum.

In deſerto. Locus eſt culturæ expers, nõ hic ſinuoſa dictio, ſed ſyncera ediſcitur, qualem oportet habere Euangelij miniſtros. Lib. 2. Arch. 2. cap. 2. §. 5. per totum. In hoc loco decerpſit Ioannes fructus, quos S. Greg. Nyſſen. apud D. Thomã in Catena conſpexit. *Amotus à conuerſatione humana inuiſibiliũ ſpeculationi vacans, ne huiuſmodi fallacijs, quæ per ſenſus ingerũtur aſſuetus, quandiu confeſſionem, ac errorem incurreret erga viri boni diſcretionẽ. Et ideo ad tantum diuinarũ gratiarũ eleuatus eſt apicẽ, vt pluſquã prophetis ſibi gratia infũderetur: quia mundum, & expers cuiuſlibet naturalis paſſionis deſideriũ ſuũ à principio, vſq. ad finẽ diuinis aſpectibus obtulit.*

Prædicãs baptiſmũ pœnitentiæ in remiſſionẽ peccatorũ. Omnibus palàm abſq. vlla adulatione, cuiuſque ſexus, ac conditionis pœnitẽtiam ſuadebat.

Quod non omnes obſeruant concionatores. Ar.2.l.2.c.2.§.4.per totum.

In remiſsionē peccatorum. Pœnitentia omnibus peccatis veniā impetrat: nec vllus quāuis enormis peccator de venia diſperet pœnitentiā agēs; ideo enim Chriſtus latroni, Pauloq.indulſit,vt in vtroque veniæ obtinēdæ maneret exemplum 637.1.2.638. 1.2.

IN DIE NATIV. DOMINI.

Peperit filium ſuum primogenitū, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio. Luc.2. Miram Chriſtus paupertatem natiuitati ſuæ elegit. 528.2.529.1.2. Quin etiam vitam,& mortem cum natiuitate coniūgens,vtrobique ſe paupertatis magiſtrum exhibuit. Lib. 2. Archielog. 1. cap.3. §.1.&.2. per totum.

Et pannis eum inuoluit. Conſpecta Deiparæ inopia, ipſiuſque ergà pauperiem affectu,ſatis innuitur viliſſimos fuiſſe panniculos, quibus infantem inuoluit. Sic etiam vilis fuit tunica,quam filio texuit.535.1.2.536.1. Apertè id tradit Beda cap. 5. in Lucam. *Qui totum Mundum vario veſtit ornatu,pannis vilibus inuoluitur, vt nos ſtolam primam recipere valeamus. Per quem omnia facta ſunt,manus, pedeſque cunis aſtringuntur, vt noſtra manus ad opus bonum exerta, noſtri ſint pedes in viam pacis directi.*

Quinimo de paupertate Matris, ac filij exclamat S. Greg. homil.8. in Euangelia.*O admirabilem coarctationem,& peregrinationem,quam ſubijt, qui continet Orbem, ab initio captat penuriam, & eam in ſe ipſo decorat. Nimirum ſic voluiſſet venire poterat mouendo cælum, concutiendo terram, emittens fulmina: Non autem ſic proceſſit, non enim perdere, ſed ſaluare volebat, ab ipſis primordijs humanam conculcare ſuperbiam, atque ideo non tantum homo fit,ſed etiam homo pauper, & pauperem matrem elegit, qua caret his,quibus natū infantē reclinet. Reclinauit eum in præſepio.* Beda cap.5. in Luc. *Qui panis eſt Angelorū in præſepio reclinatur, vt nos, quaſi ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficiat.* Et ideo ex Gregorij ſententia, homil.8. In Euangelia in Bethlehem naſci voluit: *Bethlehem quippe domus panis interpretatur. Ipſe namque eſt qui ait: Ego ſum panis viuus; qui de cælo deſcendi: Locus ergo in quo Dominus naſcitur, domus panis antea vocabatur: quia futurum erat, vt ibi ille per materiam carnis appareret, qui electorum mentes inſatietate reficeret.* Cùm itaque naſcitur Chriſtus panis nutrimentum, lactis, melliſque delicias accipit homo.599. 1.2.600.1.2.593.1. Addendum ex Cyrillo in Catena. *Reperiet hominem factum beſtialem in anima, & ideo in præſepio loco pabuli ponitur, vt vitam beſtialem mutantes, ad conſonam homini perducamur ſcientiam, pertingentes non fœnum, ſed panem cæleſtē vitæ corpus.* Ac velut auceps iuxta fontem tendiculam auibus parat; ibique venturam prædam expectat; ita Chriſtus hominem beſtiam factum ad præſepium venturū nouerat; & ideo ibi naſcitur, vt veniens vitam, & ſciētiam hauriat: Sic etiam in puteo quæſiuit Samaritanam,quia illuc frequēter veniebat. 207.1.2. 208.1.

Quia non erat ei locus in diuerſorio. Beda vbi ſupra. *Naſcitur non in parentum domo, ſed in diuerſorio, & in via, quia per Incarnationis myſterium via factus eſt, qua nos ad patriam, vbi veritate & vita fruemur, adduceret.* Sic igitur via eſt veritas, & vita, vt ſit etiā principium,& finis,quem perfecto amore tenētes erimus perfecti, non ſicut Ephr.139.1.2.Et ideo inter Moyſem,& Eliam transfiguratur. 280.2.

FERIA IV. CINERVM.

Cùm ieiunatis.Matth 6. Ieiunandum non

Digitized by Google

non præcipit, ſed ſupponit, ac in noſtro arbitrio collocat; Conſentaneum namque eſt, vt cum ipſe noſtra cauſa quadraginta dies ieiunauerit, nos ob ipſius amorem totidem ieiunemus, præſertim cùm magna ſit ieiunij vtilitas, quo Deo æquales reddimur, & Dij quodammodo efficimur 274. vſq. ad 276.

Nolite fieri ſicut hypocritæ. Monet ita diſcipulos, quia nullus ita perfectus eſt, quem non tangat inanis gloriæ affectus, quam D. Gregorius bonorum operum tineam appellauit. 191. vſque ad 193.

Sicut hypocritæ triſtes. Hypocriſis mendacium eſt, & ſimulatio: vtrũque Deo deteſtabile. Lib. 1. Archiel. 1. cap. 1. §. 3. per totum. Præterea hypocriſis mater eſt ſeptem peccatorũ mortalium, vt teſtatur S. Ephrem. 16. 2. 17. 1.

Exterminant enim facies ſuas, vt appareant. Magna eſſet hypocritarum fælicitas, ſi quod inanis gloriæ cauſa edunt, ad conſequendam æternã vitam conuerterent. 135. 1. 136. 2. Verùm hi ad terrena nimium ſapiũt & in cæleſtibus cæcutiunt. Lib. 1. Archielog. 3. cap. 2. §. 3. per totum.

Receperunt mercedem ſuam. Hypocritarum merces quaſi ventus euaneſcit, iuſtorum verò præmium permanens eſt, minimamque ipſius particula omnia vitæ mala, Gehennæque incendium abolere poteſt. 148. vſque ad 187.

FERIA VI. POST CINER.

Ego autem dico vobis; diligite inimicos veſtros. Matth. 5. Solus Chriſtus præcipere potuit inimicorum amorẽ: Quippequi inimicos ſuos ita dilexit, vt in cruce pro ipſis veniam poſtulauerit, & omnem ſanguinem effuderit: vnde cùm ipſi iam mortuo latus aperiretur, ſanguinem emiſit, quo omnem ſuſpicionem auferret aliquid ibi iracundiæ reſidere: ſiquidem, vt ait Philoſophus, ira eſt ſanguinis inflammatio iuxta cor. Hoc idem cum Saulo oſtendit, quem Damaſco appropinquare permiſit, vbi ſanguis Abel contra ipſum vindictam poſtulabat. Plus tamen valuit Chriſti ſanguis, ipſiuſque miſericordia. 572 vſque ad 574.

Ego autem dico vobis. Tam impensè Chriſtus pacem, & concordiam diligit; vt quia Petrus in Thabor tria popoſcit tabernacula, Moyſem, & Eliam ab eo diuidens, in terram proiecerit; diſparente interim gloria, quæ monſtrabatur. Plurima de hoc Lib. 1. Archielog. 3. cap. 8. per totum.

Ego autem dico vobis. Quaſi dicat: Ego qui verbis, factiſque amorem, & pacem cum omnibus retinendam exhortor: cuius etiam veſtimenta amorem deprædicant, vnionemque teſtatur; vt cernere licuit in tunica inconſutili, de qua eſt illud ab Athanaſio acutè dictum. 533. 2. 534. 1. 2.

Si tanti apud Deum fraternus amor, quanti fiet, quo inimici diliguntur. 270. 2. 271. 1.

Ego autem dico vobis. Tam mira eſt amoris potentia, vt de Deo triumphet. Quid igitur mirum, vt de humano pectore palmam ferat, maximè Dei præcepto accedẽte. Vide cur ipſe non ſedeat ſuper Cherubim. 232. vſque ad 234.

Vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt. Magna ſunt inimicos diligentium emolumenta, quibus Dei filiatio promittitur: inſuperque in amore quies maxima, & dulcedo magna reperitur, qua amans deliquium paſſus in ſuauiſsimam ebrietatem incidit; ſicut D. Paulus ſentiebat. 762. 2. 763. 1. 2.

DOMINICA I. QVADRG.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Matth. 4 Qui ducēte Deo pugnæ ſe committit, ſecurus cū hoſte congreditur. Qui verò ſponte ſua in certamen, tentationeſque irruit, vinci pertimeſcat. 480. vſque ad 483.

Ductus eſt Ieſus in deſertum. Pugnaturus ſolitudinē quærit, multitudinemque exhorreſcit, exemplo nobis prælucens, quo prauas fugiamus ſocietates, ſi victoriā conſequi velimus. 497. vſque ad 490.

Vt tentaretur à diabolo. In perniciem diaboli ceſsit iſta tentatio. Nec rarò Satanas in tentationibus imprudens, ignaruſque inuenitur: vnde non ſine dedecore, & pœna victum ſe ſentit. Lib. 1. Arch. 2. c. 4. §. 3. per totum.

Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Magna eſt ieiunij prærogatiua, quoniam hominem ad Dei æqualitatem quodammodo euehit. 274. vſque ad 276. Niſi diabolus Chriſtum inſpiceret famelicum, planè ieiunantem timeret, nec tentandum adoriretur. 275. 2. Nec vehementius de illo coniectatus eſt Dei filium eſſe, quàm dum ieiunio indulgentem aſpexit. 276. 1.

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. D. Petrus Chryſ. ſer. 11. in hæc verba. *Miſer*, inquit, *malus vis eſſe, ſed nō potes, cupis tentare, ſed neſcis: eſurienti tenera offerre, nō dura debuiſti: famem nō aſperis palpare, ſed blādis.* At dæmon quamuis plurimi faciat tentationis victoriam, neſcit de ſuo quidquā addere, omnia à Chriſto vult peragi. Et cum ipſe mellitum offerre panem debuerat, vt vinceret: famelicū hortatur, vt lapides in panes trāſmutet. Iam olim dādi ignarus, qui ab Orbe cōdito nihil dedit, vnde adhuc retinet, qui cūcta ſe daturū pollicet. *Hæc omnia tibi dabo.* Renuit Chriſtus miraculum edere, vt diabolo obſequatur: quoniam miracula ſolis credentibus, non autē tentanti edenda erant. Chryſol. vbi ſupra: *Sed ſigna fidei ſunt petēda, non dolis, credenti danda ſunt, non ſunt danda tentanti. Et facienda ſunt ad petentis ſalutem, non ad facientis iniuriam. Diabole tibi vt quid ſigna, cui nihil ſubuenit ad ſalutem, cui totū reſtat ad pœnam?*

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabāt ei. Quā breui certamē illud euanuit, hoſteq fugato, gloriæ viciſsitudo ſubintrauit, Angelorumq. ſeruitia adfuerunt. Non aliter in vita præſenti iuſtorum pugna breui durat, ſtatimque Dei & Angelorū conuiuæ reddūtur. E contra improbis gloria huiuſmodi ocyſſimè euaneſcit, & in æternam pœnā immutatur. Lib. 1. Arc. 3. c. 6. §. 1. per tot.

FERIA II. A DOMINICA I.

Cùm venerit filius hominis. Matth. 25. de hoc vide Lib. 1. Archielog. 3. cap. 4. per totum & §. ſequēti per tot.

FERIA IV. A DOMINICA I.

Magiſter volumus à te ſignum videre. Matth. 11. Adulationis quodam lenocinio Chriſtum conueniunt. Eſt autem adulandi affectus omnium peſſimus: vnde acerba reſponſione exploduntur. Lib. 2. Arch. 2. §. 4. per totum.

Generatio praua, & adultera. Adulteri dicuntur ob fidem quam Chriſto ſeruare obſtringebantur: praui ob pectoris inuidiā, quæ monſtrū eſt immaniſsimum. Lib. 2. Arc. 3. c. 6. per totum.

Niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Suam illis mortem minitatur; quoniā Chriſtum occidētes ſupra infidelitatis crimen homicidium addēt: vnde filij Dei mors quibuſdam erit rigoroſa, alijs in dulcedinē, propitiationemq. vertetur. Lib. 1. Arch. 3. cap. 7. §. 2. per totum.

FE-

FERIA VI. A DOMINICA I.

Erat multitudo languentiũ, cæcorũ, claudorum, & aridorum. Io. 5. Quoſnã hæc tria infirmorum genera deſignẽt. 805. 2. 806. 1. 2.

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Tam voluptuosè viuit improbus in his quæ peccatorum cauſa ſuſtinet, quàm iuſtus dum pro Deo patitur, in quo magna eſt infælicitatis exaggeratio, præſertim factа cũ Petro, & Paulo comparatione, quandiu lætitia perfuſi in carcere pro Chriſto tenebantur. Lib. 2. Arch. 3. cap. 1. per totum.

Triginta, & octo annos habẽs. Paralyticus iſte obſtinatorum erat imago, quibus accidit, vt ferè nunquã à peccatis, niſi per miraculũ diſcedãt. De obſtinatis vide multa. Lib. 1. Archiel. 4. cap. 1. §. 3. per totum.

Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Statim Dei præcepto obtemperauit, & quidquid ſibi impoſitum fuit incunctanter exercuit. Et verò Dei præcepto abſque examine, & cunctatione parendum: De quo dixit acutè Tertullianus, quæ habes. 603. vſq. 606.

DOMINICA II. QVADRAG.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum, & Ioannem. Matth. 17. Pro multis concionibus verſa totum Archielogiũ 3. Lib. 1. & nouo conquiſita ſtudio nonnulla reperies.

FERIA IV. A DOMINICA II.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur. Matth. 20. Aſcenſum vocat iter dum ad moriendum pergit, quia patiendi amor crucem reputat exaltationẽ: quia in Hieruſalem triumphaturus aſcendit; ibiq. peccatum, & veterum delictorum ſpinas abſumet. 240. vſque ad 243.

Et filius hominis tradetur. De paſſione loquitur, ac ſi alius pateretur. Tam acerba namque tormenta ipſum manent; vt quaſi admirans, quod Dei Filius talia ſuſtinebit, quaſi de tertia perſona loquens, omnia recenſeat. Lib. 1. Arch. 3. c. 7. §. 3. & 4. per totum.

Et poſt quam flagellauerint occident eum. Luc. c. 18. Mortem, & flagella conſequenter adnexuit, non tamen alia tormenta cum morte copulauit: Cur hoc fecerit? habes. 250. 1.

Et tertia die reſurget. Reſurrectionis Gloria reliqua mala aboleuit: minima enim ipſius gloriæ particula multo plura extinguere poterat. 152. vſque ad 187.

FERIA VI. A DOMINICA II.

Homo erat Paterfamilias qui plantauit vineam. Matt. 21. In Patrefamilias Chriſtum intellige, vineam Eccleſiam, quã ſanguine ſuo plantauit. *Quã acquiſiuit ſanguine ſuo*.

Et ſepem circundedit ei. Sepem hãc reputa priuilegium Petro Eccleſiæ capiti indultũ; quod nunquam ipſius fides defectura eſſet, vt refert Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua*; quod in eo tanquã Põtifice, & particulari perſona erat adimplendũ; vnde nunquam è cathedra quidquam traditurus eſſet fidei contrarium, iuxta illud; & *Et tu aliquãdo conuerſus cõfirma fratres tuos*. Nec ſolus Petrus, ſed reliqui Põtifices huiuſmodi priuilegijs gaudẽt; quippe qui nec vt Pontifices, nec vt particulares perſonæ à fide poſſunt auerti. Et quidem hoc Sedis Apoſtolicæ priuilegio Eccleſiam tanquam ſepi Chriſtus præmuniuit, ne ab hæreticis inuadi, & diripi poſſet. *Et ſeptem circundedit ei?* Lib. 1. Arch. 3. c. 11. per totum.

Plantauit vineam & ſepem circundedit ei. Pondera Dei in creaturas beneficentiam quibus vt benefaciat theſauros expromit, atque ad hominis commodum vineam plantat,

Et verò beneficus homo Dei benefactoris imaginem reſert, quam inuidus omnino delet. Lib. 2. Archielog. 3. c. 6. §. 2. per totum.

Et ædificauit in ea turrim. Vbi monet D. Chryſoſt. homil. 69. in Matth. *Expende & prouidentiam eius ineffabilem, & otioſitatem inauditam iſtorum. Plura enim ipſe agricolarum opera fecit, maceriem circumpoſuit, vineam plantauit: paruum quid agricolis opus ipſe reliquit, vt ſcilicet plantata iam vinea curam habentes, quæ data fuerant, conſeruarent; nihil enim ille commiſerat, ſed omnia perfecta cuſtodia ſua tradidit. Nihil tamen iſti ex prouidentia Dei, tot tantaque bona conſequuti, lucrati ſunt.* Omnem in Deum ſolicitudinem, laborēque proiecerunt, otio indulgentes, quos proinde redarguit S. Ambroſius ſerm. 10. in Pſalm. 118. *Si Deus maiori quodam ſtudio te creauit, cur ipſe tui ſtudium derelinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit: cur ipſe fugitans ſis laboris?* Oportet igitur, vt homo labori ſe dedat, otium fugiat, pro animæ ſalute laboret, Petri, & Pauli imitator, quorū in labore ſedulitatem habes. Lib. 2. Archielog. 1. cap. 2. §. 1. & 2. per totum.

Et locauit eam agricolis. Author Imperfectus in Matth. homil. 40. agricolas pro Eccleſiæ paſtoribus, & Rectoribus accipit, hi enim, *Procurationem regendi populi ſuſceperunt ad magnam ſuam gloriam, & ad grande periculum: ad gloriam quidem, ſi diligenter tractauerint populum Dei: ad periculum autem, ſi negligenter.* Nihil verò difficilius quàm animarum regimen tractare: oportet enim Rectorem iuſtitia, miſericordiaque adornatum eſſe. Lib. 1. Archielog. 4. cap. 1. §. 4. per totum.

Et peregrè profectus eſt. D. Hieron. in Comment. ad hunc locum ait: *Non loci mutatione, nec enim Deus alicubi abeſſe poteſt; quo complentur omnia, ſed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.* Videant tamen qui regunt, quod licet arbitrio ſuo relinquantur, ſtrictam valde regiminis rationem poſtmodum reddituri erunt. 462. 1. 2. 463 1. 2. Origenes tract. 1. in Matth. parabolam de Synagoga interpretatur; ideoque Deum receſſiſſe autumat: *Quia Dominus, qui fuerat cum illis in nube diei, & in columna ignis per noctem, nequaquam poſtea ſimiliter apparuit illis.*

Alium ceciderunt, alium occiderūt, alium lapidauerunt. vbi primum quis Dei cauſam ſuſcipit, ſtatim contra ſe malorum iras exſuſcitat. Lib. 2. Archielog. 3. cap. 5. per totum.

Verebuntur fortè filium meum: D. Hieronymus Arium erroris ſui his verbis conuincere nititur. *Interrogemus*, inquit, *Arium & Eunomium? Ecce Pater dicitur ignorare; quidquid pro Patre reſponderint, hoc intelligāt de Filio, qui ſe dicit ignorare conſummationis diem.* Cæterum non ſemel in ſcripturis Deus nobis ignorans, & quaſi dubitans proponitur vt erudiatur homo, nec ignorantiam fateri verecundetur. 716. 1. 2. 717. 1. 2.

Auferetur à vobis regnū, & dabitur genti facienti fructus eius. Ob Iudæorum ingratitudinem, & perfidiam Deus ipſos deſeruit, atque ad Gentiles tranſijt; quod ſignificans, cùm à Pontifice Iudæorū rogaretur, an eſſet Dei filius, de præterito reſpondit, *Tu dixiſti*; At verò Pilato Gentili de præſenti reſpondit: *Tu dicis*, de quo diſertè S. Hilarius. 795. 1. 2. 796. 1.

DOMINICA III. QVADRAG.

Erat Ieſus eijciens dæmonium. Lucas 11.

cas 11. expende hic, qua ſolicitudine Deus cum obſtinatis, quique ad ipſius monita obſurduerunt, ſe gerit, identidem de remedio prouidens. *Erat Ieſus eÿciens dæmonium.* Ipſi autem nihilo meliores redditi; *Et illud erat mutum.* Lib. 1. Archielog. 4. cap. 1. per totum.

Erat Ieſus. Inſtructio Confeſſorum iſthæc eſt, qua erudiuntur, vt cum inueteratis peccatoribus, qui longo tẽpore delictis inſordeſcunt, paulatim procedant, nec repente dæmonem expellendum exiſtiment; quinimo patientiam adhibeant & prudentiam, ne aliter labor in caſſum abeat, *Erat Ieſus.* Piſcatorem imitati; qui cum hamo captum ſenſit magnum piſcem, paulatim colligit filum, veritus vt repentino iactu extrahens rumpatur & operam perdat. Cuius rei documẽtum eſt tarda, & moroſa dæmonis expulsio. *Erat Ieſus eÿciens dæmonium.* Sic oculis ſeptem Petrum poſt negationem lenter inſpexit in lacrymasq. diſſoluit. 493. vſque ad 495. Studeat autem Confeſſor perſeuerantia, rationumque momẽtis pœnitentem rubore ſuffundere, plurimi namque refert ad hoc negotium, vt pudore afficiatur. 493. 1. 2.

Et illud erat mutum. Tacuit in confeſsione Petrus: quia tamen lingua tacendo oculis locutus fuit, in fletũque abijt perfectus pœnitens euaſit. Videat tamen peccator quod apud Confeſſarium non obmuteſcat, vt peccata poſsit, debeatque aperire, niſi enim hoc præſtet, veniam non obtinebit: cùm ſecreta cordis non penetret Confeſſor; ſicut Chriſtus Petri intima cognitione peruaſit. 492. 1. 2. 493. 1.

Et illud erat mutum. Matthæus cæcum etiam dicit. Tertullianus, Chryſoſtomus, & Eutymius ſurdum quoque ſentiunt. Vnde dixit Paſchaſ. l. 5. in Matth. quoſdã à dæmone per omnes partes obſideri. *Quoſdam verò alienos à Deo aliquando ſic iam tenet, vt totam fabricam penitus quaſi perennis exactor poſsidet.* Quod egregiè probat Sodomitarum exemplum. 448. vſque ad 453.

Et cum eiiciſſet dæmonium locutus eſt mutus. Optima medendis animarum ægritudinibus diſpoſitio, & peccatum, & cauſam ipſius præcidere. Prius dæmon à Chriſto expellitur, quàm linguæ miniſteriũ reſtituatur, nec prius mutus loqui permittitur, quàm diabolus ab anima extrudatur. Tunc enim effectus abſcinditur cùm ipſius cauſa amputatur. Hinc Deus ſuperbos labi permittit, vt humiles reddat, quandiu enim ſuperbiæ radix hæret in pectore, difficile aliorum criminum germina præcidentur. 478. vſque ad 480.

FERIA IV. A DOMINICA III.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones. Matth. 15.

Peccatorum mos eſt, vt crimina in alios reijciant, quamuis innocentes habeantur. Iam olim Adam culpam ſuam in Deum retorſit. 443. 1. 2.

Non enim lauant manus, cùm panem manducant. Improbi leuiſsimis de cauſis in bonorum accuſationes inſurgunt & rigorosè damnant, quia ad propria peccata cæcutiunt, & quæ in alijs parua ſunt tanquam magna dijudicant; ſicuti Pharaoni cum duobus ſeruis euenit. 783. 1. 774. 1. 2. Et verò Chriſti diſcipuli in prætermittenda manuum latione, nec veniale peccatum admittebant, in quo Phariſæi erant nimietate notandi, vtpote qui teſte Beda lotionis præceptum carnaliter intelligebant. *Verba enim*

Pro

Digitized by Google

Prophetarum carnaliter accipientes, quod dictum erat: lauamini & mundi eſtote, de corpore ſolum lauando ſeruabant; & ideo ſtatuerant non niſi lotis manibus manducandum eſſe. Chryſoſtom. homil. 52. in Matth. *Ideo*, inquit; *diſcipuli non lotis manibus manducabãt, quia iam ſuperflua deſpiciebant, ea ſolùm, quæ ſunt neceſſaria attendentes, & neque lauari, neque non lauari pro lege habentes, ſed vt contingebat alterutrum facientes.* Chriſtus verò Phariſæos redarguit, eo quod ipſius diſcipulos leui de cauſa accuſauerant. Iterùm Chryſoſtomus ibid. *Chriſtus autem non excuſauit, ſed confeſtim reaccuſauit, demonſtrans, quod eum qui magna peccat, pro paruis peccatis aliorum ſolicitum eſſe non oportet.*

Quare & vos transgredimini mãdatum Dei. Mirũ vt audita reprehenſione conſternati non ceciderint: Maximè quia ſub irata Chriſti facies grauitatem ſuorum criminũ accuſantibus fors obiecit. Sicuti Petrus cum Ananiam coarguit, exanimemq. proiecit 25. 1. 2. 41. 1. Et ſanè in indicio nihil adeò metuendum, quam dum Chriſtus ſingulis peccatoribus peccata ſua ob oculis proponet: grauior erit Gehenna talis aſpectus. 198. 1. 199. 1. 2. Nihilominus Phariſæi immobiles ſiſtunt, nec conuertuntur; Caim aſſimiles, cæci oculis, & corde marmoreo. 444. vſque ad 446.

Quare & vos transgredimini. Nequaquam ſua illis crimina obijcit, aut redarguit, quouſque ipſi ad accuſationem diſcipulorum inſiluerunt. Conniuet enim Deus ad proprias offenſas, quæ autem ſeruis ſuis inferuntur minimè diſſimulanter tolerat. Vnde Cyprianus ad Demetrianum: *Lædere ſeruos Dei, & Chriſti perſecutionibus tuis deſine, quos læſos vltio diuina defendit: inde eſt enim quod nemo noſtrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe aduerſus iniuſtam violentiam veſtram, quamuis nimius, & copioſus noſter ſit populus, vlciſcitur. Patiens facit de ſecutura vltione ſecuritas: necentibus in innocentes cedunt: Inſontes pœnis, & cruciatibus acquieſcunt, certi, & fidentes quod inultum non remaneat quodcunque perpetimur.* Deus enim iuſtorum cauſam vt propriam ſuſcipit, eorumque iniurias grauius ſentit, quàm quæ ipſi irrogantur, vt aduertit Hieron. in Pſal. 108. Dicens plus diſplicuiſſe Deo, quod Iudas ſe occiderit, quam quod Filium ipſius vendiderit. *Pœnitentia Iudæ peius peccatum factum eſt. Pro clementia Domini hæc dico, quia magis ex hoc offendit Dominum, quia ſe ſuſpendit, quam quia Dominum prodidit.* Adeò tenere dolet Deus ſuorũ caſus, vt quia aliquando Iudam in ſuorum numero habuit, eſto iam ex ſuis ouibus non eſſet, perditum tamen doluit.

FERIA VI. A DOMINICA III.

Fatigatu ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem. Ioan. cap. 4. Animarum ſalus Chriſtum cogit ſudore fluere, ſitiq. & labore premi. Lib. 1. Archielogium 3. cap. 7. §. 1. per totum.

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Quemque diuina trahi vocatio pro vitæ ſuæ ratione, ac munere quod exercet. Lib. 1. Archielogio 5. per totum.

Mulier da mihi bibere. Magna Chriſti paupertas in huiuſmodi petitione elucet, nam vt ſentit Auguſtinus aquæ poſtulatio mendici reputãda eſt actio. 531. 2. 532. 1. 2. *Et ipſe dediſſet tibi aquam viuam.* Quamlibet

bet

Digitized by Google

bet guttulam cæleſtis aquæ à Chriſto datæ omnem mundi ſitim extinguendæ ſufficientiſſimam reputa. Lib. I. Archielog. 3. cap. 3. §. 1. & 2. & 3. per totum.

DOMINICA IV. QVADRAG.

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat, ſuper his qui infirmabantur. Ioan. 6. Non vni tantùm, ſed pluribus ſua Deus beneficia impertitur, ideòq. ſingularitatem quaſi faſtidiens, multitudiniq. applaudens, in campum prodit ab omnibus ſequendus. 306. vſque ad 312.

Quia videbant ſigna, quæ faciebat. Proprium commodum ad Chriſti ſequelam impellebat: paucíſsimi enim ſunt, quos ſolus amor poſt Chriſtum pertrahat. Amatoriæ tamen ſequelæ exemplo Petrus, Iacobus, & Ioannes præiuerunt, quos propterea Chriſtus transfigurationis ſpectatores elegit, ibiq. adeò amans Petrus inuenitur, vt ex amore errauerit. 525. vſque ad 129. & 140. 1. Quinimmo in amoris ebrietatem incidit. 165. 2. 173. 2. 175. 1. & 186. 2. Et ipſe Spiritus Dei, Amor Petro fauit vt filio, amorisq. incrementum indulſit. Lib. I. Archielog. 3. cap. 2. §. 4. per totum.

Cum ſubleuaſſet oculos Ieſus. Millies beatum crede, quem Ieſus ſuo aſpectu felicitat, ipſius enim oculis tanquam ſcalpello lapides poliuntur cæleſtis Hieruſalem inædificationi ſeruituri. Vide locum Zachar. 401. vſque ad 495.

Reſpondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non ſufficiunt. Conſtringitur Philippus, in eaſdemq. anguſtias Andreas redigitur, dicens: *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, ſed quid inter tantos?* At quantum ipſis anguſtius erat animus: tantum Chriſti latitudine diſtendebatur, conuiuijque affluentia ſupererat. Solus enim Chriſtus etiam magno ſui diſpendio hominibus opitulatur. Vide acutam S. Antonij de Padua ſententiam à pag. 137. vſque ad 139.

Facite homines diſcumbere. Cur ſedere præcepit, cum ſtantes manducare potuiſſent? At magnum eſt inter mundi voluptates, & cæli gaudia diſcrimen; quia illæ curſim tantum, & quaſi pede vno delibantur, iuxta Vatis monitum. Pſalm. 55. *In flumine pertranſibunt pede:* Illa verò lenter, & ſedendo reguſtantur: *Ibi lætabimur in ipſo*. Lib. I. Archielog. 3. cap. 3. per totum, & præſertim à pag. 174. vſque ad 181.

FERIA IV. A DOMINICA IV.

Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur. Ioan. c. 9. Magni momenti eſt, vt ſpiritualis ægritudinis cauſam agnoſcas, quo perfectam parare valeas medicinam. Ideò enim Chriſtus Petrum perfectè ſanauit, quia oculis in ipſum intendens, in lachrymas ſoluit, atque ad agnoſcendam culpæ cauſam oculauit: Plurimas ſancti Patres inueniunt videndas lib. 1. Archielog. 4. c. 2. §. 2. & 3. per totum.

Quis peccauit hic. Non potuit cæcus nondum natus peccati reus inueniri, cuius natiuitatem cæcitas præuenerat: nec Deus futura punit delicta; ſed in præterita animaduertit, & quandoque talibus ferit pœnis, quæ velut delictorum imagines ipſorum qualitatem, fœditatemq. demonſtrant. 30. vſque ad 33.

Vt manifeſtētur opera Dei in illo. Cuncta Dei opera ſacramentis abundant,

dant; ad manifeſtandamq. ipſius gloriam ordinantur: illa etiam quæ hominum oculi, quos Dei fines latent, iudicant imperfecta. Verè enim dixit ſapiens cap. 9. *Non attendentes qui eſſet artifex*. Nec materialem cogites, monet Chryſologus ſer. 84. ad illa verba: *Nonne hic eſt filius fabri?* Sed altiſſimum ſecretò, potenterque operantem, *Sed illius qui mũdi fabricam non malleo fecit, ſed præcepto*. Siue autem iuſtitiam, ſiue miſericordiã, aut quodlibet ex attributis oſtendat, ſemper ipſius opera publicantur. Lib. 1. Archielog. 1. cap. 2. §. 2. per totum.

Et fecit lutum ex ſputo. Contrarijs viſui medicinam parauit. Non aliter ex Eccleſiæ hoſtibus lucem ei affert, & gloriam. 421. vſque ad 423.

FERIA VI. A DOMINICA IV.

Ecce quem amas infirmatur. Ioan. cap. 11. Afflictiones, infirmitates, & ſupplicia præſentiſsimum ad animæ ſalutem antidotum reputãtur. Lib. 1. Archielog. 1. cap. 2. §. 3. per totum.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Non omnem ægritudinem mors indubitata ſubſequitur: nec omnis inopinata, & repentina mors damnationem affert. 44. vſque ad 46.

Lazarus amicus noſter dormit. Sõnus perfecta eſt mortis imago, quem in primum parentem Deus immiſit tanquam innocẽtiæ conſeruandæ remedium. 226. vſque ad 228. *Lazarus amicus noſter dormit*. Adoleſcenti & amico mors non pepercit, ſed in ipſo ætatis flore demeſſuit, quæ nulli indulget ætati, quinimmo breuiſsimam omnes ſentiunt vitæ periodũ. Lib. 1. Archielog. 3. cap. 6. per totum. Et §. 1. per totum.

Ieſus ergo, vt vidit eam plorantem. Lacrymarum, quibus magna eſt impetrandi vis, fortitudini reſiſtere non potuit. 492. vſque ad 499. *Lazare veni foras*. Magnam Dei vocationes potentiam habent, ipſis enim ad imperata exequẽda virtutem, animoſq. impertitur. Lib. 1. Archielog. 3. c. 5. per totum. Hinc eſt illud Baſilij Seleuciæ orat. 42. Quod, *non dixit: ſurge, ſed veni foras, ità cum mortuo differens, ac ſi viueret. Quid enim hac virtute comparari poteſt?*

DOMINICA IN PASSIONE.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Ioan. 8. Chriſtus ſumme innocens, atque ab omni culpa immunis, noſtrum omnium pœnas in ſe valuit ſuſcipere, ſanctitateq. & fortitudine ſua peccata noſtra ſuſtinere, & timorem roborare. 78. vſque ad 80.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Prima Euangelicæ prædicatoris dos eſt vitæ puritas, ità quod à nemine peccati cuiuslibet redargui poſsit. Lib. 2. Archielog. 2. cap. 2. §. 8. per totum. Tales oportet eſſe Prædicatores, ait Auguſtinus lib. de Natura, & gratia contra Pelagium, cap. 14. vt referant viros ſanctimonia præſtãtes, de quibus eſt illud; *conuerſati ſine querela*.

Si veritatem dico vobis. Prædicator virtute clarus liberè, ac citra adulationem poterit omnibus veritatem proferre. Lib. 2. Archielog. 2. cap. 2. §. 4. per totum.

Quare non creditis mihi. Egregia expoſtulatio iſthæc eſt, & reſponſione caret. Chriſto ſanctitate, & innocentia perfecto, veritatemq. prædicanti non creditur. Quænam cauſa? Planè auditorum cæcitas, & obſtinatio, quibus auris dextra ſicuti Malcho abſciſſa eſt, & ſola ſiniſtra audiũt præ-

Digitized by Google

prædicantem. Lib. I. Archielog. 4. §.2. per totum.

FERIA IV. A DOMINICA V.

Facta ſunt Encænia. Io. 10. Celebritas quædam erat renouationis, quæ annis ſingulis templum renouabatur, & omnibus documēto erat, vt quiſque animæ ſuæ templum inſtauraret, eos imitatus, qui ſe renouant, ac iuſtificant. 484.2.485.1.

Et hyems erat, & ambulabat Ieſus. Ambulationis cauſam profert Euangeliſta, hyemem commemorans, ideo enim ambulabat vt frigus expelleret. Solus tamen; fors Petrum inſtruens, vt poſtmodum in domo Pontificis frigus ſentiens (erat enim tunc hyems) nequaquam igni approximet, vbi Chriſti hoſtes aſsident: quoniam damnoſa euadet improborum ſocietas. 487. vſque ad 490.

Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus dic nobis palàm. Perfidiæ ſuæ cauſam in Chriſtum reijciūt, ſicque peccatum ſuum extenuare arbitrantur. Vetus eſt hominis error iſte. 442. vſque ad 444.

FERIA VI. A DOMINICA V.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium. Ioan. 11. Phariſæorum inuidia huiuſmodi concilij conuocatrix extitit, vt mortis ſententia authorem vitæ plecteret: ſicut in amicos ſuos alij exercuere tyranni. Lib. 2. Arch. 3. cap 6. per totum.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit. Verebantur iſti, vt ob miraculorum multitudinē Chriſto crederetur, ac dum inuidi hoc timent, futurum prophetant, & eo amplius promouent fidem, quo fortiùs impedire nituntur. Lib. 2. Archielog. 3. cap. 6. §. 1. per totum.

Tollent locum noſtrum, & gentem. Improbi ad ſola commoda propria reſpiciunt, & vtilitatem communem negligunt. In quo Petrus apud Thabor aliqualem retulit mali vmbram. 306. vſque ad 312.

Vnus autem ex ipſis Cayphas nomine. Neſciens quid dixerit prophetauit: Eius verò vaticinium Petri prophetiæ fuit diſſimile: nam etiam apud Thabor Petrus neſciens quid diceret prophetauit. 129.2. 211.2.212.1.2.

DOMINICA PALMARVM.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21. Chriſtus ob hominum remedium, ac exemplum in manſuetudine, humilitate, pauperieque ad nos venire non eſt dedignatus. Lib. 2. Archielog. 1. cap. 5. §. 1. & 2. per totum.

Venit tibi. Nobis profuit ipſius aduentus, quem ad noſtrum bonū non ad ſuam direxit vtilitatem, quod erat optimi Principis inſigne, ideoque perfecti Regis virtutibus adornatus acceſsit. 458.2.459.1.2.

PRO LACRYMIS PETRI.

Vide de hoc Lib. 1. Arch. 4. c. 2. per totum & præcipuè §. 4. eiuſdem cap. per totum.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Sciens Ieſus quia venit hora eius. Ioan. 13. Horā dixit ſuam, quia mors erat illi ſummæ voluptati, lætitiæq. veluti de peccato triumphus. 240. vſque ad 243.

Cùm dilexiſſet ſuos. Semper ſuos tam miro proſecutus eſt amore, vt ſingulis, magnis indifferenter, & paruis in Regno ſuo maioratus præue-

 nerit.

uerit. Et ideo Regnum in domo Iacob obtinuiſſe dicitur, 307. vſq. ad 390.

Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. Potentiam memorat, cùm iam moriendo ſe accingit, ſignificans quod pati magna ſit gloria Redemptoris. Lib. 1. Archielog 2 c. 6. per tot.

Cœpit lauare pedes diſcipulorum. A Petro ne, an à Iuda lotionem fuerit exorſus, dubitatio eſt, pro qua vide Lib. 1. Archielog. 3. cap. 12. vſque ad quintam prærogatiuam. An verò nudus, ſicut in cruce pependit, diſcipulorum pedes lauerit, inuenies. 548. 2. & 549. 1. 2.

DE PASSIONE DOMINI.

Pro hac habes Lib. 1. Archiel. 3. cap. 3. per totum, præſertim §. 1. 2. 3. & 4.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

Ieſum quæritis crucifixum, ſurrexit. Matth. 27. Gloria reſurgentis omnes crucis dolores extinxit: quinimo è Chriſti patientis memoria quaſi aboleuit: ne tamen è noſtra excideret, Euangeliſta crucifixi ignominiã, & reſurgentis triumphum aduertenter copulauit. Lib. 1. Archielog. 3. c. 3. §. 4. per totum.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Vt tenet Luc. 24. Etenim Petro inter homines primò Chriſtus reſurgens apparuit, vtpotè qui Apoſtolici Collegij Rector, ac Princeps extitit. Lib. Archielog. 3. cap. 15. prærogatiua 9. Nec fide caret quod iam Sol radijs quaſi linguis reſurrectionis nuntium præoccupauerit. Siquidem illo mane per tres hora maturauit exortum, vt ſplendore ſuo reſurgenti applaudẽs deſeruiret, quemadmodum propter morientem veluti dolens, ac mœrens lucem fugitibus abſconderat Vide de hoc. 605. 1. 2. 606. 2.

FINIS.

Erra-

Digitized by Google

Errata		*Corrigenda.*
Vepretes	4. 1.	Vepres
ladda	6. 2.	laudanda
cactis	10. 2.	coactis
ſtendate	53. 2.	oſtendat
obiectat	92. 1.	obiret
pectora	101. 2.	pectore
eum peccatum	117. 2.	eum non peccatum
inuidiam	140. 2.	ignorantiam
inanimis	192. 1.	inanis
notiſsimumque	192. 1.	notiſsimaque
indicium	214. 1.	iudicium
cohortex	253. 1.	ex cohorte
iuueris	266. 2.	iuberis
admonet	283. 1.	admonetur
faberis	135. 1.	ſateberis;
augumento	318. 2.	argumento
vltima coena	320. 2.	ima cera
ſuffulcre	505. 2.	ſuffulcire
deſquilcie	540. 2.	deſauillatio
o:oem	528. 1.	orbem
regentibus	545. 1.	rigentibus
abire	560. 1.	ambire
reponebant	613. 1.	reponebat
depruata	616. 1.	deprauata
imitanti	621. 1.	imitari
multorum	643. 2.	multarum

RE-

REGESTVM.

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee.

abcdefg.

Omnes ſunt quaterniones, præter E e e ternionem, & ††. b, c, d, e, f, g, duerniones.

ROMÆ, Ex Typographia Ludouici Grignani. M. DC. XXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO · ROMA ·